H. mon. 253 – 1

Digitized by Google

<36615962880011 S

<36615962880011

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

2 H. mon. 253-1

Digitized by Google

HISTORIÆ
GENERALIS & SPECIALIS
DE ORDINE
CANONICORUM
REGULARIUM
S. AUGUSTINI
DUOBUS TOMIS COMPREHENSÆ
PRODROMUS.
IN QUO

PRÆMISSA EORUM, QUÆ AD PLENIOREM HUJUS NOTITIAM CONFERUNT, SUMMARIA EXEGESI OMNIUM IN GERMANIA ECCLESIARUM, ABBATIARUM, PRÆPOSITURARUM, PRIORATUUM, TAM ABOLITORUM, QUAM TRANSLATORUM, TAM ACTU EXISTENTIUM, ET SUB HOC INSTITUTO FLORENTIUM, ORTUS, PROGRESSUS, ALIAQUE EORUM FATA BREVITER ENARRANTUR, PLENA PERIPHRASI AD IPSUM OPUS DILATA.

OPERA, ET STUDIO

JOANNIS ANTONII ZUNGGO
CANONICI REGULARIS LATERANENSIS S. AUGUSTINI VORAVII IN STYRIA PROFESSI, IBIDEMQUE BIBLIOTHECARII, ET NOTARII APOSTOLICI, PUBLICI, JURATI, CURIÆQUE ROMANÆ IMMATRICULATI.

TOMUS PRIOR.

MONACHII ET PEDEPONTI,
Apud
JOANNEM GASTL, Bibliopolam.
M D CCXLIX.

Bayer. Staats-Bibliothek München
Digitized by Google

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

Digitized by Google

REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, AC AMPLISSIMIS
DOMINIS, DOMINIS
SACRI, AC APOSTOLICI ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM SUB REGULA S. AUGUSTINI COLLEGIORUM PER AUSTRIAM, ET STYRIAM FLORENTIUM
PRÆSULIBUS,
ET
ABBATIBUS LATERANENSIBUS &c. &c.

REverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Franciſco Xaverio Cathedralis Eccleſiæ Seccovienſis Præpoſito, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Erneſto Clauſtro-Neoburgenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Antonio Andreenſi cis Traſenam, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Maximiliano Direnſteinenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Joſepho Dorotheenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Frigdiano Ducumburgenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Joanni Georgio Florianenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Joanni Erneſto Pöllenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Joſepho Amando Stäinzenſi, &c.

Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Ampliſſimo Domino, Domino Joſepho Laurentio Voravienſi, &c.

Dominis, Dominis, Patronis ac Mæcenatibus Gratioſiſſimis &c. &c.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, AC AMPLISSIMI

DOMINI, DOMINI

PRÆSULES, PATRONI, AC MÆCENATES

GRATIOSISSIMI &c. &c.

VEſtrum Patrocinium quærere plurimis de cauſis hic primus litterarii laboris mei partus debuit, quarum præcipua eſt ejusdem ſcopus, &, de qua agit, materiæ aſſumptæ ratio, ut demum eorum in Sinu hic liber liberiùs quieſceret, qui Canonici inſtituti prærogativas optimè nôrunt & aſſerere, & vindicare. Abundat equidem non ſolùm numerô, ſed & præſtantiâ inſignibûs (qui clavum vigilantiſſimi tenent) Præſulibûs per totam Germaniam ſacer Ordo noſter, vos tamen præ reliquis præſente opere adire me decuit, ne primo in limine elucubrandæ ſat vaſtâ mole Canonicæ Hiſtoriæ, plus ultrò viderer limites obligationis propioris tranſiliiſſe. Notiſſimus veſter, quem in Apoſtolico-Canonicum inſtitutum geritis fervor, ac zelus, quemadmodùm me animaverat, ut pro ejusdem honore, ac jure toto hoc primo Prodromi Tomo perorarem, ſic mihi fidem omnem firmavit, fore, ut quos Patronos eidem demiſiſſimis votîs quærerem, indubius obtinerem. Nam omnes (quorum ampliſſima Nomina præſentem paginam in fronte exornant) tales ſuſpicio, quales ſibi unquam aut Virgilius, aut Horatius promovendis ſuis Commentariis deſiderare valuiſſet. Indigum ad hiſtoriam hanc Canonicam deducendam, dum me inſtrumentis neceſſariis cognoviſtis, tantâ curâ providiſtis de omnibus, ut quando initiô ſuſcepti operis (velut mihi ipſi, ob deficientiam requiſitorum documentorum, condolens) opinabar, unico volumine abundè me omnia complexurum, jam vel ipſum Prodromum propoſitam menſuram excedere veſtrâ benevolentiâ conſpiciatis; hæc exigebat equidem, ut non omnibus uno, ſed ſingulis peculiarî gratitudinis præconiô in præſentiarum deſervirem, quô meliùs univerſo Orbi innoteſceret virtus veſtra excellenti junĉta Sapientiæ, quâ quilibet veſtrûm non uni ſolùm Clauſtro, ſed toti Reipublicæ præeſſe ſoletis, ac prodeſſe. Sanè quantâ providentiâ commiſſum vobis religioſum gregem curetis, lippientibus etiam oculis proſtat in aprico. Quòdque (favente Deo) plurima adhuc noſtri inſtituti in his terris, iſto quamvìs perverſiſſimo tempore, ac religioſo ſtatui potiſſimùm infeſtô, diſciplinæ regularis non minùs, quàm rei familiaris conſtanti vigore emineant, non alteri omninò effi-

Digitized by Google

efficaciori, felicioríque induſtriæ, ac conamini, quàm veſtro ferimus in accepto. Et ſiquidem cumprimis Reverendiſſimos, ac Ampliſſimos Dominos, Dominos Prælatos, quos pientiſſima Auſtria fovet, diſpicimus: Quid, quæſo, deſiderari in perfecto Antiſtite poſſet, quô Clauſtro-Neoburgenſem Eccleſiam ejus Reverendiſſimum, ac Perilluſtre Caput Dominus, Dominus Erneſtus non cumulatè illuſtret, ſeu Vigilantiæ Paſtoralis ſollicitudinem, ſeu temporalium rerum ſolertiam attenderis; quidquid magnificum, ac nobile in hoc celeberrimo Aſceterio elucet, *Erneſtum* Auctorem ſuum indigitat. Eximius, qui in Gazophylacio Capellæ Leopoldinæ radiat, ſacer theſaurus ut plurimùm ſedulitati hujus præclariſſimi Præſulis defertur: Calices aurei, gemmîſque referti, incomparabilis pretii hierotheca non ita pridem operosâ planè arte elaborata, ſtatuæ denique, ac lipſanothecæ pretioſiſſimîs ornamentîs excultæ, ſeu artificis manum conſpexeris, ſive æris impenſi; denique magnificentiſſimum, & dignum aliquando Romano Imperatori præparatum ædificium *Erneſti* nomen præſeferunt, ac in ævum extollent.

In Metropoli Vienna reliqua inter Eccleſiaſtica Sidera immodicè eniteſcit Reverendiſſimus, ac Perilluſtris Dominus, Dominus *Joſephus* ad D. Dorotheæ Præpoſitus, quem quantùm Virtus, ac Scientia adornent, tum ipſum celeberrimi hujus Collegii Capitulum unanimî votô in ejusdem electionem Annô 1734. conſpirans, tum ipſa conteſtatur, ac comprobat Alma Univerſitas Viennenſis, quæ ſicut eundem Theologicâ Purpurâ vixdum annîs ſcholaſticîs, ſumma cum laude, abſolutîs, honoravit, ita exinde in ſuum Decanum, demum in Rectorem Magnificum omnium applauſu aſſumpſit. Hujus integerrimi Præſulis encomia, utut pridem noveram, univerſæ Viennæ linguîs extolli, dimiſsîs hîs omnibûs, mihi ſatis ſuffecerit, quòd, quidquid in ejusdem ſolidas virtutes noſtra ſolertia conetur calamo laudante effundere, minus eſſe, ac infra omne ejusdem meritum, experientia teſte lubens ipſe profitear: Mores ejusdem ſuaviſſimi, ſubmiſſio cuivis etiam vilioris ſortis, hominique plebejo oſtenſa, pietas in Deum, devotióque indefeſſa, Zelus regularis diſciplinæ intrepidus, cura conſervandæ indemnitatis ſui Collegii aſſidua, & quæque denique veri Antiſtitis adimpletum ex aſſe munus comprobantia nos, dum præſentes non unâ, ſed iteratîs vicibûs teſtes adſtitimus, non tam in præconiorum facundiam, quàm (ob agnitam in nobis impotentiam ſimilia condigna diſſerendi) uſque nunc in ſtuporem, ac ſilentium admirantes rapuêre.

Ultrò dein Traſenam uſque pergentes hinc ſe ſiſtit Revereediſſimus, ac Perilluſtris Dominus, Dominus *Antonius*, inde Reverendiſſimus Perilluſtris, ac Ampliſſimus Dominus, Dominus *Frigdianus*, ille ad S. Andreæ, hic ad S. Georgii Ducumburgi Præpoſitus, gemini iſti velut vicinitate, & inſtituti ratione æquales, ſic probitate, reliquîsque dignum Præſulem decorantibûs dotibûs compares, ſuis Collegiis requiſitiſſimô emolumentô præeſſe noſcuntur, nihil tamen utrique efficaciùs, impenſiúsque optamus

XX vo-

Digitized by

votîs demiſſiſſimîs, niſi ut abſterſîs calamitatum ac miſeriarum nubibûs, mitior demum Phœbus exurgat, ac utrumque hoc Collegium, ſuîs cælum beet favoribûs, ſicut eorum digniſſimos Dominos, Dominos Præſules quibûsque cumulavit virtutibûs.

Alluit Danuubius inclitum Dirnſteinenſe Collegium, quod An. 1740. in Præſulem ſibi Reverendiſſimum, ac Perilluſtrem Dominum, Dominum *Maximilianum* elegit, cujus nos dum & humaniſſimam converſationem, & civiliſſimam urbanitatem experti ſumus, profectò paratiſſimi ſubſcribimus Encomiaſtæ illi, ad ejus infulationem è publica Cathedra die 22. Maij. dicti anni vaticinanti, fore, ut hic Ampliſſimus Dominus Dominus Prælatus Anteceſſoris ſui laudatiſſimi veſtigia premens, imitetur Vigilantiam, Zelum, Solertiam, & non ſolum nomen, ſed & omen *Leonis* expreſſurus excubantibûs oculîs, & intrepida mentis fortitudine durum alióquin, moleſtúmque pedum paſtoralem ad ſolatioſam ſuorum ſubditorum æquanimitatem portet, & regat.

A Danubio ad confluxum ejusdem cum Aniſo dum reflectimus oculos, à quo non procul ſeſe conſpiciendum præbet Nobiliſſimum, ac Antiquiſſimum S. Floriani Collegium, cui Reverendiſſimum, Perilluſtrem, ac Ampliſſimum Dominum, Dominum *Joannem Georgium* præſidentem ſcimus, eximiam hujus Præclariſſimi Præſulis in regendo dexteritatem, ac in adimplendo paſtorali ſuo munere perſpicaciam plùs tota ſuperior non minùs, ac inferior Auſtria experitur, quàm nos imbecilles, atque infacundi unquam deſcripturi ſimus.

Quòdſi jam reducamur in Styriam noſtram, cùm primis Cathedralis, ac vetuſtiſſimæ Canoniæ Præſul digniſſimus occurret Reverendiſſimus, ac Perilluſtris Dominus, Dominus *Franciſcus Xaverius*, à Conſilio, diſcretione, prudentiâ, ac præcipuè obſervantia regulari tum conſervanda, tum augenda celeberrimus, omnem ſollicitudinem in eo ponens, ne quid aut retortum, aut incurvum, aut denique à recto virtutum tramite aberrans inveniatur in inclyto Collegio ſuo, digniſſimus ſanè, cui, ſi ulli unquam Anteceſſorum ſuorum, omnes ſui Religioſi Clientes tanquam optimo, ac provido Patri annos apprecentur, exoréntque à DEO ſanitate perfectos, ac dexterâ fortunâ beatos.

Inde ætate non minùs, quàm virtutum perfectione grandævus ſeſe conſpiciendum exhibet Reverendiſſimus, ac Perilluſtris Dominus, Dominus *Joannes Erneſtus* Pöllenſis ad S. Viti Præpoſitus, cujus omnimodam laudem, ſi linguæ, ac calami, ſeu ex invidia, ſeu impotentia proferre recuſent, tot lapides loquentur, quot ejusdem incomparabili peritia, & ſagacitate, nec minùs impenſis ampliſſimis in Auguſtum, & magnificentiſſimum coaluêre ſui Collegii ædificium, ut ſimili, quoad ſpecioſiſſimam ſtructuram, Baſilicâ tota haud Styria glorietur.

Reverendiſſimum quoque, ac Illuſtriſſimum Dominum, Dominum *Joſephum Amandum* Stainzenſis Eccleſia dum ſibi in Præponſitum annô 1724. obtinuit, omnî numerô ſeſe reperit fortunatam, quippe cujus ſolli-

Digitized by Google

ſollicitudine paſtorali implantata jam dudum diſciplina regularis in vigore ſuo immota perſiſtit, & res domeſtica præclarô indies incrementô dotatur.

Denique, ſi ad proprios, domeſticóſque lares revertar, hoc eſt, ad ipſum Voravienſe Collegium, paucîs plurima complexurus dicere ſuffecerit; Reverendiſſimum, ac Perilluſtrem Dominum, Dominum *Joſephum Laurentium* Infulam ſibi jam propè à juvenilibus religioſi Tyrocinii annis indefeſsô, ſimúlque admirandô virtutum, ac ſcientiarum ſtudiô certam, propriámque feciſſe, neque fefelliſſe Vaticinium à pientiſſimo, ac omnium bonorum memoriâ digno deceſſore *Joanne Philippo* (dum hunc ipſum ſacra veſte induerat) factum, fore ſcilicet, ut *Laurentium* ſuum velut inter alia arbuſta eminentem *Laurum* Collegium Voravienſe ſuſpiciat, ac veneretur: Certè ſtupenda illa, annô 1738. triginta ſex Canonicorum liberrimè, & ſine minima qualicunque conſpirationis, aut colluſionis præcurrente nota, unanimis in primo ſtatim ſcrutinio, ſumma in concordia, & charitate firmata electio hujus digniſſimi, ac omnibûs ad mitram requiſitîs meritîs exornati Antiſtitis adeò ſuum ad quæque requiſita Præſulatûs munia excultum animum, ac ingenium probat, ut id nemo non teſtetur, quem ipſe vel ex Primatibus ſua converſatione oblectat, aut ex inferioribus graviſſimô ſuô alloquiô dignatur. Ut de fervore conſervandæ religioſæ obſervantiæ, de ſollicitudine æconomiæ temporalis nil proferam; cujus ſtatum (Deo Laudes) ùtùt moderna injurioſa tempora obſtent, ejus Vigilantia nunquam non urget ad meliora.

Vos ergò, quos breviſſimô tantùm, ac rudî laudum penicillô adumbravi, vos illi eſtis, qui quemadmodùm ob panopliam virtutum, quibûs abundatis, ſinguli ſingula præconiorum volumina veſtro honori, ac merito inſcribenda vendicare jure poſſetis, ſic gratiſſimo ſanè, ac proniſſimo affectu profiteor, quot verba, aut litteras hic primus Prodromi mei Tomus continet, ſi hæc omnia ſingillatim in tot Tomos, quibûs nil niſi obligationis meæ in vos demiſſiſſimæ conteſtationem notam facere conarer, excreſcerent, necdum me condignum aliquid veſtræ benevolentiæ mihi collatæ retribuiſſe.

Porrò, ut confidentiùs aliquantò, quin & audentiùs loquar, totus ſacer Ordo noſter Canonicus vobis debitor eſt, ubi operis multo tempore deſiderati tandem videt vel Prodromum publicæ luci contradi, Prodromum, inquam, illum, qui ſuis (proùt apud omnes Doctos, & à partium ſtudio alienos confidimus) argumentis innixus majorem authoritatem, ac veritatem merebitur, quàm, qui annîs abhinc viginti quatuor tot penè Cenſurîs, & approbationibûs munitus, quot Jacobi-peda, aut Romi-peda Conchîs marinîs oneratus, non plus tamen fidei hiſtoricæ, & reconciliandæ (ùt prætendebatur) harmoniæ, ac charitatis religioſæ conſecutus eſt, quàm quisque libellus, iîs repletus injuriîs, quæ demum confixionem, ac communem prohibitionem inducunt. Eſt autem hic, quem vobis inſcriptum

)( )(2 volui-

voluimus, & à vobis gratioſiſſimè ſuſcipiendum ſubmiſſiſſimè precamur, eſt, inquam, hic Prodromus illîs ſolùm veritatibûs undique roboratus, quæ hactenùs etiam diviſæ tanti valoris, ac ponderis æſtimabantur, ut in eam, quam per decurſum hujus primæ partis defendimus, ſententiam, non tantummodò viri doctiſſimi, ſed & ſanctiſſimi, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ primi proceres utroque, ùt dicitur, pede abirent. Eſt inſuper eorum Jurium, ac prærogativarum aſſertor, & veluti reductor, quæ, neſcio, quis livor identidem aut extinguere penitùs, aut certè ſupprimere nitebatur. Horum igitur zeloſiſſimos promotores, dum præfatus Ordo noſter vos dudum agnovit, ampliùs vobis ſeſe obſtrictum teſtabitur, quippe, qui hîs temporibûs in Germania primi veluti eſtis, quorum munifica ſollicitudine eadem, typi firmitate, ac perpetuitate, omnium oculis expoſita renoventur, ac conſerventur.

Aſſumite igitur eâ, quâ alióquin abundatis, benignitate has primitias laboris mei *Reverendiſſimi Illuſtriſſimi, ac Ampliſſimi Domini, Domini Præſules, Mæcenates Gratioſiſſimi* &c. Fovete illas munifico Sinu veſtro, & qui hujus temporis injurioſiſſima acerbitate non deeſtis honori Ordinis noſtri promovendo, ære non minùs, quàm favore, (propriô etiam, ſi opus eſſet, diſpendiô) ſubvenire, atque exinde toti Orbi veſtrum in rem litterariam affectum, in religionem noſtram ferventiſſimæ mentis devotionem, in Canonica noſtra Jura, ac Privilegia ſecurè tuenda ſollicitiſſimam promptitudinem, in Collegia, & Fundationes eorum indemniter, ac perdurante vigore conſervanda indefeſſam, uberémque vigilantiam oſtenditis, me pro his omnibus ſcribentem, decertantem, laborantem, Clementiſſimîs veſtrîs (ùt hactenùs immeritum ſolebatis) gratiîs, ac favoribûs complecti non deſinite, qui dum vixero, perduro

Reverendiſſimarum, Illuſtriſſimarum, ac Ampliſſimarum Dominationum Veſtrarum

Dabam ex Collegiata Eccleſia Voravienſi
Calend. Nov. M. D. CC. XLI.

Humillimus, & infimus Cliens

JOANNES ANTONIUS ZUNGGO,
Can. Reg. Vorav. Notar. Pub. Immatric.
& Pænitentiar. Apoſt. & Biblioth. ibid.

FACUL-

Digitized by Google

FACULTAS
REVERENDISSIMI, ET AMPLISSIMI D.D. PRÆPOSITI.

UT Hiſtoriæ Generalis, & Specialis de Ordine Canonicorum Regularium Prodromus à R. D. JOANNE ANTONIO ZUNGGO Collegiatæ noſtræ Eccleſiæ Voravienſis Canonico Capitulari, Bibliothecario, & Notario Apoſt. Publ. Jurato, Curiæque Romanæ Immatriculato compoſitus publici Juris per Typum fieri poſſit, tenore præſentium facultatem concedimus. Actum in Canonia noſtra Voravienſi 6. Id. Aug. Annô 1740.

L.S.

Laurentius Joſephus
Præpoſitus ibidem
mppr.

APPROBATIO
CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS VIENNENSIS.

HIſtoriæ Generalis, & ſpecialis de Ordine Canonicorum Regularium Prodromum elaboratum operâ, & ſtudiò Admodùm Reverendi, & Religioſiſſimi Domini, JOANNIS ANTONII ZUNGGO Canonici Regularis Lateranenſis S. Auguſtini Voravii in Styria Profeſſi, & Bibliothecarii non modò nihil contra fidem, aut mores continere, ſed eruditionis etiam ſacræ non vulgarem laudem promereri cenſeo, dignúmque omninò eſſe, qui cum erudito mundo publicis typis communicetur, ſi tamen ita videbitur Perilluſtri, Conſultiſſimo, & Magnifico Domino Univerſitatis Rectori. Viennæ 2. Julii 1740.

L.S.

Ludovicus Debiel, S.J.p.t.
Theologiæ Decanus mppr.

IMPRIMATUR.

FRanciſcus Antonius Nobilis de Spann, S.R. Imper. Eques U. J. Doctor Sac. Cæſ. Regiæque Cath. Majeſtatis in Excelſo Inferioris Auſtriæ Regimine Conſiliarius, & p. t. Rector Univerſitatis.

)(X)(

ELEN-

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS

Authorum, & Monumentorum præſentem Exegeſim ex ſuo fonte Illuſtrantium.

A.

ADami Bremenſis Decani Hamburgens. hiſtoria Eccles. Edit. Lindenbrogii an. 1706.

Alberti Krantzii Eccleſiaſtica hiſtoria ſeu Metropolis Edit. Wolffii an. 1590.

Ejusdem Saxonia, Wandalia. Edit. Ciſneri an. 1621.

S. Altmanni Ep. Patav. vita apud ſcript. Auſtr. Hieron. Pez. tom. 1.

S. Ambroſii Ep. Mediol. & Doct. Eccl. opera Edit. Paris. 1686.

S. Anaſtaſii Bibliothec. vatic. de geſtis Pontif.

Anſelmi Havelberg. Epiſc. de variis Relig. Chriſt. formis edit. ſpicileg. d' Acher. Paris. 1723. *tom.* 1.

Arnolphi Monachi Ratisb. de mirac. B. Emerammi Edit. Caniſii per Basnag. Amſtel. an. 1725. *tom.* 3.

Arnonis: ſcutum Canonicorum Edit. Bernardi Pezii & Raymundi Duelly.

S. Auguſtini Ep. Hyp. & Doct. Eccl. opera Edit. Paris. & Lovanienſi.

B.

Baronii Annales Edit. Colon. cum ſubſequa continuatione.

S. Baſilii Ep. Cæſareens. & Doct. Eccl. opera Edit. Colon. 1617.

Bedæ Vener. opera Edit. Colon. 1612.

Benvenuti Abbat. Later. opus de Capacit. Canon. Reg. ad beneficia ſæcul. Edit. Rom. an. 1732.

S. Bernardi Abb. ClaræV. opera Edit. Paris. an 1719.

Bertholdi Conſtantiens: hiſtorici ſuo tempore fideliſſimi Hiſtoria ſui temporis Edit. Tenangelii. Ingolſt. 1602.

Bollandi acta SS. cum continuatione usque ad tertium tomum Aug. incluſ.

Brovveri Chryſtop. Annales Trevir Edit. Leod. cum notis Maſeny. 1671.

Bullarium Lateranenſe Edit. Cameræ Apoſt. an. 1727.

Bullarium Magnum ſum. Pont. Edit, Luxemb. 1727.

Digitized by Google

C.

Cabaſſutii Notitia Concilor. Edit. Lugd. 1700.

Caramuelis Theologia Regularis.Francof. 1646.

Caſſiani Abb. Edit. Gazæi Atrebati. 1620.

Cæſarii Arelat. Epiſ. regula Virg. tom. 8. *Bibliot. SS. PP. Edit. Lugd.* 1660. *&c.*

Cennomanenſium Epiſcoporum hiſtoria Edit. Mabillonii in Analect. novæ Edit. à pag. 237.

Chron. Magnum Belgicum Edit. Piſtor. nunc. Struvii Ratisb. 1726.

Chronicon Marienrodenſe. Edit. Leibnit. Hannov. 1707.

Chronicon Moſomenſe Edit. in ſpicilegio d' Acherii.

Chronicon Reicherſperg. Edit. Ludevvig. 1718.

Chronicon Sclavonic. Auth. Anonym. Edit. Leibnit.

Chronicon Windeſemenſe Joan. Buſch. Edit. Rosvveidi Antverp. 1621.

Clementis Alexandr. Exhortat ad gentes Bibliot. SS. PP. tom. 3.

Collect. Omn. Concil. Labbæi &c. Venet. 1730.

Concilium Romanum à Mabill. Edit. tom. 4. *Annal. Bened. in App.*

Concilium Trident. Edit. Colon. an. 1700.

Conſtitutiones Lateran. Can. Reg. Edit. Cameræ Apoſt. 1629.

Conſtitutiones Congreg. Gallic. Can. Reg. Edit. Paris. 1638.

Cuthberti vita Edit. Caniſii tom. 2.

Cypriani Epiſ. Carthag. & Mart. opera cum notis Pamelii Paris.

D.

Donati Diaconi deſcriptio vitæ S. Trudon. Hasban. Edit. Mabil. ſæcul 2. *Bened. & apud Surium* 23. *Nov. ut interpollata à Theodorico Abb. Trudonienſi.*

Du Cange Gloſſarium ad ſcriptores mediæ & infimæ Latinit. Francof. 1710.

Dyoniſii Areopag. opera Edit. Paris. 1644.

E.

Ebbonis Rhemenſis Indic. Flodoard. tom. 17. *Bibl. SS. PP.*

Egberti Archi-Epiſc. Eborac. præfat. in excerpt. tom. 6. *concil. Labb.*

Ekkehardi Junioris monachi S. Galli de caſibus ſui monaſterii Edit. Goldaſt. Francof. 1730.

Euſebii Cæſarien. hiſtoria Eccleſiaſt. & de Præpar. Evang.

F.

Folcoinius de geſtis Abbat. Lobiens. in ſpicil. d' Acherii tom. 2.

Flodoardi Ep. Rhemens. hiſtoria. tom. 17. *Bibliot. SS. PP.*

Foppenſii collectio nova Dipl. Belg. Bruxel. 1734.

G.

Gebhardi Epiſc. Conſtant. vita Edit. canis. tom. 4.

Gerhohi Præpos. Reichenſp. Comment in Pſ. Edit. Bern. Pezii Aug. Vindel. 1728.

Gobelini Perſonæ Cosmodromium Edit. Meibomii tom. 1.

Gonzalez Hieronymi Commentar. in reg. Cancell. Apoſt. Edit ſecund à Romæ factâ an. 1624.

S. Gregorii Magni ſum. Pont. & Doct. Eccl. opera edit. Antverp. 1615.

S. Gregorii Turonens. Epis. opera quæ exſtant tom. 11. *Bibl. SS. PP.*

S. Gregorii Nazianzeni Epiſ. opera Edit. Paris. 1609.

H.

Herimanni Abb. Narratio reſtaurat. Abbatiæ S. Martini Tornac. in ſpicil. d' Acher. tom. 2.

Hiſtoria Epiſc. Virdun. Auth. Laurentio de Leodio ibid. tom. 2.

Honorii Auguſtodun. ſumma Hiſtoriarum. Edit. ſpirenſi.

Hugonis a S. Victore opera Edit. Venet. an. 1588.

Humberti Ord. Præd. Comment. in regul. S. Aug. tom. 25. *Bibl. SS. PP.*

I.

Jacobi de Vitriaco Epis. Aconens. & Card. Hiſt. Orient. & occid. Edit. Bongurſiana.

Jacobi Favelli de Archi-Epiſc. ſenonens. hiſtoria.

Joannis Chryſoſt. Ep. Antioch. & Doct. Eccl. opera Edit. Antverp. 1723.

Iſidori Hiſpalens. Epiſc. opera Edit. Colon. 1617.

Iſidori Peluſiotæ Epiſt. tom. 7. *Bibl. SS. PP.*

Italia

Digitized by Google

Italia ſacra Ferdinandi Ughelli Editio. noviſſima cum notis Nicolai Coleti Venetiis 1717.
Ivonis Carnotens. Epiſ. Epiſtolæ. Edit. Paris. anno 1610.

L.

Lamberti Schaffnaburg de rebus geſtis Germanorum Edit, Struv. tom. 1.
Langii Pauli Chronicon Citizenſe. Edit. Struv. 1.
Le Large Diſquiſitiones de Canonicorum Ordine. Paris. 1697.
Luca ſeu Cardin. de luca Theatr. Verit. & Juſt. Colon. 1689.

M.

Mabillonii Joan. Annales & ſæcula Benedictina item Codex Diplomat, & Muſæum Italicum.
Mauburni Joannis Roſetum Exercitiorum ſpiritualium. Duaci anno 1620.
Mindlheim Nebridii Antiquarium monaſticum. Viennæ 1658.
Miræi Diplomata Belgica & Notitia Eccleſ. Belg. Edit. Fappens. Bruxel. 1723.

N.

Natalis Alexandri Hiſtoria Eccleſ. Paris. 1699.
Navarri Martini Aſpilcueta opera Venet. & Lugd.
Neuſtria Pia Arturi de Monſtier Edit: Rotamag. 1663.
Nicolai Deſnos Canonicus ſecul. & Regul. Brugis 1682.

O.

Odonis Canon, Reg. Epiſt. ad diverſos in ſpicilegio d' Acher. tom. 3.
Onuphrii Panving libellus de ſeptem urb is Eccleſ.
Orderici vitalis inter ſcriptores Nordman. Paris.

P.

Pagii Antonii Critica hiſtorico-Chronologica in Annales Baronii Antverp. 1727.
Panormitani Abb. ſiculi in decretum: Norinbergæ. 1484.
Paulini Epiſc. Nolani Epiſtolæ. Bibl. SS. PP. tom. 6.
Pennoti Gabr. Abb. Later. hiſtoria tripart. dicta aliàs. facula veritatis Edit. Rom. 1624. *& Colon.* 1644.
Petri Cellenſis Abb. Tractatus de diſcip. Clauſt. in ſpicil. d' Acher. tom. 1.
Petri Damiani Cardin. opera Edit. Lugdun. & Paris.
Petri de Cluniaco Epiſtolæ. tomo 2. *Bibl. SS. PP.*
Platinæ Bapt. de Vitis Summonum PP. Edit. Colon. 1611.
Pomerii Juliani de vita contempl. exſtat inter D. Proſperi Rhegiens. opera Edit. Paris. 1671.
Proſperi Tyron. Chron. Edit. Canis. tom. 1.

R.

Radulphi Tungrenſis de Canonum Obſervantia. tom. 26. *Bibl. SS. PP.*
Regula Aquisgranenſis tom. 9. *Collect. Concil. Labbæi.*
Regula S. Benedicti. Paris. an. 1721. *& Pragæ.* 1724.
Regula Chrodegangi Epiſc. Metens. Edit. Labbæi & d' Acherii.
Raderi Bavaria Sancta. Monachii. 1615.

S.

Salisburg Metropolis Wigulei Hundi cum notis Gewoldi Ratisp. 1719.
Salviani Maſſiliens. Presbyt. cum collat. Rittershus. & Balluzii Bremæ. 1688.
Sammarthan. Dyoniſii Gallia Chriſt. Editio noviſſima an. 1716.
Serrarii rerum Mogunt. cum notis & Augment. Chriſtiani Joannis Francof. 1722.
Sigeberti Gemblac. Chronicon. Edit. Struv. tom. 1.
Statuta Adalhardi Abb. pro Antiqua Corbeja in ſpicil. d' Acher. tom. 1.
Statuta S. Bonifacii Archiep. Mogunt. in ſpicil. d' Acher. tom. 1.
Stephani Tornacens. Epiſc. Epiſt. prout extant tom. 13. *Bibl. PP.*
Surii Laurentii acta ſanctorum Edit. Colon. 1618.

T.

Tamburinii Aſcanii Abb. de jure Abbatum Edit. Lugd. 1640.

Thomaſſini vetus & nova Eccleſiæ diſciplina Edit. Paris. 1691.

S. Thomæ Aquinat. Doct. Angel. opera Edit. Patavin. 1698.

Ticinenſis Auguſtini Propugnaculum Ord. Canonici.

Irulli Ordo Canon. Reg. Edit. Bonon. 1590.

V.

Victoris Utenſis de Wandalica perſec. tom. 8. Bibl. SS. PP.

Vita Patrum à Rosvveido concinnata. Dilingæ. 1691.

Vita S. Corbiniani Epiſc. Friſing à Cyrin. Aribone ſcripta.

Vita S. Fulgentii Authore Ferrando operibus ejus præfixa.

Vita S. Lietberti Auth. Anonym. in ſpicil d' Acher. tom. 1.

Vita S. Meimberci Auth. Anonym. Edit. Leibnit. tom. 1.

Vita S. Petri Piperacens. in ſpicil. d Acher. tom. 2.

Vita S. Ruperti Auth. Anonym. Edit. Canis. tom. 3.

W.

Wittichindi Annales apud Meibomium: tom. 1.

S. Wurchardi Vita ab Egelberto conſcripta.

Z.

Zachæi & Apollonii Conſultationes in ſpicil. d' Acher. tom. 1.

His accedunt alii Authores Claſſici paſſim citati, uti & Decretum cum Gloſſa majori &c. diverſæ quoqúe Carthæ Fundationum, Privilegia &c. quæ nobis ad uſum fuerunt, quæqúe in ſuo fonte fideliter perluſtrata ſunt.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOtitiam prævIam ad hiſtoriam tam Generalem, quam ſpecialem Ordinis noſtri in hoc Prodromo exhibituri, monita quædam prælibare conſtituimus, quibus præmiſſis, ſecurior nobis via ſternatur, ne in qualemcunque demum offenſionis lapidem incurramus, non ignorantes, quam pertractamus materiam, delicatam eſſe, & injuriæ haud difficulter expoſitam. Itaque

Primò omnium prænotamus, cùm tot præſtantes, & in rebus litterariis egregiè eruditos dudum experiamur, quantùm hi non ſolùm orbi moderno, doctrinæ, ſi unquam aliàs, cupido, ſuis elucubrationibus proficiant, verùm etiam quidam eorum laudabili planè conatu adlaborent, multa lectu, eruditionéque digniſſima, in ſui Ordinis (in quo Deo Religioſi militant) commendationem producere, certò illis cumprimis accomoda, imò & neceſſaria; quorum intereſt noſſe ſuorum genus, factaque majorum; nec nobis quoque in tanta rerum meſſe (quam non minùs noſtra hiſtoria ſuppeditat) torpere ultra licitum videbatur, quin ſaltem quidpiam, quamvis impotentibus viribus promamus, quod, ſi non omnem omnino fulgorem gloriæ, alioquin Canonico inſtituto nunquam non adjudicandæ, exhibeat, non tamen tacere penitùs, ubi alioquin tot ora, calamique loquuntur, accuſet. At quia magni ponderis, ac laboris eſt negotium, quod ſuſcipimus, hinc tibi Lector amice propoſiti noſtri æconomiam enarrandam his paucis putavimus.

Hiſtoriam Generalem ſimul ac Specialem de ſacro inſtituto Canonicorum Regularium ex Documentis Legitimis, ac inſtrumentis (ut fieri poſſet) certis, firmiſque conſtituere intendimus, tali methodo inſtructam, atque diſpertitam, ut inprimis totum opus in ſe contineret quandam deſcriptionem ſed accuratam, Chronologicè æquè, ac Geographicè digeſtam, omnium Eccleſiarum, Abbatiarum &c. quæcunque uſpiam aut unquam per univerſam Europam, finitimaque loca exſtitêre, aut adhuc exiſtunt, in quorum unaquaque enarratione produceretur fundationis hiſtoria, Fundatorum quoque & aliorum Eximiorum Benefactorum brevis ſaltem (ſi plena non ſuppetat) hiſtorica deductio, exinde adderetur Chronologica enarratio Prælatorum cum actis cujuſque, item & aliorum virorum, qui ſibi ob ſanctitatem, heroica virtutum facta, obtentas dignitates, fidem in ſedem Romanam &c. Sæculis venturis memoriam non exilem promeruerunt: præterea his identidem præfigeremus diverſa (quæ Generalem quóque hiſtoriam reſpiciunt) fata atque rerum

rum diſcrimina, quæcunque ſcilicet ſimul ad propoſitum noſtrum abſolutiùs perficiendum notabiliora occurrerent, relatúque digniora; Demum adderentur litteræ Fundationum, Diplomata, privilegia, Bullæ PP. & hæc eâ fidelitate, quâ nobis ipſa Communicata fuêre, aut adhuc (ut confidimus) communicabuntur, eô etiam examine, quô facilè liceat ſincera à falſis, ac Suppoſitiis ſecernere. Cùm verò (ùt cuique conſideranti perſpicuum eſt) hæc enarratio uno volumine, quamvis pluribus forte tomis (ut loqui ſolemus) diſcretô, compleri commodè non poſſit, hinc conſtituimus in plura totum opus volumina diſpertiri, hæc verò rurſus ſuas in partes, ſeu tomos: ita quidem, ut primum volumen Germaniam, ſecundum Galliam, tertium Italiam, Hiſpaniam, Portugaliam &c. Quartum denique Angliam complecteretur Hyberniam atque Scotiam. Et cùm nos ipſos Germaniæ profiteamur alumnos, hinc ne argueremur velut minùs obſervantes in Patriam, ab hac noſtrum laborem ordiri ſtatuimus.

Verùm quia non ſolùm labor noſter ad Eccleſias, Collegiáque actu ſub inſtituto noſtro florentia, ſed ut diximus, ad ea, quæ unquam fuêre, ſeſe diffundet, ideo provinciam nobis non immodicam imponimus, ſcilicet ne ſine lege loqui præſumamus, júſque noſtrum in eas Eccleſias aliquando habitum teſtimoniis atque ratione firmemus, quas longè etiam ante ſæculum undecimum id eſt primis quoque temporibus Orbis Chriſtianus conſpexit.

In his ergò eximius rei Cardo verſatur, quem nobis præcipuè prior præſentis Prodomi Tomus roborabit, in quo præ omnibus neceſſe fuit de Exegeſi aliqua Cogitare, Generalem Ordinis noſtri notitiam Exhibente: Hanc itaque Propilæi locô huic Prodromo præfiximus, haud dubiè multis difficultatibus ſublevandis profuturam.

Secundò: exinde jam in veſtibulo proteſtamur, nos per hanc noſtram elucubrationem planè nolle infeſto illos & homine Religioſo indignos reſuſcitare Crabrones, præcedentiam Ordinum in cauſa antiquitatis attingentes: ſicut ne quidem indirectè ad hanc diſceptationem inſipidam atque ab ipſa ſumma ſede inhibitam per noſtrum laborem devenire intendimus, ſic pariter omnem lectorem obteſtamur, ac reſpectivè conjuramus, ne hoc noſtrum ſtudium, quod in unum Ordinis ſacri Canonici honorem dirigimus, in tam malum uſum aut præjudicium noſtræ intentionis convertat: nam, ut cuique apparet, quàm mutila, & arenoſo fundamento innixa noſtra hæc eſſet litteraria opera, ſi ſine prævia Exegeſi ſolam, eâmque Crudam Monaſteriorum hiſtoricam deſcriptionem texeremus: aut quantùm in ordinem noſtrum non ſolùm, ſed & in plurimos viros doctiſſimos, imò in ipſa Eccleſiæ non pauca Columina peccaremus, ſi, quod hi de antiquitate ejuſdem, atque analogica propagatione (abſit, ut quis credat, inconſultò, aut omnino ignoranter) tam diſertè enunciârunt, nos aſpernantes, quorumdam reſpectivè, aut paucorum aut animum affectibus impeditum præferentium, Originem Ordinis noſtri Sæculô undecimo vel duodecimo affigentium ſententiam tantummodò ideò amplecteremur, ne irritemus ingenia, aliunde fortaſſe ſolùm illa, quæ minùs affecta; cùm nobis ſufficiat, eos nullâ injuriâ propulſaſſe, quos ſcientia, veritas, & meritum inter honorandos reponit.

Tertiò: Materiam ſcopúmque ſcribendi quia talem verſamus, quæ ſuos & limites, & principia, fundamentáque, nec non documenta depoſcit, non tam ex proprio ingenio, quàm ex hiſtoria, ac authoritate ſcriptorum deſumenda, hinc nemo nos incuſabit, dum fortaſſè plurima reperit â nobis adducta, quæ dudum alii ante nos hoc in negotio ſuis ſcriptis inſeruere. Ingenuè namque fatemur, nos malle antiquis, ſed ſolidâ veritate firmatis documentis inhærere, quàm nova & fortaſſe ideo vacillantia proferre. Non tamen ideo, ſaltem apud eruditos (ſic confidimus) centonarii audiemus, quamvis enim rem non immutemus, attamen modum ſcribendi damus profectò alium,

Digitized by Google

alium, in illud S. Auguſtini reſpicientes dum ait: *Utile eſt plures à pluribus libros fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* L. 1. de Trin. c. 3. Qui de ordine noſtro ex recentioribus ſcripſère, ſine invidia dicam, quod ſentio; palmam præ cunctis tulit Author diſquiſitionum de Ordine Canonicorum præcipuè cùm ſtylum modernæ methodi ſcribendi in hiſtoria, integerrimâ & vix ſatis dilaudandâ ſinceritate ſit aſſecutus, tanto quidem multorum doctorum virorum applauſu totum opus abſolvens, ut nihil planè ad perfectè evincendum ſuæ ſententiæ aſſenſum deeſſe videatur. Nos certè quamvis quidem quantum modica noſtra poteſt, curtáque ſuppellex in ferendo hac de re judicio, adeò in iſtarum diſquiſitionum æſtimationem propendebamus, ut jam propè reſolverimus, exegeſis hujus locò Lectorem ad illas remittere, cenſentes earum nos innixos principiis ſecuro calle progredi poſſe ad ipſam noſtram propoſitam Monaſteriorum deſcriptionem: At verò, cùm aliàs eruditi quique horum temporum critici non dubitent, ſi quæ pro elucidanda rerum hactenus controverſarum veritate à quopiam prodantur, lubentes amplecti, nil minùs hactenùs experti ſumus, quàm, ut tam præſtantis ſcriptoris planiſſima pro Ordine noſtro Canonico argumenta, ac documenta perſuaderent, ad eorum Eurythmiam ſuas concluſiones atque ſententias metiri: Et cauſas quidem diverſas conſiderantes, atque, ſubodorantes, eam tamen præ reliquis ſubeſſe putavimus, quòd, ſicut omnia ſuo in hoc celeberrimo opere laconicè, &, ut pluribus Gallis ſcriptoribus uſuvenit, abruptè, inciſèque deducit, ex iis quoque concludenda non tam ipſe liberè enuntiet, quàm lectori committat; ſicque ſæpè animum legentis ſuſpendat potiùs, quàm convincat, & dubia non omnino enervare videatur, atque elidere, quamvis id rem intenſiùs penetranti præſtet. Hinc diverſis deliberationibus fluctuantes, in eum tandem ſenſum devenimus, ut iſthanc Exegeſim auſpicaremur, argumentis, fundamentíſque non paucis ex hoc ipſo Authore mutuatis, at luculentiùs, germaniúſque explicatis, ita quidem, ut, quæ ille non rarò pauciſſimis planè verbis (multò tamen pondere libratis) ediſſerit ex diverſis documentis, nos eo libentiùs, eòque ſecurius illa cum tota ſua periodo exhibeamus, quòd partim nobis fontes ipſi, ex quibus eadem hauſta ſunt, ſuppetant, partim ſperemus iis hôc modô ſatisfieri poſſe, qui dum norûnt, quoſdam ſcriptores interpolando quandoque proferre decurtatas Authorum ſententias, tam inconditè atque ineptè, ut ſi fons ipſe, ex quo eductæ ſunt, requiratur, integrô ſæpè ſenſu fallant, fortaſſe idipſum in hoc noſtro Authore ſuſpicari poſſent, utpote cui receptum eſt, non rarò pauciſſimis verbis energiam ſuo propoſito innectere, citatis tamen Authoribus è quibus ſi libet, liceat plura colligere.

Verùm dum hoc modo ſæpe fatum Authorem ſequimur, noſtra tamen quâ datâ operâ exili licèt muniti ingenio, ſed præpotente ſecuri fidelitate identidem producemus: de cætero ſic affecti hanc Exegeſim judicio prudentûm exponentes, ut nihil novi in aſſertis, plurimùm in antiquitatis & argumentorum pondere exhibeamus: hoc enim expedire unicum in aſſumpta materia confidimus. An autem Amanuenſes potius ex hoc, vel nudi compilatores fuerimus, an his paulò quid amplius? cuique Lectori ſuum Judicium eſto.

Quartò: Occurrent per decurſum frequentiùs quædam opiniones contrariæ in Exegeſi non ſolùm, verùm & in ipſis Monaſteriorum deſcriptionibus refutandæ, quamvis optaremus quidem, nulli adverſari, ſed omnium velut eruditione ac doctrinâ nos longè præeminentium ſententias complecti, atque tueri, coacti tamen reclamabimus illis, qui non tam noſtram, quàm majorum noſtrorum imò fortaſſe & ſuorum ſenſum, mentémque evertere quærunt. Præterquam enim quod quidam criticorum aliùnde omnia penè in dubium agant, nec quoque ſugillationibus parcunt, ſtylóque mordaci. Nos

Digitized by Google

quidem his non reſpondebimus verbis ex conſilio ſapientis prov. 26. v. 45. petitis, verùm ſolâ lucidáque veritate: quâ perpenſâ, certiùs etiam apud iſtos aliquid nos effecturos ſperamus, quàm ſi remorderemus mordentes: informatione quandoque ad reconciliandum adverſarium opus eſt, non ſemper armis atque inſultu.

Quintò: Deſcriptio omnium Eccleſiarum &c. Ordinis Canonici, quæ Exegeſim ſubſequetur, & quidem nunc pro ſola Germania, eâ æconomiâ inſtituetur, ut in primis enarrentur omnes quæ ab Origine ejusdem Ordinis usque ad hæc tempora numerabantur, ſeu adhuc ſub illo floreant, ſeu ad manus devenerint alienas: dabimus autem ſuccinctam quandam cujusque deſcribendi Monaſterii notitiam (prolixiorem ad opus ipſum differentes) immixtis quoque ac reſolutis non paucis quæſtionibus quæ forte in Exegeſi adhuc deſiderari potuiſſent, utpote commodiùs in hac deſcriptione ſupplendis. Quod verò jam præmiſimus, iteratò Cavemus, tantùm ne nos quiſpiam injurium condemnet, dum eam defendere veritatem paramus, quæ apud doctiſſimos viros ab antiquo recepta eſt, & ſolùm fortè à ſæculo decimo Sexto cæpit impugnari. Præprimis autem omni circumſpectione venerari cupimus illuſtrisſimum clerum ſæcularem, neque opinamur fieri poſſe, ut quiſpiam eorum nobis aut ſententiæ noſtræ tanquam ſibi præjudicioſæ ſuccenſeat, cùm eandem ipſam ex illorum collegio docuerint, tradiderintque viri doctrina ſimul ac virtute celeberrimi: atque ut nil dicam de ſummis Pontificibus Martino quinto, Nicolao quinto, Sixto quarto, Pio quarto, Paulo tertio, nil de purpuratis Cardinalibus, Scipione lancelloto, Michäele ſarraceno, Joanne Cicada, Bernardo Scotto &c. certè ſunt, qui antiquitati inſtituti noſtri conſultò, ſine difficultate, plenâ manu & obfirmatô conſilió ſubſcripſère: Etenim eandem noſtram ſententiam apertè tradidère Albertus Krantzig Canonicus & Decanus Hameburgenſis ſcriptor percelebris, Joannes Gerſon, Jacobus Portius, Pyrchus Tharſus, Agapitus de Magiſtris, Andreas Catullus, Laurentius Beyerlink, Aubertus Miræus &c. omnes viri Clariſſimi & ob profundam, quâ eminebant ſcientiam nullis partium ſtudiis fucatam toti erudito mundo notiſſimi, aliique quàm plurimi, quorum Catalogum hìc referre non admittit compendiatum proloquium. Nihil ergò projudicioſi, nihil temerarii asſerimus, veſtigiis eorum inhærendo, quos ipſe Venerabilis Clerus honorat, & doctrinâ Clariſſimos celebrat.

Abſurdiſſimè autem à nobis ex adverſo peccaretur, ſi dum regularen vitam dicimus præceſſiſſe eam, quam vulgò ſæcularem in Clero nuncupamus, ideo iſti inſultaremus: non enim ignoramus, quàm præclariſſimo fulcimine per eos Conſervetur Eccleſia Catholica, ejusque dogmata defendantur contra hoſtes illius, quantúsque in celeberrimo ſæculari Clero præſtantiſſimæ ſcientiæ, pietatis, Zeli, ac exemplaris vitæ ad confuſionem ſanè multorum Religioſorum numerus exiſtat, ut adeo digniſſimè ab eo per aliquot jam ſæcula Hierachia Eccleſiaſtica adminiſtretur ſanctè, atque inculpatè: quod, qui aut non videt, aut negare præſumit, certô is eſt ipſô Anaxarchô Calumnioſior, & ad ſolem cæcutiens.

Sextò: Non procedemus in hac deſcriptione ordine regulariter tali, eò quòd hunc ad opus ipſum differamus, unde quorumdam ſolùm hinc inde curſim, & prout ipſa ſuppeditabit occaſio, libabimus Prælatorum aut aliorum virorum celebrium memoriam, Elenchum eorum & accuratam in ipſo opere hiſtoriam ea fidelitate, quâ nobis documenta ſubminiſtrabuntur, contexturi: nihil ibi defuturum promittimus, quod ab hujus rei peritis deſiderari vel prudenter exſpectari poſſit. Diplomata etiam carthas fundationum, ac Donationum Privilegia, Bulláſque Pontificias &c. ibi adferemus ad litteram, quorum iſthíc aut non meminimus, aut ſola inſeruimus fragmenta, & dum in præſenti prodromo vix primis labiis attigimus non raró, tum Fundatorum,

tum

Digitized by Google

tum Benefactorum, tum ipſorum Monaſteriorum laudem, illinc exactè dilatabimus omnia, dúmque ſuppeditabuntur documenta, etiam adjungemus arborem Genealogicam usque ad præſens, quo ſcribimus ſæculum. Verbo nulli parcemus labori, atque negotio, ut ſolidam, & quantùm rerum notitia admiſerit, abſolutam hiſtoriam noſtri Ordinis & quidem prout in Germania â multis ſæculis florentis proferamus.

Septimò: Novimus quorundam affectus in hac (quam operamur) re litteraria ſeu hiſtorica, eò Collimantes, ut non æſtiment deſcriptiones locorum qualeſcunque illas, niſi eadem propriis pene oculis conſpiciant, & primigenia monumenta ex ipſis fontibus Antiquitatis hauriant, atque deſcribant: quaſi ſcilicet illa narratio minùs aut veritatis haberet, aut laboris, quæ ex doctorum, & hac de re conſultò tractantium libris vel communicatis veridicis documentis decerpimus, quàm quæ oculis (non minùs quandoque fallentibus) luſtramus. Profectò experti non pridem ſumus, graviter & illos decipi poſſe & decipere, qui, dum ſe jactarent in perſona perquiſiiſſe univerſa, erroribus non modicè ſcatentia deipſis Monaſteriis monumenta (ut prætendebant) produxerant. Doctos & in hiſtoricis rebus comparandis verſatos hac in re non metuimus, ut ideò minùs æſtiment labores noſtros, præcipuè immodicis authoritatibus innixos, quæ nobis aut ex diverſis noſtri Ordinis Collegiis fideliter communicata ſunt, aut quæ alioquin ex celeberrimis Scriptoribus per ſedulam plurimorum annorum lectionem abundanter collegimus, contemptores autem, ac Sugillatores hujus operis noſtri minimè curamus, conſilium Fagii Præſtantis Poëtæ ſequentes: dum ait de talibus:

Judice me, nemo meliùs reſponderit illo,
Qui reſpondendum dixerit eſſe nihil.

Quod ſi quæras, ut quid? aut quò demum hic abbreviatus, & præcurrens labor, ſeu Prodromus? reſponſum ex titulo habe, Monogramma ſeu ſpecimen aliquod eſſe volumus futuri operis tuis oculis judicióque propoſitum, Erudite Lector: partim, ut experiamur ſenſum, mentemque tuam, quid de illo cenſeas, dum hunc prodromum diſpiciendo percurris; partim verò & maximè hanc ejus tibi cauſam referimus: occurrit memoriæ ab annis plùs minùs viginti, quosdam ad diverſa Ordinis noſtri Monaſteria conſimilem (ut colligere dabatur) prope materiam elaboraturos pro documentis obtinendis ſcripſiſſe, quibus proviſi ſuam poſſint intentionem complere, poſtmodum tamen (quò impedimentô ignoramus) laudabile vacillavit propoſitum, & usque nunc, quantum nobis innotuit, publicam lucem, effugit: Credidimus, nec ineptè dum nos quóque, ad pleráque Germaniæ Saltem Citerioris Collegia Epiſtolas noſtras, Similia expetendo, dirigeremus, & à paucis reſponſum obtineremus optatum) hinc id contigiſſe, quòd moleſtia toties inaniter iteranda (ob effectum ſcilicet non ſecutum) deſiderium tam ſatisfacientis ſuppreſſerit, quàm ſupplicantis: atque inde eſt, quod præſens ſpecimen omnibus prævie proferre libuerit, ſimul præfixis iis, quæ prolixè ſuo tempore exhibere proponimus: Interea autem enixè ſollicitantes, ut quibus hactenus quæcúnque demum cauſa, ſua communicandi, moram injecerit, vel nunc præſtent cupita, at non ſynopticè átque decurtatè (ut quidam hactenùs fecere, qui etiam ſuppeditaverant ſua) ſed ſecundùm Originalia documenta; nec cunctentur, ſi quem veterum codicum necdum luci per typum exhibitorum, & quandóque eò digniſſimorum ſuis in manuſcriptis Bibliothecis apparatum poſſident, nobis ſubmittere; eò enim completiùs, ac abſolutiùs proditurum opus promittimus, quò plura fideliter, & accuratè fuerint communicata. Conſtituimus namque opus hoc ipſum de Germaniæ Monaſteriis agens ſic partiri, ut duobus (aut ſi abundent documenta) tribus tomis hiſtoria Ordinis enarretur, adductis ad cujusvis Monaſterii deſcriptionem (ut diximus) omnibus iis documentis quæ ſuppetent; his verò completis accedant

dant anecdota omnium ſcriptorum, ſeu illa Aſcetica ſint, ſeu hiſtorica, ſeu ſtatuta veteribus noſtris in uſu, ſeu Necrologia, Martyrologia, aut demum cujuscúnque materiæ, ſi modò typo digna æſtimentur, mundóque erudito accepta.

Cùm verò non pauca Collegia exhibeamus, quæ aut ad alienas manus devenerant, aut penitùs ſub ruderibus jacent ſepulta, qualia præcipuè multa eſſe in Belgio, Saxonia, Suecia, Helvetia, Bohemia &c. ingemiſcimus; hinc, ubi ab illis nil ſperandum ſupereſt, à vicinis florentibus; & talium notitiam facilè habituris, ea nobis communicanda, quæ ad aliqualem ſaltem illorum notitiam conferunt, deprecamur. Intendebamus cuique Monaſterio, de quo nobis minor eſſet cognitio ſignum aliquod adiicere, quô edocti Lectores ſuccurrere noſtræ poſſent inopiæ. At mutavimus ſententiam, ut plurimùm inducti, quòd opinaremur, nec nos ipſos ſcire poſſe de multis Monaſteriis, quæ nobis deſint; nam ædipus quis augurari poſſit, niſi ex ipſis locis ſufficienter edoctus, quot chartas donationum, quot bullas poſſideant, præterea quibus rerum fatis, atque viciſſitudinibus fuerint aut attrita, aut relevata? unde cum diſpendio aliquibus ſigna addenda intermitteremus, quaſi jam omnibus documentis proviſi, cùm tamen adhuc plura latere poſſint nobis ignota. Hinc ſufficiet generaliter caviſſe, atque repetiiſſe ſuperiùs poſtulata. Prout verò cuique ſua nobis documenta Communicare libuerit, ſic illa fideli opera inſeremus labori noſtro, neque cenſeo utendum eſſe multis perſuaſionibus ad eos, quorum animos lucrari optamus; cum utilitas per ſe cuique erudito pateſcat, notúmque ſit, quàm copioſô theſaurô viri illi ab omnibus, ad quoscunque eorum appellabat petitio, proviſi ſint, qui adhinc aliquot luſtris ex Ordine Celeberrimo S. Benedicti tot egregia confecêre volumina, non niſi ex talibus pene monumentis congeſta, quorum non pauca nunc, tam orbi litterario in præcipuum emolumentum, quàm venerando illi Ordini in perpetuum decus, omnium eruditorum volvuntur manibus, ut ſunt Dacherii ſpicilegium, Edmundi Mactene ac Ruinartii anecdota, ſæcula Benedictina Mabilonii &c.

Octavò: Monaſteriorum noſtrorum enarrationem conſtituimus ampliſſimam & fæcundiſſimam, ut ſcilicet non ſolùm ea rememoremus, quæ actû florent, nec ſolùm illa, quæ à tempore magnæ illius per ſuſceptam S. Auguſtini regulam reformationis noſtra eſſe cæperunt, ſed etiam, & quidem jure digniſſimo illa, quæ aut ſæculo octavo Regulam ſibi elegêre Chrodegangi, aut Ludovici, ſeu Aquisgranenſem obſervandam, imo æquiſſimè & illa, quæ à tempore naſcentis Orthodoxæ fidei clerici primævi ſibi obtinuêre. Æquiſſimè inquam, alioquin enim incaſſum Exegeſis noſtra elaborata fuiſſet, ut analogicam, ac identicam continuationem inſtituti noſtri ab Apoſtolorum tempore demonſtraremus: Stante ſiquidem hac veritate, nemo nobis eruditorum improperabit arrogationem earum Eccleſiarum, quas certiſſimò Clerici Votivi aliquando poſſederant. Nulli inde, minimè verò clero ſæculari, injuriam ſtruimus, quæ ſi eſſet? in viros Doctiſſimos, ac Sanctiſſimos, non in nos torquenda eſt, utpote à quibus hanc doctrinam mutuati ſumus, quales ſunt Gregorius Septimus, Paſchalis Secundus, Urbanus Secundus, Benedictus Duodecimus, Petrus Damianus, Nicolaus Cuſanus, aliique penè innumeri, qui omnes (uti ſuperiùs notavimus) aut verbis diſſertis, aut conſequentibus docuêre, à votivis clericis Eccleſiam gubernari cæpiſſe.

Neque tamen falcem ideo culpabili aliqua temeritate in alienam meſſem mittemus, ut ubi documenta exſtant, Collegium aliquod à ſui Fundatione clericis ſæcularibus extraditum, illud nobis cæcâ mente adjudicemus: dabimus utrobique fundamenta noſtra, quibus jus in quodcunque Collegium aut Monaſterium nobis aſſertum, ea quæ noſtri fori non ſunt, minimè uſurpaturi.

De Collegiis antiquiſſimis novi quidem obſervationem Pennoti noſtri L. 2. c. 38. n. 1. dum Belgicarum Eccleſiarum Canonicam inſtitutionem ad ſæculum

Digitized by Google

culum quintum referens, ait: *Ut ea quæ de B. Materno Petri Apoſtolo; nec non de Eccleſiis per illum inſtitutis à nonnullis traduntur omittamus, ne ipſam Canonici Ordinis Originem antiquiorem, quàm par ſit, expiſcari velle videamur.* Hinc liquet Pennotum à reformatione ſancti Auguſtini Alemannicas Eccleſias enumerare inter noſtras; aſt, ùt videtur, quâdam inadvertentiâ, & lapſu memoriæ; nam, qui antea juxta communem eruditorum ſenſum claris probationibus originem canonicorum Apoſtolicis affixit temporibus, dum L.cit.cap.4. & cap.16. *Ordinem Canonicorum ab Apoſtolis fundatum usque ad B. P. Auguſtini tempora continuatum, maximè & quidem adeò floruiſſe* ait, ut cap. 11. non ſolùm in oriente, *ſed & in occidente alleget Eccleſias* hoc inſtitutô inſignitas, quales ſignatè ſunt ſub B. Sylveſtro Eccleſia Lateranenſis, S. Joannis Majoris: Neapoli pariter ſub conſtantino, & cæſarauguſtana vulgo B. M. de Pilari ſub S. Jacobo Apoſtolo: Non video, quô fatô alioquin abſtractus noluerit Trevirenſem, Colonienſem, Moguntinam &c. à prima ſui fundatione inter Canonicas referre. Hinc nos meliora (ut confidimus) ſecuti Conſilia, cuíque Eccleſiæ ac Collegio condebitam ſuæ primæ fundationis Epocham attribuimus, â qua, certiori calculô edocti, judicare poſſumus votivam clericalem vitam, in illis florere cæpiſſe; iquod tam certò temporibus Apoſtolicis, & quidem B. Materni, Eucharii, ſociorúmque fieri potuit, imò debuit, quàm indubitatè, ſi unquam aliàs, incomparabili planè diſciplina eminuit tunc vita clericalis.

Nonò: De Parthenonibus multa eſſent, quæ hìc annotare expediret, utpote de quibus nec paucæ, nec leves controverſiæ agitantur, an ſcilicet ullus canonicarum virginum extiterit ante ſæculum nonum? & quod ſi iſtud? an non eæ ipſæ ſine Regula, ſine voto, ex relaxatis Monachabus exortæ? præterquam, quod difficillimum, ac longè magis ambiguum ſit diſcernere Monaſteria Canonicarum ab aliis, quæ fuêre Monacharum: velut harum rerum expers facilè concedet. Nos in tertia quidem parte exegeſis noſtræ ſingulare caput de Canonicis Virginibus formavimus, in quo principia cauſásque produximus, quæ moverunt, ut quosdam antiquiores Parthenones his Virginibus vindicemus: nec minùs, quæ ibi deſiderari potuiſſent, ſupplevimus in deſcriptionibus Monaſteriorum, at eſſe iſta tam certa & inconcuſſa oracula, quæ omni ambiguitate vacent, quis affirmabit? quod verò in hac cauſa Lectores præmonere voluimus, eſt, nos intermiſiſſe tum in Mappa tum in deſcriptione Collegiorum illa Virginea, quæ dudum olim adjungi ſolebant virorum domiciliis; cùm enim ex decretis conciliorum, ac Pontificum abolita ſint aliunde, & ſæpiſſimè in alia loca chorus veſtalis translatus, operæ pretium haud duximus iis inveſtigandis multùm inhærere.

Cæterùm ut & de Mappa noſtra aliquid diſſeramus, quam fronti hujus Prodromi præfiximus, obſervandum eſt.

Decimò: Eam à nobis non generalem totius Europæ formatam eſſe, ſed ſolius germaniæ Monaſteria atque Collegia exhibentem utpote, quòd ſtatuerimus, cuivis Provinciæ (Deo intentioni noſtræ favente) ſicut nunc Germaniæ (ſolâ Exegeſi demptâ, quam in uno Loco tradidiſſe haud dubiè ſuffecerit) ſuum prodromum cum tali Mappa præmittere, conſultius id Judicantes, quod ſi uni Prodromo Mappam totius Europæ præfigeremus, artificio cælatoris ob quædam loca nimiùm concurrentia planè adverſaturam, & quia nec in hac Particulari Mappa noſtrûm erat, ſic diſtribuere loca, ut concinno quodàm Ordine totam addornarent, velut oculis inſpicientium patet, quàm denſis & compreſſis ſpatiis totum penè Belgium ſtringatur ob copiam Collegiorum, quæ aut viguerunt illic, aut Deo Auſpice adhuc florent: hinc nemo nobis ſuccenſeat, ſi ibidem quoque minùs commodè loca ipſa exhibeantur, quam dein in aliis Provinciis. Quia verò futurum opus noſtrum eâ normâ inſtituere conabimur, ut æquè ſecundùm circulorum Imperialium ſeriem Partes diſcernantur, hinc quoque intendimus (non defecturis Patronis) cuique circulo

Digitized by Google

cuio propriam Mappam præfigere: & quia Burgundicus in ampliſſimum excurrit ambitum in tres ſingulares eundem ſubdividemus partes, exinde longè majori commodô loca omnia ſpectare volentibus exhibituri, utque in hoc noſtris laboribus neutiquam parcamus, ſi nobis communicatæ fuerint etiam Parochiarum, filialium ſeu Altarium, ut antiquitùs dicebantur, nec non bonorum immobilium velut ſunt Arces, Dynaſtiæ, Prioratus incorporati &c. Nomina ſitúsque eorum ſaltem cui propiùs urbi, fluvióque adjaceant, ea omnia cum aſſignatis, nobisque indicatis ditionibus in particularibus illis Mappis fideliter indicabimus. Quô verò uſu ad cognitionem ſitûs Collegiorum tam olim, quàm nunc exiſtentium devenire ſpectator poſſit, in eadem ipſa notavimus.

Porrò ingratiſſimi eſſemus habendi, ſi manum de tabula tolleremus eorum immemores futuri quibus laboris noſtri progreſſum, documentorum communicatorum copiam, plurimorum monaſteriorum notitiam, aliáque complura ad opus noſtrum accuratiùs & abſolutiùs efformandum, non modicè debemus, ſanè inter primos omnium dilaudandus venit Pl. R. Dominus Martinus Görz Decanus Imperialis Collegii Creuzlingani digniſſimus, adſcribendum profectò huic cumprimis habemus Mappæ noſtræ editionem, quantâ ſolertiâ vir iſte occurrentia (ut plerumque fit) non pauca obſtacula removerit, non eſt, ut multis explicem, noverint illi, quibus unà mecum hujus cælaturæ negotium incubuit. Deinde minor ſum ut enarrem conſtantiſſimam in promovendo hoc meo labore ejusdem operam, in obtinendis tum proprii ſui Collegii, tum aliorum documentis dexteritatem, quin in exſtimulando me ipſo ad perſeverantiam laboris, (cui ſæpè jam ſuccumbendum putabam) animoſitatem.

Alterum jure merito nomino Clariſſimum Virum Philippum Saller Canonicum Regularem Pollinganum, cujus vel nomen ipſum ſine laude eſſe non poteſt, quippe ob doctrinam omni litterario mundo notiſſimi ſumméque pretioſi, documenta obtenta & accuratiſſimam hiſtoriæ informationem, ſi ulli, certè huic viro debeo, nihil illi in rebus ſcientificis impervium, nihil adeò obſtruſum, quod ipſe ſuo defæcato ingenio non diſſolvere & elimare noſſet. Primus is fuit, qui dulciſſimum litterarum commercium mecum in hoc negotio cæperat, & jam in duodecimum annum gratioſè continuat, nulli parcens labori, nulli induſtriæ, quamvis vir jam octoageſimum annum excedens. Certè ſi unquam Theſeus Ariadnæ Duci ſuæ ex vaſtiſſimo labyrintho egreſſus, ſuam libertatem defert, meum erit huic Theſeo meo adſcribere, quod tanto hiſtoriæ noſtræ labyrintho implicatus felici ejus ductu ad placitam rerum ſeriem, confuſione, quantùm fieri potuit, eliminatâ pervenerim.

Tertius eſt Clariſſimus D. Auguſtinus Riſtl Canonicus Regularis Clauſtro-Neoburgenſis & B. V. in Hiezing propè Viennam Adminiſtrator digniſſimus, quem, dum ab Univerſitate Vinnenſi totam per Germaniam inclyta ac celeberrima non ſolùm doctorem, ſed etiam decanum digniſſimum creatum dico, virtutem æquè ac profundam ejus ſcientiam ſatis me credo revelaſſe; novimus enim quos, quantósque viros hoc magnificentiſſimum Athenæum univerſo orbi litterario dederit. Hic ergò ſua ſolita Benevolentiâ amiciſſimè complexus labores meos operoſiſſimum ad plurima conſequenda per Sileſiam, Moraviam, Bohemiam, ac Auſtriam, Patronum ſe nobis præſtitit, non ſolùm comparando ſufficientia documenta, ſed & univerſim omnes, quæ obvenerant, difficultates ſublevando, quibus enarrandis nec præſentis chartæ anguſtia ſufficit, nec etiam expedit, viri modeſtiſſimi virtute id aliunde refugiente.

Quartum ſuſpiciendum recolo Pl. R. D. Kuen Exempti collegii ad inſulas Weugenſes Canon. Reg. Decanum meritiſſimum; hujus viri laudem vel in hoc uno deprædicaſſe ſufficiet, ipſum ſcilicet ſupplices meas ſua incomporabili humanitate præveniſſe, obſervata enim elencho noſtro monaſteriorum adjectâ, in calce, admonitione, peculiari favore Epiſtolâ ad nos miſſâ ſeſe ipſum obtulit,

obtulit, imò & multorum Collegiorum (quæ in Mappa adhuc deſiderantur) nobis non ſolùm communicavit nomina, verùm etiam ſuppeditavit, quantum fieri poterat, eorum notitiam atque hiſtoriam, inſuper alia adjiciendo documenta, quæ velut pretioſum quendam Theſaurum me exoſculari oportuit, ac revereri.

Quintum adjungo Pl R. D. Bernardum Streler Imperialis Collegii Wettenhuſani Decanum quoqúe digniſſimum; hujus induſtriæ ac charitati multorum Monaſteriorum debemus cognitionem, ac præprimis ejus peculiarem affectum erga propoſitum noſtrum laudare cogimur: quippe qui primitùs â nobis cauſâ communicandorum monimentorum ſui Collegii requiſitus nobis ſignificavit, longè anteà à ſe intentionis hujus laborem jam propè ad finem perductum, me pene fruſtra inchoaturum, ceſſit tamen Paulò poſt vir moderatiſſimus ac humaniſſimus, & non ſolùm, ut diximus de ſuis nobis immodica contulit, verùm juvit quoque quàm plurimùm & conſiliis innata ſibi dexteritate.

Sextum ſubjungo Clariſſimum D. Rupertum Grueber; quid ego de hujus viri mihi exhibita amicitia in opere hoc litterario promovendo edicam, propè ipſe hæreo, tam ampla ac gratuita ſunt, quæ ab eodem accepimus: ut enim de ſapientiſſimis per litteras datis conſiliis nihil recenſeam, certè ipſe fuit, qui *faſciculum* ingentem propria ſua manu conſcripſerat jam ad prelum paratum de diverſis Collegiis ingenti labore, ac ingenio non minori collectum, atque hiſtoricè deductum, hæc tamen omnia liberaliſſimâ dexterâ nobis impertiit, quod præſtare, quanti affectûs æſtimandum ſit inter viros litteratos, haud opus eſt multis comprobare.

Demum ſeptimum addo Pl. R. D. Bernardum Edl ad SS. Andream & Magnum Can. R. ut ſic è quodam veluti ſacro ſeptemviratu hujus noſtri operis meliora conſilia, & firmiora ſubſidia effluxiſſe cernantur, debemus huic viro amiciſſimo ut plurimùm expeditum in editione prodromi noſtri progreſſum, cui promovendo omnes vires eundem impendiſſe, gratiſſimi profitemur, aſſumptô præcipuè in ſe moleſtiſſimæ alioquin correctionis negotiô, aliorumque complurium gravaminum, quæ omnia ingenitæ humanitatis obſequio, quaſi atlantica ſtipatus patientia ſuſtulit, & conſummavit.

Cæterùm non his ſolis fatemur adſcribendum eſſe progreſſum operis noſtri, acceſſère complures alii, qui peculiariter dignati ſunt de propriis ſuis Collegiis communicare inſtrumenta copioſa, quales fuêre ex Suevia, Franconia, Bavaria, Auſtria, Helvetia, Burgundia, ut adeo in comparatione eorum (qui neſcio qua tenacitate ac illiberalitate retracti & ſi noſtris Epiſtolis enixè requiſiti ne quidem reſponſa reddere dignati ſunt) facilè ſufficiant, ſi modò ultrò ſua gratioſa opitulatione nobis aſſiſtere non omittent ad hunc laborem profectò non exiguum ultrò ſuperandum.

Nunc quod ipſius operis ac vel maximè prodromi, qui modò ſe orbi offert, perfectionem alioquin requiſitam attinet, ut pauca diſſeramus, proteſtamur omnimodis, quamvìs quidem tennuitatis noſtræ vires impenderimus omni marte, attamen neutiquam nos jactare, ad apicem elaborati tam bene operis perveniſſe; ſcatere fortaſſe erroribus, quamvìs nullus velim, ut tamen omnino negem infirmitatis meæ conſcius, nunquam poſſum, at ſi inſperſis etiam hinc inde ſeu rudioris ſtyli, ſeu ingenii minùs aucti, aliorumque errorum quiſquiliis eum apud multos effectum non aſſequor, quem tamen intenti operis ratio deſiderat, condonabit hæc qualiacunque menda Benevolus Lector, uni homini tam vaſtum & multimodis rebus refertum opus molienti: dicere enim audacter poſſum, mihi in elaborando hoc prodromo, quin & ſubſequentibus voluminibus id obtingere, quô ſe dignum excuſatione cenſebat doctiſſimus Zuleta in Commentariis ſuis ſuper Epiſtolam Jacobi: *opus* inquit, in ſua ad lectorem præfatione, *ſæpe ob ingenii tenuitatem*], *aſſiduáſque*

intercurrentes occupationes diutius intermiſſum tandem, Deo auſpice abſolvi, quo fructu, tu videris, certè ingenti meo labore, cùm nec minima ab aliis laboribus vacatio fuerit conceſſa, nec vel pro exſcriptione ullum habuerim amanuenſis auxilium, denegatáque quiete illa, ſcriptoribus ad fœtuum elaborationem neceſſaria, quale ex nativa ipſa mentis vena prodibat opus calamo committebam, quin ullum ſecundis curis ſpacium permitteretur, quod non confidentiæ jactantia, ſed pro defectuum, quos frequentes in hoc opere te deprehenſurum non diffiteor, aliquali excuſatione dixerim. Atque his ego preſſè inſiſtens verbis tum quoque veniam mihi dandam in occurrentibus erratis exoro.

Denique ut ad finem tandem noſtrum deducamus proloquium, maximis votis divinam providentiam imploramus, ut hanc exiguam quidem opellam optimâ tamen mente elaboratam ſolitâ pietatis ſuæ gratiâ comitari dignetur, & id præcipuè in cordibus legentium ſub ſacro Canonicorum ordine militantium efficere, ut, dum diverſas vices, fatáque legerint confratrum ſuorum, ac Eccleſiarum ſeu Monaſteriorum, quæ incoluêre, inquirant cauſas, ac fontes maturiori indagine, ob quas quædam miſerè non rarò, ac infidâ ſorte erepta ſunt Ordini noſtro, alia verò feliciſſimô progreſſu ad hæc usque tempora accrementa non modica acceperunt. Certè nos iſta ſcribentes, atque (ſine gloria loquimur) multâ lectione non exiguam plurimorum eventuum, & præviarum ad illos cauſarum notitiam haurientes neminem de re meliùs enuntiaſſe cenſemus, viro illo doctrinâ non minùs, quàm virtute eximiô, gloriæque Canonicæ æmulatore præclariſſimô Gabriele Pennotô, quem profectô audire non pigebit, quisquis vel ſcintillam in ſacrum Ordinem affectûs ac pietatis nutrire ſe profitetur: hic ergo ſequentem cedro, aurôque digniſſimam, & utinam quorundam cordibus etiam ignito ſcalpro imprimendam veritatem vivis planè depingit coloribus, monſtrans, unde provenerit, ut Multis in provinciis Ordinis noſtri ſacratiſſimi priſtinis temporibus tot titulis honorum ſeu à ſummis capitibus, ſeu purpuratis Eccleſiæ columnis, ſeu cæteris Præſulibus eximiis decorati, & tum ob antiquitatis prærogativam, tum ſanctitatis eminentiam ſemper ſummopere ſuſpecti Collegia atque monaſteria nefandâ non rarò & invidioſâ ſorte adeò conciderint, ut ne quidem memoriam eorum fas ſit ampliùs reperire, ſic ergo Pennotus: *Quis non videt*, inquit, *quàm longè (proh dolor!) hic talis ac tantus Ordo, neſcio quibusnam illecebris, aut faſcinationibus, à primo illo ſplendore, & à primævis Apoſtolicis inſtitutis modò ſit abductus, & à Multis, qui ad caſtra noviſſimè venerunt, quàm longô intervallô præcedatur, & poſt terga relinquatur, & qui primus in Acie conſtitutus cæteros præcedebat, quique olim regularis vitæ ſplendore, & numero virorum ſanctitate ac doctrina pollentium, & ſpiritu ferventium, ſolus ferè per univerſam terram eminebat, & tanquam ſol ſine diminutione proprii luminis cæteris omnibus Ordinibus lumen, formam, & ſpiritum & ortum diffundebat, qualem nunc, & quantam luminis defectionem patiatur, & totus ferè in tenebris deliteſcat, & veluti miles defeſſus, aut ſenio confectus, aut mater anicula, quæ vacuis & laxatis uberibus in angulo ſedeat, à cunctis poſtponatur, & forſan etiam deſpectui habeatur? ubi enim nunc primus ille Canonicæ diſciplinæ vigor, ſplendor, ac Spiritus qui in noſtris majoribus fulgebat? ubi priſci illi proceres hæreticorum domitores, & proſtratores validiſſimi, Auguſtinus, Athanaſius, Proſper, Gelaſius, ubi Theologorum Principes & Magiſtri doctiſſimi Hugo, & Richardus Victorini, & Petrus Lombardus? ubi Eccleſiaſticæ dignitatis, & immunitatis etiam cum periculo vitæ & effuſione ſanguinis defenſores fortiſſimi, uterque Thomas Martyr, ſcilicet Cantuarienſis, & Pariſienſis, uterque Alexander Pontifex ſecundus & Tertius, ubi nunc ſanctiſſimi Præſules mirabilium Patratores infernalibus ſpiritibus nimis formidabiles, Patritius, Frigdianus, Ubaldus, & Bernardus, ubi Canonicæ diſciplinæ reparatores Zelo Dei fervidiſſimi, Ivo carnotenſis, Ubaldus idem Eugubinus, Petrus Ravennatenſis Theotonius Colimbricenſis, Joannes Rusbrochius Bruxellenſis, Bartholomæus Columna Romanus, Leo, & Thadæus Papienſes? Ubi tandem*

In Præf. ſuæ tripart. hiſt. part. 2. gaſixa.

dem nunc tot Canonicorum cætus, Collegia, Congregationes, & Eccleſiæ Cathedrales, quibus olim veluti aſtris luciſluis totus terrarum orbis fulgebat? ſcio quidem nec inficiar hanc tantam cladem magna ex Parte Ordini noſtro contigiſſe, vel ex infidelium & hæreticorum perſecutionibus, vel ob dira Schismata, quæ non ſemel Eccleſiam vexaverunt, & ferè ad triarios redegerunt, vel etiam ob ſæcularium quorundam inexplicabilem nimis avaritiam bonis temporalibus religioſorum nunquam non invidentium, nunquam non inhiantium, eámque tunc vel maximè confirmatam, & auctam, cùm Eccleſiæ & Monaſteria non jam paſtoribus Regularibus, ſed clericis ſæcularibus in commendam, ut ajunt, conferri cæperunt &c. Adfert dein Pennotus Pii V. decretum, quod eſt in Extrav. Ex ſupernis de præb. inducitque Concilia hunc abuſum abrogantia, ſed ſicut iſta omnia nullum effectum ſortita, ſic ea hæc inſerere in vacuum judicavimus. Proſequitur verò Pennotus, aitque: *Cæterùm ut hæc omnia veriſſima eſſe concedamus, tamen quis noſtrûm neget? Complura etiam Collegia Canonicorum regularium mundanâ converſatione intro demiſſâ, deficiente paulatim ſuavitate ſpiritualis devotionis, fervore diſciplinæ Canonicæ, & Zelo ſanctæ religionis penitùs exſtinctô, propriâ voluntate ſuave jugum vitæ regularis excuſſiſſe, & ad ſæcularitatem omnimodam conceſſiſſe: quis etiam neget? alia non pauca Monaſteria, & ſi regularis inſtituti modicum quid nunc etiam retineant, adeo tamen â primo illo inſtituto Apoſtolico relaxata, ſine capite, ſine Congregatione, ſine Prælatorum Regularium viſitatione, & conſequenter ſine interno ſpiritu vix aliquid regularitatis habere præter nomen & habitum, qui tamen in multis varius, & diverſus eſt, & multipliciter detruncatus.* Hæc Pennotus, cui ſanè refragari non poſſumus alleganti nudam & ſinceriſſimam veritatem: profectò dudum experimur, quàm deſpecta non rarò langueat Gloria Patrum noſtrorum, & marceſcat priſtino diſciplinæ virore dimiſſo vitæ Canonicæ ſpiritus: in quibus enim ut plurimùm occupamur, aut quæ eſt negotiatio noſtra? Vereor Vehementer, ne id de Ordine noſtro aliquando deplorandum ſit, quod Ephrem jam ſuo tempore lamentabatur de Ordine Monaſtico: dum dixit: *Quis non deplangat noſtri inſtituti maximam cladem? ignoramus ad quid vocati ſumus,* Ser. adv. vitioſè viv. *neſcimus ad quid venerimus, ad temperantiam & abſtinentiam vocati ſumus, & ciborum exquiſitas epulas expetimus, ad nuditatem venimus & de veſtium cultu contendimus.* Solet namque quorundam (non dico jam Canonicorum) tota vix non negotiatio eſſe, quâ arte, ac formâ, corporis emolumenta procurent, voluptates ſectentur, quæſtui inhient atque mammonæ, hæc magna ſedulitate ediſcunt, & dum fortè â filiis tenebrarum faciliùs iſta percipiunt, quod ſe antea reliquiſſe profitendo jurarunt, ſæculum perverſâ ſimultate reſumunt, ut, ſi ſolùm nomen excipias (quo adhuc gaudere, neſcio, qua prærogativâ, ſe monſtrant) ne minimùm ſuæ religionis in morum affectatione præſignent. Certè ſæculô undecimô atque duodecimô corruptam! Clericorum vitam non incongruè deſcripſit Bernardus: *Quid ſibi vult*, inquit: *quod* Lib. 3. de conſid. c. 5. *Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? id quidem minùs caſtum minùs ſincerum: nempe habitu Clericos, quæſtu milites, actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici Evangelizant: Cujus Ordinis ſunt? cùm utriusque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt, unusquisque, inquit Apoſtolus in ſuo Ordine reſurget, iſti in quo? an qui ſine Ordine peccaverunt, ſine Ordine peribunt, aut ſi ſummè ſapiens Deus veraciter creditur â ſummo usque deorſum nihil inordinatum relinquere: vereor iſtos non alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hæc de Clericis Bernardus, an de ſolis ſæcularibus, an de Regularibus quoqúe? non divino, quales tamen tempore Jacobi Cardinalis de Vitriaco reperti ex Canonicis religioſis fuerint, ipſe vir ſanctus enarrat: *Ut*, inquit, *illis, qui murmurantes, queruli, loquaces & Garruli, men-* hiſt. occid. c. 21. *daces & detractores inter fratres diſcordiam ſeminantes ignavi, otioſi & deſides ſecundùm deſideria ſua ambulantes, inflati & inanes, invidi, contentioſi, & impatientes, avari, & ambitioſi, incompoſiti & imprudentes, gulæ & renibus fræna laxantes, majoribus ſuis inobedientes, & primum votum irritum facientes, tantum ſanctum*

Ordinem quaſi contemptibilem reddiderunt, multos ſcandalizantes, & tantò laicis turpiores, quantò in operibus ſanctitatis, prout altitudo gradus, & Ordo profeſſionis exigit debuerunt eſſe priores de quibus ſcriptum eſt: meretrices & publicani præcedent vos in regno cælorum ipſi enim tanquam ſepulchra foris dealbata, intus autem pleni immunditiis & oſſibus mortuorum, & putredine Cadaverum adeo fœtentes in naribus bonorum virorum ſecum Cohabitantium effecti ſunt, quòd multi cùm jam ſuſtinere non poſſent, ab eis diſceſſerunt, ad aliam religionem mutato habitu, fugientes. Quidam autem in eodem habitu, & ſub eadem regula permanentes, prædictis velut foliis defluentibus, fortiter perſtiterunt ad obſervantiam regulæ ſanctæ & reformationem Regularium inſtitutionum tam in ſe, quàm in aliis tota virtute laborantes, & totis deſideriis anhelantes. Conventus ſiquidem Canonicorum Regularium S. Joannis in vineis Sueſſionenſis, & S. Auberti Cameracenſis, & ſanctæ Mariæ-Bleſenſis & S. Nicolai de Oegnies cum quibuſdam aliis quaſi pauci racemi conſumptâ vindemiâ, in virtute religionis, & fervore charitatis, & decore honeſtatis permanſerunt. Sic Jacobus noſter vitia illa graviter perſtringens, quæ agnoſcebat vir in ſpiritu inſtructiſſimus maximè officere ſolere exoptato religionum augmento: & ſi vel unum ex his obſervare liceat, certè inflatio illa, & ambitio quantas in ruinas florentiſſima etiam Monaſteria, Collegiáque dejecerit, nemini ignotum eſſe poteſt: quòdque vehementer mirandum, ſolere ſcilicet noſtris quoque temporibus obtingere, ut magno Zelo, & vehementi aſtu certetur pro Religionis, ac inſtituti (ut vocamus, & dignè quidem) apoſtolici honore, ne quid ei aut detrahatur, quod antiquo jure habuit, aut appingatur, quô ſemper caruit, hinc meritò pro focis & aris â viris doctiſſimis certatum eſt, ne quorundam invidiâ dicamne potiùs, an ignorantiâ, qui ei ex eſſentia ſuæ inſtitutionis debetur, Clericatus, fucatis abrogetur vellicationibus: aut econtra, â quo ſemper immunis etiam per ſummorum Pontificum oracula declaratus eſt, affricetur monachiſmus. Sed quàm inutili ſtudio hanc nobis provinciam quamvis aliàs digniſſimam aſſumimus, ſi ſolis verbis inhærentes, quem clericatum profeſſi ſumus, opere non monſtramus: quodſi enim juxta ſanctiſſimum legislatorem noſtrum *Clericus duas res profeſſus eſt ſanctitatem & Clericatum, interiùs ſanctitatem, nam clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quàm honor, ſed quis ſapiens & intelligit hæc?* Si ergò Clericus profeſſus eſt ſanctitatem id eſt communiter vivendi ſocietatem, ſi profeſſus eſt quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum, malè refugit fraterna charitatis onera, diſciplinæ regularis obſervantiam, chori frequentiam, & conſervandæ unitatis religioſæ ſolertiam, indebitè quoque appetit ſæcularium familiaria colloquia, luſus prodigos, veſtitus ad luxuriem non ad modeſtiam religioſam concinnatos, atque his ſimilia: hæc enim omnia ſanctitati clericali ſummopere adverſantur. Et quodſi Clericatum ſecundùm ſui inſtitutionem atque eſſentiam impoſuit illi Dominus, iſque magis onus eſt, quàm honor, inutiliter Clerici nomen gerit, ſi ſolùm honorem ſibi arrogare præſumit, & onus declinat. Clerico enim ſeu Canonico Regulari, quid vi aſſumpti Clericatûs incumbat? egregiè exponit Ordinis non exiguum decus Carolus Favre in præfatione ſuarum inſtitutionum: *ideo,* inquit, *Clerici & Canonici Regulares dicimur & ſumus, ut videntes vocationem noſtram ſuſcipiamus traditum nobis ab Apoſtolis miniſterium, ut vitam apoſtolicam & Clericalem perfectiſſimè ducentes, ſine querela noſtram & proximorum ſalutem divinis Myſteriis vacando, ſacramenta miniſtrando, non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras tradendo, operemur, quapropter ſtudeant noſtri omnia quæ Clericorum ſunt, ſuſcipere, & amplecti, nullum munus Clericale quamvis oculis carnis contemptibile unquam refugere, ac per Catecheſim, confeſſionem, ac aliorum ſacramentorum adminiſtrationem & Parochiarum ipſarum regimen plebem Dei ad eum reducamus, & ut ad id promptiores noſtri reddantur, ſtudiorum ordo præſcriptus & collationum cuſtodiatur, in quibus de recta illorum miniſteriorum adminiſtratione erga proximum in parochiis*

Serm. 1. de vit. & mor. Cler. c. 6.

Digitized by Google

rochiis noſtris præſtanda agitur, *exhortationes in refectorio ac etiam Cathecheſes à junioribus habeantur*, *in cantu etiam Eccleſiaſtico*, *& Ceremoniis edoceantur*, *ac ita inſtituantur*, *ut nullum munus in Parochiis præſtandum ignorent*, *vel minùs æſtiment.* Ex quibus Canonicus Clericus habet, ut colligat, nil ſibi de honore, plurima autem proponi de onere. Neſcio enim, qua fronte aut animo ſibi quis ex noſtris adblandiri poſſit de clericatu, qui ea quæ Clericatûs ſunt, aut rarò, aut nunquam exercet. Monachi titulum refugimus, & Clerici laboribus nos ſubducimus, ſicque in re nullius Ordinem tenemus, ut ſupra ajebat Bernardus, & quid demum illud eſt, quod adeo in monachili inſtituto formidamus, ne jurium forte noſtrorum prævaricatores ſimus tunc, dum ad exemplum monachorum mores noſtros religioſâ diſciplinâ coarctamus? ideo nimirum latâ, & laxâ viâ ingrediendum eſt, ideo conculcandæ leges, clauſura, vota, & omnia, quæ reſtrictio clauſtralis expetit, ne ſcilicet inter monachos in præjudicium inſtituti computemur, heu me! ſi iſta ſapimus, quàm longè â via veritatis, & â ſemita, quam Patres noſtri poſuerunt nobis, deviamus: quodſi enim antiquos Canonicorum mores eorúmque jura ſcrutemur, an non univerſim reperiemus, quàm ſanctè, quàm diſciplinatè, clauſtraliter, regulariter, dicam ſecuriùs & monaſticè comparaverint mores: fortè non aberraremus dicendo, cùm Canonici minimè â ſe Monachi nomen averterent, tum minimè inter monachos fuiſſe computatos. Nunquid enim, ſi Canonicus Regularis caput raderet, cappam religioſam portaret, pænitentis actus, humilémque veſtitum præferret, rideretur ut monachus, & inter Canonicos tanquam violator inſtituti haberetur? ſed ſi Odonem illum Canonicum Regularem & ſæculi 12. ſcriptorem præclarum audimus, hoc tunc ita univerſis erat conſuetum, ut ipſe diſſertè dicat: *Si noſtrum nomen & habitum conſidamus*, *non bene convenit vocari regularem Canonicum*, *& verbis & operibus illicitis eſſe diſtortum*, *non unquam bene concordat caput raſum*, *& cor ſuperbum*, *Cappa religioſa*, *& lingua litigioſa*: *parum proſunt ea: quæ foris ſunt humilitatis indicia*, *ſi intùs in mente dominatur ſuperbia*: *parum prodeſt in modum pænitentis Caligas truncatas habere*, *& de perpetratis malis nullum dolorem pænitentis ſentire* &c. Attamen non ſolùm illo ſæculo, quò usque ad monachiſmi rigorem reformabatur Ordo noſter, ſed & ſequentibus præcipuè 1510, cùm Windeſemenſium congregatio exordiretur: qui propè gaudebant, cùm canonicali nomini monachi ab aliquo nuncupatio adderetur, ut videre eſt in Chronico eorundem â Buſchio ſanctiſſimo æquè ac inſtituti Canonici peritiſſimo viro conſcripta, interim nihil minùs quàm jota unum abrogabatur eis â condebito ipſis clericatu. Si quandoquidem hujus diſciplinæ oſores, & monaſticæ obſervantiæ inimici inſultabant reformationi tali, præjudicabantque inſtituto, quaſi jam â clericali jure ſponte ſuâ relicto tranſilyſſet, adeóque abnegabant priſtinam Canonicis debitam facultatem curæ animarum, mox obtinuêre intortæ talis injuriæ vindices, magnos & præcipuos Eccleſiæ Præſules: Sic Lemovicenſis Epiſcopus Canonicos Regulares â regimine animarum arcere voluit, mox eorum cauſam ſuſcepit Galterus ſtirpenſis Præpoſitus in eandem Jvonem Epiſcopum Carnotenſem adſciſcens, qui ſine difficultate Epiſtola 69. hanc intentatam Epiſcopi repreſſit violentiam. *Lemovicenſis*, inquit, *Epiſcopus in ſynodo agens*, *interdixit omnibus regularibus Clericis & regimen animarum*, *& Confeſſionem pænitentium*, *qui rectiùs quidem feciſſet*, *ſi omnes ſacerdotes ad regularem vitam invitaſſet*, *quàm regulariter viventes â Dominicarum ovium cuſtodia penitùs amoviſſet*, *quibus tantò plùs diſplicet aliena Malitia*, *quantò longiùs diſceſſerunt â ſua* &c. &c. Ex quo diſcimus eam ipſam allegari ab Ivone cauſam promotionis, ad animarum regimen, quam quidam refugiunt (quaſi eidem adverſam) monaſticam diſciplinam: Alexander tertius titubantibus de regimine ſuſcipiendo in Parochiis, Canonicis ſueſſionenſibus, Hugoni Abbati id omnimodè indulget, ſolùm, ut Diæceſano ſuo de ſpiritualibus reſpondeant expoſiti Canonici, Abbati autem de tempori-

Epiſt. 4. apud Dacher. ſpic. t. 3. f. 5[illegible]

Digitized by Google

temporalibus. Stephanus Tornacenſis Abbati S. Genovefæ Suadet potiùs Canonicum Regularem Capellæ curatæ S. Genovefæ Nemethodorenſis præficiendum, quàm aliquem ſacerdotem ſæcularem: ut nihil hic referam de præſtantiſſimis ſcriptoribus, qui omni ſemper conatu repreſſerant impugnantes hæc jura regularium Canonicorum, ut erat S. Thomas Angelicus, & omnes illis temporibus ſcriptores claſſici usque ad ſæculum proximè elapſum (quô ſolùm hoc antiquiſſimum jus cæpit vacillare, prout in Exegeſi noſtra declaramus) nulla ratione inde abſtracti, quòd ſcirent illos in diſciplinæ rigore vivere multis Monachis ad exemplum. Verùm, quò laxiùs Ordo noſter vela tetendit, eò ampliùs videtur in juribus, honore, aliísque prærogativis naufragium paſſus. Quantæ non Eccleſiæ Cathedrales adhuc recentioribus temporibus abundabant Canonicis Regularibus? ut ex Pennoto noſtro diſcimus, quæ ſolius diſciplinæ laxitate inductâ in manus ſæculares devenêre, quantis non encomiis deprædicabantur ampliſſimæ, hinc inde congregationes, ſocietates, Eccleſiæ, Monaſteriaqúe Canonicorum? cùm non diu inde libertate improvidâ, & quaſi Pattæcionis more quidam præſumerent hinc inde Canonicos Regulares velicare. Certè notum eſt illud, quod quidam recentiſſimus Author ſuis elucubrationibus inſperſit de noſtris (neſcio quo livore inductus) ſic ſcribens: *Sæculo 17. in multis monaſteriis primitiva diſciplina cùm monaſtica tum regularis obſervantia collapſa eſt, obſcuratum aurum mutatus color optimus, diſperſique lapides ſanctuarii: deploranda eſt (inquit doctiſſimus noſter Vincentius contenſonus in primo tomo ſuæ Theologiæ mentis & cordis Editionis Lugdun in fol. pag. mihi 440.) quorundam laxatiſſima diſciplina regularium conditio, apud quos nunquam proponitur regula ſub cujus nomine militant in Eccleſia Dei. Vidi quosdam canonicos Regulares conteſtantes, ſe nunquam audiviſſe regulam Divi Auguſtini, ad eámque obſervandam minimè ſe teneri effutientes, & cùm quæſiviſſem ab eis quid toto probationis anno profeciſſent ingenuè reſponderunt ſe ſimplicibus modis Gregoriani cantus artem didiciſſe, & ſæpiùs diſſonantes flagris à Magiſtro ſeveriſſimè exceptos fuiſſe, regulam verò Divi Auguſtini non magis audiviſſe, quàm ſi non exiſteret in orbe terrarum.* Hæc quidem ex contenſonio hic author, qui fortè egiſſet prudentiùs, ſi ſecundam contenſonii editionem conſpiciens unà cum ipſo hanc injurioſam Pericopen intermiſiſſet, deplorare caſus relaxatæ diſciplinæ licet, at Calumniari non convenit, quod neminem crediderim vel in contenſonio approbaturum. Ex his tamen liquet, quàm certa, quæ mox obſervavimus. Neque inſumendus eſt labor compluribus fortaſſe his non abſimilibus producendis, quibus remiſſio diſciplinæ nimiis non raró edicendis, ſcribendisque occaſionem ſuggeſſit.

Ep. 199. — Hiſt. Eccl. Graviſon tom. ult. f. 153.

Verum enim verò quodſi etiam iſta aſſerenti fidem non abnegemus, quia tamen unius, alteriusve factum cæteris damnoſum eſſe non debet, & ideo roſa non minùs redolet, ſi inter illius folia ſe ſcarabæus occultet, quis eſt, qui non videat, in quàm multis Provinciis Ordo noſter velut palma etiamſi talibus quandoque injuriarum ponderibus depreſſa reſurgat, floreátque non decidentibus foliis regularis diſciplinæ, útque nil hic de gallia Italiáque diſcurramus, an non Germania noſtra decore eximio refulget Windeſemenſis congregationis, quæ licèt in eo ipſo loco (in Belgio nimirum fæderato) ubi primas radices poſuit, nequiſſimorum Heterodoxorum injuriâ, atque avaritiâ adeò exhauſta ſit, atque expillata, ut ibidem uná cum ſelectiſſimo capite & archimonaſterio Windeſemenſi plusquam quinquaginta vorax hæreſeos flamma abſumpſerit, & eorum bona ceſſerint in prædam horum perduellium hoſtium omnis religionis, attamen hodiedum tanquam amæniſſimas plantulas ſuæ indefeſſæ induſtriæ numeret Collegia unà cum Gynæceis unum & quinquaginta. Et quid dicam de iis quibus Suevia, Bavaria, Auſtria, ac ſtyria meritò gloriatur, ubi plurima viſuntur, quæ propè nihil de priſtini ſpiritûs fervore amiſerunt. Quorum ampliſſimi Præſules ſuis in ſpeculis, tam vigilanti

Paul. in L. 25. §. 12.

lanti oculo excubant ſuper ſibi commiſſum gregem, ut nonniſi calumniator & impius arbiter de iis enuntiare poſſit, quæ ſuperiùs ex contenſonio retulimus. Neque tamen exinde omnino à ſententia Pennoti, imo & â judicio noſtro deflectimus, eſſe ſcilicèt poſſe (licèt nullum arguamus) ut non rarò diſciplina in quibusdam Monaſteriis vacillet: ſed tam his, quam aliis laborem noſtrûm cupimus commendatum: ſeligant quique,quod imitentur,& fugiant; videbunt enim, tam accrementa enarrata Monaſteriorum noſtrorum, quàm ruinas. Quodſi etiam in aliquibus actu florentibus non metuitur hoſtium imminentium ac devaſtantium crudelitas, aut aliorum innumerorum periculorum tam facilis quàm frequens ſelectiſſima loca depopulantium inopinata oppresſio, timeant profectò fatale per ſe ipſos cauſandum exitium. Notum eſt,quod Mauburnus noſter hac de re ſcribit in ſuo Eruditorio Exercitiorum: *Converti me*, inquit: *ad perſcrutandas lapſûs ſingulorum Ordinum cauſas ſingulares, & primò omnium contemplationis oculis occurrit celeberrimus ille olim Ordo canonicus non infima portio Eccleſiæ ſacræ, quippe qui (ut pace dixerim Ordinum reliquorum) ordinibus omnibus & tempore & dignitate prior ex initiis naſcentis Eccleſiæ ſub ſanctis Apoſtolis inſtitutus, adeo effloruit, ut videretur quaſi Paradiſus Dei, ſed defloruit poſt, decidit & exaruit, & poſt plurimas reformationes, iterum iterùmque eſt crebrò dilapſus, cujus crebrioris recidivationis potior mihi cauſa non occurrit, niſi quia iſte ordo, ex primaria ſui inſtitutione Eccleſiis deſervivit, quippe qui clerus Eccleſiæ proprius erat, unde inter populares & gentes commixtus, tandem didicit opera illorum, & factus eſt ſicut populus ſic & ſacerdos.* & inferiùs eodem § generales cauſas ſubtiliùs tangit ſic ſcribens: *Erudire Jeruſalem, ne fortè recedat â te anima mea, ne fortè ponam te deſertam & inhabitabilem. Comminans, ſi bene verba attendantur, cordis ſui receſſum, inopiam ſpiritualium bonorum, defectum inſuper ſpiritualium perſonarum, ſunt itaque cauſa excidii devotionis & deformationum, ſi recolligamus prædicta, malitia & negligentia Prælatorum. Noviſſimè & neglectus viſitationum, incuria minimorum, negligens inſtitutio Novitiorum, commixtio ſæcularium, abundantia poſſeſſionum, & opulentia divitiarum, ſaturitas panis, & otium, effuſio nimia externorum laborum, evagationum crebritas, inexercitatio ſpiritualium exercitiorum, omiſſio devotionis & ſacrorum ſtudiorum.* Et hæc veriſſima eſſe, quis non approbabit? unde frequentiſſimè imminentis ruinæ non tam afforis metuenda eſt cauſa, quàm â nobis ipſis: faciant autem oportet nos aliena pericula cautos, & quibus malis alios periiſſe ingemiſcimus, nos, dum in viribus noſtris facultas eſt poſita, maturâ hæc providentiâ devitemus. Cap. 3. memb. 1. §. 6.

Sed qua ego præſidentiâ aut temeritate in hanc doctrinam excurri? & plenè mei ipſius oblitus officium aſſumpſi Magiſtri, qui minimus omnium tantique Ordinis & illuſtriſſimorum in eo conſiſtentium virorum viliſſimus ac gregarius miles, vix, ac ne vix quidem inter tyrones diſcipulus, multos quamvis numerans annos profeſſionis, ſed ne diem converſionis, aliorum quaſi cenſor factorum exiſto, dum propriam turpitudinem cæcâ Philautiâ abductus ignoro? ita ſanè eſt,& hoc mihi opponere,ut quisque poteſt, ſic de merito agit vilitatis meæ: Neque diffiteor, id ne facerem, dudum me antea concepiſſe, haud ignorans, cui dictum ſit illud Pithagoræ: *Ignem gladio ne fodito:* Feci tamen, neque ad irritationem, neqúe ad audendum aliquid, quod ſtatum meæ dejectionis excedit. Pauciſſima imò nulla ex proprii ingenii commentô effingens, ea retuli, quæ quidem antea viri perſpexerunt doctrinâ moribúsque eximii, quid? quod nos non vices ſed verba ſupplevimus, imo ſolùm doctrinam inermes Amanuenſes revocavimus, ne ubi tot per decurſum exempla promimus, accomoda eis eruditio deſideretur, nemo ergo (certi confidimus) temeritatis arguet candorem noſtrum. Cæterùm ſupplicibus Deum votis precamur, ut, quæ Collegia adhuc ad eximium Ordinis Canonici decorem, & gloriam per multa ſæcula ad hodiernum usque diem benigniſſimâ providentiâ conſervare dignatus eſt, in utriusqúe tam ſpiritualis, quàm

Digitized by Google

temporalis emolumenti abundantia ultrò tueatur in mille millia: Vigeant eorum Mltrata ac Reverendiſſima capita, vireantqúe ut laurus, quæ ſemper inoffenſa perennat: ſeu enim fulmina immineant divinæ viſitantis Nemeſis, ſeu quandoque obloquia excutientium juga ſubditorum: vireant in glorioſo fervore aſſumptæ diſciplinæ, & velut Laurus idem dum flammarum ardore corripitur, *neſcit tacere* & *attritu concipit ignem*, emittant eloquia tunc ſapientiæ ſuæ, quibus & Dei vindicta diſſuavietur ad clementiam, & effrena libertas coarctetur ad cenſuram. Vireant, inquam, ſuâ (qua ſubditis prælucere optant) egregiâ virtute, & tot hi in illis oracula inclytæ imitationis ſuſcipiant, quot verba, factáque producunt. Quis enim ambigat, fore, ut hoc modo, hócque flore, quo felix Germania noſtra maximè his temporibus, tot præſtantiſſimis eſt proviſa Præſulibus in Collegiis noſtris, ordo ſanctiſſimus ſicut primus in has partes fidei Catholicæ â tot centenis annis plantator exſtitit, ſic ſit & ipſe inter ultimos illos, qui hanc immaculatam columbam adverſùs poſtremos inſultantes propugnans accipitres, generoſus triumphator evadat, quod ut fiat, totis medullis voveo, demùmque hoc noſtrum Proloquium claudo, vulgare illud ſubnectens ovidii.

Ovid. Triſt. l. 5. El. 8.

Detur inoffenſæ metam tibi tangere vitæ
Qui legis, hoc nobis non inimicus opus.

EXE-

INDEX CAPITUM HUJUS TRIPARTITÆ DISSERTATIONIS EXEGETICÆ.

PARS I.

AGit de Quidditate, Origine, Qualitate, ac Propagatione inſtituti votivo-Clericalis per priora undecim ſæcula. pag. 1.

CAPUT I.

Quid ſit vita votivo-Clericalis, & quando exorta? pag. 2.

CAPUT II.

An vita votiva in Apoſtolis, reliquíſque Clericis primitivæ Eccleſiæ fuerit generica quædam Religioſorum futurorum Idea, an inſtitutum aliquod ſingulare? pag. 14.

CAPUT III.

De vita communi Clericorum. pag. 22.

CAPUT IV.

Qualia fuerint primorum Eccleſiæ Miniſtrorum, ac ſuccedentium Clericorum votivorum vota? pag. 28.

CAPUT V.

Diſcrimina, vicésque voti, præcipuè paupertatis per priora undecim ſæcula referuntur, néque illa ſpeciem infimam inſtituti votivo-Clericalis immutâſſe oſtenditur. pag. 37.

CAPUT VI.

Enarratur vitæ communis, ſeu votivo-Clericalis propagatio Analogica usque ad tempora Magni Conſtantini. pag. 48.

CAPUT VII.

Hiſtorica de vitæ communis propagatione à ſæculo primo ad usque ſextum deductio. pag. 55.

CAPUT VIII.

Deductio enarrationis votivo-Clericalis inſtituti propagati ad ſæculum usque undecimum. pag. 82.

PARS II.

AGit de diſcrepantia inſtituti votivo-Clericalis ab aliis, & de ſpecificè diſtincta ejusdem ſubſiſtentia. pag. 114.

CAPUT I.

An, & quæ ſit diverſitas inter inſtitutum votivo-Clericale, & monaſticum. pag. 114.

CAPUT II.

De notis diſcretivis unius inſtituti votivi ab altero, an, & quid eæ in ſpecificandis Ordinibus Religioſis operentur? pag. 131.

CAPUT III.

De veſtitu veterum, usque ad ſæculum undecimum, Clericorum, ac Canonicorum, quantum ad ſpecificandum inſtitutum conducat? disquiritur, atque reſolvitur. pag. 151.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid? Qualísve Regula apud prioris ævi Clericos Canonicos votivos? pag. 166.

CAPUT V.

Variæ nomenclaturæ Clericis votivis usque ad ſæculum undecimum attributæ, an & quid ad diſcrimen votivo-Clericalis inſtituti contulerint? pag. 183.

CAPUT VI.

De Congregationibus, & Monaſteriis prioribus undecim ſæculis votivorum Clericorum. pag. 213.

PARS III.

AGit de Canonicorum Regularium inſtituto, & identica cum priſtinis votivis Clericis ratione. pag. 237.

CAPUT I.

De Origine inſtituti modernorum Canonicorum Regularium S. Auguſtini. pag. 239.

CAPUT II.

De Re, Nomine, ac ſpecifica Subſiſtentia Canonicorum Regularium S. Auguſtini. pag. 255.

CAPUT III.

An Canonici Regulares S. Auguſtini ſint inter Monachos cenſendi? pag. 279.

CAPUT IV.

An aliquod notorium diſcrimen adferri poſſit, quô Canonici Regulares à ſæculo undecimo ſpecie diſtincti habendi ſint à Canonicis prioris ævi? pag. 301.

CAPUT V.

An Canonici Regulares moderni, ſiquidem veterum Clericorum genuini ſucceſſores, ſint capaces beneficiorum ſæcularium? pag. 327.

Digitized by Google

CAPUT VI.

An Regula S. Auguſtini, quam Canonici Regulares profitentur, ſit Monachilis, & quibus ſcripta? pag. 359.

CAPUT VII.

De diverſis Congregationibus Canonicorum Regularium, déque diſcrimine earum, & identitate. pag. 403.

CAPUT VIII.

De veſtitu Canonicorum Regularium S. Auguſtini. pag. 428.

CAPUT IX.

De Origine, ac Progreſſu Canonicarum Sanctimonialium; cum Anacephaleoſi totius Exegeſis. pag. 443.

EXEGE-

Digitized by Google

EXEGESIS PRÆLIMINARIS
Id eſt
EXPLANATIONIS HISTORIÆ GENERALIS
Quâ
Quidditas, Origo, Progreſſus,
ſeu propagatio analogica Ordinis Canonicorum Regularium diſquiritur, & ad amuſſim demonſtratur.

PARS PRIMA.
De Quidditate, Origine, Qualitate, ac propagatione Inſtituti Votivo-Clericalis per pirora XI. Sæcula.

ORdinem diſpertiendæ præſentis exegeſis obſervaturi, in tres eam partes dividemus: in prima de vita Clericorum votiva, in ſecunda, de eorum ſpecifico diſcrimine, in tertia, de identica ratione Canonicorum Regularium S. Auguſtini cum priſtinis Clericis votivis, nec non de aliis eorum inſtitutum attinentibus tractaturi. In hac igitur prima parte diſquiremus vitæ Votivo-Clericalis Originem, ac analogicam propagationem non interrupta ſerie usque ad ſæculum undecimum continuatam; præthereà, quidquid ad explanationem harum quæſtionum planiùs conducere poteſt, aliquantò accuratiùs referemus; unde nobis via expeditior ſenſim ad ulteriora inveſtiganda, atque decidenda, aut potiùs pridem deciſa novâ methodô comprobanda ſternatur.

CAPUT I.

Quid ſit vita Votivo-Clericalis, & quando exorta?

1. *Quid per vitam votivo-Clericalem intelligamus.*

PRimùm eſt, ut ſenſum mentémque noſtram aperiamus, quid per *vitam Votivo-Clericalem*, circa quam Cardo totius difficultatis vertitur, intelligamus, ut inde ad alteram Quæſtionis partem tranſire liceat, cui Authori, temporíque, ſtrictè, non interpretativâ aut myſtica explicatione loquendo, originem ſuam eadem debeat.

Per inſtitutum igitur Votivo-Clericale intelligimus eum in Eccleſia Catholica Statum, *Quô homo miniſterio ejuſdem legitimâ Ordinatione deputatus, per tria Evangelica Conſilia votô firmata terrenis renuncians vivit in communi, Deóque ſerviens ſaluti tam ſuæ, quàm proximorum incumbere obligatur.* Ex quo colligitur tria à nobis Statui, quæ ſeu ad inſtitutum votivo-Clericale, ſeu ad Clericum votivum propriè requiruntur.

Primò: *ut ſit miniſterio Eccleſiæ deputatus:* quod patet ex Cap. Cleros 1. diſt. 21. & 6. Clericus 5. &c. Conveniúntque in hoc doctores communiter, Clericum idem eſſe ac *miniſtrum Altaris* ſeu Eccleſiæ, eíque legitima ordinatione deputatum, ut notat Layman contra Hæret. éſtque communis ac generica Clerici propriè ſumpti hæc definitio. (Vide Laym. P. 2. L. 5. tr. 9. c. 1. n. 1. & ſeq. König L. 3. decret. tit. 1. §. 4. n. 4. & ſeq. alioſque.)

Secundò: ut *per tria Conſilia Evangelica voto firmata terrenis renuntians vivat in communi.* Non enim poteſt vita votiva in Clerico niſi hoc modo explicari: Nam licèt, ut paulò infra videbimus, Clericus hac una voce videatur ſufficienter ipſam quoque vitam votivam includere, cùm tamen Clerici nomine etiam illi veniant, qui votis trium Conſiliorum obſtricti non ſunt, ideò ad ſaniorem intelligentiam oportet hanc ſpecificam differentiam adjungamus, quâ diſcernatur Clericus (ut nunc dicimus) Religioſus, à Clerico ſæculari.

Quia autem propria eſt votivi ſeu religioſi hominis definitio allegata, ut docet Pellizarius, hinc ubi Clericum votivum definire oportuit, hâc pariter idem afficiendus erat. (Pelliz. t. 1. tr. 1. C. 1. Q. 1.) Additum verò eſt: *ut vivat in communi*, quæ Conditio maximè in inſtituto Clericali votivo antiquiſſima eſt, nam juxta S. Auguſtinum, *Clericus* (de votivo loquitur) *profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem:* (Ser. 355. nov. Edit. n. 6. poſt med.) putatque Panormit: quod *Clerici, in quantum communes ſunt, propriè Clerici ſunt, in quantum verò propria habent, Sæculares: Quare ratione proprii non dicuntur portio Dei, nec Deus videtur ſolus eorum portio, nec imitantur Apoſtolos, quibus erant omnia communia.* Hæc Panormitanus. (Abb. in Cap. licèt de offic. Ord. Cler.)

Tertiò denique: ut *vitam mixtam agat*, id eſt, ut *ſaluti tam ſuæ, quàm proximorum incumbat.* Atque hæc eſt peculiariter attribuenda Clerico Religioſo, ſeu votivo: patet id à fine particulari ejuſdem, ex quo Suarius ſequentem diſcurſum format, dignum planè, ut ob ſubſequentia iſthic referamus: *Cùm*, inquit, *ſtatus religioſus ad diverſos fines particulares ordinari poſſit, qui ſub illis tribus comprehenduntur, qui ſunt, aut vita contemplativa, aut activa, aut mixta, Chriſtus ſpecialiter vocavit Apoſtolos ad hoc tertium genus vitæ in particulari, & non tantùm indefinitè ad perfectionem; ergò etiam ex fine ſpecialem religionem in eis condidit.* (Tom. 3. de rel. ſt. L. 3. c. 2. n. 10.) Probat dein partem priorem ex text. Mat. 4. Luc. 9. & 18. quibus Chriſtus apertè declarat, ſe Apoſtolos vocaſſe tum ad ſtatum religioſæ perfectionis, tum ad prædicandum Evangelium. *Vocabat ergò*, proſequitur Suarius: *Chriſtus omnes quidem ad perfectionem, & ſtatum religioſum, aliquos verò ſpecialiter ad illum ſtatum vitæ religioſæ, quô ad Evangelii prædicationem homines deſtinarentur, & perficerentur, & ita*

Digitized by Google

ita conſtat, finem ſpecialem Apoſtolicæ Religionis fuiſſe, cooperari Chriſto in ſalute animarum. Clarum eſt autem, cum illo conjunctam fuiſſe præcipuam partem vitæ contemplativæ, ſinè qua non poterat eſſe ſtatus ille undequaque perfectus, prout eſſe debuit. Hæc Suarius. Unde & Bellarminus ait: *vitam mixtam fuiſſe, quam ſequerentur Apoſtoli, perſpicuum eſſe ex B. Auguſtino, qui in duobus ſermonibus de communi vita Clericorum aſſerit ſe inſtituiſſe in Epiſcopatu ſuo Religionem Clericorum.* Ex quibus Bellarmini verbis conficio, vitam hanc mixtam fuiſſe propriam regularium, id eſt, votivorum Clericorum, ut patebit ipſum textum conſideranti.

L. 2. de monach. c. 3.

Porro inſtituti votivo-Clericalis definitionem ſatis quiſque apprehendet, ex illa ipſa, quam poſuimus, Clerici votivi deſcriptâ Quidditate. Hâc verò ſufficienter, ut ſperamus, declaratâ, ad ſecundam quæſtionis partem procedimus; Quandò ſcilicet talis vivendi norma, & in quibus primùm oriri cœperit, quiſque ejuſdem, ut ſuperiùs diximus, non ſub myſtica quadam, ac figurata, ſed vera & litterali expoſitione Author extiterit.

2. *Clericatum ipſe Chriſtus invenit, ac inſtituit.*

Clericatus, ut eſt miniſterium Eccleſiæ, ejuſdémque perfectam Hierarchiam *triplici* ſaltem *Ordinum* Claſſe originaliter conſtituit, non alium, niſi Chriſtum ipſum, tanquam totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ caput, Authorem agnoſcit: nam quidquid miniſterii, Ordinis, aut juriſdictionis in Clero reperitur, ab hoc capite in illum tanquam proximè ſibi contiguum corpus diffundebatur, tum, quando ipſe Apoſtolos ſui Evangelii Satores juſſit: hinc in Concilio Carthaginenſi Clarus de Muſcula dixiſſe fertur: *Manifeſta eſt ſententia Domini noſtri JEſu Chriſti, Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem à Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſuccedimus eâdem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.*

apud Thomaſſ. Part. 1. pag. 184.

Quemadmodum verò ſanctiſſimus Redemptor noſter Author eſt ſui Evangelii, ſic idem quoque inventor eſt atque Conſervator Officii & miniſterii Evangelici, & quidem immediatè: ut ex Trid. ſeſſ. 23. c. 6. eruitur. Quare ſanctus Cyprianus inquiens: *Meminiſſe Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & Præpoſitos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in Cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatûs ſui & Eccleſiæ miniſtros:* Intelligendus eſt, Apoſtolos ſuppoſita Chriſti inſtitutione primos Diaconos ordinaſſe occaſione quidem miniſterii, & curæ viduarum, non tamen ad hoc tantùm munus, ut colligitur tum ex qualitatibus, quæ in illis exiguntur, tum ex eo, quòd legantur prædicaſſe, diſputaſſe, baptizaſſe, &c.

L. 3. Cap. 9.

3. *Idem Religioſi quoque inſtituti inventor, & Author.*

Quod verò de Clericatu diximus, in quantum ille Chriſti inventum eſt, id non minùs ſentiendum de vita atque inſtituto votivo, ſeu (ut vulgariter loquimur) de ſtatu religioſo, haud enim quemquam è Catholicis fore credimus, qui ſaltem ſubſtantiam illius à Chriſto inſtitutam & declaratam fuiſſe, diſſentiet; utpote, à quo uno tria illa, ut vocamus Evangelica Conſilia ſuam ſumpſêre originem: Nos tamen doctiſſimi Suarii veſtigia prementes, ejúſque authoritate ac pondere rationum (quæ apud eundem legi poſſunt, ne in aliorum ſententiis adducendis nimii arguamur) confiſi, aſſerimus à Chriſto etiam quoad circumſtantias ſtatum religioſum inſtitutum eſſe, ut inferiùs ampliùs videbimus.

Vide Suar. t. 3. de St. Rel. L. 3. C. 2. n. 9.

Non eſt autem noſtrum hìc propoſitum, longiſſimæ illius, & ne dicam incongruæ diſceptationis filum protrahere, ſtatum religioſum in formalibus ſuis conſtitutivis jam ante legem gratiæ, imò, ut quibuſdam placet, ab exordio mundi extitiſſe, quoſdam etiam viros ſanctos atque perfectos veteris legis illum exactè cuſtodiiſſe; quia enim juxta

juxta omnes, neque Lex Judaica, neque ullus Prophetarum, ejuſdem conſilia aut promulgavit, aut ordinavit, ſed tanti boni excellentia ſoli reſervata eſt Salvatori, ut Hier: Platus doctiſſimos viros ſenſiſſe ait: Religioſæ nempè vitæ formam ab Apoſtolis primùm ſuſceptam, & uſu atque opere explicatam fuiſſe. Præluxitque huic fundatiſſimo aſſerto Caſſianus, dum dixit: *Cænobitarum inſtitutum à tempore Apoſtolorum initium ſumpſiſſe.* Quia, inquam, vita religioſa totius ſuæ originis, ſubſtantiæque rationem longè certiùs firmiúsque in Chriſtum tanquam verum ſui Authorem refundit, meritò, quæ de ea in veteri lege reperimus memorata, figuræ potiùs, quàm ipſi rei adſcribimus, convenientiſſimam ac propè indubitatam veritatem æſtimantes, theſaurum illum legi potiùs gratiæ, quàm naturæ vel ſcriptæ vendicandum eſſe. Dum enim præcipuè fundatur in divinis auxiliis, & gratia ſpeciali, non omnibus datâ, cuſtodire ſe immaculatum ab hoc ſæculo, & carnem in ea angelica puritate ſervare, quam tanquam rem miram novámque primùm in ſanctiſſima Matre ac Nutritio natus in Carne Deus manifeſtavit, dein autem ſuâ quoque doctrinâ firmavit; dubitare vix licet, pretium Virginitatis ſaltem in ratione virtutis meritoriæ, magis, aut potiùs, per alios, quàm hos magiſtros innotuiſſe. Certè Gregorius Nazian: ſuis in metris de virginitate noſtræ opinioni ſuffragatur ſic ſcribens:

De bono St. Relig. L. 2. c. 20.

L. 2. de juſt. renunt. c. 5.

- - - Virginitas magni pars inclyta Chriſti,
ante quidem umbroſo in paucis ſplendore micabat,
dum lex jura daret terris, & in orbe vigeret:
exiguis ſpectanda notis, paucíſque liceret
lucis ad internæ radios penetrare micantes.
at poſtquam Chriſtus per Caſtæ viſcera Matris
abſque Patre & tædis vitæ progreſſus in auras
luſtravit muliebre genus, primàmque parentem
depulit, & carnis leges abſcedere juſſit,
gratiáque in medium venit; tunc denique noſtro
Virginitas generi præclaro lumine fulſit &c.

Lex itaque vetus Evangelio hanc prærogativam reliquit, ut ſicut illa commendaverat nuptias, carníſque fœcunditatem honorabat, ſic iſta pro virginitate certaret, & beatos prædicaret illos, qui neque nubunt, neque nubuntur, ſed ſunt ſicut angeli: ut adeo exponente Hieron. *Qui ſervivimus in lege nuptiis, Virginitati in Evangelio ſerviamus.* Atque ſicut illa ſolùm ſacramentorum, amplum adeò gratiarum cumulum conferentium, umbra erat & figura, ſic talis eſſet inſtituti quoque religioſi, quod profectò in gratiarum lege noviter inventus paradiſus eſt, in quo *pretioſarum virtutum fæcunda fertilitas floret*, ut inquit Bernardus.

L. 1. contra Jovin.

Homil. ſup. quibusdam verb. Dom.

Author itaque fons verus ac ſcaturigo (ex quo omnis ſanctitatis plenitudo eruditióque emanavit) jure habendus eſt Salvator noſter Religioſi inſtituti, quod ille ſic in Evangelio ſuo divulgavit, & inſtillavit Diſcipulis, ut eos ſuorum Conſiliorum, non qualitercunque, ſed votivè obſervandorum, ſicut & Clericalis inſtituti imitatores haberet, atque miniſtros. Non vehementer diſcepto, an Chriſtus, ſicut verbo ita & exemplo in hac votivæ vitæ perfectione reipſa præiverit? profectò S. Thomam, licèt ad hoc aſſerendum, quemadmodo fluctuantem advertam, utpote quod dicat: *Chriſto ſecundùm ſe non competebat vovere, tum quia Deus erat, tum etiam, quia, in quantum homo habebat firmatam voluntatem in bono, quaſi comprehenſor exiſtens, quamvis per quandam ſimilitudinem ex perſona ejus dicatur in Pſ. 65. ſecundùm gloſſam: vota mea*

22. q. 88. art. 4. ad 3.

Digitized by Google

mea reddam, in conſpectu timentium eundem: loquitur autem de corpore ſuo, quod eſt Eccleſia. At in Pſal. 21. v. 26. Commentans diſſertè ſequentia ſcribit. *Votum Chriſti fuit, ut ſe daret pro ſalute fidelium, ipſe enim illud vovit in quantum homo, Pſ. 39. v. 9. ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, quæ quidem voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra: deſcendi de cælo, non, ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me: hæc vota ſolvit Chriſtus, dando ſe ad paſſionem, & iterum, quando dedit corpus ſuum in cibum fidelium.* Quod ſi verò hæc voviſſe, cum S. Thoma, Chriſtum concedimus, cur ea negemus, quæ ſunt religionis? unde Suarius ait: *Eſt probabile Chriſtum in primo inſtanti Conceptionis ſuæ ſe votô conſecraſſe Deo ad redimendos homines, & in hunc finem omnes actiones ac paſſiones vitæ ſuæ votô obtuliſſe.* Quodſi *omnes actiones*, ergo & trium conſiliorum, quæ ipſum perfectiſſimè exercuiſſe certum eſt.

To. 2. in 3. part. diſp. 28. ſect. 2.

Hoc autem de Chriſto aſſerere in ſenſu D. Thomæ poſteriori eo digniùs judicaveram, quò magis expedire novimus, quidquid in Chriſti honorificam exaltationem, ſalva fidei veritate, de ipſo affirmari poteſt indubitanter efferre; an verò indignum fortaſſe Chriſto judicabimus dicendo: ipſum eo in inſtituto vitam ſuam traduxiſſe? Quô nihil ſublimius, nihil perfectius in hoc mundo occurrit: Non quidem quaſi idem ſtatum hunc, perfectionis obtinendæ cauſâ, fuiſſet amplexus; ſed eam plenè poſſidens, ſicut in comparanda ſalute noſtra Sacerdos erat & victima, ſic viam ſe exhiberet, vitam, atque veritatem, ut dum eſſet ipſe Dux, qui nos dirigeret, eſſet & via, quâ dirigeremur, dum eſſet Author vitæ, ne periremus, eſſet & ipſa vita, quâ viveremus, dum denique erat, veritatis ultimus finis, eſſet & veritas, quâ tenderemus ad finem. Dixi autem ideò vel maximè convenire, ut Chriſto hunc vitæ Statum aſſeramus, quòd eô nihil altius, nihil poſſit reperiri perfectius: etenim cùm religioſi inſtituti finis principalis ac Subſtantialis ſit, ut docet Dyoniſius (vel quiſquis Eccleſticæ Hierarchiæ Author eſt, ſanè antiquiſſimus) *purum Dei obſequium ac Cultus*, hoc eſt uno verbo, *perfectè ſervire Deo*, hoc verò ſervitio nihil valeat eſſe nobilius atque præſtantius: Si Dei Filio perfectiſſimum iſtud obſequium ſuo divino Patri præſtitum abnegare nequimus, illud pariter cui hoc inefragabiliter innititur (inſtitutum ſcilicet religióſum) eidem abjudicare nemo poterit. Attamen, ut dictum eſt, cum adverſantibus in hac ſententia non litigamus, ſuffecerit, ſaltem quæſtionem attigiſſe. Cæterùm firmiter aſſerimus, Chriſtum non ſolùm quoad ſubſtantiam religioſi ſtatûs fundamentum poſuiſſe, ſed etiam eundem reipſa conſtituere debuiſſe. Seneca tempore Petri Apoſtolorum Principis, Paulique Gentium Doctoris vivens docebat Lucilium ſuum dicens: *Plus tibi viva vox & convictus, quàm oratio proderit, in rem præſentem venias oportet. Primùm quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt, deinde quia longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiiſſet, vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit. Obſervavit illum, an ex formula ſua viveret. Plato & Ariſtoteles, & omnis in diverſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit* &c. En ſapientiorem Scholam Chriſti, quàm unquam ſeneca Cleanthis aut Platonis aut Ariſtotelis aut denique Epicuri Pythagòræque laudare potuiſſet, non ſcripſit hæc vir iſte Chriſtianæ penè Philoſophiæ magiſter, ut ſugillaret doctrinam Chriſti, quam certò ex D. Pauli conſortio noverat, plus exemplô quàm verbô ſtabiliri, quodſi id Ethnicus ut fiat, docuit, an illi conviventes primi Evangelicæ Philoſophiæ præcones, talem veri-

Eccleſ. Hier. Cap. 6.

5. *Status Religioſus à Chriſto etiam in re, non ſolô conſiliô inſtitutus eſt.*

Epiſt. 1. paulò poſt med.

veritatem ſubverterint, ipſo lumine naturæ approbatam. Quin quod ad rem maximè facit, fulguris inſtar reprimebat Chriſtus ſcribarum Phariſæorumque in docendo audaciam, cùm diceret, quod *ipſi dicunt, & non faciunt*, reprimebat, inquam, manifeſtâ ſui magiſterii Antitheſi, cum ipſe *faceret* quod *doceret*, hinc Chryſologus in illa verba *cæpit Jeſus facere & docere: Magiſterium*, inquit, *ſtat de ſcientia; ſed Magiſterii authoritas conſtat ex vita.* Unde cùm Dominus in Capharnaum hominem à Spiritu immundo *liberaſſet*, *obſtupuerunt omnes*, ut inquit Marcus, *& alius alium interrogabat atque dicebat: Quidnam eſt hoc, & quænam eſt hæc doctrina nova?* nimirum, nova, quòd docenda exemplô atque factô firmaret: ut ait Cajetanus & Maldonatus in hunc locum, nam *illi ſæpè*, verba ſunt Doctiſſimi Sylveiræ: *Suos ſcribas docentes audierant: - - - tamen talem ſignorum reparationem cum ſua doctrina minimè conjungebant.* Clariùs adhuc in hoc propoſitum Chryſoſtomus: *Conſidera*, inquit: *Quô pactô Chriſtus dictis ſuis per opera fidem conciliârit, ad manſuetudinem hortatus eſt dicens, diſcite à me, quod mitis ſum, & humilis corde: Docuit nos paupertatem; & utrumque factis demonſtravit. Siquidem filius hominis, inquit, non habet, ubi caput ſuum reclinet. Rurſùm præcepit, ut Diligeremus inimicos, exhibuit hoc in cruce, deprecans pro crucifigentibus. Dixit volenti trahere in jus, ut tunicam eripiat, permitte, ut & pallium auferat. Ipſe verò non veſtimenta tantùm, ſed ſanguinem quoque ſuum dedit, idem, ut facerent & Diſcipuli, præcepit. Unde & Paulus dixit, ſicut habetis formam ex nobis - - ideòque Apoſtoli priùs vitæ exemplis docebant, deinde verbis, quin potiùs ne verbis quidem opus erat, cum clamarent opera.* Profectò doctrina hæc nova, *ſua relinquere, propriæ obluctari voluntati, alienam ſequi, mundum contemnere, carnis perpetuò renuntiare illecebris etiam alioquin matrimonii honeſtate veſtiendis*, magnô indigebat exemplô, ac ſolâ Doctrinâ nunquam ſui obſervatores reperiſſet. Oportuit igitur Cæleſtem Magiſtrum, qui alia Divinæ ſuæ ſapientiæ dogmata exercitiô virtutum imitanda monſtravit, oportuit inquam, præcipuè ſuis quoque Evangelicis Conſiliis opera ipſa conjungere, ut quæ pene omnium difficillima ad amplectendum viderentur, facilia fierent præviô in Diſcipulis ſuis elucente exemplô.

Act. 1. v. 1. Serm. 167.

Marc. 1. n. 27.

Tom. 2. L. 4. C. 22. n. 42.

In 1. Cap. act. v. 1.

Antequam hanc veritatem plenè concludamus, occurrendum eſt illi præcipuè difficultati, an Chriſtus Conſilia Evangelica docens etiam author exſtiterit in ſuis ſequacibus eadem votô firmandi, de quo certè in Evangeliis ne verbum memoratur, videtur igitur eos hac de re Scriptores optimè cenſuiſſe, qui dicerent, Apoſtolos ſolô piæ voluntatis arbitriô, aut ad ſummum ex Chriſti peculiari præcepto, non verò ex voto, Conſilia Evangelica obſervâſſe.

6\. *Hinc & votiva vita re ipſa, per Chriſtum, Exordium obtinuit.*

Verùm reponimus, ſilentium ſcripturæ, ne minimi ponderis addere opinioni iſtud aſſerentium: Quid enim univerſim ſilentium ſcriptorum veterum ad aliquid aſſerendum vel negandum conferat, eruditè obſervavit cum aliis Doctiſſimis viris, Alexander Natalis dicens; *hæc argumenta, quæ ex Authorum ſilentio repetuntur, nec niſi negativâ probatione conſtant, ad veritatis fidem faciendam infirma vulgò ab eruditis exiſtimantur.* Unde nullum operæ pretium invenimus, huic argumento meris negativis ſilentióque innitenti reſpondere. At qui dicerent defuiſſe Apoſtolis vota religioni propria, ſolúmque conſilia ex piæ voluntatis libero propoſito obſervaſſe, pauciſſimos reperio, eóſque vehementer ſuſpectos & cenſuræ Eccleſiæ propè obnoxios, prout inferiùs notabo, cùm iſthic præmiſero, convenïentiam maximam, imò Eccleſiæ naſcenti

Tom. 3. hiſt. Eccl. ſæc. 1. diſſert. 22. p. 227.

Digitized by Google

ſcenti ſummè neceſſariam Conſiliorum Evangelicorum nuncupationem *votivam* fuiſſe.

Leſſ. L. 2. 641. dubit. 1. n. 2. aliique communiter. In primis etenim ex terminis inſtituti religioſi (quod eſt mancipatio hominis per votum cultui Divino) conſtat, illud exiſtere non poſſe, neque religioſum quemquam cenſendum, qui non ſit votis trium Conſiliorum Evangelicorum illigatus; atqui, hoc ſtante, certum eſt, in primitiva Eccleſia, quin adhuc tempore Chriſti in terra commorantis Conſilia Evangelica floruiſſe votô firmata, nam S. Gregorius Nazianzenus *Religioſos* diſſertè nominat, *primitias gregis Domini*, primitiæ autem iſtæ fuêre Apoſtoli, igitur votô adſtricti. Orat. 1. in Jul. Ep. 17.

Præterea decebat Chriſtum Eccleſiæ ſponſæ præcipuum ornamentum (quô decora in primo egreſſu ſuo reniteret) ſine dilatione conferre, illud autem præ cæteris erat vita votiva ſeu religioſa, nam idem Gregor. religioſos nuncupat *columnas & fidei coronas*. Hieronymus *florem quendam, & pretioſiſſimum lapidem inter Eccleſiaſtica ornamenta:* S. Laurentius Juſtinianus: *Hac intentione laudabili, hoc ritu vivendi,* ait, *ſanctam matrem illuſtrari Eccleſiam.* Et profectò nunquam magìs, quàm exordienti hoc lumen prodeſſe potuit, ut eodem tenebras paganæ impietatis diſpelleret, monſtrarétque virtutem Chriſtianam non velut quandam erraticam ſtellam, ſed firmiſſimo votorum fulcimento affixam prodire, unde dein radios ſic in omnes diffunderet, ut quamvìs multi futuri eſſent, quorum pietas non ægrè tali propoſitô ſtabiliretur, attamen ab iis identidem firmitatem acciperet, unde hujus exercendæ magiſterium obtinebat. Quodſi enim S. Auguſtinus pro defenſione Eccleſiæ adverſus impugnatores ejuſdem meliorem, firmiorémque murum ſe vix oppoſiturum credidit, quàm quos tunc in ſinu ſuo fovebat ipſa, votivos ſeu religioſos homines, adeo quidem, ut quaſi manichæis inſultandô diceret: *Iſtis ſi poteſtis, obſiſtite, iſtos intuemini* &c. Si, inquam, hæc ſuo tempore Auguſtinus: Quantò non majora ad eandem in primis fidelibus propagandam ac propugnandam vita valuerit contribuere votiva, imo & debuit? Dum adhuc penè, ut ita dicam, inermis ac debilis ſuis in cunis vagiret. L. de moribus Eccl. c. 34.

Ibid.

L. 2. de obed. C. 18.

Denique ſi ſæpè fatam Sacroſanctam Eccleſiam ſecundùm omnem ordinem ſuum, & præfixum à Chriſto finem (qui eſt ipſius perfecta gubernatio, per Evangelii promulgationem errorum exſtirpationem, ac ſedulam ſalutis animarum curationem) conſideremus, apparebit facilè, quantum his omnibus cooperata ſit vita votiva. Teſte Alvaro Pelagio, *votum eſt Conſilium Conſiliorum, & forma ac perfectio eorum;* Sequitur hæc ipſa conſilia, ut adhuc ſub Chriſto ſuâ formâ complerentur, neceſſariò votis innecti debuiſſe, alioquin eadem minùs ſolide minúſque perfectè concurriſſent ad finem illum abſolutè obtinendum: Quodſi autem ad perficiendum aliquod abſolutiſſimum, ut fieri in humanis poteſt, prototypon artifex expetitur arte exquiſitâ proviſus, ii certè, qui primùm ſubſequis miniſtris Eccleſiaſticis exemplar perficere debuerant curandæ ſalutis proximi, nunquam id executi tanta perfectione ac integritate fuiſſent, niſi efficaciſſimô hoc aſſumpto omnis ſpiritualis artis efficiendæ remediô, ſcilicet votorum de tribus Conſiliis nuncupatione: hoc enim modô firmabatur Eccleſiæ miniſterium in tribus inconcuſſis atque immobilibus columnis, ob perpetuitatem votorum ſemper ſubſtituris, hoc etiam modô ſtatuebatur in re, Eccleſiæ primum exemplar, ad quod omnibus reſpiciendum erat. Quod ſi factum non fuiſſet, deneganda eſſet Apoſtolis ipſiſque Eccleſiæ, Conditoribus ea non ſolùm perfectio, ſed & medium ejuſdem obtinendæ, quod tamen utrumque aliis ſancti- L. 2. c. 56.

Digitized by Google

ctitate alioquin Apoſtolicâ longè inferioribus ſolemus aſſerere. Utque demum breviſſimâ hoc aſſertum ratione expediamus, quemadmodum omni Chriſtiano convenit, quôdam modô ad perfectionem tendere, longè magis ad id obligabatur, qui aliis ad hanc primum iter monſtrabat, docebátque: Nam ut ait Paulus ad Eph. 2. v. 22. tam de ſe, quàm de Comminiſtris ſuis in prædicatione Evangelii: *Coædificamur in habitaculum Dei*, id eſt, ut interpretatur Hieronymus: *Si fuerimus vivi lapides, ex omni parte dolati, leves, politi, nullam habentes ſcabredinem* (ſcilicet imperfectionis) *ædificabimur in templum, & fiemus habitaculum Deo, condetúrque in nobis ara teſtamenti, cuſtos legis Domini - - - Dicemúrque DEBIR, id eſt oraculum, ſive reſponſorium & locutorium Dei.* Quodſi ergò ex interpretatione iſta S. Paulus ipſe fatetur in ædificationem Evangelii, Præconum ejus, id eſt Apoſtolorum perfectionem omnimodam fuiſſe expetitam, ea certè aliunde ab iis obtineri non potuit, niſi per ipſam votivam nuncupationem trium conſiliorum; ſolida enim perfectio juxta omnes fundatur in renuntiatione voluntatis, eaque perfectâ, hæc verò non perficitur niſi per votum, non enim eſt perfecta voluntatis renunciatio, quæ propria libertate reaſſumi poteſt ſemper pro libito, præclarè igitur docebat D. Thomas 22. 88. 9 & 22. Q. 186. dicens: *Non aliter poteſt homo Deo totam vitam ſuam exhibere, niſi per voti obligationem, & ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per votum.* Et iterum ab eodem S. Thoma 22. Q. 186. act. 1. ſtatus religioſus vocatur *ſtatus perfectionis per tria vota paupertatis, Caſtitatis & obedientiæ perpetuò adipiſcendæ*, ex quo obviè tantùm conſideratâ Clericalis inſtituti ratione in primo Eccleſiæ flore, neſcio, an ad hujus univerſim munia obeunda quid magis conducibile occurrat, quàm renunciare divitiis, carni, ac propriæ voluntati per vota: Quod mox ampliùs oſtendemus.

Hîs autem prævìè quodammodo perpenſis, meritò concludendum eſt; Quòd ſicut nihil imperfectum Divinus Magiſter ordinavit, ita, quemadmodum Author exſtitit Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, eámque in Apoſtolis ſuis ſublimi providentiâ fundavit, pariter in eisdem inchoaverit eidem Hierarchiæ maximè proficuum, imo naſcenti Eccleſiæ ſummè neceſſarium votivæ vitæ inſtitutum: Qui poſtmodum hanc vivendi, vovendíque rationem in ſuos Comminiſtros totúmque Clerum inducentes primi poſt Chriſtum ad ulteriorem propaginem ejusdem fuêre promotores. 7. *Unde adſtruendum in Apoſtolis una cum Clericatu ſtatum religioſum ſuam obtinuiſſe originem bósque eundem in ſuo clero ultrò promoviſſe.*

Veritatem hujus Concluſionis ut demonſtremus, ad ipſius quoque Clericatûs genuinam notionem redeundum; quam nobis hîc S. Hieronymus ſuppeditat: *propterea*, inquit, *vocantur Clerici, quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors, id eſt, pars Clericorum eſt - - - - quodſi quidpiam aliud præter Dominum habuerint, pars eorum non erit Dominus.* Hæc Hieronymus: Perpendamus autem quid ſit *ſortem* eſſe *Domini*, aut *Dominum* eſſe *ſortem Clerici?* & reperiemus in hac notione, idem eſſe ac *partem:* unde iterum Hieronymus cit. loc. *Quia autem*, inquit, *vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt.*

probatur aſſertum à notione Nominis Clerici.

Ep. 2. ad Nep.

Multum ponderis hoc S. Doctoris effatum continet, dum inquit: *nihil extra Dominum habere poteſt*, nam totam in hoc ipſo complectitur Evangelicorum Conſiliorum perfectionem: idem enim eſt, ac ſuimet ampliùs non eſſe, penitúsque, quod carnem ſapit, relin-

Digitized by Google

relinquere: quod ſanè non aliter fit, niſi abrenuntiandò temporalibus per *paupertatem*, carnis mollitiei *per caſtitatem*, & voluntati propriæ per *obedientiam*, unde Joannes Ep. 1. c. 2. v. 16. dicebat: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* In quibus juxta communem PP. notatur, *avaritia, luxuria,* & *ſuperbia*, fontes omnium vitiorum: ideò autem dicit S. Apoſtolus, *omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt &c.* ut inde doceat, eſſe, qui non ſunt *in mundo*, aut ſaltem *de mundo* (teſte Domino apud Joann. 15. v. 19. *Vos de hoc mundo non eſtis:*) & hos nulla re mundi coinquinari, nullâ ejus concupiſcentiâ allici, ſed ſolo Deo tanquam ſua portione ac parte potiri, mundô penitus excluſô: Quare Auguſt. in hujus Ep. v. 15. *Fuge*, inquit: *creaturas, ſi vis habere Creatorem, omnis creatura vileſcat, ut Creator in corde dulceſcat:* hinc per oppoſitionem prædictis mundi illecebris à Chriſto tria illa Evangelica Conſilia ſunt ſtatuta; *paupertas* contra *avaritiam*, *caſtitas* contra *luxuriam*, *obedientia* contra *ſuperbiam*.

Apoſtolis præcepta à Chriſto bonorum terrenorum renuntiatio: Cæteris, id eſt laicis ſuaſa.

Hæc primùm omnium in ſuis Apoſtolis requiſivit, imò prætendit Chriſtus: Sic ſentiebat Origenes hom. 16. in Gen. ait enim Dominum ſuis Diſcipulis non ſuadere illa, ſed præcipere, *negat*, verba ſunt Origenis, *Chriſtus ſuum eſſe diſcipulum, quem viderit aliquid poſſidentem.* Ad eandem normam loquitur Salvianus L. 2. ad Eccl. *Clericis*, inquit: *ſuis Salvator ipſe in Evangelio, non ut cæteris voluntarium, ſed imperativum officium perfectionis indicit, quid enim eum laico illi adoleſcenti dixiſſe legimus, ſi vis eſſe perfectus, vende quæ habes, & da pauperibus, quid autem miniſtris ſuis? Nolite, inquit: poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: videte! quanta ſit in utroque hoc Dei ſermone diverſitas, laico dicit, ſi vis; vende quæ poſſides, miniſtro autem, nolo poſſideas.*

8. **Hanc renuntiationem votivam fuiſſe probatur Patrum aſſertis**

Sed ut rem propiùs attingamus, ac in Apoſtolis comprobemus non ſolùm ſimplicem quandam, verùm perfectam eámque votivam abrenuntiationem; Cumprimis Auguſtinum audiamus; *Dixerant potentes illi: ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te, HOC VOTUM potentiſſimè VOVERANT: Sed unde hoc eis, niſi ab illo, de quo dictum eſt; dans votum voventi?* Ergo Auguſtino indubitatum erat, Apoſtolorum renuntiationem fuiſſe votivam. (de Civit. L. 17. c. 4.)

S. Thomas loco cit. art. 4. ad 3. *Apoſtoli*, inquit: *intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando relictis omnibus Chriſtum ſunt ſecuti.*

Denique Hieronymus: tam certò Apoſtolos voviſſe ſupponit, ut ad Nepotianum cit. Ep. dicat: *Nónne Diſcipuli Chriſti, nónne Apoſtoli, qui non priùs in ſacri diſcipulatûs Collegio numerantur, quàm illud Conſilium Altiſſimo, VOTO & cordis deſideriô PROFESSI ſunt.*

Quod apud plurimos Authores adeò ſemper receptum fuit, ut, ſi paucos excipias, ſententiam hanc communem dicere jure poſſimus: Et ne id gratis aſſerere videamur, audiendus Cellotius. *Narrant*, inquit, *aliqui, Apoſtolos in monte Sionis poſt Chriſti Aſcenſionem de certo vitæ genere deliberantes, communia inter ſe omnia, ac tria vota coram Deo ſtatuiſſe: quod, licèt ab aliis non adeò expreſsè tradatur, receptiſſima tamen Theologorum omnium eſt ſententia, & paupertatis votô adſtrictos fuiſſe Apoſtolos, & formam in commune vivendi primos inſtituiſſe.* (De Hierarchia & Hierarchis p. 243.)

Probatur quoque rationibus.

Atque ne, poſitis Authoritatibus, ſuæ quóque rationes deſint: exſtitiſſe in primis fidelibus vitam votivam. Quis enim prudenter dubitet an, quod tam ſollicitè adſtruitur in plebe naſcentis Eccleſiæ, fuerit quoque obſervatum ab Apoſtolis? illis nimirum Viris ſanctiſſimis, *ſpectaculum factis, mundo, Angelis,*

Digitized by Google

gelis, atque hominibus. Spectaculum, inquam, non ſolùm in Majeſtate prodigiorum, ſed & in exemplari operatione virtutum. Illis à quibus teſte Angelico 22. q. 88. art. 7. *Omnis Religio ſumpſit originem:* illis, quos Caſſianus L. 1. inſtit. c. 4. *vitæ monaſticæ* (hoc eſt votivæ) *auctores fuiſſe, aliunde ſe noviſſe* affirmat. Illis, *à quibus*, Chryſoſtomo teſtante: *tanquam fontibus religioſa paupertas fluxit univerſa.* Illis denique, de quibus meritò Alvarus Pelagius ait: Quòd *ſi ipſi hâc formâ vivendi caruiſſent, multò minùs fore perfectos, quàm qui poſtea ſunt eos ſolemnioribus adſtricti votis Religioſi conſecuti.* Imò imperfectiores fuiſſent, quàm, quos mox memoravimus, primi fideles laici. Ut adeò eruditè Cornel. à Lap. in act. C. 5. n. 2. §. *porro:* inferat dicens: *Si primævi fideles, etiam conjugati vovebant paupertatem, multò magis eam voverant Apoſtoli, eorum in virtute duces, ſanctitatis & perfectionis Magiſtri, ac Evangelicorum Conſiliorum præcones exemplò magis quàm verbô.*

hom. 31. Alv. ſupra citat. apud Maced. de Incarnat. p. 599.

Chriſtus non ineptè dicitur Apoſtolorum Abbas aut Prælatus.

Abſtineo à pluribus, quæ paſſim ad Apoſtolorum vota adſtruenda referuntur, & legi poſſunt apud præfatos Authores. Ut adeò, ſi Apoſtolorum vitam religioſam conferamus tanquam ſupremo Magiſtri ac Directoris ſui regimini ſubjectorum, nunquam in quibuscunque ſubſequentibus religioſorum Clericalium ſocietatibus perfectiorem, & ad omne imitationis exemplum nobiliorem reperturi ſimus quàm illam: quod attendens Joannes Gerſon Cancell. Paris. ſer. de Cœna Domini. Alphab. 42. fortaſſe ideo aſſeruit, Apoſtolos ſub Chriſto tanquam *Abbate ſuo* vixiſſe. Et Salmaticenſes doctiſſimi viri, *Chriſtus,* inquiunt: *fuit Prælatus, cui Apoſtoli, ut veri Religioſi ſe ſubjecerunt:* Vincentius quoque Ferrer. ſer. de S. Dominico apud Celloticum p. 327. Chriſtum dicit fuiſſe Priorem primum religioſi illius Ordinis, quem ex Apoſtolis conflaverat. Unde non reperio, quid tandem ex his adeò abſurdum, ineptúmque concludi valeat, ut *aniles fabulas vanáque nugacis mentis deliramenta cum veritate confundere is arguatur à quodam recentiorum ſcriptorum, qui Canonicorum ordinem* (id eſt Clericorum) *ſub Abbate Chriſto aſſerit incepiſſe.* Profectò nec Gerſonem, nec Salmaticenſes, nec Vincentium tam vehementer deſipuiſſe credendum eſt, ut putarent, Chriſtum hôc Vocabulô, *Prioris, Prælati,* aut *Abbatis* fuiſſe nuncupatum: Habuiſſe tamen eam prærogativam dignitatis, quam vel ullus religioſorum his noſtris præſefert temporibûs, quis abnegabit? in quo ergò hi viri Chriſtum agnoverant quoad officium ſuum, maximè reſpectu Apoſtolorum, diſcipulorúmque ſuorum eminuiſſe, ad uſum noſtrorum temporum illud expreſſerunt in vocabulo: non minori jure fortaſſe nominantes *Abbatem*, aut Priorem, aut *Prælatum*, quàm ſe ſub S. Ignatii inſtituto militantes *ſocios Jeſu* nuncupant; absque dubio ideò, quód Apoſtolorum tanquam verè & realiter Jeſu Sociorum deſiderent vitam imitari, & prout in primis eorum conſtitutionibus refertur, *Societatem ſuam ideo Jeſu nomine inſigniri cupiant, ut ad profectum animarum in vita & doctrina Chriſtiana &c. Spiritualem conſolationem præcipuè intendant.* Non verò quaſi Societas Jeſu, idem ipſum ſit JEſu Chriſti Domini noſtri conſortium, quod ſibi in terris conjunctum habuit. Multa ergò per prolepſim efferre licet, quæ aliàs *falſitatem* aut *nugacis mentis* deliramenta non effugerent. Et quid prohibeat credere, ut, quos Chriſtus toties filiolos ſuos appellare dignatus eſt, ipſi viciſſim eundem & Patrem & Abba nuncuparent, cùm vel maximè ſub Patris titulo hoc nomen Abbas Prælatis monaſteriorum fuerit attributum: Vide Cangium verbô *Abbas* Etſi Chriſtus hoc nomine *Abba*, cæleſtem Patrem ſuum appellavit, cur? Quod uſurpare audierant Dominum

vide act. SS. 1 Aug. in vita S. Sereni Ep. Maſſil. in Comment. §. 1. n. 11.

Bulla Pauli 3. Regimini militantis Eccl.

Digitized by Google

minum ſuum, eò non pariter illud & ipſi invocarent.

10. Apoſtolos in vita votiva imitati Clerici eorum.

Apoſtoli hâc normâ vivendi inſtructi aſſumpſerunt in miniſterium eccleſiaſticum perfectos ſui inſtituti imitatores Clericos. Hinc non minùs in his, quàm illis viguit vita votiva, quod ſatis ex ſuperiùs jam adductâ deſcriptâque notione hujus Nominis comprobatur. Ultrò autem egregiè planè hanc in rem argumentatur Iſidorus Peluſiota, *cùm nunc*, inquit: *Permulti, actis in fide radicibûs, ob magiſtrorum tamen vitam* (ſcilicet debitô virtutum exemplô deſtitutam) *non modò vacillârint, verùm etiam radicitùs evulſi ſint, quisnam quæſo, ſub initium vitam cum ſermonibus congruentem minimè perſpiciens ad credendum adductus fuiſſet, idque cùm paternis Diis ac ritibus abſcedere juberetur, atque opes quidem ac divitias & voluptates odiò perſequi, paupertatem & inediam & caſtitatem amplecti, atque ad quotidianas mortes ſe comparare.* Quàm inanis planè labor fuiſſet ſuſcepta Apoſtolorum prædicatio, ſi hanc eâ vitæ ſanctitate, quâ illam didicerant ab Apoſtolis, non continuaſſent Diſcipuli: Profectò enim, quod maximè totum apoſtolicum cœtum gentibus convertendis commendaverat, erat illa repudiatio terrenorum, quæ iidem ſemper relinquere malebant, quàm ab iis relinqui. Hinc S. Auguſtinus ſcripſit, *Apoſtolos in ſuam communionem non recepiſſe utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes.*

Ep. 317. L. 3.

L. de hæreſ. hær. 40.

Addamus demùm, vix aliquem ex ſcriptoribus atque Doctoribns fuiſſe, qui dum Apoſtolos voviſſe enuntiant, illud non pariter de Clericis Eccleſiæ primitivæ concludant, ut adeo pro his æquè ac illis certet unanimis, generaliſque ſententia ob rationis paritatem.

Vide Pag. Crit. t. 1. ad an. 100. n. 3.

Non igitur iis ſolùm Epiſtolis inter Canones relatis & Urbano Clementique, utrique primo hujus nominis Pontifici (quas ſeu apocryphas fictitiáſque omnino, ſeu potiùs interpolatas recentior orbis eruditus agnoſcit) adſcriptis, ſed argumentis ab utraque authoritate petitis inhærentes noſtram tuemur ſententiam: Quamvìs enim neutra prædictarum unquam exſtitiſſet Epiſtolarum, quæ Sæculo ut plurimùm Octavo vel nono ipſi Iſidoro Mercatori attribuntur, adſunt porrò antiquiſſima eáque tam certa pro votiva vita à primis Clericis cultâ, monumenta ſcriptorum, ut his refragari, nonniſi palmaria eſſet pervicacia cenſenda. Multò autem graviùs peccaretur ab illo, qui & iſta, aut interpolata diceret vel conficta, utpote communi eruditorum jam firmata calculô: Hæc verò ipſa ſunt, quæ aut præſenti Capite actu produximus, aut adhuc hujus partis ultimô promemus.

11. Clericorum Primorum vita non ſolùm communis ſed & votiva fuiſſe declaratur.

Neque verò vetus illa, & jam penitùs faſtidita crambe recoquenda, quâ prætenditur Clericos primitivos communem quidem vitam egiſſe, ſed non votivam, qui enim hoc aſſerunt, eò collimant, ut non ſolùm communionem Societatis perſonalis, verùm & rerum admittant quidem, ſed eam votis firmatam negent: Monſtrabimus autem, quàm certò communis vita votis innexa fuerit, Capite ſubſequenti: Patétque id antea ex communi etiam antiquorum ſcriptorum ſententia, qui ideò Clericorum communem vitam ſuis identidem ad imitationem propoſuêre, quia votiva erat, talis nimirum, quâ abſolutior, ſanctior, & perfectior, deſiderari iis temporibus non poſſet: Talis quóque, quæ non ſolùm æquaret, ſed etiam præcelleret perfectione virtutis vitam vulgaris illius neo-converſi Cætûs Chriſtianorum, quam votivam fuiſſe, neſcio, an ab erudito quopiam negari poſſit, ut ſuprà notavimus: Dum ergo Chryſoſt. Baſilius. Auguſt. Hieron. Greg. M. Atha-

Vide omnes hos Auth. & complu-

rium genuinum textum apud Cornel. à Lap. in Cap. 5. act v. 1 edit. Antverp. f. 115. col. 2. Hieron Ep 8. ad Demet.

Athanaſius, Nazianzenus, Cyprianus, Caſſianus, Arator, Beda, Hugo, Lyranus &c. Uno ore conclamant, Ananiam & Sapphiram voviſſe & ſacrilegii communis ſe reos feciſſe portionis offerendæ ſubtractione: *Ananias & Sapphira*, ait Hieronymus (ut ſcilicet omnium locò vel unum referamus) *diſpenſatores timidi, imò corde duplici, & ideò condemnati, quia poſt VOTUM abſtulerunt quaſi ſua, & non ejus, cui ſemel VOVERANT, partemque ſibi alienæ ſubſtantiæ reſervantes* &c. Dum, inquam, hæc de paupertatis voto expreſſè aſſerto præfatorum Patrum teſtimonia patent, non difficilis quorundam contrarium ſentientium ſcriptorum objectionibus reſponſio ſubnectitur: Nam imprimis (quæ de Epiſtolis S. S. Clementis ac Urbani tanquam apocryphis apponuntur) obſervandum eſt, has Epiſtolas ſimpliciter tanquam Spurias rejiciendas non eſſe; quamvis enim illas univerſim, & quaſcunque alias, quæ ſummis Pontificibus usque ad tempora Siricii ac Innocentii adjudicantur, inter ſuppoſititias referat de Marca, ac cum ipſo Antonius Pagius: Sunt tamen viri doctiſſimi, qui eaſdem non omninò reſpuentes, potiùs interpolatas credunt. Certè Cabaſſutius in rebus antiquis ac præcipuè veterum decretorum ſcriptis inveſtigandis ævò noſtrò egregiè commendatus, de his ipſis Epiſtolis ſequentia enuntiat: *Sæculi*, inquit: *Hujus ſcriptores Eccleſiaſtici, quorum aliqui Sæculô anteriore manum ſcriptioni admoverant, fuêre Clemens Papa, cujus exſtant recognitionum apoſtolicarum libri Octo, cum aliquot Epiſtolis: Sed inter bonas fruges his comprehenſas inimicus homo Zizania ſuperſeminavit. Etenim multa his ſuppoſititia hæretici olim inſeruerunt.* Sicut verò quibuſdam ſua ſarmenta immiſcuerunt hæretici, ſic iſtis, de quibus hìc ſermo eſt, faciliùs adhuc fieri potuit, ut à quodam plus pietatis quàm incorruptæ vetuſtatis conſervandæ ſtudioſo, eæ ipſæ ſententiæ ſuſpectæ adderentur, aut ſtylus quóque alicubi ad morem ſuæ ætatis accomodaretur, unde pluribus fucus fieret, quaſi integræ ſuppoſititiæ eſſent, & recentiùs exortæ. Profectò hoc Cauterium Epiſtolæ Clementis & Urbani nunquam fortè ſubiiſſent, niſi vitæ communis, & quidem, ut ex contextu ſatis elucet, votivæ meminiſſent, hic lapis ac offendiculum, ne pluribus ſententiæ noſtræ adverſantibus obeſſet, demùm ad earum ſinceritatem indagandam ingenia compulit, atque dum interpolatas fortaſſe agnoſcerent, maluerunt omninò ſuppoſitionis arguere, faciliùs hinc ſe ſe â quibuscunque inde petendis argumentis eliberaturi.

Reſpondetur ad quorundam objecta.

primo: *de Epiſtolis Clementis & Urbani.*

ſupra Cit.

Not. Eccl. Com. ſæc. 2. hiſt. ſynop. n. 16.

Secundò: Illis, qui ſententias Hieronymi, Caſſiani, aliorúmque Patrum veterum (de communitate Clericali primæva loquentium) ad ſolam corporalem ſocietatem non verò votivam expropriationem trahunt, ac interpretantur, reſpondendum eſt: Sententias Patrum non cuique ad libitum, ſed ſecundùm juſti ſenſûs librationem eſſe explanandas, ut generalia ſingularibus ſubſtent, & ab his explicationem condignam accipiant, prout omnibus ſcripturas commentantibus notum eſt. Cùm itaque diſſertè Hieronimus ac maximè Auguſtinus vitam votivam Apoſtolis adſtruant, hanc mentem etiam in aliis locis, ubi generaliùs loquuntur, aſſequi oportet. Quod ipſum de S. Caſſiano aliíſque ferendum judicium.

Secundò: de Patrum aſſertis ſolum de corporali Societate intelligendis.

Tertiò: Summorum Pontificum Decreta hac de re ſcribentium immeritò â quibuſdam eâ authoritate ſpoliantur, cujus aſſerendæ cauſâ propriè edita comperiuntur. Sic Eugenii IV. Martini V. Pii utriusque, IV. ſcilicet & V. Urbani II. Sixti IV. Leonis X, propriè eò collimavit intentio, ut non narrativè, non opinativè, ſed certâ ſcientiâ edocti agnoſcerent Apoſtolos

Tertiò: de ſummorum PP. decretis narrativè vel opinativè loquentibus, vel ſubreptione obtentis.

ſtolos

Digitized by Google

ſtolos eorumque Clericos votivam vitam tenuiſſe, neque tam levi jactu, ut quibusdam videtur, ſummi Pontificis authoritas in hac aſſertione elidi‍tur, quaſi prætensâ, aut obreptione, aut ſolius facti quæſtione, jam omnis ſuccidere debeat talium Bullarum prærogativa: Nam ſi hæc una prætenſio, aut potiùs affictio obreptionis, vel quæſtionibus facti alioquin affinis imbecillitas mox ſufficeret ad aſſertionem Pontificiam infirmandam vel omninò rejiciendam, neſcio, quot demum in ſimilibus caſibus Bullæ ſuam tueri poſthac authoritatem poſſent (profectò, cùm juxta communem gloſſ.) (1) *Papæ aliquid aſſerenti* (& quidem abſolutè adeò, ut præfatorum omnium Pontificum litteræ clamant) *credendum* ſit, & præterea (2) *narrativa quoque Papæ de facto alieno ſit ſtandum tam diu, donec probetur contrarium* (quod tamen in noſtro caſu nunquam á parte adverſa, productis debiliſſimis ſemper argumentis, effectum eſt) (3) & *narrativa Papæ de facto alieno probet integerrimè*, *ſi ſcribat motu proprio*. Denique manifeſtum ſit non ſine gravi injuria has bullas edentium, aut ob- aut ſub-reptitias inſimulandas, utpotè nimis apertè conteſtantibus ipſis ſummis Eccleſiæ Præſulibus hanc ſe ſententiam *auditis multoties partibûs*, & *quæ hinc inde allegata ſunt, diligenter examinatis confeciſſe*, viderint liberè adeò hos incuriæ aut oſcitantiæ ex conſequenti arguere præſumentes, qui ſuum judicium ſalvent, ſummâ Eccleſiæ non læſa authoritate.

(1) Gloſſ. in c. 1. verbo ſtatuit de renunt. in 6; & in cap. ad Apoſtolicæ verbo *promiſerunt*. De re jud. eod. lib. text. & ibi Doct. Com.
[2] Put. p.3. decis 110. Maſcard. Concl. 139. n. 9.
[3] Garc. de Benef. p. 9. c. 2. n. 362.

Relatio Card. tomb. t. 1. diſp. 25. q. 1. n. 292. & ſeq.

Quartò: de Leonis X. propriâ confeſſione, Bullam à ſe importunè extortam.

Neque dicant, iſtam obreptionis noxam inuri Decreto Leonis X. eamque ſatis colligi ex ipſius verbis, dum ait *ad importunas preces Canonicorum regularium ſe ſententiam decreviſſe*.

Reſpondeo enim quamvìs plurimis actis noſtris (multâ impenſâ operâ) dudum perquiſitis de hac tamen Bulla ne apicem me conſpexiſſe, quæ ab adverſariis aſſeritur edita in cauſa præcedentiæ. Sedit Leo X. ab anno 1513. ad 1521. id eſt octo non omnino annis, hoc in tempore non memini aliquam controverſiam à Canonicis motam de præcedentia fuiſſe: Aliam Bullam Leo edidit anno 1519. ſed quâ cauſam decidit à Paride Graſſo motam, an Canonici Regulares in Epiſcopos promoti eo habitu veſtiri audeant, quô Clerici Sæculares. Aſſumpſit hanc Zacharias Ferrerius, librúmque edidit, in quo præter alia ad rem præſentem remonſtrat Apoſtolicam vitam votivam, approbavit Pontifex totum editum Ferrerii opus, & deſuper Bullam ſuam adjecit. Sed in hac de importunis precibus ne verbum exſtat, neque ad eam procurandam importunis precibûs opus erat, cúm rem per ſe decidendam Leo ſpontè aſſumeret, eandem nonnullís, ut inquit ipſe, eatenus urgentibûs (non Canonicìs regularibûs) ſed ipſo præfato Paride Graſſo magiſtro Ceremoniarum Canonicis fors minùs affectô.

Quodſi verò etiam importunís precibûs talis bulla extorta eſſet, quæ hanc ſententiam votivæ Apoſtolorum vitæ tuetur, an continuò ideò ſubreptionis rea? utpote, dum ſummo Pontifici nunquam attribuam, importunis eum precibûs, ſimulque ſubreptione induci ſcienter poſſe ad talem Bullam edendam. At ſi importunæ hæ preces, ſolùm moræ accelerationem reſpexerint, id profectò ſententiæ latæ ne minimum obeſt, prout cuivis liquet erudito.

Denique conſiderata â nonnullis ac preſſiùs agitata noſtra hæc ſententia de votiva Apoſtolorum ac maximè Clericorum primorum vita prout authoritate ſcriptorum firmari à nobis ſolet, pariter incongruè rejicitur, quaſi hi aut re non bene ventilata potiúsque pietatis in aliis feliciús plantandæ Stimulô, quàm hiſtoricæ veritatis amore adacti eidem ſubſcripſerint; aut Duci uni minùs cautè præeunti grex Scripto-

Quintò: de auctoritate labili ſcriptorum unius ab altero hanc ſententiam deſcribendo tantùm aſſumentium.

 pro-

ptorum reliquus non minore inadvertentiâ quàm errore adhæſerit.

Qui enim hæc reponunt, necdum obſervarunt, quorum ſcriptorum teſtimonia authoritatemque reſpiciamus. Dum namque de votiva primorum Clericorum vita diſſerimus, illorum aſſerta attendimus, qui aut primis illis ſæculis vixerant ſanctitate non minùs, quàm ſcribendi veritate illuſtres, aut ſi recentiores (qualem D. Thomam poſuimus) tales profectò quibus nihil magis curæ fuerat, quàm quæ veriora ſunt, non cæcâ imitatione, ſed ratione ſectari: Interea tamen continuò diſſentior liberè adeò quoſdam Scriptores recentiores carpentibus, & notam *exſcriptorum* tantùm tribuentibus; cùm peſſimè quis mox vitii exſcriptoris arguatur, qui alterius ſeu authoritate, ſeu argumentis perſuaſus id ipſum ſcribit, quod alium aſſeruiſſe legerat. Profectò omnis aliàs Authoritas extrinſeca præcipuè in rebus antiquis ſtabiliendis laberetur, ſi exempli causâ, ideò D. Thomæ nulla aſſentiendi prærogativa concederetur, Apoſtolos voviſſe, eòquod id fortè in Auguſtino, Hieronymo aliiſque legerit. Itáque licèt Lucidus hiſtoricus, Raphaël Volaterranus, Philippus Bergamenſis, Onuphrius Panvinius &c. aſſumpſerint verba Vincentii Bellvacenſis vel potiús Sigeberti, dum ait *Canonicorum regularium ordinem refloruiſſe ſub Ivone ab Apoſtolis ortum*, neque inde quidquam horum etiam ſcriptorum authoritati decedit: eò, quod id nulla neceſſitate, ſed magna deliberatione ſcripſerint, ut patet in Onuphrio, qui quàm non improvidus exſcriptor hujus aſſerti fuerit, ſatis declarat in ſuo libello de ſeptem urbis Eccleſiis inferiùs referendo. Deinde Raphaël Volaterranus, dubito an ideò aliorum exſcriptor tam crudè argui poſſit, quod dicat: *Ordo Canonicus ab Auguſtino non tam inſtitutus quàm renovatus, ab Apoſtolis enim in monte Sion exordium cæpit, qui poſt Aſcenſionem, ut ait D. Thomas. 2. 2. Q. 88. de vita genere deliberantes Communia inter ſe omnia, ac tria vota coram Deo ſtatuêre.* Patet enim apertè ex ipſo contextu, ſe ſe non exſcriptorem, ſed ſententiæ D. Thomæ ſubſcriptorem præſtitiſſe, adeóque hanc ſuâ, quantum in ſe erat, authoritate extrinſecâ auxiſſe, quam nemo tam levi negotiô contemnet, utpote magnum veritatis pondus maximè in rebus obſcuris adjicientem.

L. 21. Antropologiæ

Cæterùm quia aliquibus ea inhæret opinio, ut vitam Apoſtolorum communem, quoddam genericum & materiale, nec ad certam religionis ſpeciem contractum inſtitutum fuiſſe aſſeverent. Hinc aſſertio iſta (quia aliquàntò operoſior) occaſionem ſuppeditat ſequenti capiti ac quæſtioni.

CAPUT II.

An vita votiva in Apoſtolis reliquisque Clericis primitivæ Eccleſiæ fuerit generica quædam religioſorum futurorum Idea, an inſtitutum aliquod ſingulare.

1. Status quæſtionis proponitur.

Quia torrenti Doctorum, & irrefragabili Patrum Authoritati difficile foret refragari, & cum paucis differentibus, iiſque nuperis, abnegare vitam votivam Apoſtolis Clericis, placuit nonnullis eam inire ſententiam, ut dicerent, eoſdem votivam quidem, velut Apoſtolos ipſos, á quibus hanc didicerant, vitam duxiſſe, at nullâ ſpecie religionis veſtitam, ſed quæ generica quædam forma eſſet omnis ſubſequi inſtituti religioſi, & exemplar illius, ſic ex Clericali, monaſticóque ritu vivendi conflatum, ab utroque tamen in ſingularitatis iſtud afficientis ratione diſcretum, ut nullam omnino particularem ſpeciem inſtituti alicujus religioſi determinati formaret, ſed eam præſen-

Digitized by Google

ſentaret ideam, qualem forte non abſimili paritate in regiminis forma noſtri protoparentes præfigurârunt, quam ad nullam genuinam triplicis illius ſpeciei Monarchicæ, Democraticæ, & Ariſtocraticæ ſtrictè licebit contrahere, utpote, cùm tunc necdum conſtitutæ fuerint.

Tom. 2. operum S. Ber. ſerm. Apol. ad Guilliel. Abb. Cap. 10. in nova Edit. Col. 542. Volumine priori.

Hinc non pauci quoque ſanctorum ac fundatorum ad illud generale Apoſtolicæ vitæ exemplar ſe reſpexiſſe teſtantur in inſtituendis, reformandíſque ordinibus, ſolentque liberè horum initia ac fontes ab apoſtolicis derivare temporibus; unus omnium locò ſit D. Bernardus: *Cur*, inquit, *adhuc vivo? videóque ad id deveniſſe ordinem noſtrum, qui primus fuit in Eccleſia, imò à quo cæpit Eccleſia, & quô nullus in terra ſimilior angelicis ordinibus: cujus Apoſtoli inſtitutores fuerunt.*

2. *Duplex Religioſorum Ordinum ſpecies in ſcaturigine eorum reperitur.*

Sciendum itáque imprimis (ut huic quæſtioni congruè reſpondeamus) duas ſpecies ſæculô ſaltem XImô exſtitiſſe religioſorum ordinum easque verè ſingulares, ac, ut dicere ſolemus, individuatas, atque à ſe invicem diſtinctas, Monachorum ſcilicet S. Benedicti, & Canonicorum Regularium S. Auguſtini, quod apprimè agnovit Sæculi decimi quinti Scriptor Paulus Langius Monachus Benedictinus dicens ad annum 968. *Non tum ordines tot in Eccleſiis Clauſtralium erant, ſed duo tantùm; Canonicorum videlicet ſancti Auguſtini, & noſter divi Benedicti in Eccleſia Chriſti radiabant.* Neque opinor in hoc ullum eruditum adverſari poſſe. Hôc verò ſtante, oritur quæſtio, quidnam ſpecificaverit hos duos ordines, ut ſingulares haberentur? & in hoc quæſtionis cardine adverto plures vertiginem pati, ita, ut confusô rerum ordine, priſtina ex modernis metiantur, quod quàm incautè fiat, nemo non videt. Si enim hæc liceret commixtio, certè plurimæ privilegiorum chartæ, hiſtoriæ & acta antiqua apocrypha eſſent atque fictitia, utpote quæ longiſſimè diſcedunt à more recentiorum temporum imò & ſæculorum, ſi ſcilicet comparemus medium œvum cum noviſſimo. Illud autem fieri ab omnibus ſcriptoribus ideam in Apoſtolis & primis Clericis religioſi inſtituti aſſerentibus, patet exinde, quod prætendant ea indicia diſcretiva, & partes, ut vocari ſolent, integrales, quæ ſubſtantiam religioſi ſtatûs ſic afficiant, ut ad certam ſpeciem ſingularitatis reducant. Quod tamen in antiquis Ordinibus petere fruſtraneum eſt; cùm exploratum ſit, antiquitus ad individuationem ordinis nihil omnino deſideratum fuiſſe, niſi præter finem generalem in votis religioſis conſiſtentem, finem particularem; accidentia autem illa, quæ prætenduntur, ſenſim fuiſſe introducta, ad diſcernendas ſcilicet ſpecies infimas, in quas ordo aliquis per ſe particularis & ſingularis iterum ſubdividebatur: Sic exempli cauſa monachi ſancti Benedicti habebant quoad finem generalem candem religionis ſubſtantiam Sæculo XI, quam Canonici regulares S. Auguſtini, at in fine particulari, ſi diſconveniebant, ſufficienter diſcernebantur ab invicem, & habebant utríque ſuum ordinem particularem: patet id à teſtimoniis & argumentis manifeſtis.

in Chron. apud Piſt. t. 2. f. 1125.

in Criſi hiſtorica temporum habendus reſpectus.

Non ea in antiquis ordinibus antiquitùs requirebantur ad ſui ſpecificationem, quæ nunc in recentioribus.

3. *Ad ſpecificandum ordinem religioſum non quæritur aliud, niſi præter finem generalem omnibus communem, Finis particularis diſcretivus ab aliis, quod probatur à teſtimoniis.*

Primò: mox allegatus Paulus Langius de ſæculo decimo diſcurrens diſſertè ait: Tunc duos ordines exſtitiſſe in Eccleſia, quidni ſingulares, & non ideales, nimirum, Ordinem Canonicorum S. Auguſtini, & Monachorum S. Benedicti? At tum Canonici regulariter votivéque viventes nihil allud habebant, niſi finem particularem à monachali diſtinctum: Si quid enim habuiſſent, fuiſſet regula, at hæc etiam juxta adverſarios tum apud Canonicos nondum vigebat, quod ſi quæras, cur eos Langius, S. Auguſtini nuncupet, ſi hujus regulâ carebant? repo-

Digitized by Google

repono, id nos inferiùs demonſtraturos prolixiùs, cui in anteceſſum præmittimus breviter, eò id jure à Langio factum, quô etiam nunc Canonici dicimur S. Auguſtini, nequaquam nimirum à regula hac individuè ſumptâ quam à ſeptem propè ſæculis commodioris uſûs cauſâ aſſentiente Eccleſiâ usque nunc retinemus) ſed á reformatione, quam conſtituit vir ſanctiſſimus, quámque tam nervoſè & exquiſitè Aquisgranenſes Patres ſæculô nonô reſpexerant, ut ideo ſuæ regulæ ſermones de vita Clericorum licèt prolixos ejusdem S. Doctoris inſeruerint; & hinc probabilius factum, ut Canonici S. Auguſtini audirent, qui eosdem ſermones ſuâ converſatione aſſequi niterentur: tam parum enim regula certa & ſtrictè ſumpta à Canonicis requirebatur, quàm parum illa aut ante Innocentii tempora religionem ſimpliciter talem conſtituebat, aut diſcernebat ab aliis: quæ omnia parte ſecunda latiùs deducentur.

4. *Confirmatur aſſertio rurſum ab inductione inſtituti Auguſtiniani Sæculô 5to, præter finem particularem nihil olim aliud requiſitum fuiſſe ad ſpeciem ordinis religioſi.*

Secundò: Sub ſancto Auguſtino, quicunque affirmant (affirmant autem plurimi) Clericos votivos exſtitiſſe, negare non poſſunt, Clericos illos non idealem ſed particularem ac realem à monachis jam per ſe diſtinctum ordinem conſtituiſſe, at Auguſtinus ipſe non aliud illis præter finem generalem ſeu vota præſcripſit niſi quem aliunde habebant finem particularem nempè clericatum, *Clericus*, inquit, *duas res profeſſus eſt, ſanctitatem & Clericatum.* Ubi advertendum, quamvis ex priori capite pateat, Clericum vi ſui nominis ſanctitatem æquè involvere ac Clericatum, Auguſtinum tamen hic utrumque diſtinguere, non ratione inſtituti, ſed inductæ jam inter Clericos diverſitatis, quâ non pauci finem particularem retinebant, à fine tamen ſubſtantiali religioſum ſtatum formantis ſe ſe expediebant. Hunc itaque finem generalem *ſanctitatis* cum particulari Clericatûs, nec aliud quidquam, Auguſtinus de cæteris mediis particularibus, ut nunc fieri ſolet, ordinat, ſed ad ſummum ad Canones ablegat: quodſi etiam dicamus, regulam à ſe ſcriptam (quam moderno tempore Canonici uſurpamus) eis fuiſſe traditam, ea non aliud operabatur, quàm alii quicunque Canones ab Epiſcopis confecti pro Clericis ſuis; ex quibus nihil contra nos inferri valet.

Regula non determinat per ſe ac ſimpliciter loquendo ad ſpeciem infimam inſtituti religioſi.

Si verò adjicias, eam ſpeciem Clericos à S. Auguſtino votivè inſtructos conſtituiſſe in Clericatu, quam monachi ante S. Benedictum in monachatu, genericam ſcilicet, & idealem futurorum ſuo tempore omnium Clericalium ordinum, dum illi exordirentur, inductis demum diverſis mediis ac regulis fini particulari cooperantibus. Reſpondeo longiſſimè hæc à ſe invicem diſtare, neque unquam comparationem valere in ſignificatione ac individuatione inſtituti Clericalis cum monachili: Nam in iſta requiſitam fuiſſe regulam, quæ ſpecificaret ſaltem ſpecie mediâ inſtitutum, non diſſentio, at nunquam hanc neceſſitatem admittam in Clericali, cui id unum habere ſufficiebat, per quod â monachatu diſtinguebatur, hoc verò abundè faciebat finis particularis; hinc nulla ei præter Canones regula opus erat: At monaſticum inſtitutum ſummopere & à prima quidem ſui origine eò magis regulam quandam expetebat, ut hinc etiam paſſim regulare nominaretur, prout eruditis compertum eſt quô ampliùs intra clauſtrum ſpirituali quieti intendebat: Hinc enim requirebatur accurrata omnium actionum partitio inſtituto contemplativo accommoda, ne ſcilicet otium animæ præſcriptum, & unicè intentum facillimo lapſu in deſidiam quandam degeneraret, & inertiam corporalem. Præterea quod de monachis ante S. Benedictum prætenditur, nos non urget, nam dici poteſt, ante hunc ſanctum exſtitiſſe ſpecie certâ monachos S. Pachomii, quotquot nimi-

nimirum ſub ejuſdem regula ab Angelo ei tradita militabant, inſuper & S. Baſilii alióſque complures. In occidente præfulgebat regula S. Cæſarii, S. Macarii, Aureliani &c. Quos omnes neceſſariò ordinis ſic diſtincti poſſemus aſſerere, quemadmodum ordinem S. Benedicti, cum reſpectu nimirum ad regulam: Quamvis mihi indubitatum ſit, regulam per ſe nunquam ad certam infimamque ſpeciem etiam in monachismo determinare: alioquin enim omnes ordines, qui militant ſub regula S. Benedicti, ejuſdem eſſent ſpeciei infimæ, ejuſdemque ordinis, quod nemo aſſeverabit. Quapropter apud Mabillonium Authores complures affirmant, olim regulam nihil fuiſſe operatam ad diſcriminandam unitatem monachiſmi, quia enim tot propemodum typi, ac regulæ erant, quot cellæ ac monaſteria, etiam illarum diverſitas nullô modô præſcribebat unitati. Quodſi ergò ſine reſpectu ſeu ad æqualitem, ſeu diſſonantiam regularum, unitas monaſtici inſtituti exiſtebat hæcque unitas non poteſt non dici ſpecies quædam certa, & individua, quâ monachismus tunc conſtituebatur in eſſe ſingularitatis, non verò alicujus Ideæ, quod profectò, non crediderо, ullum ex eruditis negaturum, à potiori dicere id ipſum licebit de inſtituto Clericali: nam ſi monachismum in eſſe ſingularitatis conſtituebat finis particularis, & regula quæcunque demùm, ſeu hæc, ſeu illa, etiam Clericatum in eſſe inſtituti ſingularis conſtituebat finis particularis: Et ſi denique â paritate monaſticæ regulæ oppugnator ſe divelli non ſinat, dicens: Certum eſſe, monachos S. Benedicti per regulam ab eo traditam ſuam ſpeciem infimam obtinuiſſe, ſubjicio tranſmittendo hoc totum, quod prætenditur, ſed obſervari cupio, qualiter regula S. Benedicti inſtitutum monaſticum affecerit, ut hoc ipſum operaretur?

Ann. Ben. in præf. n. 20. & ſeq. item L. 1. n. 13.

5\. *In moralibus adeoque & in ipſis religionibus ſacris poteſt dari diverſitas quaſi ſubſtantialis per ea, quæ maximè ſubſtantiæ religioſæ accedant.*

Hoc ut planiùs fiat, præcipuè adverto, quæ Doctiſſimus Pellizarius de varietate religionum annotavit, ſic loquens ad quæſitum, quotuplex varietas poſſit reperiri in religionibus? *Cum,* inquit, *res morales poſſint eſſe invicem diverſæ tam ſubſtantialiter, quàm accidentaliter, non ſecùs ac poſſint eſſe res Phyſicæ: Et aliàs in moralibus diverſitas maximè debeat deſumi ex fine: hoc ipſô, quod fines diverſarum religionum modò ſunt diverſi quaſi ſubſtantialiter (ut hoſpitalitas, & prædicatio verbi Dei) modò ſolùm accidentaliter, (ut contemplatio perpetua, ſeu diuturna, vel tantùm definitis horis) poſſunt & ipſæ religiones dici differre inter ſe, ſive ſubſtantialiter, ſive accidentaliter; prout fines ipſis ex proprio inſtituto propoſiti ſunt invicem diverſi, ſive ſubſtantialiter, ſive accidentaliter, id eſt ſecundùm magis & minùs: quamquàm de rigore loquendo inter religiones non poſſit eſſe diverſitas ſimpliciter ſubſtantialis; cùm vota ſubſtantialia religionis, & traditio, quæ fit per profeſſionem (in quibus conſiſtit tota ſubſtantialitas ſtatûs religioſi non habeant inter ſe diverſitatem ſubſtantialem, ſed ſolùm accidentalem; ut benè indicat Suarius hinc inferens, quòd licèt religionum diverſitas non poſſit eſſe in ſubſtantia ſtatus religioſi: moraliter tamen ea dici poſſunt quodammodo ſubſtantialiter diverſa, ſi differant inter ſe in primario fine, nec non in votis eorumq; obſervantiis: Quippe in quibus conconſiſtit ſubſtantia religionis, ideóque diverſitas in eis maximè accedit ad ſubſtantiam.* Hanc Pellizarii æquè ac Suarii doctrinam haud dubiè Clariſſimus Theologiæ Canonico-moralis Author noverit traditam, legeritque, utpote cui ambo hi Doctores identidem in dilucidatione ſuarum ſententiarum deſervierant, quid ni igitur, cùm ipſe inquit: *Diverſitatem ordinum non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem, atque ita, quotquot fuerunt, ſunt, aut erunt diverſi à diverſis inſtitutoribus orti ordines religioſi, ſunt ejuſdem eſſentialis ſpeciei infimæ, ſiquidem*

Auguſt. Michel. tom. 1. f. 615.

dem tota cujusvis ſtatûs religioſi, natura, perfectióque eſſentialis conſiſtit in tribus ab Eccleſia approbatis, acceptatisque perpetuæ paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ votis. Quidni, inquam, ipſe in hoc cum præfatis Doctoribus conveniat, ut imprimis diverſitatem inter ordines religioſos quoſdam, non quidem *ſimpliciter* ſed *quaſi* ſubſtantialem admittat, deinde hoc ipſo ſpeciem infimam non eam intelligat, quæ ne quidem moraliter diverſimodè diſpertiri poſſit? nam quamvis certum ſit, ordinem S. Benedicti Sæculô Nonô certum ſpecie infima ac abſolutè talem exſtitiſſe, attamen ſæculô decimô hic ipſe quaſi in inferiores ordines diſtingui cæpit. Unde cùm Mabillonius præcedentibus libris & diſſertè in præf. ad ſuos annales n. 24. ſuo conformiter affectui, docuiſſet ſæculi octavi fine ſic regulam S. Benedicti omnes quaſi reliquas abſorbuiſſe, ut tempore Caroli Magni regnantis ſola illa ſuperfuerit, adeóque ſolus unúſque tunc floruerit ex monaſticis inſtitutis ordo S. Benedicti, hunc ſuum ordinem (idem ipſe aſſeverat in præfat. ad tom 4. Annal.) qui ad id usque tempus, id eſt ſæculum X. *unum corpus etiam poſt ortam illuſtrem congregationem Cluniacenſem conſtituerat, poſtmodum in varias congregationes, quaſi totidem inferiores ordines, dividi, ac diſtingui cæpiſſe &c. hinc Camaldulenſis Congregatio per Romualdum, Vallumbroſana per Joannem Gualbertum, Fontavellana per Rodulſum Eugubinum Epiſcopum ortæ ſunt quibus dein Carthuſienſis, Grandimontenſis & Ciſtercienſis familiæ acceſſêre.* Igitur quamcunque ſpeciem infimam in ordinibus ſacris admittamus, eam tamen in ordines adhuc inferiores diſpertiri poſſe admittere oportebit, absque eo, quòd illum, à quo tanquam à fonte iſti profluebant ſolùm ideam quandam fuiſſe aſſeramus.

His veró ſic combinatis, dico, regulam S. Benedicti eô ipſo quod monachilis eſſet, finem particularem tanquam medium aliquod à ſancto Benedicto decretum, ſic affeciſſe, ut inde *quaſi ſubſtantialiter* ſe ab aliis (ſed à monaſticis inſtitutis ſolùm ad ſummum *accidentaliter*) diſcerneret: Cùm enim regula hujus S. Patriarchæ fini peculiari monaſtico addat certas obſervantias, ritus, ac Cæræmonias, inſuper ab ipſo ſuo Authore iuſtitutionis prærogativam peculiari jure adjiciat, hinc patet, per eandem jam olim ex intentione, ut ita dicam, ſancti hujus inſtitutoris finem particularem monaſticum *accidentaliter* diverſum ab aliis monaſticis inſtitutis evaſiſſe. Atque hoc eò certiùs de Clericali quóque inſtituto dici poteſt, quò manifeſtius eſt, & ex præfatis authoribus mox adductis conſtat, ſolùm finem particularem ſufficere ad conſtituendum *quaſi ſubſtantialiter* diverſum ſpecie infimâ ordinem Clericalem à monachili.

Verùm jam ponderoſiùs interpellas, aiſque, Auguſtinianum inſtitutum diſtinctum quidem fuiſſe per finem particularem à monachili, minimè tamen ab omni illo, quod poſtmodum diverſum in uſum Eccleſiæ prodiit, quales ſunt omnes Clericales ordines à ſæculo duodecimo & inde exorti. Quorum finis particularis univerſim idem eſt, adeóque niſi alia adferantur argumenta, ex ſolo fine particulari apparebit Clarè inſtitutum Auguſtinianum, quin & Apoſtolorum ſaltem reſpectu omnium Ordinum Clericalium quandam ideam fuiſſe, & quodpiam inſtitutum genericum.

Reſpondeo primò: verùm eſſe, finem particularem multorum à Sæculo duodecimo enaſcentium Ordinum Clericalium in Eccleſia eundem plane eſſe cum inſtituto apoſtolico, & Auguſtiniano, nego tamen, inde ullô modô utrique horum ideam appingi poſſe, ob quam nequeant verum ac particulare inſtitutum eſſe ſuâ ſpecie infimâ

mà veſtitum. Neque enim exinde inſtitutum aliquod argui poteſt tantùm idealiter exiſtere, ſi illis circumſtantiis aut mediis affectum non eſt, quibûs poſtmodum alia inſtituta eundem finem particularem obtinentia inſtruuntur: inſtantiam manifeſtam mox adduximus in ordine S. Benedicti, qui ideó neutiquam ut quædam idea reſpicitur à primæva Origine ſua, quòd multæ religiones ejuſdem finem particularem unà cum regula aſſumentes ſe diſcernere per certa media noviter aſſumpta debebant, ut quandam diverſam ſpeciem præſeferre cenſerentur ex merito abjectivo. Non itaque vetuſtiſſimo & antiquiſſimo inſtituto neceſſe eſt ad ſuam ſpeciem infimam formandam talia media amplecti, per quæ ab exorituris ſuo tempore aliis inſtitutis diſcriminetur, ſed hæc diſtincta mediorum electio incumbit iſtis: hinc ad diſcrimen conſtituendum unius inſtituti ab altero, non ſemper expetitur, neceſſúmque eſt, ut habeat poſitivè certas partes diſcretivas, quas aliud non habet, ſed ſufficienter diſcernetur, quod tales partes non habeat, quas aliud, velut conſideranti patebit. Cùm etenim juxta allegata principia certum ſit ordinem aliquem ad ſuam ſpeciem infimam ſufficienter determinari per finem particularem, hôc in inſtituto Auguſtiniano & apoſtolico demonſtratô, viderint qui ſe adinventiis aliis, aliisque mediis fini particulari ſuperadditis, tam ab antiquiſſimo inſtituto apoſtolico ac Auguſtiniano, quàm à ſibi coævis & concomitanter exorientibus diſtinguant, recentiores ordines Clericales. Cæterùm juxta allegatam Doctrinam lubens concedo, inter omnes ordines Clericales nullam diverſitatem *quaſi ſubſtantialem* intercedere, ſed ſolam *accidentalem.* Ad iſtud ampliùs demonſtrandum ſtatuamus, Summum exempli cauſâ Pontificem his noſtris temporibûs inſtituere quandam religioſam congregationem, quæ præter finem generalem vitæ votivæ nil omnino aliud haberet præfixum, niſi vitam mixtam, prout ea ſimpliciter conſtituitur in dilectione Dei, & proximi, certum eſt talem congregationem fore ordinem religioſum particularem, diſtinctum ſpecie infima ab omni alio Clericali, quamvis ipſe ſit Clericalis, idque per ſolum finem particularem. Reſpondes, eundem diſcernendum non fore per ſolum finem particularem, ſed ſimul per alia accidentia, quæ hunc ipſum ſolent afficere, prout id ipſum docet Pellizarius, quæ licet ſint accidentalia fini, non tamen ſunt accidentalia eidem, prout ad hoc inſtitutum contracto. Verùm contra eſt, quod ſupponamus tale inſtitutum, ab omnibus ſimilibus accidentibus liberum eſſe, qnod fieri poſſe nemo negabit, ita quidem, ut ſi ſolum & unicum Fundatorem excipias, & diverſitatem veſtitûs alioquin nihil omnino fini particulari addat, quod tamen ſufficere poſſe ad diverſitatem accidentalem cauſandam colligitur ex D. Th. 22. q. 186. art. 7. ad 2. quia autem jam ad ipſius Fundatoris ac habitûs diſcrimen quæſtio devenire poteſt, quæ præcipuè fundamenta requirit inferiùs Part. 3. Cap. 4tô referenda, hinc ad iſtam reſolvendam illuc Lectorem dirigimus. Nos verò filum inceptæ probationis nectentes, eam demonſtramus

Quintò: quotquot antiqui Scriptores de ſpecie & diverſitate Ordinum ad ſæc. usque 13. tractârunt, nemo conſignandæ talium inſtitutorum diverſitati prætendebat illa accidentia, ritus, Ceræmonias &c. quæ nunc præſcribunt Authores recentiores; omnium locò ſit S. Thomas, qui dum Canonicorum regularium ſpecificam diverſitatem aſſignat, quâ à monachis diſtinguuntur, ait: *Canonicis regularibus per ſe competit, ut ſint Clerici, ſed ad religionem monachorum non per ſe competit, ut ſint Clerici, ut habetur* 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.

Digitized by Google

tur in decret. 16. q. 1. Unde concludo, ſi ſæculis poſterioribûs ad diſcrimen ſtatuendum & ſingularitatem firmandam nihil requirebatur, niſi finis particularis diſtinctus atque diverſus, quantò magis id dicendum erit, de prioribus ſæculis. His igitur univerſim propoſitis apparet dilucidè, Clericos S. Auguſtini habuiſſe ſui inſtituti certam ac indubitatam ſingularitatem, quodſi verò hæc admittitur in ſancto Auguſtino, nulla planè ratio diſpar videtur, quin eadem aſſerenda ſit in ipſis primitivis Clericis ac Apoſtolis.

6. Denique: ſi agnovêre viri doctiſſimi æquè ac ſanctiſſimi, Apoſtolos, primóſque Clericos non ideam aliquam generalem inſtituti religioſi obſervâſſe, tenuiſſéque, profectò duræ Cervicis meritò erit cenſendus, qui his omnibus refragans evincere quærat ſolam ideam: at quotquot ſummi Pontifices & Scriptores (penè innumeri) effantur Canonicos regulares non idealiter ſed analogicè & ſpecificè ab Apoſtolis deſcendere, hanc ſingularitatem inſtituti ipſó factó aſſerunt, atque propugnant, ut patet conſideranti, ergo jure ac meritô innixi tot Patrum, ſcriptorumque eruditiſſimorum menti dicimus, Clericos primitivos veram ac ſpecificam votivo-Clericalem religionem habuiſſe. Unde doctiſſimus Suarius cum de inſtituti religioſi per Apoſtolos origine complura ſapienter elucubraſſet: inter alia ad rem noſtram ſic ſcribit: *Addo verò inſuper etiam Chriſtum quandam religionem feciſſe in particulari, ad eandem quoſdam homines congregando, eiſque proprium ac particularem modum vitæ religioſæ* (ſcilicet finem particularem) *tribuendo: declaratur, nam Chriſtus Apoſtolos vocavit ad verum & proprium ſtatum religioſum aſſumendum. Hoc ex parte ſupra oſtendimus* &c. præterea tom. 4. de variet. Rel. p. 326. hoc ait: *Conſtat - - - - fuiſſe ſemper in Eccleſia ſtatum aliquem religioſum per ſe ac ex proprio inſtituto Clericorum, id eſt, ſub tribus Conſiliis ac votis perfectionis deſtinatum ad propria miniſteria, vel in divino cultu, vel etiam in ſalute animarum procuranda.* Per quod nihil aliud Suarius intelligit, quàm finem particularem, ſeu vitam mixtam Clericis votivis propriam; quod adhuc clariùs reſolvit tom. 4. dum inquit: *Conſtat fuiſſe ſemper in Eccleſia ſtatum aliquem religioſum per ſe ac ex proprio inſtituto Clericorum, id eſt, ſub tribus conſiliis, ac votis perfectionis deſtinatum ad propria Clericorum miniſteria, vel in divino Cultu, vel etiam in ſalute animarum procuranda. Hunc enim fuiſſe Apoſtolorum ſtatum, ex diſcurſu hujus materiæ conſtat,* Et tom. 3. cit. loco affirmat *religionem illam non periiſſe cum Apoſtolis, ſed continua propagatione fuiſſe in eorum ſucceſſoribus ac Diſcipulis conſervatam.* Denique (ut genuinè oſtendat omnimodum Apoſtolici inſtituti diſcrimen ac ſingularitatem cit. tom. 4. p. 326. Concludens *Oſtendimus*, inquit: *tomo ſuperiore illos* (id eſt Apoſtolos ac Clericos primitivos) *vota religionis emiſiſſe, non quidem ad monaſticam vel eremiticam vitam agendum, ſed ad apoſtolicam & Clericalem, ad quam profitendam à Chriſto vocabantur.*

tom. 3. Rel. L. 36. 2. n. 9.

tom. 4. de Variet. Rel. p. 326.

7. *Explicantur textus Patrum.*

Supereſt demum, ut quæ adverſa aſſerere ſancti Patres videntur, elucidemus. Pro quo neceſſe eſt, ante omnia mentem ſcribentium aſſequi, qui dum monachis aliiſque recentiorum religioſorum inſtitutis apoſtolicam vivendi normam appropriant, aliud non intendunt, niſi ut comprobent, talium religionum fundamentum in Apoſtolis & votivâ eorum vitâ reperiri, unde tanquam *ex fonte omnis religio ſumpſit* exordium, ut inquit S. Thomas. Sed ex hoc inferri nunquam poterit, ut cum eodem apoſtolico Clericali inſtituto, alia ſucceſſu temporis diverſimodè exorta, identicâ propagatione ſucceſſiſſe credantur: in quantum enim omnes religiones in ſubſtantia vitæ votivæ conveniunt, ſuô modô originem

Digitized by Google

ginem ſuam omnes jure merito in Apoſtolos tanquam primos hujus divinæ inventionis Obſervatores refundunt, at in quantum iidem Apoſtoli hanc omni religioſo ſtatui communem votorum obligationem ad particularem finem Deo in miniſterio Altaris ſerviendi, ſalutemque proximi curandi coarctaverant, alia certè norma vivendi in Apoſtolis exſtitit, quàm, exempli cauſâ S. Pachomius, S. Benedictus, aliiſque præclari monachorum inſtitutores ac Patriarchæ intenderunt. Ut verò, quam adduximus, S. Bernardi quoque ſententiam explanemus, monſtremúſque hanc eſſe mentem Patrum, quam deſcripſimus, nam idem ab aliis reperiemus intentum, quod hac in Cauſa voluit Doctor ille mellifluus: dicimus, non aberrâſſe eundem aſſerentem, Ordinem ſuum primum in Eccleſia imó â quo cæpit Eccleſia, ſed quô modô? lege caput illud, totumque hujus diſcurſûs contextum, videbiſque ſanctum virum in perverſos quorundam ſui temporis monachorum mores vehementer fuiſſe Commotum, quos etiam acerbè perſtrinxit, deplorátque, vitæ illius apoſtolicæ imitationem, quoad votorum ſubſtantiam paſſim tunc periiſſe, & præcipuè *Caſtitatis decorem, charitatiſque ardorem, humilitatis & paupertatis obſervantiam, quæ ſemper fuerit monachis norma atque exemplar vivendi. Ubi*, inquit: *illud unanimitatis exercitium? fuſi ſumus exteriùs, & de regno Dei, quod intra nos eſt, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem de vanitatibus ac inſaniis: ac jam religionis antiquæ non ſolùm virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus.* Quid quæſo Bernardus ad pandendam animi ſui ſententiam clariùs his verbis enunciare potuiſſet? ſe ſe non de inſtituti monaſtici Origine ſcribere, ſed de imitatione. Et nè ultrò nobis aliud opinandi cauſa ſuppetat, apertiùs ſerm. de diverſis 27. loquitur: *apoſtolicam omnes* inquit, *nos vitam profeſſi ſumus, apoſtolicæ profeſſioni nomina dedimus univerſi.* Quid hic jam inferas? ergo omnes ſub Bernardo Monachi Apoſtolorum genuini fuêre ſucceſſores, quia omnes, ut inquit ipſe, eidem, cui Apoſtoli, profeſſioni nomina dederunt? minimè profectò, ſed quemadmodum ſuperiùs, ita & iſthic imitationem vitæ votivæ intelligit, non ipſius adæquati inſtituti: audi namque eundem mox iſta ſubjicientem: *Quod ſanè non de ea gloria Sanctitatis, dixerim, quam non ſibi tantùm, ſed univerſo orbi ſuſcipere meruerunt, ſicut ſcriptum eſt: ſuſcipiant montes pacem populo & colles juſtitiam: ſed de earum potiùs profeſſione, quâ pro omnibus Petrus loquitur, dicens: ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* Hæc Bernardus dilucidè planè ad dubii noſtri ſolutionem. Qui, ut patet, per profeſſionem Apoſtolorum notat unam ſolámque inſtituti religioſi ſubſtantiam, quæ ſicut omnibus eſt religioſis communis, ita omnes illos facit Apoſtolicos imitatores.

§. 8. *Hæ Patrum ſententiæ ſtabiliunt apoſtolorum ac Clericorum eos ſuccedentium vitam votivam.*

Quæcunque itaque de inſtituto primorum Clericorum ſæpiùs monachis ad exemplum á priſtinis ſanctiſque Patribus enunciata reperimus, eò demum concurrunt omnia, ut ſanctos Apoſtolos votivè vixiſſe aſſerant; quo enim modo meliore, perſuadere ſuis poterant contemptum mundi, conſtantiámque in incæptis, quàm commendata eorum virtute ac perfectione vivendi? æmularentur ſcilicet generoſo ſpiritu quæ poſſent, admirarentur humili ſuæ infirmitatis agnitione, quæ aſſequi nequirent. Nunquid etenim Magnus Antonius (cùm illud Evangelii audiret: *Si vis perfectus eſſe* &c. nec ignoraret, Apoſtolos, qui hanc Chriſti doctrinam ad amuſſim ſervârant, primos fuiſſe) ſe Sectatorem in hac renuntiatione rerum terrenarum exhibuit? quamvis ad finem illum particularem Apoſtolis injunctum prædicandi ſcilicet divi-

Athanaſius in vita S. Antonii.

divini verbi, ac adminiſtrandorum ſacramentorum, nunquam pervenerit. Ergò vitæ ſubſtantiæque religioſæ imitator, atque profeſſor exſtitit, non item Inſtituti Apoſtolici ſucceſſor: id ipſum igitur & de aliis dicendum. Huc confer, quod edixit Hieronymus. *Epiſcopi & præsbyteri habeant in exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros, nos autem propoſiti noſtri Principes, Paulos & Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios*, ſcilicet in finis particularis ratione. Sed dum hanc, quam demonſtrare intendimus, ſingularitatem inſtituti apoſtolici, ſufficientibûs, ut ſperamus, firmavimus argumentîs, ad aliam quæſtionem diſſolvendam progredimur, non minùs iis, quæ tractare paramus, profuturam.

Ep. ad Paulin.

CAPUT III.

De vita communi Clericorum.

1. *Vitæ communis vocabulum & uſurpatio.*

I. VItæ Communis vocabulum non raro à diverſis authoribus, frequentiús tamen uſurpatur ab iis, qui Eccleſiaſtica ſcribere conſueverunt, hiſque antiquis, quorum plerumque fidei plùs reverentiæ authoritatiſque deferimus.

Non eſt noſtrûm, ut per exteriora vagando remotiores hujus vocabuli uſurpationes etiam apud Ethnicos ſolitas ad communem quandam civium ſocietatem ſignificandam adferamus. De ea communi vita diſcurrere paramus, quæ in hiſtoria Eccleſiaſtica uſum ſui reperit, quæque præcipuè inter homines Deo ſpeciali jure dicatos, & in una ſocietate Apoſtolorum lege viventes ſolet reperiri.

Deſcribitur quid ſit? à S. Cæſario.

II. Deſcripſit illam S. Cæſarius Arelatenſis ſer. 17. dixitque eſſe, *ubi non dicitur aliquid proprium: Sed ſunt omnia communia, & eſt illis* (hanc ſcilicet tenentibus) *anima una & cor unum in Deum.* Sic equidem & aliis SS. Patribus Compluribus viſa fuit, ut eſſet, communis vita, & quæ præſcriptô (à S. Cæſario) modô talis non fuerat, hôc titulô nullatenùs cohoneſtabatur: ita quidem, ut Caſſianus dicat, ex ipſa *Communi vita, quæ talis eſt, & Communione Conſortii, Cænobitas, cellas, ac diverſoria eorum vocata fuiſſe Cænobia.* Hoc ſi nobis adeò firmum, ratumque perſiſteret, ut ipſa vita Communis antonamaſticè nullo contradicente vitam Cænobiticam, id eſt, Societatem in unum conviventium religioſorum deſignet, facili labore à præſentis Capitis titulo expediremur.

Coll. 18. c. 5.

2. *Per communis vitæ vocabulum an antonamaſticè & generaliter ſit ſemper intelligenda vita votiva? negant aliqui.*

III. At non eſt eamens omnium eruditorum, quibuſdam demonſtrare conantibus, quamvìs apud Authores ſcriptoreſque antiquos de quapiam Eccleſia cætúque Clericorum legatur, in eo vitam viguiſſe communem, nec alia ſint, quæ ſenſum apertiorem reddant, intelligendum id vocabulum eſſe de quadam corporali cohabitatione ipſorum Clericorum, ut quidem unâ menſâ, unô refectoriô, unô dormitoriô &c. Sociarentur, ſuâ tamen proprietate gauderent, quales vulgò nuncupamus Clericos in Communi ſine omni voto expropriationis viventes, ut in ſæcularibus Collegiis ac pauciſſimis Cathedralibus Eccleſiis eſt invenire, qualeſque olim & antiquiſſimis temporibus exſtitiſſe omnes propugnant, qui votivorum Clericorum exordia ad Sæculum XI, aut XII. reponunt. Cum his itaque præſens negotium agitur.

3. *decernitur affirmativa.*

IV. Nobis certiſſimum eſt à tempore Apoſtolorum uſque ad ſæculum XII paſſim ex vulgari unanimíque ſenſu, ſi qui Authores Eccleſiaſtica tractantes hac voce uſi ſint, per eandem hoc ipſo vitam intellexiſſe votivam. Rem probabo rationibûs, ut quidem fieri poteſt, manifeſtìs.

Communis vitæ vocabulum ad ſignificandum inſtitutum votivum primùm

Primò omnium juvabit, hujus vocabuli in uſum talis Significationis aſſumpti inquirere originem, quæ primùm ſe prodit act. 4. v. 32. cùm dicitur: *Erant illis omnia communia*

tus ex Scriptura ortum trahit.

munia, & act. 2. v. 44. *habebant omnia communia.* Ex hac norma Apoſtolica communis vita incæpta eſt, hoc enim eſt, *communiter*, aut *communi vita* vivere, *habere* ſcilicet *omnia communia*: nam per verba iſta denotabat Lucas non ſolùm proprii Dominii repudiationem factam à primis fidelibus, ſed voti quóque confirmationem, utpote ex his prævaricationem illius quaſi ſupponens, quam de Anania ejúſque conjuge Cap. 5. enarravit, quæ proprii Dominii repudiatio & Collatio bonorum in uſum communem tam ſuum, quàm ſibi convivientium ſine proprietate, eſt ipſa vera ac genuina vita religioſa atque communis: dico, *vera ac genuina vita communis*, nam de tali Societate ſcribit Baſilius: Conſtit. monaſt. c. 19. quòd in illa verſantibus *communis eis eſt Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum Coronæ, ubi multi unus, & unus non ſolus, ſed in pluribus.* Neque originem hujus nuncupationis meliùs quàm ex præcitato ſcripturæ fonte hauriemus, cùm antiquiſſima documenta eandem ſic referant, ut non explicent tanquam antea inuſitatam, ſed ſupponant tanquam notam, ac de ea diſſerant, adeóque quaſi ex radice ſcripturæ deſumptam inducant: Quod eò certiùs mihi perſuaſum habeo, quò evidentiora exempla ad manus ſunt: Nam ex Cæſario per textum, quem attulimus, ſic vita communis deſcribitur, ut tanquam conſuetum jam ad ſignificandam vitam votivam vocabulum uſurpetur, vixit Cæſarius inter annum 500 & 543. quo obiit. Auguſtinus quoque L. 1. de moribus Eccl. c. 31. eôdem modô hâc voce utitur, ſic enim ipſe: *Quis non*, inquit, *illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertîs mundi hujus illecebrîs, in communem vitam, caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus* &c. nec minùs Clemens Alexandrinus Sæculi 2di Scriptor L. 1. Pædag. Cap. 3. *quorum vita*, inquit, *communis eſt, communis gratia, & ſalus communis, eorúmque communis eſt dilectio.* Sed ut ordine meliori procedamus, diverſa allegabimus tempora, usque ad ſæculum XII, quibûs hâc voce, vitæ votivæ ſignificandæ locò, utebantur Scriptores.

4\. *Hujus vocis antonomaſtica uſurpatio pro vita votiva deducitur diverſis Sæculis usque ad 12. uſitata.*

Refert hiſtoria Epiſcoporum Cennoman. in Anal. Mab. f. 241. Cap. 2. S. Julianum Epiſcopum Cennomanenſem & Diſcipulum S. Clementis PP. principe, populóque Cennomanenſi ſacrô fonte abluto, Eccleſiam à ſe exſtructam ſacrâſſe, exinde autem *multi*, inquit Scriptor hujus narrationis, *nobilium illius regionis virorum omnia ad prædictum locum dabant; nonnulli etiam propter ætates eorum, id eſt majoritatis vendebant, & pretia ad jam dictum locum & ad præfixum Epiſcopum afferebant, & communem vitam ibi ducebant, atque juxta Apoſtolum* (Lucam ſcilicet in actis Apoſt.) *omnia illis erant communia.* Vides hìc communis vitæ vocabulum ex verbis, ut diximus actorum 2. 44. eductum in eadam hiſtoria Cap. 2. Communis vitæ ſecundùm noſtram obſervationem fit mentio, in actis S. Turibii, non minùs S. Clementis diſcipuli ac ſucceſſoris S. Juliani, refert enim præfatus Scriptor: Hic *fecit unum monaſteriolum ad animas Deo lucrandas ſuper fluviolum Aniſola, in loco cujus vocabulum erat Caſa Gajani cujusdam pagani* - - - *in quo loco & in honore S. Petri Eccleſiam conſtruxit, atque conſecravit, ubi & ſuum ſacerdotem nomine Tyrum cum aliis Clericis eſſe inſtituit, & Domino famulari præcepit* - - - *de qua & ad matrem Civitatis Eccleſiam, quæ eſt conſtructa & conſecrata in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apoſtoli, cenſuit ſolvere per ſingulos ad lumen prædictæ Eccleſiæ de oleo libras quatuor, & de cera libras tres, & de vino & pane ad uſus Clericorum & pauperum modios* qua-

vide Cang. hoc verbo. Auctor videtur Sæculo 1ſto vixiſſe, ſed ex vetuſtiſſimis documentis hanc ſuam narrationem eruiſſe. vide Mab. cit. p. 336.

Digitized by Google

quatuor, & ſi exinde negligens fuerit, aut tardè apparuerit, locum perderet, & gradum ſibi Collatum amitteret. In quibus verò communem omnibus Dei ſervis in eis habitantibus conſtituit ducere vitam.

Tempore Magni Auguſtini hanc vocem eodem uſu receptam fuiſſe ipſe declarat Januarii Præsbyteri ſui & deplorandæ perditionis filii caſum ingemiſcens Ep. 50. *Teſtamentum*, inquit, *fecit Præsbyter & ſocius noſter, nobiſcum manens, de Eccleſia vivens, communem vitam profitens,* quam communem vitam ſic Poſſidonius explicat, ut eam omnino cum verbis Apoſtolicis ſæpè citatis act. 2. v. 44. idem eſſe ſentiat, nam Cap. 5. vitæ S. Auguſtini inquit: factus *Præsbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cæpit ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis inſtitutam. Maximè ut nemo quidnam proprium in illa ſocietate haberet, ſed ut eis eſſent omnia communia* &c.

Auctor Conſultationum Zachæi & Apollonii ad ſæculum 5tum optimis argumentis relatus à Dacherio edit. Spirit. t. 1. p. 35. ſimpliciter votivi inſtituti locò vitam communem memorat, cum L. 363. de monachis reſilientibus à ſuo propoſito: *Primam fidem*, inquit, *irritam facientes, communis vitæ ordinem laudant, ut actum propoſiti durioris accuſent.*

Legitur in vita S. Conſtantiani apud Ducherium hiſt. Fr. to. 1. f. 544. erat tunc conſuetudo (tempore ſcilicet Innocentis Ep. Cennomanen. ſub quo Conſtantianus Abbas Cennoman. exſtitit.) *quæ hactenus apud nos ſervatur, ut in omnibus viris Fratres congregati in unum, communem vitam ducerent, & omnia in commune haberent.* Authorem hæc ſcribentem Sæculi ſeptimi Initia non excedere ſuô locô probabimus. Quamvis parùm interſit, quæ tempora, qui hâc voce uſus eſt, Scriptor attigerit, indagare; nam dum nobis probare incumbit, ad ſæculum usque XII. hanc, ſimilesque voces (quæ ſcilicet Communitatem virorum Eccleſiaſticorum inſinuant) ex ſe ipſis vitam votivam indicare, quò recentior Author his vocibûs ad hanc votivam vitam ſignificandam uſus fuerit, eò certiùs patebit, quod aſſerimus: hinc:

Deveniendum eſt ad notam illam Epiſtolam Clementis PP. primi relatam C. Dilectiſſimis 12. q. 1. in qua dicitur: *Communis vita Fratres omnibus neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo imprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorúmque diſcipulorum imitari volunt - - - Unde conſilium dantes veſtram prudentiam hortamur, ut ab Apoſtolicis regulis non recedatis, ſed communem vitam ducentes & Scripturas ſacras rectè intelligentes, quæ Domino voviſtis, adimplere ſatagatis.* Scripta refertur Clero Hieroſolymitano. quorundam recentiorum Criſis hanc Epiſtolam cum multis aliis usque ad Siricii Papæ tempora inter figmenta connumerat, quod jam priori capite notavimus. An autem hæc mox allata omninò fictitia ſit, an quædam ſolùm per erroneam interpolationem adjuncta (velut id obſervatur in Gloſſa) alibi jam diſcuſſimus, quantum opus eſt; unde hîc ſolùm notamus, negare neminem, à quocunque ea conficta ſit, temporibûs Iſidori Mercatoris non eſſe recentiorem, qui ad finem ſæculi octavi vixerat, ex quo ſaltem illud apertiſſimè evincimus, ſæculo eodem communis vitæ vocabulô notatam communiter adhuc fuiſſe vitam votivam. De S. Rigoberto Remenſi inferiùs meliori occaſione diſſeremus. Pavatii Cennomanenſis Epiſcopi tertii vitæ Anonymus antiquus Scriptor, relatus in Biblioth. Floriac. p. 2. f. 255. narrat divini honoris & lucrandarum animarum, vitæque Apoſtolicæ imitandæ in illo zelum hoc modo: *Multos*, inquit: *ad Chriſtum convertit, ut omnia ſua relinquerent, eique*

5. *Probatur vita communis uſurpatio ex Epiſtola Clementis notiſſimis criſibus jactari ſolitâ.*

eique & Eccleſiæ ſibi commiſſæ cuncta traderent, & in ea una cum reliquis communem vitam, exemplô Apoſtolorum eorúmque Diſcipulorum ducentibus ſanctè & communiter viverent.

vixit ſæculo undec.

Adelbertus Hildesheimenſis Abbas apud Gretſerum p. 333. loquens de vita votiva in proprietariam relaxata, ſimpliciter dicit, nominátque *Communem*: *cùm* inquit: *non invenirent certas rationes, quibûs communis vita in ſingularem proprietatem & ſæcularem voluptatem eſſet transmutata* &c. Paſchalis ſecundus eôdem Sæculo undecimô an. 1099. electus Pontifex relatus c. Decimas 16. q. 1. monachos æquè ac Clericos votivè viventes ſub *communiter* viventium vocabulo inducit: *Cæterùm*, inquit: *à monachis ſive Clericis communiter viventibus nulla ratio ſinit, ut milites aut Epiſcopi aut perſonæ qualibet decimas de laboribus ſeu nutrimentis ſuis propriis extorquere debeant.* Et ne detur dubitandi facultas, de quibus communiter viventibus Clericis Papa locutus ſit, ſuum ipſe ſenſum per M. Gregorii verba declarat, dum mox ſubjicit. *Unde B. Gregorius ſic ait, communi vitâ viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hoſpitalitate & adimplenda miſericordia nobis quid erit dicendum, cùm omne quod ſupereſt in Cauſis piis ac religioſis erogandum ſit.* Neque hunc D. Gregorii locum aliter quàm ad votivè viventes reducendum eſſe ipſe totus contextus innuit: ſolùm quorundam explicatio, ut alia omnia, ſic & hæc verba ad monachismum contorquet. Magis adhuc præfati Pontificis mentem docemur ex ejusdem Bullis, ſic, quas anno 1105. Præpoſito & Capitulo Canonicæ S. Frigdiani, & iterum eidem ipſi, anno ſequente transmiſit, utrobique videre licet, Canonicos in illa Eccleſia ab eo ſimpliciter *communiter viventes* appellari, *quia vos*, inquit in utraque Bulla: *Per divinam gratiam aſpirati, mores veſtros ſub regularis vitæ diſciplina coercere & COMMUNITER ſecundùm ſanctorum Patrum inſtitutionem omnipotenti Domino deſervire propoſuiſtis* &c.

Quin audacter, nec tamen improvidè dicam, adeò, præcipuè 6.
tribûs poſterioribûs Sæculis ſcilicet decimô, undecimô, ac duodecimô conſueviſſe per vitæ *communitatem* non ſolùm votivam ſimpliciter, ſed vel maximè innui Canonicam ac clericalem, ut vulgariter ad Clericos ſeu preſſiùs dicendo ad Canonicos votivos deſignandos hæ voces aſſumerentur: id enim, quicunque eo tempore differentiam Clerici, ſeu Canonici *Sæcularis* à votivo, adſtruere aut inſinuare nitebatur, attendebat, ut hunc ab illo per *vitæ communitatem* diſcerneret: Petrus Damianus Ep. ad Clericos Fanenſes 9. *volunt*, inquit, *Canonicum hoc eſt regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere*, at mox explicat, in quo hanc regularitatem conſiſtere judicet. *Ambiunt*, ait, *Communia Eccleſiæ bona dividere, aſpernantur autem apud Eccleſiam Communiter habere.* Nicolaus Papa an. 1059. ut relaxatos Clericos ad normam priſtinæ inſtitutionis revocet, ſolùm ad vitæ communitatem hortatur præcipiendo, ſtatuítque, ut *ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſiis venit, COMMUNITER habeant.*

Communis vitæ vocabulo usque ad Sæculum 12. vulgariter notati Clerici ac Canonici votivi.

In Conc. Later.

S. Adelardi Trecenſis Archidiaconi Zelum, ut inſinuarent geſta Manaſſis Ep. hac tantummodò narratione utuntur: *Clericos*, inquiunt: *matricis Eccleſiæ Sæcularibus nimiô plus rebus implicitos, ac vix ſocietatis fraternæ nomen ſolùm retinentes, ad Canonicæ vitæ obſervantiam & victûs COMMUNITATEM - - - revocavit.* S. Altmannum cùm vitæ ſcriptor Eccleſiam ſuper ripam Eni fluminis in honore S. Nicolai conſtituiſſe dixiſſet, ſubdit: *Hic religioſos Clericos & Laicos ſibi aſcivit, quos COMMUNEM VITAM ſub regula S. Auguſtini ducere docuit.* Obiit hic ſanctus ad annum 1091. Scriptor verò præfatus inter annum

apud Oesnos 101. ſæculo XI.

Exſtat apud Hieron. Pez. t. 1. Script. Auſtr. f. 119. n. 8.

1125 & 1141. Neque verò & Alexander Secundus Pontifex vitam Clericorum regularem ſeu votivam aliò inveſtivit nomine quam *vitæ communis*, nam in conſtitutione ſua anno 1063. Romanæ ſynodi, Sic inter alia loquitur: *rogantes monemus, ut ad Apoſtolicam COMMUNEM VITAM ſummoperè pervenire ſtudeant.* Et ad vitam votivam his verbîs Clericos hortari, patet ex totius Con. Contextu & ex Baronio ad præf. annum n. 37. inferiùs referendo.

Gregorius Septimus an. 1080. ut habetur L. 3. decret. C. ſtatuimus: de vita & honeſtate Cler. dum Epiſcopis facultatem concedit Clericos compellendi ad vitam votivam, regularemque ducendam non eam aliter quàm *communis vitæ* titulô appellat. *Statuimus,* inquit, *ut facultatibûs Eccleſiarum veſtrarum, proventibûs & expenſîs diligenter inſpectis certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & ſtatuere, ut bona eorum veniant in Commune* &c. paulò infra eosdem nominat *ſimul viventes*, quod idem eſt, ac in *communi* ſeu *votivè.* Ut iterum contextus & gloſſa declarat. Et quamvìs non ignorem, à quibusdam Capitulum Gregorii, explicari de Canonicis ſæcularibus, minùs tamen ad hanc ſæcularitatem adſtruendam convincunt allegata ab iis argumenta: Nam Concilii Turonenſis 3. ſub Carolo magno producti Canones manifeſtè comprobant, ipſum, Carolúmque principem ſtatuiſſe non qualemcunque vitam communem, ſed, quæ tum hac voce unanimiter ſignificabatur, *vitam votivam*, cùm usque ad hæc Gregorii tempora non ſit aſſignabilis alicujus authentici teſtimonii Scriptura, quæ per vitam communem unquam intellexiſſet proprietariè, ſeu, ut vulgò dicitur, ſæculariter, in una Domo, ac conclavi viventes. Et certè nil minùs credam, quàm Gregorium ſeptimum hanc Conſtitutionem ſuam pro ſæcularibus edidiſſe: nec credet, qui hujus ſanctiſſimi viri incomparabilem pro Clero reformando & ad vitam votivam (non *ſæculari-regularem*) coarctando Zelum ex authenticis actis eruerit, ut quid enim idem in Concilio anno 1059. Romano ſub Nicolao ſecundo habito, inferiúsque locô commodiori referendo (cùm adhuc Cardinalis Hildebrandus eſſet) tanto fervore, & ardenti planè eloquio in illos Clericos invectus fuiſſet, qui Concilii Aquiſgranenſis indulgentiam amplectentes proprium poſſidere præſumebant, cùm noſcerentur anteà *communem vitam exemplô primitivæ Eccleſiæ amplexi ſimul & profeſſi:* an putabimus, qui ante Pontificatum tam liberè hoc communis vitæ vocabulô uſus eſt ad votivam denotandam, mentem, ſenſúmque, dum vix Pontifex Creatus eſt, tam ſubitò mutâſſe? cùm alioquin compertum ſit, inflammatum ſemel ad reformandos Cleri mores Zelum ſuum in Pontificatu non diminutum fuiſſe, ſed ut plurimùm auctum, ut docent acta conciliorum ab eo habitorum, ipſæque conſcriptæ Epiſtolæ. Ac licèt quorundam ſit opinio, hoc Decretum Gregorii Octavi potiùs eſſe quàm ſeptimi: Quisquis horum ſit, ex Gratiani mente ſeptimum allegantis proderit verba prædicta interpretari, qui relato ad hoc capitulum Can. Concilii Tolet. 4ti 23. (quem ipſe Gregorius pro fundamento aſſumit) expreſſè ad illud. Cauſa 12. q. 16. 1. hunc titulum præfigit *Clericos nihil poſſidere multis authoritatibûs jubetur:* ex quo meritò infero, Gratianum non minùs per communem vitam Gregorii decreto inſertam, votivam intellexiſſe. Vide Thomaſſ. P. 1. diſcipl. Eccl. L. 3. C. 11. n. 13. §. *in his verò:* Propè finem. Denique ne in congerendis his textibus Lectori oneroſi nimiúm fiamus, manet jam certum, usque ad ſæculi duodecimi finem pura, & ſincera ſemper ſignificatione hanc vocem de Clericorum vita, ac Societate prolatam, vitam votivam atque religioſam notâſſe.

Vide Jus Can. Laym. t. 3. in hunc locum.

Circa

7. *Sæculo 12. vacillare in ſuo ſignificato incipit Communis vita.*

Circa Stephani Tornacenſis tempora paſſim in Canonias & Collegia Clericorum Regularium incepiſſe liberior vita ſentiebatur, & quod hactenus de ſe dici nolebant, jam pene amplectebantur nomen ſæcularitatis ipſi in Communi viventes, ſed non communiter ſua habentes Canonici. Audi præfatum Stephanum hac ſuper re Epiſtola 85. ſic diſcurrentem ad Alexandrum Tertium: *Oritur*, inquit, *juxta eos* (Regulares intelligit) *& utinam non contra, quædam plantatio ſingularium, ſeu ſæcularium Canonicorum* (id eſt, qui propria temeritate, nulláque Eccleſiæ authoritate tales ex regularibus evaſerant) *quos utrùm Pater cæleſtis plantaverit, necdum ſcimus. Placeat oculis benevolentiæ veſtræ Pater, ut jura Regularium non minuant ſæculares, ut filiorum panes non comedant alieni.* Hæc Stephanus. Et iterum aliâ epiſtolâ ad Radulphum Remenſem Decanum: Dum hujus Eccleſiæ ſtatum à communi vitâ eximiè dilaudat, exin, quód tunc in devia deflecteret, ſic perorat ipſe: *In his & aliis obſervantiis regularibus incedebat Remenſis Eccleſia terribilis ut caſtrorum acies ordinata, amabilis ſuis, admirabilis alienis, ſi hæc mutari cœperint, quid dicet germana ejus loco & ordine Germania? quæ inter alias inſtitutiones Eccleſiaſticas, refectionis adhuc & quietis fraternam Communionem ſic obſervat, ut modernam diſſolutionem non admittat. Occurrite Pater, expanſis brachiis & apertis viſceribus pernicioſæ novitati reſiſtite.* Ubi vides ſæcularitatem, & ut vocat Stephanus, ſingularitatem, in Communnitates Clericorum hoc tempore plurimùm irrepſiſſe, nam *novitatem* appellat & *modernam diſſolutionem*, quamvìs enim non inficier, olim jam in Eccleſiis Cathedralibus aliíſque Clericorum monaſteriis, non raró convixiſſe proprietarios ipſis renuntiantibus, at ſemper vita iſtorum noménque prævalebat, ut qui *communi vita vivere* dicerentur, aut juberentur, *votivi* eſſent. Itáque ſæculo 12. prævalere cœpit communi vitæ ſingularitas, ſicque ſenſim propria & antehac ſemper ſolita ſignificatio *vitæ communis* cœpit extendi ad quamcunque demum communem cohabitationem Clericorum, increvítque hic modus loquendi, ut ex uno *communis vitæ* vocabulo colligi ampliùs pro certo non ſemper poſſet, qui Clerici Canonicíve indigitarentur, Regulares illi, an Sæculares? præcipuè circa ſæculum decimum tertium ac deinceps, cùm utrique eôdem paſſim uterentur.

Verùm cùm dicimus, à ſæculo 12. communi vitæ prævaluiſſe ſingularitatem, ſanè id non æſtimandum eſt plenô jure contigiſſe, ſed ut ſolent violenta initia, quæ tolerantur, non ſtatim aſſumuntur in uſum, hinc quóque nec iſtô, & ne fortè ſubſequô ſæculô facilè produci poterit Documentum aliquod luculenter & ſine ambiguitate comprobans, Clericos, Canonicoſve ab omni voto expropriationis liberos in quapiam Eccleſia conſociatos exſtitiſſe, qui tamen enuntientur vixiſſe in *communi* aut *degiſſe vitam communem.* Imò cui legere vacat chronicon Windeſemenſe Joannis Buſchii, reperiet adhuc ſæculo 15. hanc vocem, *vita Communis* aut *Communiter vivere* ſignificaſſe quandam non ſolùm cohabitationem corporalem, ſed communem etiam rerum atque peculii, quamvìs non ſub obligatione votiva: Vide ejuſdem Authoris L. 1. C. 2. ubi pariter non obviè conſideranda occurrunt, quæ dicuntur ad finem. §. *Pater itaq; devotus.* Sic enim ibidem legitur, *hujuſmodi igitur occaſione omnes ubiq; congregationes, devotæ Presbyterorum, Clericorum, & ſororum, primitivum ſuſcepiſſe dignoſcuntur exordium, per orbem jam Alemanicum plurimùm dilatatæ.* Neque opinor multùm aberraturum, qui dixerit, inde nomen vitæ Communis & in Communi viventium ad Eccleſias Cleri- 8. *Necdum tamen aliquo recepto jure uſque ad Sæculum 15.*

Digitized by Google

corum ſæcularium ſimul cohabitantium fluxiſſe.

9. *Vocis communis uſurpatio in hoc opere.*

Ex his productis teſtimoniis licebit itaque (nec, ut videtur, temerè) inferre, quoties in diplomate privilegióque aliquo ſæculo ſaltem 13. antiquiore, inſerta reperitur hæc ſimilisve formula, ut *vivant in communi* aut *de communi*, aut *vitam communem* &c. mentem iſta ſcribentis fuiſſe pro declaranda *vita votiva*, nec intelligi poſſe vitam aliquam ſimpliciter ſocialem, liberámque à votis. Nam cùm declaraverimus uſum iis temporibûs unanimiter receptum hujus vocabuli ad votivam vitam ſignificandam, gratis quis illud ad alienum ſenſum detorquere conaretur. Et profectò, ut inferiùs pluribus deducetur, ſi ea ſignificatio indubitatè valere debet de monachis, cur eandem de Clericis abnuamus, iisdem rationibûs æquô marte pro utroque inſtitutô pugnantibûs. Cùm namque *verba ita ſint intelligenda, ut res de qua agitur, valere potiùs poſſit quàm perire* C. Abbate 25. de V. S. inſuper etiam *à forma verborum non ſit recedendum.* C. ad audientiam 12. de decim &c. porro 7. de privileg. Dum ex origine ſua hæc vox ſignificativa fuerat vitæ votivæ, tamdiu formam ſui amittere nequit, quamdiu non expreſſè conſtet, certô ac receptô uſu ad aliud ſignificandum eandem fuiſſe translatam.

10. *Alii quoque termini uſurpantur ad vitam votivam ſignificandam.*

Inferendum præterea, non ſolùm, *hâc voce*, veteri uſu ſignificatam vitam votivam fuiſſe, verùm aliis quoque æquivalentibûs terminîs, quos ſibi diverſos ad eam inſinuandam aſſumebant, ſed nobis tantummodo de hujus vocis uſurpatione agendi cauſam ſuppeditavit potior ejuſdem uſus apud ſcriptores certiorque, utpote quòd hæc ipſa cum primis propriè ſibi vendicet jure Scripturæ vitam votivam; & ut apparet affatim ex Documentis partim productis, partim producendis, nulli inſtituto regulari magis quàm Regulari Canonico (vel ſi dicere cum antiquitate mavis Clericali) propriam: hinc & formulæ profitendi, ex quo illæ ab Eccleſia in ſtatum Clericalem inductæ ſunt (præcipuè antiquiores) vitam communem inſertam retinent, velut inferiùs patere poterit. Unde nos quóque hac voce per decurſum operis noſtri liberè uſuri ſumus ad ſignificandam veteri more receptiſſimô vitam religioſam, nec minùs hâc ipsâ in diplomatibus aliisque documentis antiquis certiùs edocendi, Clerici ſæculares, an regulares ii fuerint? de quibus eadem diſcurrunt.

CAPUT IV.

Qualia fuerint primorum Eccleſiæ Miniſtrorum ac ſuccedentium Votivorum Clericorum vota.

1. *Qualitatis votorum notitia neceſſariò enodanda in priſtinis Clericis.*

DUm inſtitutum votivum, Apoſtolis eorúmque Diſcipulis hactenùs adjudicavimus, quod teſte Angelico 2. 2. q. 186. art. 1. &c. Eſt *ſtatus perfectionis per tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuò adipiſcendæ.* Nunc de his ipſis digerenda eſt quæſtio; quæ fuerint illa, quibûs circumſtantiis ac qualitatibûs veſtita? ubi præviè adverto, improperari à quibusdam fortè poſſe, hanc præpoſteram quæſtionem, dum eam ad ſuccedentes quoque Clericos extendimus, utpote, cùm ſupponi nequeat, quód in quæſtione verſatur, & priùs demonſtrandum ſit, an continuatò Clerici votis obſtricti exſtiterint, quàm iſta, qualia fuerint? At occurrimus, meliùs clariúsque nos expoſituros (reſolutô votorum dubiô) ſubſequorum Clericorum vitam votivam: cùm una ſoláque votorum qualitas ignorata, aut malè ſuppoſita neceſſariò ipſos etiam pro certo religioſos eliminare poſſet è claſſe voventium. Ut ergo hac in quæſtione, quemadmodum hacte-

hactenùs (ſaltem quantùm potuimus, ſi non quantùm debuimus) ordinatè procedamus, monſtrabimus primò votorum religioſorum, prout ad rem noſtram requiruntur, originem ac diverſitatem: 2dò, eorum in Clericis priſtinis qualitatem, usque ad tempora Innocentii ſummi Pontificis ſecundi perdurantem.

2. *Olim vota indiſcriminatim obſervabantur quoad qualitatem ſimplicitatis & ſolennitatis.*

Olim diverſitatem votorum, qualem nunc conſpicimus, vix fuiſſe ullam, aut ſaltem non eâ cautione obſervatam usque ad tempora Juſtiniani Imper. ac Gregorii Magni Pontificis, perſuadet tum omnis pene ſimplicitatis ac ſolennitatis votorum ſilentium apud Patres Doctoréſque primævos, tum generica de iis ſemper æqualíſque obligationis memoria, ſi ad ſummum fortaſſe S. Baſilium excipias, qui ſolennitatem ad noſtrum loquendi modum videtur attigiſſe. L. de vera virginitate inquiens: *Quæ à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit, Conjugium illi in peccatum reputabitur: Quia cauſa non eſſet libera, neque enim mortuus eſt vir ejus, ut, cui vult, nubat, vivente immortali viro, meritò cenſetur adultera, quæ mortalem hominem, ob carnis vitia Domini thalamis intulit. Nam quod ſolenne legitimúmque connubium ſponſus ille occuparit, & virginitatis habitus, & fœdera & conventa cum illo & præterea proceſſus ipſe teſtatur.* Ubi vides per *ſolenne* illud *connubium*, quod faciat prævaricantem adulteram, votum intelligi, matrimonium non ſolùm illicitum ſed & irritum reddens, verùm an id quóque de aliis votis Baſilius ſenſerit, incompertum eſt.

3. *Solennitatis votivæ quoad effectum origo Juſtiniano adſcribitur & paulò poſt S. Gregorio M. non tamen totam Eccleſiam obligantis.*

Primus qui lege ſolennitatem votorum definivit, videtur Juſtinianus Imperator fuiſſe circa annum. D. 530. L. Nunc autem C. de Epiſcopis & Cler. ſic decernens: *Nunc autem, cum Monachus factus eſt, hoc ipſo ſuas res omnes obtuliſſe monaſterio videtur, ſi priùs teſtatus non ſit* Nec ambigendum, quin hoc decretum pariter ab Epiſcopis fuerit acceptatum, approbatúmque. Illud certum: Gregorium M. id ſuâ authoritate firmâſſe C. *quia ingredientibus* 19. q. 3. neque tamen hâc lege mox omnem Eccleſiam obligante: nam poſt tempora Gregorii monachos ſe diverſimodè in voto paupertatis æquè ac caſtitatis habuiſſe, patet ex authenticis documentis: Adelhardus Abbas Corbejenſis an. 826. defunctus teſtamentum condidit, legavítque ſummam certam pro condenda nova Corbeja. S. Radegundis Pictavis in monaſterio S. Crucis à ſe conſtructo moritura quamvìs una cum ſororibus ſuis Apoſtolicæ vitæ formam obſervans quidquid terrenæ ſubſtantiæ in ſæculo poſſidebat, factis chartis dimiſiſſet, ut ipſa in teſtamento ſuo ad Gallicanos Epiſcopos directo ſub forma Epiſtolæ ſcribit, attamen diverſa legata inſtituere non dubitavit. B. Aredius Abbas Abonenſis & Monachus, teſte Gregorio Turonenſi L. 10. c. 29. *Dicens ſe brevi moriturum in Cellulam ſuam revertit, Ordinatíſque omnibus, ſanctos Martinum & Hilarium teſtamento hæredes bonorum inſtituit.* Sed hic Gregorium M. præceſſit, at verò Annô 899. Adalbero Auguſtanus Epiſcopus Abbas Laureſheimenſis ab Arnolfo Imperatore conſtitutus, ut narrat Chroniſta Laureſheimenſis apud Freherum ad an. 895. *Jus ſuum quod in loco, qui dicitur Kereneshoim - - - promptiſſima voluntate - - S. Nazario cum omni integritate tradidit, & viciſſim per precariam - - - res quasdam - - - cum duabus ſervilibus præbendis & una monachica ſibimet præbenda - - - ſuſcepit.* An. 960. teſte Folcuino de geſtis Abbatum Lobienſium Aletrannus conſtituitur Abbas, *qui ita vixit, ut ſervum decuit Domini. Nam cùm ante eum permiſſa fratribus rerum peculiarium & tricliniarum ſolummodo impunitate* (id eſt, ut haberent pecunias ſibi proprias, & conclavia ſeu Cellas ſeparatas) *de cætero honeſtè quidem & in commune viverent: Hic quo-*

Vide Annal. Mab. L. 7. n. 37.

Spicil. Dach. t. 2. f. 739. C. 27.

Digitized by Google

quomodo inſtructus fuit, omnia ad regulam correxit. Imò quod mireris: Anno 1310. diu ſcilicet poſt inductam per Innocentium PP. ſeveriſſimâ lege ſolemnitatem votivam adhuc reperiebantur monachi ac monachæ perſonatibûs præbendisque more ſæcularium Canonicorum fruentes: Sic enim Concilium præfatô annô celebratum Colonienſe decernit: *Ne ullus Monachus ſeu monialis in pluribus monaſteriis, quàm in uno dignitates, perſonatus ſeu officia & præbendam obtineant --- nec monachis vel monialibus prædictis tempore abſentiæ ſuæ fructus cedant ſuarum præbendarum, quia ſic viderentur aliquid proprii poſſidere.* Deniquè de Altfrido, quem Meginfredus in vita Rabani Fuldenſem Monachum vocat, refertur, eum *ad Hildesheimenſem ſedem promotum duas proprietatis ſuæ curtes huic novæ ſponſæ tradidiſſe, inq; altera monachorum, in altera virginum Collegium inſtituiſſe.*

4. *Etiam in Monachis ſimplicitas votorum poſt Gregorii tempora probatur.*

Hæc omnia exempla arguunt in monachis iisque non paucis (niſi contra communem Scriptorum monaſticorum opinionem, eos inter ſæculares ſine jure & teſte referre velis) ſimplicitatem voti paupertatis, & quidem in gradu inferiori aliquo, de quo mox diſcurremus, perſtitiſſe: Nam ſtante hac ſimplicitate teſtamenta condi potuiſſe præcipuè de advenientibus Parentum bonis, etiam emiſſâ profeſſione, res eſt tam certa & aperta, ut probâ non egeat, inde enim partialiter ſolenne votum â ſimplici effectivè diſcernitur, quòd per illud incapax ad omnem contractum vovens efficiatur. Ex quo etiam poſt ſæculum undecimum multis in monaſteriis jus profeſſis conceſſum eſt ſuccedendi nomine non ſolùm monaſterii, ſed etiam propriô, in hæreditates paternas. Unum recentius quaſi teſtimonium de Sæculo decimo ſexto adduxiſſe ſufficiet, quod legitur in ſtatutis Poloniæ pag. 287. Rex namque Sigiſmundus anno 1527. *ſtatuimus,* inquit, *quòd Sanctimoniales, ordinem aliquem à ſede apoſtolica approbatum profeſſæ, tametſi mundo, & bonis temporalibus renuntiaverint, nihilq; proprii habere poſſint: quia tamen non ubiq; debitò modô proviſæ, & conceſſum ſit illis ex indulgentia ſedis Apoſtolicæ, ut ſuccedere poſſint in bona paterna & materna ad ſe devoluta de illisq; liberè* &c. Et ut ad priſtina rurſus redeamus: Cùm S. Dominicus ſuum ordinem inſtitueret, inter alia iſtud tanquam eximiæ laudis inſtitutum à ſe pro fratribus factum ejus vitæ Scriptor commemorat: *Non voluit*, inquit, *ut fratres haberent poſſeſſiones, ſed eleemoſynis frugaliter victitarent.* Sic autem tanquam inter Clericos tum adhuc rem miram Dominicus inſtituit, ut nihil ad propriam diſpenſationem haberent, ſolisque eleemoſynis ejus viverent, cùm alioquin eo tempore apud Clericos æquè ac monachos, regulares licèt, hoc eſt, votivos, ut jam oſtendimus, paſſim uſus talis reperiretur. Unde

Notamus ob hanc votorum ſimplicitatem certiſſimè in antiquis religionibus & frequenter repertam, meritò Suarium L. 3. de ſt. Rel. 4tuor paupertatis religioſæ gradus conſignaſſe, ſolitos haud dubiè ac conſuetos. *Primus eſt, quô vovens, nec licitè nec validè ullius rei poteſt habere dominium, aut uſum proprium; huncque ſolennitati votivæ innexum eſſe nullus dubitat. Secundus: quô licitum Dominium uſûsque abſolutus admittitur quidem, non tamen capacitas ad illa. Tertius: quô quis nec eſt Dominii incapax, nec ſtatim vi voti tenetur ſuis rebûs privari, ſed ſolùm nullâ re, ut propriâ uti. Quartus: quô quis ex voto, nec Dominio, nec uſu rei propriæ privatur, ſed ſolùm obligatur, ad non quærendum aut habendum ſuperflua, cum reſpectu ad vitæ ſtatûsque ſui honeſtatem.* Hæc Suarius: Hi gradus, quantâ obſervatione indigeant apud eos, qui Diſcrimen aliquod certum verúmque aſſerere cupiunt inter hominem votivum, & alium

5. *Quatuor votivæ paupertatis gradus notantur.*

à vo-

Digitized by Google

à votis religioſis liberum, profeſtò nemo non videt: éſtque hæc inter præcipuas, primáſque Cauſas, quód, quicúnque demúm Clericos univerſim omnes ante ſæculum undecimum ſine voto paupertatis adeoque proprietarios vixiſſe ſentiunt, inter ſolennitatem, ſimplicitatemque votorum nihil dijudicantes ſolam & unam priorem, in omnibus religioſis prætendant: non attendentes cumprimis inter Clericos potuiſſe ſimplex paupertatis votum vigere, & hujus prærogativâ eam iisdem attributam fuiſſe licentiam, illúdque Dominium, quod etiam in 4to gradu ex Suario delibavimus. imò non tantùm potuiſſe, ſed verè obtigiſſe, ut patet ab inductione monachorum. Dico autem de voto paupertatis, cùm probabiliùs ſit caſtitatem quosvis ſolennniter debuiſſe profiteri, id eſt cum effectu inhabilitatis ad omnem matrimonialem contractum. Aperiunt enim nobis ad hoc aſſerendum paſſim Canones Clericis, monachisque conjugia expetentibus graviſſimè reſiſtentes & eadem execrantes ampliſſimum campum, idque temporibûs ipſum S. Gregorium adhuc præcedentibûs, ſi ſolos Clericos minores excipias, de quibus videndum Concilium Calchedonen. Can. 14. & Carthaginenſe 3. Can. 19. Cæterùm quæſtionem illam iſthic non innectimus, ſed relinquimus (utpote hiſtorica tractantes) in quo formaliter ſubſtantia ſolennitatis votiva ſit conſtituenda? eam ſolummodo quoad effectum conſiderantes, qui eſt: *Cum inhabilitate ad omne dominium ipſa indiſſolubilitas atq; perpetuitas.* Eâ nimirum ratione, ut quamvis etiam ſimplicitas voti ſuô modô ad perſeverantem obſervantiam voyentem obliget, hæc tamen faciliori & communi via laxari poſſit, illa econtra non niſi per ſummum Caput Eccleſiæ, & id quoque ex cauſis tantùm graviſſimis. Prætera votorum ſimplicitate obligatur quidem religioſus vovens ad Eccleſiam, ordinémque, cui ſe devincit, perpetuó, at non viciſſim iſte, poterant enim olim Epiſcopi, Prælati, Abbatésque religioſum à voto ſolvere, & á gremio dimittere, velut id ex Regula S. Auguſtini Cap. 5. §. 6. & S. Benedicti Cap. 29. a. 58. apparet. His præmiſſis

Votum Caſtitatis probabiliùs quoad effectum jam olim ſolenne in Clericis exſtitit.

Concludimus vota Apoſtolorum omniumque Clericorum univerſaliter loquendo (nam de Caſtitate jam præventum eſt) usque ad tempora Innocentii Papæ tantùm fuiſſe ſimplicia. Non enim ulla ſolennitatis votorum in Clero ante prædictam epocham exſtant veſtigia, & ſi exſtent, ea ad ſummum in uno alteróve monaſterio (idque raró ac pene inſolitè) reperientur, quorumdam fortaſſe Epiſcoporum ſeorſim privatóque inducta fervore nec univerſam aliquam Diæceſim, minùs totam Eccleſiam obligantia. De quo ſolùm loquimur, præterquam, quod pro votorum ſimplicitate antiquitùs adſtruendâ plurima (præter adducta) argumenta decertent, quorum adhuc aliqua ſubjicimus. 6.

Reſolvitur, vota priorum Clericorum fuiſſe ſimplicia usque ad Innocentii 2. tempora

Primò: movet ipſorum temporum ſtatus, atque conditio, teſte enim Bonifacio 8vo C. unico de votis in 6. *voti ſolennitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.* Hinc aſſignari poterit conſtitutio, quæ illam decrevit, atqui ante Gregorium Magnum ne quidem pro monachis definita reperitur authoritate Eccleſiæ, ergo ante tempora Gregorii Clerici eâdem obligari non poterant, quæ needum fuit: ſi enim Apoſtoli Clericíve naſcentis fidei hanc decreviſſent, exſtaret aliquod ejus veſtigium, aut in Apoſtolis ipſis, aut in Clericis eorum, at, ùt diximus, ne ullum comparet, nec ùt talem quisquam Doctorum adſtruit, quod certè in fervore Religionis præcipui feciſſent, Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Chriſoſtomus, quin ante hos, quorum ſcripta legesque Eccleſiaſticæ in omnium eruditorum verſantur manibus, Clementis, Polycarpi, Orige-

Quia ſolennitas non eſt Juris Divini ſed humani.

Digitized by Google

genis, Tertulliani &c. At nemo quemquam vel monachum ſtringit vel Clericum. Præterquam quòd Ratio ex omnimoda eorum temporum (Apoſtolorum ſcilicet) congruentiâ ac viciſſim ex cauſa movente hujus invectæ ſolennitatis ducatur. Quarum alia non fuit, quàm neceſſaria laxatarum mentium ad accurratiorem obſervantiam votorum Deo promiſſorum reſtrictio, ac illigatio, ſic enim referunt hiſtoriæ ſæculi ſexti & ſeptimi: Habemus namque ex M. Gregorii Ep. 40. L. 1. *Quosdam monachos de monaſterio in monaſterium, prout eis libuerit, transmigrare: Et à proprii Abbatis regula deſideriô rei ſæcularis abſcedere, ſed &, quod non licere notum eſt, peculiaritati eorum ſingulos ſtudere, aliquos etiam monachorum usque ad tantum nefas proſiliiſſe, ut uxores publicè ſint ſortiti.* Nec minùs in Italia diverſis monaſteriis enormes regularum exceſſus obtigiſſe, confirmant paſſim Epiſtolæ ab eodem Gregorio transmiſſæ: Unde idem primus fuit, qui legem illam in occidente ſtatuit, confirmavitque deſumptam ex Juſtiniani novell. 5. & 123. c. 38. quod apertiſſimè colligitur ex Epiſtola 7. L. 7. ex parte à Gratiano relata, in qua quæſtionem Pontifex decidit ſibi factam in cauſa Siricæ ex teſtamento legata relinquentis, improbans illud, & quidem ob Imperiale Decretum, quô Juſtinianus ſanxit, ſeu viros ſeu mulieres nequire, *poſtquam ingrediuntur monaſterium, ulteriùs agere quidquam de propriis utpote Domini rerum non exiſtentes ampliùs:* Quod Decretum ad evitandos exceſſus á Juſtiniano factum eſſe demonſtratur, Leg. 15. Cod. L. 1. de Ep. & Cler. nam dum in beneficium imprimis religionis definit, L. 54. ut monachi partem hæreditatis ſuæ monaſteriis obtineant, non minùs, quàm ea obtinuiſſent, ſi in ſæculo manſiſſent, dein dicta lege 54. inquit. *Hujus legis Beneficia eos volumus obtinere, qui in monaſterio vel Clericatu perſeveraverint, nam ſi ad Sæcularem Converſationem remeaverint, jubemus omnes eorum res ad jura ejusdem Eccleſiæ vel monaſterii, à quo receſſerint pertinere.* Ubi manifeſtè diſcimus, limen laxitati hâc lege appoſitum fuiſſe, ne ſpe obventuræ ſibi hæreditatis homines voto ſimplici ſolummodo adſtricti cauſam haberent ad fomitem ſæculi relicti transiliendi. At verò primis Eccleſiæ Diebûs alia longè venuſtiórque fuit facies Virtutis Chriſtianæ, tum enim quis neſciat, quantùm ingens Charitatis fervor in Deum, Zelus quóque eximius lucrandarum animarum cordibus Clericorum ingeſſerit temporalium rerum faſtidium, votorúmque Deo nuncupatorum intemeratam obſervantiam, ut dicere fas ſit, ſpontaneæ pietatis impulſu eosdem accuratiùs longè, etiam ad apicem unum vota ſua ſervaſſe ſimplicia, quàm nunc multos ex religioſis ſolennia. Illos ergo viros tantis virtutibûs excellentes, & Spiritûs S. igne, quaſi recenti quadam aura inflammatos neceſſe non erat, eo fræno conſtringere, quô deinde indigebat Eccleſia, cùm undique cerneret in religioſis ipſis requiſitam frigere Charitatem, & in votis promiſſis, non quæri ab iis meritum, ſed diſpenſationis juríſque qualitercunque valentis libertatem. Unde Rodericus q. Reg. t. 3. q. 1. act. 2. *ſolennitas*, inquit, *votorum non eſt eſſentialis Religioni, cùm olim apud priſcos religioſos non eſſet in uſu, quippe quos ſancta ſimplicitas & verecundia ſatis in religione contineret, ſed poſtea creſcente hominum malitia ad vitandam fraudem fuit introducta in Synodo romana ſub Innocent. 2. anno 1139.* hæc ille.

Inducta ad reprimendam laxitatem.

Ca. quia 2. de Teſt.

Secundò: quamvìs S. Gregorium notaverimus Solennitatis votivæ in occidentem Eccleſiam introductæ primum ê Pontificibus Authorem exſtitiſſe, non tamen demonſtrari poterit, uti ſuperiùs præmiſſimus, quòd hæc totam obligaverit Eccleſiam; alioquin Gregorius ſecum ipſo

Digitized by Google

Monſtratur etiam decretum Gregorii non obligaſſe totam Eccleſiam.

ipſo pugnaſſet, cùm idem, qui invalidum Siricæ Abbatiſſæ declaravit teſtamentum, aliud Joannis monachi confirmaverit, L. 2. Ep. 42. Dicens: *Fautinum Defenſorem Joannes monachus quidam moriens, in ſex uncias hæredem diviſit, cui hoc quidem quod dimiſſum eſt trade, ſed conteſtare eum, ut hoc facere ulteriùs non præſumat.* Venantium monachum, non minùs novimus, qua arte Gregorius tractaverit, monaſterii ſui Deſertorem, reditum ſuaſit ei identidem, immoratus eſt ejus contumaciæ longiſſimâ patientiâ, & jam propè ſenectute deficientem commonuit, vitæ ſaltem fugientis reliquias conferre ad ſuæ ſalutis præcurationem, ad monaſticum maximè habitum repetendum, nec tamen unquam eum ut apoſtatam aut votifragum habuit, quidni ob ſolum jus agnitum ex votorum ſimplicitate?

Monachi ante tempora Juſtiniani paſſim ſimplicibus votis obligati, cur non & Clerici?

Tertiò: Exemplis adductîs inſtruimur, néque monachos votis ſolennibûs fuiſſe obligatos, idque non ſolùm à tempore Juſtiniani Imperatoris, *genericè* ſcilicet de iis loquendo, verùm etiam temporibûs antecedentibûs, ita quidem, ut ex eo, quod legamus quoſdam antiquorum monachorum teſtamenta condidiſſe, inferri nullatenus poſſit, eos nullis omnino votis fuiſſe obſtrictos, fuêre ſanè, at ſimplicibus, tacitaque profeſſione ſignô ſaltem exteriorî aſſumpti habitûs vel normæ vivendi per aliquod tempus ſe ſe applicando: certè nemo eruditus negaverit S. Hilarionem tot monachorum in Palæſtina parentem, ipſûmque monachum ſine votis monaſticis vixiſſe, & tamen de eo Hieronymus, *reverſus*, inquit: *Cum quibusdam monachis ad patriam, & parentibus jam Defunctis, partem ſubſtantiæ fratribus, partem pauperibus largitus eſt; nihil ſibi omnino reſervans.* Malchum monachum idem Hieronymus dicit, *partem monaſterio, partem pauperibus, partem ſibi in ſumptuum ſuorum ſolatia reſervaſſe*, agnovit Malchus, ſe infideliter egiſſe, non tamen votifragè, hinc ipſe apud eundem Hieronymum: *Venumdatâ*, inquit, *poſſeſſiunculâ partem erogarem pauperibus, partem monaſterio conſtituerem (quid erubeſco confiteri infidelitatem meam?) partem in ſumptuum meorum ſolatia reſervarem.* *Infidelitatem* nominat, quòd non omnia juxta Chriſti Conſilium reliquiſſet. Quodſi verò hæc dignè de monachis relata, veraque ſentimus, neque eos ideò inter ſæculares numeramus, votíſque ſolutos, id æquo jure erit de Clericis judicandum, ac aſſerendum, eos non minùs ſimplicia vota Deo litaſſe, neque (ſolennitate nondum inducta) votîs penitus liberos exſtitiſſe. In Concilio Calchedonenſi Can. 7mus refertur hîs verbîs, *qui ſemel in Clero deputati ſunt, aut monachorum vitam elegerunt, ſtatuimus, neq; ad militiam, neq; ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes, & non agentes pænitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, anatematizari.* Vides eodem debitô cenſeri monachos Clericoſque, ſcilicet ob vinculi votivi æqualitatem, quô utrique ſe ſervitio Divino manciparunt, nam *delicti paritas paritatem pænæ requirit.* Macer. in L. 32. ff. ad L. Int. de adult. Cùm ergo æquali pæna decernantur puniendi Clericus & monachus vitam Clericalem vel monachilem eligentes, ſicut in monacho, ſic & in Clerico ſupponenda eſt voti violatio æqualis. Deinde ſicut non ideo, quòd monachi perpetuò illigentur ſemel à ſe electo monachiſmo, vota eorum dicenda ſunt Solennitate veſtita, ſic id ipſum erit inferendum de Clericis

anno 451. Petavius.

5. *Etiam ſubſequos Clericos ſimplicia tantùm vota obſervaſſe monſtratur.*

At quod ſupereſt, demonſtrare oportet, hanc ſimplicitatem votorum etiam in ſucceſſivis Clericis votivis ſubſtitiſſe. Auguſtini tempora de ſuis Clericis id nobis apertè innuunt, ſolùm ejusdem Epiſtolas de Communi vita Clericorum ſi inquirimus: ait ibidem Serm. 355. *Certè ego ſum qui ſtatueram, ſicut no-*

ſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere, ut ſi vellet, diſcedere à PROPOSITO, rectè illi tollerem Clericatum. Mox autem inquit, ſe mutaſſe ſententiam, ac eis, qui volunt habere aliquid proprium, non auferre Clericatum, at Cæcos claudosq; habendos, ſcilicet quòd à propoſito reſiliiſſent, id quidem, ægrè licèt, Epiſcopô tamen eis indulgente, utpote ſola vota ſimplicia profeſſis. Præterea Honoratum Presbyterum novimus, cùm ab Eccleſia Tagaſtenſi, cui primùm intitulatus erat, ad Eccleſiam Thianenſem transferretur, patrimonium omne tuliſſe ſecum, diſſenſit id fieri poſſe, liceréve S. Auguſtinus ob voti vinculum Tagaſtæ ab Honorato initum, interea urgente Thianenſi plebe, bona illa de jure Civili Eccleſiæ ſuæ competere, decidit rem, conſenſitque petitioni eorum, in hoc, inquit Ep. 239. Caſu & ſimilibus ea jura ſervanda eſſe cenſeo, quæ talibus habendis vel non habendis ſecundùm civilem Societatem ſunt inſtituta, quod Auguſtinus nunquam feciſſet, ſi Honoratus votô ſolenni devinctus nullo civili jure ad patrimonium, cujus ſe Dominio penitùs jam abdicaſſet, ſecum aſſumendum legitimari potuiſſet. Pariter cùm teſtaretur Januarius ignorante Auguſtino; poſt ejus obitum, teſtamentum Sanctus Pater validum declaravit, ſummè tamen illicitum. Erant vota Clericorum S. Auguſtini ſic affecta, ut cùm emitterentur, illicitum facerent omnem contractum, actúmque ſibi contrarium (ipſo S. Præſule invito) at non invalidum: præterea, non obligabantur de re ſua omnimodè ante votorum promiſſionem diſponere, quaſi inde nullo eis diſponendi jure remanente; aliud namque ipſe S. Auguſt. manifeſtat, Ser. altero de vita Clericorum dicens: ſe in omnes Clericos ſuos, an quidpiam proprium haberent, inquiſiviſſe, omnes reperiſſe innocentes, ſolùm, quòd ſint aliqui, qui, inquit, de ſua qualicunque paupertate, quod ſtatuerant, nondum fecerunt. Hoc eſt diſpoſitionem rerum ſuarum, necdum, cui ſcilicet ea relinquant, adimplèrunt: quod cum ſolennitate votorum convenire nunquam poteſt, in ſimplicitate verò, id dudum ſolitum erat (ut ex relatis colligitur) præcipuè in patrimoniis Clerico, vel etiam monacho jam votivo obvenientibus per ſubſequam parentum mortem: non enim obligabantur de futuris diſponere, ſed libertas reſervabatur. Unde idem S. Pater Ser. Cit. Valens, inquit: Diaconus & Patritius nepos meus ſubdiaconus, hunc matris vita impediebat, quæ inde vivebat &c. neque obſtat, quòd fortè Auguſtinus poſt illum Januarii caſum ſtatuerit, nullum admittendum ad ſocietatem fratrum, niſi omnibûs illìs impedimentìs exutum, nam id, non ex votorum ſolennitate, ſed ex providentia factum eſt; ut ſcilicet Clericos ſuos totamque Congregationem liberam, ſecuramque hoc modo redderet à tumultu populari, illicitum etiam omne illud reddens, quod in legandis deſtinandiſque rebus diu aliàs emiſſa votorum promiſſione licuerat, valore tamen ſimilium contractuum ſic, ut anteà, permanente. Unde ſi diverſis poſtmodum in Eccleſiis, aut monaſteriis Clericorum frequentiſſimè normam Auguſtini imitantium, legimus diverſo gradu paupertatis, aliis ſcilicet ſtrictiùs aliis latiùs liceitatem (ut dicimus) uſûs dominiique proſequentibus fuiſſe converſatum, id omne ex votorum ſimplicitate provenerat, quâ ſe quique hôc modô votivi tuebantur, ita, ut quidam ex ſupra allegatis à Suario gradibus paupertatis primum, iique pauciſſimi, alii ſecundum, alii tertium, alii deniqúe quartum complecterentur. Ideò idem Suarius eruditè inquit t. 3. de rel. L. 8. 66. Dubitari non poteſt, ſtatum religioſum aliquando conſtitiſſe cum tali voto, quod nec Dominium, nec uſum independentem excluderet. At quando illud? ſi, ut

novæ Edit. 81.

ſi, ut quibuſdam placet, omnes quoſcunque Clericos extra Auguſtini gremium, aut poſt Sæculum quintum, in univerſa Eccleſia dicamus ſine omni planè voto expropriationis vel paupertatis exſtitiſſe, quando, inquam, illud contigiſſe potuit? niſi, dum paſſim legimus, quòd Sæculo 6. 7. 8. 9. 10. Clerici in communi viventes, præbendis ſuis iiſque ampliſſimis fruerentur, atque illas ad libitum proprium donarent, ſolúmque vi voti obſtringerentur ad non quærendum, aut habendum ſuperflua. Quamvìs & id negari non poſſit, ſemper inſtitiſſe Patres & Concilia hortando, ac ſuadendo, ne jure, libertateque conceſſi per tale votum Dominii abuterentur in ſuæ ſalutis ruinam. Quæ libertas ipſa, conniventiâ potiùs erat, quàm authoritate inducta, & tolerata tantummodo, cùm cenſerent Patres, præſtare aliquid obſervari, quàm nihil omninò. Cæterúm, quamvìs hi utcunque liberi, prævaricabantur tamen votum ſuum, ſi quid ultra neceſſitatem acciperent, aut ex avaritiæ ſtimulo coacervarent, aut malè impenderent, maximè id intelligendo de rebus ab Eccleſia ſibi provenientibus. *Inſtruendi ſunt Presbyteri*, inquit Concilium Nannetense, *pariterq; admonendi, quatenus noverint, decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hoſpitum & peregrinorum eſſe ſtipendia, & non quaſi ſuis, ſed quaſi*
Can. 16. *commendatis uti, de quibus omnibus ſciant, ſe rationem poſituros in conſpectu Dei, &, niſi eas fideliter pauperibus adminiſtraverint, Damna paſſuros.* Et Concilium Pariſienſe annô 829. Can. 15. *Nulli*, inquit: *Sacerdotum liceat res Deo Dicatas, ſibiq; commiſſas, ut proprias tractare, & ad multifarios ſecundùm Canonicam Authoritatem ſanctorumq; Patrum Dicta & exempla adminiſtrare, vel diſpenſare. Initiò naſcentis Eccleſiæ vota fidelium ante pedes ponebantur Apoſtolorum, eorumq; judicio unicuique, prout opus erat, diſtribuebantur. Et licèt creſcente fidelium devotione Copioſiſſimis ac munificentiſſimis eorum liberalitatibus ſancta donata ſit Eccleſia, eundem tamen uſum Apoſtolorum Succeſſores in tractandis & diſpenſandis Eccleſiaſticis rebus ſe ſervare debere meminerint.* Sed omnium apertiſſimè rem declarat Eugenius Secundus in Concilio Romano habito annô 826. Can. 16. dum ait, *res Eccleſiæ non quaſi propriæ, ſed ut Communes & Domino oblatæ, cum ſummo timore non in alios quàm in præfatos uſus ſunt fideliter Diſpenſandæ.* In quem Canonem hanc notatu Digniſſimam obſervationem appoſuit Gratianus 12. q. 16. 26. *Si ergo*, inquit: *Res Eccleſiæ non quaſi propriæ, ſed quaſi communes habendæ ſunt, cùm de communi nullus dicat, hoc meum eſt, nec de rebus Eccleſiæ, hæc eſt mea, poteſt aliquis dicere, ne videatur non imitari Charitatem illorum, in qua nulli aliquid erat proprium, ſed erant illis omnia Communia.* Hinc *de rebus Eccleſiæ quæritur, an liceat eas per præbendas Dividi, ut annuas reditus quiſq; ſibi ſpecialiter vendicet? His ita reſpondetur: Sicut perfectione Charitatis manente ſecundùm diſcretionem Eccleſiarum, diſtributio fit Eccleſiaſticarum facultatum: Dum aliis poſſeſſiones hujus Eccleſiæ ad diſpenſandum committuntur: Ex quibus licet res Eccleſiæ omnibus debeant eſſe communes, primùm tamen ſibi, & ſuæ Eccleſiæ deſervientibus neceſſaria Epiſcopus ſubminiſtret, reliqua, quæ ſuperſunt, fidelium uſibus adminiſtraturus: ita & præbendæ Eccleſiarum eadem Charitate manente piè & religioſè poſſunt diſtribui: Nec tunc rebus Eccleſiæ ut propriis, ſed ut communibus utilitatibus deſervituris, ut ex his, quæ ſibi aſſignata ſunt, primùm ſibi neceſſaria percipiat; ſi qua verò ſuis neceſſitatibus ſuperſunt, in Communes uſus Eccleſiæ expendat.* Ex quo patet, qua obligatione vincirentur Clerici, ſtrictô modô proprium non habentes, præbendas tamen ad ſuæ neceſſitatis uſum dominiúmque acci-

accipientes: Scilicet ſuperflua repudiare tenebantur, ne in vota canonéſque peccarent.

6\. Elucet pariter ex his indubitatè, ſimplicia vota inter Clericos viguiſſe etiam poſt Auguſtini tempora, præfatíſque, ut diximus, ſæculis, nam commune illud Eccleſiæ ærarium (de quo auctoritates adductæ loquuntur) vitam ſaltem in quarto votorum gradu firmatam inſinuat, Clericos Canonicos eorum temporum vixiſſe. Utpote, quòd dicantur res Eccleſiæ iis ad utilitatem neceſſariam conceſſæ non propriæ eſſe, ſed communes, ipſíque commoneantur Clerici, ut eas cum ſummo timore diſpenſent. Metus iſte cavendam voti violationem inculcat, ſed non alteriùs quàm ſimplicis, Dominium namque iſtud, quo gaviſos Clericos fuiſſe legimus, ut quæ ſuperflua agnoſcebantur, ſi modò juxta Canones præfatos inſumerentur, ſuo inſtituto non officerent, limites ſolennis voti non attingit, quô omne abſolutè Dominium repudiatur.

probatur extenſio usque ad Innocentii tempora.

Hanc verò ſimplicitatem votorum in Clericis ſe extendiſſe uſque ad Innocentii Secundi tempora, ejus docet in Synodo Romana decretum Can. 6. Religioſis matrimonium omne interdicentis, ita, ut ſi contraherent, id vim nullam haberet. Ejus verba ſubjicimus: *Ut autem Lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi Presbyteri Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & monachi atque converſi profeſſi, qui ſanctum transgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur, hujusmodi námque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus.* Atque ex hoc Decreto certum eſt, ſimul ſolennitatem in alia vota fluxiſſe, cùm Alexander Tertius in Concilio Lateran. Anno 1179. celebrato graviſſimas pœnas tanquam re jam aliàs definitâ fulminet in omnes Religioſos, peculium ſinè Prælati permiſſione retinentes, Clemens quoque Tertius eas ipſas pœnas nominatim decidit in Canonicos Regulares c. ſuper quodam. de ſtatu monach. an. 1190.

anno 1139.

Quodſi dicas, hanc ſolennitatem ſaltem apud Canonicos Regulares ante Concilium Tridentinum exiſtere non potuiſſe, cùm conſtet, in multis eorum monaſteriis præbendas diſtributas fuiſſe, rerumque dominium actitatum: repono; præbendarum diſtributiones apud Canonicos Regulares non obſtare, quò minùs inter ſolenniter votivos computentur, patet id ex multorum adhuc tum ſolitâ praxi, quamvís forte minùs diſciplinæ conducente. At de dominio rerum id ſentio, in aliquibus omninò illud viguiſſe, ùt præcipuè Hiſpaniæ Italiæque locis, minimè tamen in omnibus, quinimo adeo illud è quibusdam eliminatum (ſi ſolam hic condigni honoris cauſâ Windeſemenſium congregationem nominemus) ut multis monachis in exemplum & imitationem, expropriationi omnimodæ ſtuderent, in quibus autem dominium iſtud vigebat, ſignum omninò eſt, necdum ſolennitatem hanc, de qua loquimur, fuiſſe receptam. Poſt Concilium tamen Tridentinum novâ reformatione omnem prætextum habendi, poſſidendíque per reſtabilitam ſolennitatem ipſius nominatim voti paupertatis apud Canonicos Regulares ſubtractum, omnémque (ſecluſâ ſcilicet aut expreſsâ aut tacitâ Superiorum veniâ) contractum declaratum eſſe invalidum, ſaltem, ubi illud receptum fuerat, libenter aſſentior.

Cæterùm quidquid hactenus de votorum ſimplicitate ac ſolennitate diſcurrimus, quæſtionem non nominis ſed rei diſſolvimus, nam dum Baſilio vox iſta, *ſolennis*, non tam exprimendæ obligationis cauſâ, excidit, quàm ſermonis: aliàs usque

uſque ad Cœleſtinum Papam Tertium ſæculo 12. inclinante præſidentem nemo utrumque hoc vocabulum ex ſummis Eccleſiæ Præſulibus, in Decretis ſuis attigiſſe videtur: unde haud dubiè quiſque intelliget, quâ libertate loquendi, hâc quoque voce, *Voti ſimplicis*, uſi ſumus, dum de temporibus ſæculum duodecimum præcedentibus agebamus.

CAPUT V.

Diſcrimina, vicéſque voti præcipuè paupertatis in Clero per priora undecim ſæcula referuntur: neque illa ſpeciem infimam Inſtituti votivo-Clericalis immutaſſe, oſtenditur.

1. QUod olim dicebatur à Perſeo, propoſitum noſtrum, de quo in hoc capite agimus, attigiſſe videtur. Canebat enim ille:

Satyr. 5. *Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,*
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Ea námque hominibus innata quaſi varietas eſt, ut ſeu vitia ſeu virtutes attendas, utrumque viſeſcat eodem ſemper amictu veſtitum: quin neutrum, novimus, ſuo ſemper in gradu ſubſiſtere, ſed út virtutem cum Sole, ſic vitium cum Luna mutari. Verùm concedamus inde mille hominum ſpecies, cùm tamen una eadémque ſit omnium, ipſam quoque virtutem ſic contemplari licebit, ut quamvìs unaquæque ſuam in qua infimè collocatur ſpeciem non excedat, frequenter tamen variata compareat, quaſi aliam induiſſet.

Ad Principes in religione virtutes noſtro diſcurſu progredimur trino vinculo votorum colligatas: propè de his ipſis effari poſſis, quod Perſeus:

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Non quòd à viris ſemel Deo ſacrata voluntas libera prævaricatione ſolveretur, ſed quòd temporum & fatorum diverſæ vices, ſæpè voluntatem in neceſſitatem verterent, immutaríque voti Deo promiſſi qualitatem urgerent, dum ſubſtantiam nequirent. Hinc profectò prioribûs ſæculîs, dum dicebamus vota religioſa ſolam ſimplicitatem habuiſſe, certum eſt, hanc ipſam, adeò diverſimodè comparuiſſe veſtitam, ut vel in una paupertate ſeu expropriatione facilè dici potuerit, *Nec voto vivitur uno*. Monſtravimus hujus voti quadruplicem gradum ſeu qualitatem obſervatam à priſtinis, ex Suarii doctrina: ut autem luculentiora hac de re proferamus, præſens caput ſuppeditabit, in quo declarabimus primò: quæ viciſſitudines votum præcipuè expropriationis primîs Eccleſiæ ſæculis comitatæ fuerint? ut illis tenebris occurramus, quæ multis fucum fecerunt, ut crederent, pauciſſimo tempore votorum ac maximè paupertatis Evangelicæ obſervantiam perduraſſe in Clero. Iſto oſtenſo, dabimus ſecundò, hanc graduum in expropriatione votiva diſcrepantiam nullam ſpecificam inſtituti diverſitatem cauſaſſe.

Solent diſcretis temporibûs diſpari ſe homines amictu veſtire, quin, quidquid pene in orbe eſt, cultum ſui annua varietate immutat, ſed nos propoſito noſtro viciniora promamus: ipſam Eccleſiam novimus, quantùm per decurſus ſæculorum, diſtincta comparuerit, modum, ritúmque Divini cultûs diverſis temporibus, diverſè conſtituens; jam quos ſuo in gremio fideles aluit, ſtrictiori, imò ſtrictiſſima Religionis Chriſtianæ obſervantia vinciens, jam remiſsîs, ut poterat, habenis ſic gubernans, tantùm, ut non omnino à via virtutis ad devia vitiorum deflecterent. Exigebant hanc diſciplinæ Eccleſiaſticæ varietatem temporum viciſſitudines: Quis enim dixerit fieri potuiſſe, ut, quæ nor- 2. *Diſciplina Eccleſiæ ſæpè in modo ritibúſque mutata ſpeciem illam infimam, qua una ſola ac vera Chriſti Sponſa eſt, nunquàm ideò amiſit.*

Digitized by Google

norma vivendi dictis fidelibus præſcripta fuerat, dum pace fruebantur, ab iisdem inculpatè ſervaretur, ubi tyrannorum perſecutiones, etiam fidei ſubſtantiam ſuffocare conabantur: paſſim hac de re Scriptores hiſtorici & ex iis Baronius conſuli poteſt, ut nil dicam, ne quidem noſtra ætate in multis ritibus ac Cæremoniis, antiqua licet ſanctiſſima, & vel à nobis ipſis eximiè dilaudata dogmata obſervari. Ubi enim nunc Canones illi pœnitentiales ſeveriſſimi, ubi illa jejunia, ubi Agapæ, & ſexcenta alia, quorum locò modi ritúsque cultum divinum perficiendi longè, ut ita dicam, diſcreti inducti ſunt, atque diſpoſiti? Sed quàm inſipienter ex hoc diſcrimine quiſpiam argueret, Eccleſiam à ſe ipſa fuiſſe mutatam, tanquam ſi diceres Principem, cùm exigentibus cauſis lugubri amictu veſtitur, aliud fieri ab eo, dum regiô paludamentô decoratur. Niſi itaque Diſcrimini temporum accommodemus tum Eccleſiæ ipſius, tum miniſtrorum ejus, methodum vivendi diverſam, eamque concedamus, neſcio an veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ unquam juſti arbitri ac Cenſores futuri ſimus.

3. *Etiam Clericorum Canones varietatem ſubjêre.* Clericorum mores, & converſandi rationem variatam indentidem fuiſſe, tot diverſiſſimi Canones, quos in multigenis Conciliis editos legimus, manifeſtè oſtendunt: primi illi apoſtolici dicti, adeo generales fortaſſe ex eo formabantur, ne quæ circumſtantiæ occurrerent, ob quas vel immutatio cogeretur. Reliqui usque ad an. 325, quo primùm æcumenicum Concilium Nicææ coactum eſt, omnes Provinciales fuêre, & ad cujusque Diæceseos, ut tunc ferre poterant, mores accommodati: hinc quemadmodum diverſiſſima tum erat in diverſis locis conſtitutio quoad rigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ fidelium; ſic quoad hunc ipſum diverſa erat vivendi norma in Clero. Quamvis enim indubitatum ſit, ut ex prioribus docemur, primitùs omnem Clerum communiter ſeu votivè vixiſſe, cùm ſcilicet inter anguſtos adhuc limites fidei lumen contineretur; at poſtquam in remotas ampliſſimásque regiones atque Provincias ſe ſe latè diffuderat, una eadémque votiva Cleri reſtrictio nec peti poterat, nec ſubſiſtere: tum enim admittendus erat rerum liberior uſus, nec quemvis ex Clero arctare conſultum cenſebatur ad qualemcunque etiam expropriationem vovendam. Mirum fortaſſe quibusdam videbitur, id quod aſſerimus, verùm iis crediderim, qui priſtinorum temporum rationem, & veteris Eccleſiæ œconomiam minimè perſpectam habent: annè enim impervium, quàm veridicè à Redemptore prædictum, meſſem quidem fore multam, operarios autem paucos, id eſt meſſis reſpectu: Sæculo namque ſecundo inclinante & Deinceps, vix provincia in tota Europa conſtiterat, in qua non poſſet magnus numerus Chriſtianorum reperiri: abundabat illis Italia, Gallia, Germania, ut nil dicam de tota Aſia ac potiori Africæ parte: aſſumendi hinc, quoquô modô poterant, homines, ex plebe Doctiores, quos Clero primùm annumerare, inde neoconverſis fidelibus præficere oportebat, ut fidei myſteriis congruenter imbuerent: nequibant hi omnes ad unam ſocietatem votivam communemque compelli, egebant Eccleſiæ proventibus, deficiebántque oblationum tum adhuc largitiones requiſitæ, quodſi etiam darentur, ùt quandoque dabantur ampliſſimæ, cùm primùm fides altiores alicubi radices fixerat: at aliæ ſæpè ſuberant, cauſæ, quòd ubique Clerus ad vitam qualemcunque votivam adigi non poſſet. Certè, quidquid fortaſſe aliqui in contrarium proferant, nobis planè exploratum eſt, tantùm non omnino cum Apoſtolis jam in Clero fuiſſe, qui ſine expropriatione viverent, Ecle-

cleſiâ ipſa hanc vivendi normam concedente, quam reprobare eò minùs in omnibus ſuis miniſtris poterat, quò magis neceſſitas, ut ea admitteretur urgebat.

Verùm objicies, hanc noſtram opinionem componi non poſſe cum textibus, Capite primo allatis, quibus adeò Patres univerſum Clerum inſectantur, monentque apoſtolicis veſtigiis per expropriationem inſiſtere, ut, qui hanc non amplectitur, videatur adverſùs Clericalis inſtituti rationem prævaricari. Reſpondeo, duplicem ſemper Cleri conſtituendam eſſe partitionem ab eo præcipuè tempore, cùm Evangelium Chriſti in patentes mundi partes ſpargeretur: Erat pars una, quæ indiviſibiliter Epiſcopo cohærebat, ut alibi ex Cypriano docebimus, & hæc incolebat Cathedralem Eccleſiam, Epiſcopo tanquam ſpirituali connubiô in ſponſam traditam; quæcunque demum illa, quoad ſtructuræ qualitatem, fuerat, alia certè perſecutionum tempore, alia poſt pacem à Conſtantino reſtitutam. Fecerant igitur Clerici iſti cum Epiſcopo corpus unum, & ſocietatem præſentabant illam, quam Chriſtus in terris converſans ſuis cum Apoſtolis formaverat. Pars altera Clerici illi fuêre, qui extra prædictum Cathedrale gremium aſſumebantur in ſubſidium miniſterii Eccleſiaſtici, quos poſterior ætas etiam matricularios nuncupabat. Neque aliter mihi apprehendere fas eſt, illis temporibûs prædicationem Evangelii ſubſtitiſſe: nempe, ut quòcunque demum venirent, Zelô convertendorum Paganorum Epiſcopi, quoſdam quidem ſibi conjunctos votivos Clericos haberent, at inſuper conabantur ex neoconverſis quoſdam ſeligere, ut clericatu initiarent, miniſterio Eccleſiaſtico ſuô modô & ſecundùm præſcriptos Canones præficiendos, neque tamen hos obligabant omnes ad votivam communemque vitam, ſicut nec omnes ſuæ ſocietati incardinaverant.

Sic ergò firmus opinor præter Cathedrales Clericos (quos arctior abſque dubio vita votiva conſtrinxit) alios ſemper fuiſſe ab expropriatione liberos, univerſimque Patrum dicta dupliciter quóque reſpicienda eſſe: aut enim eadem, quemadmodum textus à nobis Capite primo, ac ſubſequis locis adducti clamitant preſſè paupertatem Evangelicam inculcant Clericis, ac ad eandem obſervandam obligatos enuntiant; & eos attingere reperies qui exactiùs veſtigiis apoſtolicis inſiſtebant, nempè in communitate viventes: aut ſi aliquantò generaliora proferuntur, cenſendi ſunt Patres, non in prævaricatores votivæ expropriationis, ſed in eos invehi, qui nonnunquam nimiæ cupiditati habendi inhiabant, prout tales graphicè Cyprianus depingit, & ſugillat. Ut habetur apud Baronium ad annum 253. *L. de Laps.*

4. *Clericorum jam à primis Sæculis duplex ſpecies.*

Itaque, ut iteratò diximus, Clericos extra votivam expropriationem viventes Eccleſiam dudum habuiſſe, propè verum eſt, imò nobis omninò certum: at aliud dicendum de iis, qui communi ſocietate conjuncti degebant; illorum ſine vinculo paupertatis antiquiſſima natio perſpectiſſima eſt, iſtorum neutiquam. Atque hinc univerſim obſervandum cupimus, ubi de votivis Clericis diverſimoda fata memoranda occurrunt, ſemper illos excipi, qui intra Communitatis alicujus gremium nunquam probantur exſtitiſſe. Prima vivendi in communi ratio apud Cathedrales erat, exinde autem factum eſt, ut ſecundùm eandem normam votivæ vitæ præter Cathedrales ſeu Epiſcopales Eccleſias alia quóque Clericorum monaſteria eſſe inciperent: de quibus nos alio in loco plura diſſeremus, ubi contra quorundam recentiorum opinionem oſtendemus, præter Cathedrales Eccleſias jam Sæculô quintô, monaſteria Clericorum, quibus Præpoſiti præfuerant, complura floruiſſe. Clericorum porro in Cathe-

Digitized by Google

Cathedralibus viventium cùm non ſolùm Epocha propè certa proferri poſſit, quo Sæculares eſſe, diciq́ue inceperunt, id eſt, quô ſe à voto expropriationis ſolverunt, verùm etiam ad oculum conſtet, illas Patrum invectivas, præcipuè Sæculô octavô ac deinceps gravi energia depromtas non alios niſi Clericos monaſteriales, ac votivè viventes attigiſſe; hinc nemo inficiabitur, ut, cùm votivorum Clericorum diverſas vices enarrabimus, de his monáſterialibus nos loqui profiteamur. An autem ideò injurii ſimus in eos Canonicos Sæculares, qui *nunc* Cathedrales, & alias Complures Eccleſias, Collegiaq́ue poſſident, olim à Regularibus, inhabitata? an ideò convitiorum rei agendi, quòd documenta producamus manifeſta, quibus ſtatus regularis Diſciplinæ enervatione peſſumdatus deploratur, vita votiva ac regularis præ ſeculari altera, ac, ùt eam nuncupamus, proprietaria commendatur: quibus denique etiam aliquantò acerbiùs perſtringuntur mores eorum, qui dicuntur è regulari ac votiva vivendi norma in ſæcularíſmum prolapſi eſſe, aut decidiſſe? quemvis eorum juſtum arbitrum conſtituimus, qui hæc ipſa, quæ iſthic proferimus, ante nos, in libris probatiſſimis, & conſultò hanc materiam tractantibus dudum ſe legiſſe noverit: Sic pene nullum, quem de ſæcularitate Canonicorum textum proferimus, à Thomaſſino viro Doctiſſimo in ſua diſciplina Eccleſiæ omiſſum reperimus: Sic Gerhohi Severiſſimum in Clerum relaxatum Commentarium ſeu librum de corrupto Eccleſiæ ſtatu à Viro Clariſſimo Stephano Baluzio L. 5. ſuorum Miſcellaneorum annô 1708. Pariſiis editum & à Bernardo Pezzio ſuis Anecdotis ejuſdem Gerhohi Epiſtolam ſeu Dialogum de differentia Clerici Regularis & Sæcularis inſertum novimus: Sic deniq́ue eruditiſſimum Benvenutum noſtrum Libro ſeu operi de capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia Eccleſiaſtica Sæcularia, ſanctiſſimo tunc feliciter toti Eccleſiæ Romanæ præſidenti ſummo Pontifici Clementi duodecimo, dicato & Romanis approbationibûs apprimè dilaudato, ipſo in articulo 14. integrum paragraphum intexuiſſe legimus, in quo, *diſſeritur de vita communi, quam agebant Canonici in Cathedralibus, agiturq́ de introducta apud eos, ut ajunt, ſæcularitate, ac bonorum in diſtinctas præbendas partitione.* Quod ipſum in Compluribus aliis liberum eſt invenire. Quodq́ue ad rem maximè conferre videtur, illud eſt, ſi quaſcunque in Clerum à viris Sanctis ac Doctis emiſſas reprehenſiones ac Cenſuras penſiculatiùs ſcrutemur, apparebit eas omnes ne quidem illuſtriſſimum Cathedralium Sæcularium Canonicorum Senatum attingere: Obſervandum enim, in quem hæ omnes invectivæ proferantur, an in eos, qui à recto vivendi tramite receſſèrant? an in alios qui ſucceſſère labentibus, aut lapſis omnino. Quodſi illud, ut revera eſt, ſanè improvidiſſimè argueremus, ſi qualemcunque hanc objurgationem transferendam diceremus in iſtos: non aliter, ac factum in compluribus monaſteriis tum monachorum, tum Canonicorum Regularium comperimus: in quibus, quia illi ac iſti, nullis diſciplinæ Severioris caſtigationibûs corrigi nullìs minis terroribûsq́ue ad ſaniorem vitæ converſationem moveri poterant, jam alterius ordinis religioſi, quales in Middelburgenſi Canonicorum Regularium Cænobio Præmonſtratenſes, iidemq́ue in monaſterio S. Pauli Virdunenſis Alberone piiſſimo Epiſcopo agente monachis ſucceſſère, jam iiſdemq́ue ipſi quoque Clerici Sæculares. Verùm quemadmodum omnes Cenſuræ in remiſſos illos regulares fulminatæ, Succeſſores ne attigerant quidem, ſic ſanè ego apud me certus cenſeo, quæcunque adverſus corruptos Cleri in mo-

monaſteriis mores hac occaſione, quâ nos ea proferimus, promuntur neutiquam, qui regularibus ſucceſſêre, Sæculares Canonicos reſpicere. Unde ubi Stephanum Tornacenſem Alexandro tertio, qui anno 1180. obiit, Epiſtola 85. querentem legimus contra quosdam Sæculares Canonicos, qui Bleſenſes regulares irritaverant, dum inquit, *oritur juxta eos, & utinam non contra, quædam plantatio ſingularium, ſeu Sæcularium Clericorum, quos utrùm Pater cæleſtis plantaverit, necdum ſcimus.* Non qualitercunque Canonicos Sæculares Stephanus hoc aculeo pupugit, aſt eos, quos reſilire à via religioſæ Diſciplinæ adverterat. Erant ſiquidem à vetuſtiſſimis temporibus Societates Clericorum, ut vulgò dicimus Sæcularium, qui ſe ipſos pietatis ac virtutis uniendæ cauſâ adunaverant, hæc ſocietas in Parochiis originem ſuam obtinuiſſe videtur, ſæculô fortaſſe, ut Thomaſſinus autumat, quartô: quô tempore præter Ecclesias Cathedrales, quas Epiſcopus incoluerat, cum ſuo Capitulo, ſeu Cathedrali Clero, Parochiales Eccleſiæ conſtitutæ ſunt, *in quibus*, ut idem Author obſervat, *ſingulis multi Presbyteri erant, eorum tamen unus præ cæteris*, id eſt, qui reliquis præerat: Hi Presbyteri non continuò ex gremio Cathedrali aſſumebantur, ſed ordinabantur aliunde ad certam quidem Eccleſiæ matriculam, ut eſſent Matricularii, ſed non Canonici ſeu corpori Cathedrali uniti, neque omnes iſti ad expropriationis votum obligabantur, atque hinc præter Communem vitam Canonicorum votivam, efflorebat ad quandam Similitudinem alia Clericorum Societas, talis nempè, qualem nunc in Collegiis Sæcularium Canonicorum paſſim videre datur: vivebant illi magno ædificationis fervore & ovibus ſuis divinum pabulum ſuppeditabant, oratione, Doctrina, converſatione, multisque aliis vitam Clericalem egregiè commendantibus ſe ſe plebi ſpectabiles reddebant, & digniſſimos laude: Solùm quôd obedientiâ aliâ, niſi quæ Epiſcopo ordinationis cauſâ debebatur, non ligarentur, Paupertatis autem voto omninò nullo.

Discipl. Eccl. Part. 1. L. 22. n. 1. & ſeq.

Verùm, ut ferunt tempora, multis Monaſteria votiva inhabitantibus Clericis, vita aliorum, quos mox deſcripſimus, eò magis præplacuit, quò liberior erat, & tamen pia atque commendabilis. Accedebat occaſio ampliſſimarum facultatum, quibûs Eccleſiæ Cathedrales abundabant: Cùm enim Eccleſiæ proprias res poſſidere incepiſſent, de quo legi Chryſoſtomus poteſt, vehementer exardens, quod propter populum ejusque crudelitatem, nihil partim Eccleſiæ conferre volentis, partim intentatis identidem perſecutionibûs, Epiſcopi cogerentur rerum temporalium diſpenſatores fieri, & Eccleſiis ipſis de agris, *domibus, locationibus ædificiorum, vehiculis, equis, mulis, multisque aliis providere;* Hâc providentiâ, Eccleſiæ mirum in modum dotatæ ſunt, & proventus Clericorum aucti, quibus ſolebant dudum jam certæ portiones diſtribui. Unde in conſtitutionibus apoſtolicis legitur, Can. 31. ut *Benedictionis ſive Eulogiæ, quæ in myſticis ſuperant, de ſententia Epiſcopi, aut Presbyterorum, Diaconi diſtribuant Clero: Epiſcopo partes quatuor, Presbytero tres, Diaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, aut Diaconiſſis partem unam.* At ubi redundabat ex largitione fidelium & ſolertia Epiſcoporum Vectigal annuum etiam portiones iſtæ geminabantur, de quo Decretum reperimus Gregorii Magni alibi relatum. Erat igitur origo portionum, ut nunc dicimus *Canonicarum* Diſtributio antiquiſſima & ab Apoſtolis ipſis dimanans, ſed quæ primitùs fiebat inter voluntarios ac votivos Chriſti pauperes; introducta eſt (facultatibûs Eccleſiæ multiplicatis) etiam inter quosvis ex Clero uni ſocietati ſeu uni Eccleſiæ Matriculæ inſcriptos: *Finis*, inquit

In Matt. hom. 37.

Panormitanus, *hujus Diſpoſitionis ortum habuit, quoniam in primitiva Eccleſia fideles omnes, ut habetur act. 4. vivebant in Communi, quia tamen laici cæperunt bona propria retinere, & modus vivendi in commune ſolùm apud Clericos remanſit, ideo edita fuit allata diſpoſitio.* Hæc portionum redundatio non paucis votivis Clericis animum acuit, ut mallent ſine expropriatione ſtipendia Eccleſiaſtica mereri: cui acceſſère quædam aliæ rationabiles, ac ponderoſæ cauſæ, tum, quod multi præſtantiſſimi viri perſuaderi non poſſent, Clericatui ſe addicere, ſub norma tam oneroſæ quandoque ineundæ paupertatis, tum (quod hic ſubticere non poſſumus) ob fervorem illum apoſtolicum utcunque refrigeſcentem. Hinc factum eſt, ut Eccleſia pia Mater connivens, quantum poterat, remiſſionem illam votivæ paupertatis ad quadruplices gràdus indulgeret: Sed à quibusdam ne quidem qualicunque reſtringi volentibus, omnino jugum votivum excuſſum eſt, hocque modô illa ſine voto vivendi norma in ipſas Cathedrales inducta: Concilium Colonienſe ad an. 1536. Can. 1. obſervat ſequentia, *primitive*, inquit: *Eccleſiæ facies, quod ad inſtitutionem miniſtrorum attinet, paulatim immutata fuit: nimirum dotatis templis, ſacerdotiiſq;, ac certis ſtipendiis, miniſtrantibus conſtitutis.* Sed hic cumprimis notandum velim, ne quis perversè ex hoc diſcurſu ſæcularium Canonicorum ortum laxitati & libertati adſcribat Regularium, nam non per ſolam hanc quorumdam Regularium quæſitam vivendi licentiam, & cupitam Socialium Clericorum imitationem ſenſim ſe in Collegiis primùm Cathedralium, dein quoque aliorum Clericalium communitatum monaſteriis inſinuantem inducta eſt hæc, quam nominare ſic ſolemus, Sæcularitas: verùm, ut ſupradixeram, ex aliis quoque rationabilibus ac ponderoſis motivis, quorum præcipuum erat, intolerabilis hominum Laicorum cupiditas, maximè Sæculô ſeptimô ac deinceps, adeò monaſteria ac Collegia expilantium, ut annô 835. deploret eorum miſerabilem ſtatum vehementiſſimè, ac liquidè depingat Concilium Meldenſe, dum ait: *Perventum eſt ad nos, quod auditu lugubre, ac dictu nefas, actùque horribile, ac nimis triſte dignoſcitur, quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum Decreta, & totius Chriſtianæ religionis conſuetudinem in monaſteriis regularibus, laici in medio Sacerdotum, & Levitarum, ut magiſtri & Domini reſideant, & velut Abbates de eorum vita ac Converſatione decernant, eoſq; dijudicent, ac regimina animarum, & divina eis ſine conſcientia Epiſcopi Committant Sacraria, decernimus igitur* &c. Simile quid ex Troslejano Concilio alibi meminimus. Nec iſtud ſolum, verùm accedebant quoque irruptiones frequentatæ Nordmannorum, Hunnorum atque aliorum Barbarorum, qui loca Sacra lamentabili tyrannide devaſtarunt: cúm dein de reparatione cogitatum, viri eligebantur ex Clero, quibus propria patrimonia, aliæque opes ſuppetebant, hi magna non rarò liberalitate ſuccurrebant indigentibus, & in his deinde ad libitum ſuum inſtituebant jam Societatem Clericorum nulli expropriationis voto alligatorum, jam talium, quos illud vinxerat: quod ipſum, & pientiores laicos bene multos conſentiente utique Eccleſiâ feciſſe reperimus. Atque hos omnes, quemadmodum plurimos ſic neutiquam illæ ſeveræ in Canonicos proprietarios ſententiæ latæ perſtringere poſſunt, ſolumque hæ in illos tendunt, qui nefariè & libertatis effrænatæ Deſideriô vincula religioſa diſrumpere conabantur: quod factum eſſe, nemo peritus hiſtoriarum ignorat, & ſi nos id negaremus, certè aut ignaviſſimi, aut palpum manifeſtum obtrudentis judicii damnari poſſemus. Quod tamen nequiquam vel in minimum famæ glorioſè ſemper partæ diſpendium illuſtriſſimo

Digitized by Google

ſimo Canonicorum Sæcularium cætui tendit. Hinc demum pater, dum paſſim producenda ad elucidationem hiſtoriæ noſtræ occurrunt veterum Patrum dicta aliquandò Severiùs Sæcularium Canonicorum mores perſtringentium, quo ſenſu eadem ſuſpicienda ſint, & examinanda: Cùm certiſſimum ſit, Clero Sæculari, & vel maximè Collegia, Cathedralesque Eccleſias incolentibus Canonicis dudum non ſolùm exhibendum præconium, ſed & in acceptis maximè referendum, quòd, ubi regularium perverſiſſimi nonnunquam mores id promeruiſſent, ut funditùs una cum ſuis domiciliis in quibusdam locis evellerentur, hi uni ac ſoli ſæpiſſimè fuerint, qui aut diſciplinam priſtinam mira Sagacitate in talibus locis reparârunt, aut ſaltem ipſi ſubintrantes ſua exemplari ac maſcula virtute inter limites Eccleſiaſticæ obſervantiæ conſervaverunt, cùm alioquin aut malevolis hominibus, aut planè hæreticis in prædam ceſſiſſent.

5. *Prima Capitis quæſtio diſcutitur.* His ergo de Clericorum ac Canonicorum Sæcularium laudatiſſimo cætu probè animadverſis, Singulariùs ad primam hujus quæſtionis partem transeundum, qua Clericorum votivorum in expropriatione voluntaria viciſſitudines explorare oportebit.

Strictiſſimam vitæ votivæ normam ſibi Apoſtolos junctumque Clerum vindicaſſe dubitari non poteſt; cùm, quidquid Sancti Patres de paupertatis obſervantia allegant, omne illud exemplô Apoſtolorum ſtabiliant, hoc enim ſpeculum illud religioſæ virtutis univerſæ fuit, in quo nemini ſubſequorum votivorum ad omnigenam imitationem non ſuppeterent manifeſta Documenta, ſi ſolam illam Solennitatem poſtmodum ab Eccleſia inductam excipias: Erat in eis cunctorum terrenorum, propriæ voluntatis, omniſque etiam habendarum rerum cupiditatis perfecta abnegatio. Unde Bernardus in illud Matt. 19, v. 27. ecce nos reliquimus omnia: *à ſequentibus*, inquit, *Chriſtum tanta relicta ſunt, quanta à non relinquentibus deſiderari potuerunt.* Verùm perfectiſſima hæc paupertatis norma non diu, nec in multis, ut jam antea diximus, perdurare potuit: primùm ob perſecutiones Tyramorum, tum quoque ob multiplicationem Evangelicæ meſſis inductâ illâ Diſtributionum methodô, qua non quotidianæ, ſed diviſiones menſurnæ, id eſt, in menſem duraturæ conferebantur, ſicque ſenſim tertius gradus in valuit, quô ad Clericatum aſſumpti neque mox renuntiare ſuis cogebantur, neque de patrimoniis ſeu aliis ſibi jure aquiſitis tanquam de re ſua jus diſponendi ſaltem quoad valorem amittebant; acceſſit huic, ut, cùm multis clericalem ſtatum eligentibus patrimonia eſſent, opeſque copioſæ, neque vel ipſa rerum omnium prudentiſſima moderatrix Diſcretio quemvis mox urgere poterat ad plenam renuntiationem, imò, quia ſæpè Juvenes necdum annum pubertatis ſecundùm jura ſtatutæ æquantes Clero adſciſcebantur, ut ſuis etiam priorî modô renuntiarent, cogi nequibant. Denique cùm Eccleſiæ nonnullæ pauperrimæ eſſent, ut vix ad Clerum ſuum ſuſtentandum ſufficerent, atque ideò quærerentur conſultó opulentiores in egeſtatis ſubſidium & remedium, his verò licèt alioquin viris doctis, piiſque omnimodæ expropriationis gradus non ſederet animo, conceſſum eſt (ne ingentî quandoque emolumentô per eos adventurô fruſtraretur Eccleſia) rebûs ſuis uſufructuariô modô uti, ac ſaltem Eccleſiam hæredem ſcribere. Tales tempore Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini &c. fuêre plurimi. Hinc Ambroſius: *Si quis*, inquit: *Eccleſiam nolens gravare in Sacerdotio aliquo conſtitutus, aut miniſterio, non totum, quod habet, conferat, ſed operetur cum honeſtate, quantum officio ſatis eſt, non mihi imperfectus eſt.* L. 1. offic. c. 11.

Hæc vivendi norma probè deſignat ſecundum paupertatis gradum, ſed tertiô mixtum. Uſus iſte, qui, non obſtante votô, concedebatur, dependerat à ſuperiorum voluntate, ideo rem, quæ Ambroſio in quæſtionem venerat, tanquam Clericorum ſuorum Cathedralium ſuperior decidit. Auguſtinus ſuo in Conſortio alios non admiſit, niſi, qui ſe ſecundo gradu obligarent, at proprium habere volentes, quamvis aliquando inclinaret, ut admitteret, revocatâ voluntate de ſuo conſortio excluſit. Prout in ſermonibus de vita ſuorum Clericorum pateſcit. Chryſoſtomus verò ſuadet, ut ad ipſius quoque Epiſcopatûs ordinem cooptetur, *hic*, inquit. L. de ſacerd. c. 15. *quòd claro genere natus ſit, ille quòd opibùs abundet, neq; indigeat alimentis ex Eccleſiæ proventibus quæſitis.*

Porrò ſucceſſu temporis & quartus locum reperit apud ipſos Cathedrales, qui demum ad latiorem viam portam religioſæ frugalitatis aperuit, & animum etiam votivorum Clericorum ſtimulavit, ut liberam diſponendi facultatem univerſim de rebus ſuis conſequerentur. Verùm hæc licentia, ubi primùm aut admiſſa aut tolerata eſt, mox omne votivæ vitæ frænum excuſſit: ita quidem, ut cùm fortè votô tenerentur ſaltem Eccleſiæ res communes habere, & à ſuperfluis obtinendis arcere animum, cupiditate prædominante & de illis liberè diſponerent aliqui, ac teſtarentur; has verò illicitô planè ardore quærerent; ob quod invectivæ illæ Juliani Pomerii, dum ait: *Non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiant, qui Eccleſiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, ſuis expenſis inſuper gravant.* . . . *peccatis alienis*, inquit idem, *ſua multiplicant, & juramentis damnabilibus cenſum ſuum augent.* Auguſtinus *cæcos illos* & *claudos* nuncupat: Hieronymus, *Lucra ſæculi in Chriſti militia quærentes, & quibus aliquandò dicatur, Cleri eorum non proderunt eis.* Salvianus: *Spernentes Deum non ſolùm usque ad vitæ terminos, ſed contemptum ipſius etiam poſt mortem extendentes.*

L. 2. de vita Cont. C. 10.

ibid. Cap. 14.

Serm. 1. de vita Cler.

Epiſt. ad Nepot.

Differebant verò Clerici iſti ab illis, qui ex inſtituto ſuo nullius expropriationis vinculô ſtringebantur, hi etenim licitè rebûs ſuis utebantur ut ſuis, Eccleſiæ verò proventus modeſtè ac, ut inquit Ambroſius, *cum honeſtate*, accipiebant: non ut inde ditiores fierent, ſed ut minùs egerent, hinc omnem ſeveriorem cenſuram evadebant: minimè verò illi, qui Societati Communi uniti vivebant ex voto; horum enim converſatio ex evangelio erat, id eſt apoſtolica immediatè imitatio: de his ergo idem Pomerius: *de Evangelio vivunt*, inquit, *qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiſcunt, non ſuorum ſed communium poſſeſſores.* Quò magis itaque iſti declinabant, per Deſcendentes gradus, aut penitùs ab eis dilabebantur, eò acrioribûs correptionibûs animadverſum eſt in illos, à quibus tamen tamdiu immunes reliqui Clerici non votivi fuerant, quamdiu eos reos non redderet aut avaritia, aut ſimoniaca labes. Iſta veriſſima eſſe, ſi nulla alia documenta ſuppeterent, vel unus laudatus à nobis Julianus Pomerius ſufficeret, non diu poſt tempora S. Auguſtini Scriptor Clariſſimus: Hic enim diverſos illos expropriationis gradus ſuo tempore viguiſſe quàm manifeſtè declaret, patebit ejus præcipuè librum 2. à capite nono ad usque 14tum de contemplatione percurrenti, quæ ut nos hic deducamus, odioſa prolixitas non admittit.

L. 2. c. 14.

Verùm nè aliis hanc in rem adducendis teſtimoniis ſuperſedere videamur, quædam producere non gravabimur: Sæculô ſextô expropriationem votivam ſecundùm primum, vel ſaltem ſecundum gradum Concilium Toletanum perſpicuè

Conc. Tolet. an. 531. Can. 1.

ſpicuè commendat: *de his*, inquit, *quos voluntas parentum à primis infantiæ annis, in Clericatûs Officio, vel monachili poſuit, pariter ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi, vel miniſterio Lectorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia à Præpoſito ſibi debeant erudiri, at ubi Octavum decimum ætatis ſuæ annum compleverint, ſi gratia eis Caſtitatis, Deo inſpirante, placuerit, hi tanquam APPETITORES ARCTISSIMÆ VITÆ, leviſſimo Domini jugo ſubdantur, ac primò ſubdiaconatûs miniſterium, probatione habitâ profeſſionis ſuæ à vigeſimo anno ſuſcipiant.* Hæc *arctiſſimæ vitæ appetito* ſeu electio ipſam votivam profeſſionem denotat: qua ſe Clericus non ſolùm votô Caſtitatis Deo in perpetuum obligabat, verùm obedientiæ quoque, atque paupertatis. Neque refert, neutrius hic fieri mentionem, antiquiſſimum enim ſanctis Patribus fuit, ſolo caſtitatis nomine etiam reliqua duo vota veſtire. Sic tempore Baſilii ſolius Caſtitatis nuncupatione diſcriminabatur à Sæcularibus monachus, quamvis indubitatè trinô votorum vinculô conſtrictus: quod adeò receptum erat, ut inculparet Baſilius erroneum quorundam judicium exiſtimantium Caſtitatis votô à monachis emiſſô reliqua non contineri, cùm tamen quodam indiſſolubili in illis glutine necterentur: Hinc ſequentem Sermonem format de Virginitatis Diſciplina: *hoc dico*, inquit; *non ut unum tantummodo vitioſæ affectionis genus ſpectans, quemadmodum opinantur quidam, qui perfectam habere ſe virginitatem exiſtimant, ſi caſtum modò corpus cuſtodierint, ſed ut doceam eum, quô Deo ſervare ſe integrum velit, nullâ debere pravâ affectione mundanâ inquinari juxta omnem vitioſæ affectionis modum. Nam iracundia, invidia, & præteritarum injuriarum tenax memoria, mendacium item, & ſuperbia, & elatio Spiritûs, & intempeſtiva locutio, & in oratione facienda lentitudo, & rerum, quæ nullæ ſunt cupiditas, mandatorum negligentia, in veſtitu nimio plus exquiſitus ornatus &c. Hæc omnia adeò diligenter ab eo ſunt cavenda, qui per virginitatem Deo ſe ipſum conſecravit, ut par ſibi propemodum eſſe periculum intelligat, ſi in aliquo iſtorum lapſus fuerit, atq; ſi in vetitum propriè peccatum incurrat.*

Serm. de inſtit. monachorum edit. Colon. f. 268. Col. 2.

Exiſtimabat igitur Baſilius in monaſtico inſtituto Virginitatis prærogativam complementum quoddam eſſe reliquarum virtutum atque votorum, ita, ut vovens illam, hoc ipſo ſe reliquis illigaret, ſine quibus virginitas promiſſa, aut nulla eſſet, aut periculo omiſſionis obnoxia. S. Hieronymus votivam Heliodori vitam Monaſticam ſola caſtrationis ſpiritualis voce inſinuat, *tu*, inquit, *cùm de relictâ militiâ te caſtraſti propter regnum Cœlorum, quid aliud quam perfectam ſecutus es vitam?* id ipſum facit Innocentius primus Ep. ad Victricium c. 10. Ambroſ. L. 2. Ep. 25. ad Eccleſ. Vercell. Auguſtinus, Epiſt. 60. ad Aurel. hinc cum Theofredus Abbas Calmeliacenſis de ſe monaſtici inſtituti profeſſionem à tenella ætate factam atteſtaretur, non aliud è tribus votis niſi Caſtimoniam nominavit: *Cùm verò*, ait: *jam ſeptimum ætatis primæ tetigiſſem annum, potenti Deo ſervavi Caſtimonium.* Ut legitur in eius vita c. 8. dum itaque Toletani Patres *gratiam Caſtitatis* cum *appetitione arctiſſimæ vitæ* in præfato allegant Canone, juxta ſtylum illius Sæculi intelligendos eſſe, quisque eruditus perſpiciet, ita quidem, ut per præfatam phraſim omnium trium votorum præſcripta habeatur *profeſſio*. *Arctiſſima* omninò *vita* hinc ſolùm meritò dicenda, quod nemo aliàs arctiùs, ſe Deo devinciat, quàm dum trina hac ſe ligaturâ innectit.

Hieron. Ep. ad Heliod. de laud. vitæ ſolit. in med.

Apud Cang. verbo Caſtimoninm.

Rurſum dein Sæculô ſeptimô aliud Concilium Toletanum an. 675. Canonem ſequentem edidit: *quamquàm omnes qui ſacris mancipantur ordinibus, Canonicis regulis teneantur adſtricti, expedibile tamen eſt, ut* pre-

Digitized by Google

promiſſionis ſuæ vota ſub cautione ſpondeant, quos ad promotionis gradus Eccleſiaſtica probat diſciplina, ſolet enim plus timeri, quod ſingulariter pollicetur, quàm quod generali ſponſione concluditur; & ideo placuit huic ſancto Concilio, ut unuſquiſque, qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt acceſſurus, non ante honoris conſecrationem accipiat, quàm placiti ſui annotatione promittat, ut juſtè & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus ſuis Canonicis regulis contradicat, atq; ut debitum per omnia honorem, atq; obſequii reverentiam praeminenti ſibi unuſquiſque dependeat. Igitur juxta hunc Canonem tenebantur Clerici ad emittenda vota, *promiſſionis ſuæ vota*, inquit Canon, *ſub Cautione ſpondeant.* At per *Cautionem* iſtam intelligunt Patres, non jam generalem quandam, ſed ſingularem *votorum promiſſionem*, ſcilicet, *quia plus ſolet timeri, quod SINGULARITER pollicetur*, ergò vovebant ſub his verbis, *quòd piè ac juſtè vivere vellent*, *Caſtitatem, paupertatemq;*, & per ſub ſequa *obedientiam* intelligendo. *Intelligendo* inquam, quia ſicut obſervavimus, Concilium Toletanum ſupra memoratum per *arctiſſimam vitam*, non aliam niſi votivam inſinuaſſe, quæ enim aliàs arctiſſima, niſi iſta nuncupari meretur? ſic hæc Pauli verba, quibus *juſtè ac pie* vivere ſpondent Clerici, caſtam, ac voluntariæ paupertati ſacratam vitam complectuntur: Hæc enim loquendi norma, tum temporis, ut plurimùm Conciliis fuit ſolita, pleraque per tranſlata aut variantia exprimentibus unde per *pietatem* Baſilius quóque *continentiam* explicat, ait enim; *Nunquid pietatem in vita colere volenti neceſſaria continentia eſt? Juſtè* autem vivere, veram & apoſtolicam includit paupertatem, nam ut verbo uno concludamus, ſicut Paulus præmiſſâ abnegatione impietatis & ſæcularium deſideriorum manifeſtè intellexit ſubſequentibus, ſcilicet ut *ſobriè piè ac juſte vivamus*, vitam religioſam, ut adeò merito ſyrus ſic verterit, *ut vivamus cum caſtitate, juſtitia & reverentia Dei* (ubi vides per juſtitiam deſignari paupertatem ſimul atque obedientiam) ita hunc ipſum ſenſum horum verborum Patres Toletani habuerunt: unde quoque multæ hoc Sæculo voluntariè pauperes in Clero Congregationes exſtitère, de quibus, quia in ſequentibus ſingularia referemus, illuc Lectorem dimittimus.

ad Tit. 2. 12.

interrog. 16. regul. fuſior.

Cornel. in hunc loc. Pauli.

Sæculô octavô nonôque probat tum Chrodegangi tum ipſa Aquisgranenſis regula, voluntariam votivamque in Clero expropriationem tam quoad primum quàm ſecundum gradum immodicè floruiſſe, *quodſi* (inquit Chrodegangus) *alter fuerit, qui ſe eis voluerit ſociare, & omnia ad integrum perfectionis gratiâ derelinquere, Epiſcopus provideat eis neceſſaria, qualiter opus bonum quod Deo inſpirante cæpit, adimplere valeat.* Et Patres Aquisgranenſes gratis ſermonem utrúmque S. Auguſtini regulæ ſuæ inſeruiſſent, ſi nullus Clericus Canonicúsve voluntariè pauper iis temporibûs exſtitiſſet: hinc Carolus Magnus apud Baluzium in Capitulari, cum ſciret Canonicos univerſim ſe profiteri Sæculum reliquiſſe, mirabatur vehementer, *quomodo* tamen, *qui propria vult retinere, neq; tamen omnino velit conſentire, ut à quolibet ſæcularis vocetur.* Illi enim qui proprietati ſtudebant Canonici, adeo adhuc affectabant cum expropriatis & ſinceris religioſis ſaltem nomen retinere, ut Sæculares ideo audire erubeſcerent, quos hinc meritò Carolus ſugillat. Quamvis autem facilè ſingillatim monſtrari non poſſit qua viciſſitudine temporum, hic aut ille gradus paupertatis remiſſior vel accuratior fuerit obſervatus, ex hactenùs tamen relatis probaſſe ſufficiet quempiam eorum viguiſſe, quemadmodum eadem difficultas de ipſis quóque recurrit monachis, ut certè in antiquis non rarò Documentis tam difficile ſit ſolidam paupertatis obſervan-

in regula c. 31.

Capitul. 2. an. 811. c. 8.

Digitized by Google

vantiam in monachis, quàm in Clericis reperire, prout erudicis notum.

6. *Diverſi licèt paupertatis gradûs obſervatores Clerici, ejuſdem tamen inſtituti ſpeciem retinebant.*

Supereſt jam ut ad ſecundam præſentis capitis quæſtionem transeamus, an ſcilicet hæc graduum diverſitas quampiam in Clericis cauſaverit ſpecificam inſtituti diverſitatem. Certè quidam recentiorum vel ideo modernos Canonicos regulares ab antiquis ſpecie, atque hinc & origine diſtinguunt, quòd alio longè paupertatis gradu quàm illi obligentur, utpote illis patrimonio renuntiantibus, minimè iſtis, maximè ſub Ludovici temporibus. Verùm hæc qualiscunque Demum renuntiationis diverſitas diſcriminare inſtitutum Canonicum ſeu Clericale in ſua ſubſtantia & ſpecifica ratione non poteſt: nam nemo prudentûm negabit in eadem ſpecie inſtituti religioſi poſſe jam laxiorem, jam remiſſiorem obſervantiam paupertatis haberi ſine ſpeciei diſcrimine, maximè ubi paupertatis infima ſpecies nunquam ex vi inſtituti fuerat definita: rem ad oculum de monachis Declaramus. Arctiſſima his à ſuo legislatore Benedicto expropriationis Lex fuit impoſita, ut patet ex regula; narrat tamen Ceadmarus S. Anſelmo coævus Sæc. 12. in Concilio Londinenſi Cap. 2. de his fuiſſe conſtitutum: *omnes, niſi à Prælatis conceſſâ, proprietate careant, ſi quis verò aliquid proprii ſine præfata licentia habere in morte deprehenſus fuerit* &c. Hæc norma votivæ paupertatis coincidit directè cum tertio gradu à nobis relato, qui ſanè ante ſæculum ſaltem octavum longè aberat à S. Benedicti monachis, utpote quibus ne quidem ex ſuperiorum venia proprium unquam licuerat. Bernarius ad finem Sæculi decimi Abbas Hersfeldenſis, ut narrant Annales Bened. *Erat genere non minùs, quàm dignitate illuſtris, ſed humanitatis popularis famam aucupatus, fratres ſuos fovebat indulgentiùs, ita, ut more Canonicorum proprietates ſibi tam in privatis ædificiis, quàm & in equis & Cultioribus quoq; plurimis veſtimentis ac cæteris mundanæ gloriæ pompis vindicarent, & licentiam quoq; dandi & accipiendi, cum illicitis ac ſuperfluis conviviis cæteriſq; talibus uſurparent.* In Laubienſi monaſterio circa annum 960. primùm ad regulam correcti leguntur monachi, cùm *antea permiſſa fratribus rerum pecularium & tricliniorum ſolummodò impunitas eſſet, de cætero honeſtè quidem & in commune viveretur.* In hoc igitur nec Hersfeldienſes, nec Laubinenſes à gradu penè quarto multùm diſtabant. Cauſam verò tam diverſimodè obſervatæ paupertatis apud monachos facilè reperies, ſi eorum impenſum deſiderium obſerves, ab antiquiſſimis temporibus ſemper veſtigiis inſiſtendi Canonicorum, quos plurimùm æmulari appetebant, ut viverent nimirum *more Canonicorum*, haud dubiè pari lance ponderantes ſuam cum Canonicis in paupertate obligationem, æquè forſan de quarto adhuc gradu ſecuri, ſi modò non ſuperflua poſſiderent. Unde quóque ubi ad annum 802. celebratum eſt Concilium illud notiſſimum Aquisgranenſe, repertum eſt tum monachos adeo à ſuo inſtituto exorbitaſſe, ut promiſſio regulæ pene in oblivionem abierit, *nec ulla*, ut inquit mox cit. Mabillonius ad annum prædictum, *ſolennis profeſſio fieret*, tunc ergò non ſolùm à præſcripto per regulam S. Benedicti ſtrictiori paupertatis gradu ad laxiores deſcenſum eſt, ſed monachili inſtitutô apud quosdam rejectô nulla publica authoritate *ex monachis facti ſunt Canonici.* Nihil ad hanc libertatem videtur potiorem anſam præbuiſſe, quàm laxa paupertatis interpretatio, quâ ſe hi monachi tuebantur, &, ut diximus, æmulatio in mores Canonicorum: Omitto innumera propè his æqualia exempla univerſim docentia, etiam monachos non uno gradu manſiſſe adſtrictos, ſed identidem

Thomaſſ. p. 1. L. 3. c. 11. n. 1.

act. SS. die 27. Maij.

apud Mabill. ad an. 1006. n. 70.

ibid. L. 46. n 38. & Spicileg. Dacher.

tidem

tidem remiſſionem quæſiiſſe. Si ergo ſalvâ ſpecie eâdem, tanta dabatur paupertatis diverſitas in iiſdem S. Benedicti monachis, quid eam tum cauſamur in Clericis? ubi conſtitutiones particulares adhuc nullæ, formula ad certum gradum adſtringens profitentium nulla, regula nulla, præter ampliſſimam illam Aquisgranenſem & in aliquibus iisque perpaucis fortè locis S. Auguſtini, æquè nil aliud, niſi communis ſocietatis & expropriationis genericæ præſcribens in paupertate limites, quos ſanè obſervare tam in ſecundo gradu, quam tertio quisque potuit, imo obſervavit, quicunque genuinus exſtitit ſub diſciplina S. Auguſtini in Clericatu imitator ac filius.

Nihil itaque ex ſæpedicta diſtinctione graduum paupertatis, nihil, inquam, inferri Diſcriminis poteſt in inſtituto Clericorum, erátque tanta analogia eorum omnium, qui votis adſtricti erant, quanta nunc eſt inter ipſos Canonicos regulares, quos aut Windesemenses, aut Lateranenſes aut Genovefanos aut S. Salvatoris Foreriaños, aut Bononnienſes vocamus? quantaque eſt inter ipſos monachos, quos aut Caſſinenſes, aut Cluniacenſes, aut S. Mauri, aut S. Vitoni &c. nuncupamus, quorum alii regulam D. Benedicti ſtrictiùs obſervant, alii laxiùs, alii paupertatis gradum tam altum, tam rigoroſum tuentur, ut in uſu rerum ſint moderatiſſimi, quales erant olim Fructuarienſes, Cluniacenſes, ac præprimis Caſſinenſes, ut videre eſt in Chronicis Lamberti Schaffnaburgenſis, Pauli Langii &c. qui lætanter gloriari poterant, nullum ex ſuo gremio fortè reperiendum, Dæmoniaci illius ex quodam obſeſſo Clerico enuntiati reum: *Monachus, qui habet obulum, non valet obulum* &c. ut refert Chronicon Mag. Belg. ad 1197. Alii econtra longè liberiùs ſe habent, delicatiùs induuntur, aluntur nobiliùs, nec inhibitum quóque illis eſt pretioſis rebûs uti; quod nos facilè declarare poſſemus: ſed non eſt noſtrûm ea huic operi noſtro inſerere, quibus dum in veritate ſtabiliri ſatagimus, injuriam aliis cauſatam incurramus.

Hæc ergo de diſcrimine voti paupertatis ejusque per temporum viciſſitudines qualitate, quibus variè affectum fuerat, referre oportuit, ut in ſuccedentibus quæſtionibus planiùs procedere, ac præcipuè mox ſubſequens Caput aptiùs ordinare valeamus.

CAPUT VI.

Enarratur vitæ communis ſeu votivæ Clericalis propagatio analogica usque ad tempora Conſtantini M. Imperatoris.

CUm è ſcaturigine ſua in aliena loca fluvii dilabuntur, non rectâ, ſed per anfractus quandoque impervios, imò per abductas terrarum latebras mirâ planè varietate diſcurrunt, neque inde deficientes, unde ſuam deduxêre originem, quia plures ſub decurſu rivulos immergentes in ſuum conſortium, ſinumque excipiunt, quibûs augentur potiùs in ſe ipſis, quàm mutentur in alios. Digna profectò comparatio hæc eſt ad Clericale, de quo loquimur, inſtitutum; nam à quo fonte apoſtolico ſemel diffluere cæperat, multis diſtractum contrarietatum anfractibûs, & per incognitos pene, ſalebroſosque receſſus deductum, nunquam tamen ideo periiſſe putandum eſt, quin potiùs continuò rurſus emergens amplioribûs munitum mediis idem ſemper in ſe ipſo permanſerit. Nihil hactenus ad propoſiti noſtri rationem ſcopumque dixiſſemus, quidquid de votiva Apoſtolorum vita, de votorum qualitate, viciſſitudineque, de vitæ denique Communis prioribûs Sæculis uſitata ſignificatione ac nomenclatura diſſer- 1. *Quæſtio inſtituitur an per prima quatuor Secula in Clero viguerit Vita communis.*

ſertum eſt, niſi univerſim ſubſiſteret, eandem votivam, communemque vitam, quam probandam aſſumimus, per continua ſuccedentia tempora fuiſſe propagatam. Igitur primò quæſtionem conſultò expediemus, an Communis vita per prima quatuor Sæcula non interruptè perduraverit; exin hiſtoricè ad usque Sæculum decimum incluſivè propagationem ſeriemque nunquam interruptam deducturi.

Thomaſſ. Vet. & nov. diſcip. Part. 1. L. 3. c. 2. per totum.

Quæſtionis verò iſtius tractandæ occaſionem cumprimis ex Thomaſſino nacti ſumus, qui inter alia doctiſſimè planè, ac ſolidè à ſe propugnata, ſequentia de vita communi aſſeruit: *Quantumvis*, inquit: *Connitaris ad antiquitatem Clericorum conventibus occupandam, nulla eorum fundamenta occurrent, niſi exeunte Sæculo quarto - - - fructus hi fuère pacis Eccleſiarum per Conſtantini imperium invectæ.* Dein paulò infra: *Communem profectò Chriſtus cum Apoſtolis ſuis vitam initiavit, duxitq́, eâdem cum ipſis menſâ, domôq́, & eodem contubernio uſus, & poſtquam ille in Cælos evolavit, Apoſtoli quoq́, diſcipuli ejus Communis vitæ vinculo copulati, præluxerunt venturis Sæculis, cleróque abſolutiſſimam vitæ formam præmonſtraverunt, ſed non usquam alibi quàm in Palæſtina effingere ſe, & formare potuit Eccleſia in eam vivendi normam - - -* denique ait: *non diſſimulamus autem earundem rerum temporalium communionem, & erogationes ſportularum viguiſſe in Eccleſia in primis illis exordiis, ubi pro modo neceſſitatis, ordinis & laboris, de fiſco Eccleſiæ omnibus providebatur. Verùm argumento id ipſum eſt, non eam verè dici potuiſſe Cleri Congregationem.* Hæc vir iſte ſanè eruditiſſimus neque ſine argumentorum pondere requiſito, neque adeò contrariè ad propoſitum noſtrum, utpotè qui vitam, quæ eſt in bonorum communitate, primis illis Sæculis non abnegat, ſed eam, quæ eſt corporum. Quod, quamvis principiis noſtris non ſolùm non refragetur, ſed proſit cùm tamen ea, quæ eſt corporum, manifeſta habeat ſuæ tum exiſtentiæ indicia, non poſſumus, ne in hoc non omninò diſſentiamus: erat communis hæc ipſaque corporalis Societas Clericorum excellentiſſima planè primæ Charitatis apoſtolicæ portio, nunquam, & ne ullo quidem Tyrannorum inſultu diſſipanda, tam parùm, quàm unquam Societates illæ & conventus fidelium per quæcunque barbarorum ſtudia reſcindi valebant. Cùm verò nobis ex adverſantium mente præcipuè tria propugnanda ad ſolidè aſſerendam communem hanc corporum quoque vitam, occurrant, primò ſcilicet: eam non in qualibuscunque fidelibus, ſed præcipuè viguiſſe in Clero: Secundò: Sportulantes fratres primis illis Sæculis in Eccleſiaſtico miniſterio conſuetos nihil huic Communitati officere. Tertiò: Nec quóque ad impugnandam hanc communitatem ſufficere ſilentium ſanctorum Patrum eâ ætate viventium atque ſcribentium. Hinc Iſta univerſim teſtimoniis requiſitis rationibûsque probare juvabit.

1. Reſpondetur ad quæſtionem affirmativè.

Primò itaque indubitatè dicendum: Commune quoddam conſortium inter fideles per aliquot Sæcula perſeveraſſe, non tale quidem quale à Luca commemoratur, neque tamen multùm diſſimile: Erat prima illa communitas inter Laicos talis, qualis in Clero, alimentorum partitiones, orationes, quin ipſa quóque diurna, nocturnaque manſio cum omni decore honeſtatis contingebat in communi, & tot millium fidelium congregatio ſe habebat, velut nunc religioſa aliqua in eodem monaſterio collecta ſocietas; non, quòd omnes in una morarentur domo, nam nulla nobis de tam ingenti ſtructura notitia ex actis apoſtolicis aut aliis Scriptoribus tribuitur, Certiùs ergo, quod plura à neoconverſis Judæis ad apoſtolicam hanc vitam domicilia conceſſa facta

ta ſint (quot demum unumquodque eorum capere poſſet) habitacula fidelium, quibus deinde per certas turmas à conſtitutis diſpenſatoribus neceſſaria ad victum veſtitumque ſignatis temporibus miniſtrabantur; ita quidem, ut ordinatiſſima quædam fieret diſcriminatio ſexûs, Conditionis, atque ætatis: quis enim dicat, aut imaginari ſibi poſſit, ab Apoſtolis ſpiritu divino illuminatiſſimis (qui omnia ſecundùm ſapientiam ſuam diſponit in ordine, pondere, & menſura) maſculos cum fæminis, pueros cum puellis, aut illos, iſtasve cum ipſis Clericis promiſcuè (cùm in ipſa quoque Noëtica arca, manſiunculæ fuerint, in quibus ordinatè ſingula animalia, hominesque habitarent) fuiſſe conjunctos, & non potiùs eos, qui ob ſtatûs, ſexûs, ætatisque diſparantiam, minùs æquè ſociari poterant, diverſa quóque, ſeu ſeparata penetralia obtinuiſſe. Unde facilè diſſolvi illud argumentum poteſt, quod citatus à nobis eruditiſſimus Author de ipſa quóque Jeroſolymitana communitate ſtatuit, dicens, *Illa vita communis profeſſio, de qua Lucas in actis, non Apoſtolos ſolùm & Diſcipulos, hoc eſt, non Clerum duntaxat complectebatur, ſed fideles etiam Laicos conjugatos, & mulierculas, puerosq́; & innuptas puellas. Itaq́; Clericalis non poteſt dici ea fuiſſe congregatio.* Profectò non invenio, cur clericalis hæc & quidem perfecta nequiverit dici congregatio, cùm Clerici omnes abſolutiſſimâ ad invicem Societate convivere potuerint, in tantum ſeparati à promiſcua fidelium cæterorum turma, in quantum, usque ad tempora Gregorii, imò in quibusdam locis, etiam ad Sæculum 13. cohabitabant in uno monaſterio (non tamen in eodem Clauſtro, aut ut vocant, dormitorio) cum monachis Canonicisve Virgines Sanctimoniales. Utróque ſexu perfectam inter ſe communem vitam agente. Inhibuit id primùm Gregorius Mag. at non omnino tollere conſuetudinem potuit, quin Paſchalis adhuc 2. Sæculô 13. legem ſtatuendam cenſuerit ad Epiſc. Compoſtel. his verbis ſcribens: *omnino incongruum eſt, quod per regionem veſtram monachos cum ſanctimonialibus habitare audimus:* id ipſum factum in multis monaſteriis Canonicorum regular. Germaniæ paſſim eorum hiſtoriæ exhibent. Unde quóque ex ſe ipſo altera difficultas reſolvitur, quam ſupra tetigimus: equidem certum eſt, omnes in uno triclinio non comediſſe, unóque in habitaculo non reſediſſe, directè id atteſtante Luca act. 2. v. 45. & 46. *dividebant - - omnibus, prout cuiq́; opus erat, quotidie quoq́; perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem.* Sic accuratè vulgata vertit ex Græco in plurali ſcilicet *domos*, quia inquit Cornel. hic: creſcente numero fidelium per *varias domos* eos (panes nempè) diſtribuere oportebat. Iſte modus tamen vivendi communem non impedivit vitam, cùm in compluribus ædibus ordinari potuerint ſecundùm certum numerum fideles, ut exempli cauſâ, in una moratentur plures, in altera pauciores; ſed præcipuè eligebatur ex iis aliqua, & haud dubiè ea, quam traditam à Maria, Matre Joannis cognomine Marci, docet Baronius aliique, pro Apoſtolis ſuisque Clericis, utpote quos ipſa dictabat ratio, tanquam plebi Præpoſitos, & in ſpiritualibus miniſtros oportuiſſe aliquo in loco ſeparato, aptoque morari ad divina celebranda: quid ergo in hoc caſu obſtitit, quin perfecta fuerit in eo loco clericalis congregatio?

Verùm hæc prælibando diximus de primo clericorum cætu in oriente conſtituto, nunc in occidentem divertamur, de quo præcipuè hìc agendum promiſimus. Ubi, ne nimii ſimus, dimiſſis iis, quæ diſperſionem & emigrationem in terras alienas reſpiciunt, & aliunde tan- 3. *floruit in Clero Romæ perfecta vita communis.*

tanquam nota ſupponuntur; Petrum adimus Romæ fidei ſalvificæ prima ſemina jacientem: tunc ergo ut communiter hiſtorici narrant, plurimis in modico tempore, converſis ad fidem, Pudeus Senator, effectus Petri diſcipulus, domum ſuam in Eccleſiam tradidit, hodiedum notam ſub titulo *Paſtoris*, fecit id ipſum Euprepia matrona nobilis, atque prædives, ut ſcribit Baronius ad an. Chr. 57. n. 100. addens inſuper rerum Eccleſiaſticarum cultum non exilem inibi perſtitiſſe: *quantumlibet*, inquit, *perſecutio undique urgeret*. Quodſi non deerant Apoſtolis, reliquisque Altaris miniſtris *Eccleſiæ*, haud longè abeſſe potuère (quæ probemus) pro iis *Domicilia:* Et ſiquidem non alia reperiri poſſent ab Eccleſia diſtincta, certè nil prohibet, quò minùs affirmemus, omnes illos, quos una Eccleſia cum Epiſcopo expetebat, velut Samuelis imitatores nec die nec nocte receſſiſſe à tabernaculo: ſed proderit diſcutere ampliora.

4. *Clerici perſecutionum tempore in criptis cum ſuo Epiſcopo Congregati vivebant in Communi.*

Igitur cuique hiſtoriæ perito notum credimus, ipſo etiam perſecutionum tempore, cùm in criptis & cavernis terræ Chriſtiani plurimi occulerentur ob metum, Clericos quóque illic fuiſſe congregatos: demonſtrant id quotidiani Conventus ſacri, Exhortationes piæ, aſſiduæque ad fidem corroborandam in cordibus neophytorum, nec non actitata divina myſteria; ſic enim in ipſo turbine ſævientium tyrannorum teſtatur Dyoniſius Alexandrinus ſacram eos Synaxim celebraſſe: *nos*, inquit, *adjuvante Deo, non à Conventu conſueto inter nos celebrando abſtinuimus, quin ipſe quidem quosdam in Civitate fratres, perinde ac ſi ſimul cum illis converſatus eſſem, ad conventus perſtudioſè agendos, impuli.* Idipſum quod Alexandriæ in oriente, in urbe Roma legimus factitatum in occidente: nam in actis S. Stephani Papæ apud Baron. ad an. 259. n. 21. ſcribitur: quod in *Nepotiana crypta* (temporibus nimirum Valeriani & Gallieni Imperatorum, ſub quibus adeo perſecutio efferbuit, ut quicunque proderet Chriſtianum occultum, omnes facultates ejus acciperet, & honorem militiæ obtineret) *factò conventu, inventi ſunt promiſcuè ſexûs viri & mulieres numerô centum & octo &c. altera autem die ordinavit idem Stephanus res Eccleſiæ, committens eas tribus presbyteris, Diaconis ſeptem & Clericis ſexdecim.* Hæc acta nobis abundè ſufficiunt ad probandam Clericorum Romæ in ſumma perſecutione fidelium, congregationem; nam imprimis hi Presbyteri, Diaconi, ac Clerici reliqui non erant fortuitò tunc ad conventum Collecti, ſed miniſtri Stephani continuò eidem ex inſtituto aſſiſtentes, ut infra docebimus; quæro autem, quâ normâ hi coadunati Clerici vixerint, cùm nec (etſi vellent) fortaſſe ſuppeteret eisdem habitare ſeorſim, certè unà neceſſe erat tum illis cibum ſumere, ſomnum capere, cæteráque ad humanam Societatem requiſita omnimodè cuſtodire. Addamus, quod Chryſoſtomus commemorat de primis fidelibus, eorumque Charitate, *ſtatis*, inquit, *diebûs, menſas faciebant communes, & peractâ ſynaxi, poſt Sacramentorum Communionem inibant Convivium, divitibus quidem cibum afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus.* Profectò inutilem hujus charitatis memoriam quibusdam avaris (quos præcipuè tangere his verbis cupiebat Chryſoſtomus) feciſſet vir Sanctus, niſi certus fuiſſet, quod fecerant fideles Laici, jam quaſi ex ſolito & aliunde Clerum, utut valebat, curaſſe: & tam eximiæ dilectionis opus, quod inter ſe agebant ex conſtituto, exercuiſſe etiam in reliquos, hocque non ſolùm in oriente, ſed & in occidente: Nam convivales hæ menſæ dicebantur *Agape*, quæ Romæ, ac ubi poterant, fiebant: vide Baronium.

apud Euſeb. L. 7. c. 17.

in 1. ad Cor. 11. hom. 27. in princip.

nium. Præterea, ut preſſiùs ad clericalem genuinam congregationem primis illis temporibus conſuetam deveniamus, manifeſtum teſtimonium, de S. Genulfo Romæ circa annum 292. conſecrato Epiſcopo Cadurcenſi, referunt vitæ acta apud Anonymum Bib. Floriacenſis: L. 1. c. 18. hic enim: *Cùm Cadurcum primus Epiſcopus accederet, & in agro Bituricenſi Eccleſiam conſtitueret ſibi certam ac ſtabilem, plurimi ſuas illi tradentes poſſeſſiones, comam capitis ibidem pro Deo deponebant, ac ejus ſervituti ſedulæ ſe mancipabant, quos pius Doctor & divinis ſemper inſtitutionibus informabat, & charitate Dei & dilectione fervere proximi, & pacis unanimitatem ſervare monebat.* Perpenſo hujus narrationis contextu, non aliud videre hìc licet, quàm perfectam vitam communem votivo-clericalem à Genulfo comam capitis deponentibus ac poſſeſſiones ſuas tradentibus conſtitutam: cum quibus eò certiùs ſupponi debet communi victu, habitationeque adunatus, quò minùs aliàs ipſi ſua bona in manus Epiſcopi renuntiantes novelli Clerici quidquam, unde ſuſtentarentur, habuiſſent.

Per id autem, quod hìc objicitur: *Non usq; adeò deſipuiſſe Rectores Eccleſiarum, ut florem delibatum Chriſtianæ Eccleſiæ unum in locum colligerent, objicerentq; infidelium graſſationi.* Videntur quodammodo, aut diſſimulari, aut non apprehendi communis vitæ congregationisque Clericalis qualitates, cùm eam formare poſſit atque conſtituere minor etiam numerus in unum collectorum, & ad hanc congregationem perfectè formandam nemo non ſufficere dicet etiam ſex, ſeptemve eorum. Certè ſi Chorum Canonicum ſaltem quatuor juxta communiorem componunt, cur non & congregationem? unde quidam Authores apud Laymanum. 1. Decret. tit. 6. Cap. 1. n. 5. hanc etiam ad duos reſtringunt, cùm dicat Pontifex in hoc capitulo. *Nullus in Eccleſia ubi duo vel tres fuerint in Congregatione* &c. Et eam per tres perſonas perfectè confici, aliis conditionibûs impletis, quibûs talis à ſingulariter cohabitantibus, ut ſunt Parochi cum ſuis Capellanis, diſtinguitur, idem Laymanus citatô locô declarat. Sed nos lubentes admittimus etiam ad quinque aut plures eandem extendendam, quam tamen illis quóque temporibus exſtitiſſe quisque conjiciet, qui Epiſcopum à membris ſuis nunquam ſeparari potuiſſe legerit in antiquiſſimis Actis, quales ſunt, quos mox ſupra de Stephano Papa recitavimus; & de S. Cypriano ſufficiens exſtat monumentum, quod ipſe ſemper tanquam Epiſcopus Clericos adjunctos habuerit, ut cum iis perfectum Clericale corpus componeret, quamvìs quandoque non plures, quàm eidem ad miniſterium quotidianum ſufficerent, ut ipſe inquit Epiſtola 24. hinc qui Epiſcopis cogebantur ad quotidianum miniſterium aſſiſtere presbyteri, Diaconi, Clerici, certiſſimè pariter cum eodem erant in uno triclinio, & in uno qualicunque demum conclavi, de quo inferiùs loquemur. Neque per hoc Epiſcopi incauti prodigique Cleri ſui diſſipatores ſunt arguendi, quòd eum ſecum in unum collectum habuerint, magis culpandi, ſi velut oves hinc inde diſperſas emiſiſſent, quamvìs & hoc, ſi neceſſitas exigebat, fecerint: mirorque, potuiſſe hanc objectionem adferri à viro eruditiſſimo, quaſi nempè non majus periculum exponendi Clerum graſſationi infidelium inſinuiſſet, cùm eum dimiſiſſent ad extra, quàm cùm collectum ſuo in gremio, ut ita dicam, protexiſſent Epiſcopi, & tamen id negari non poteſt factum fuiſſe: unde etenim aliàs Evangelii prædicatio ſuum obtinuiſſet incrementum? neque enim illam perfecerunt ſoli Epiſcopi, ſed Presbyteri quoque, Diaconi, aliique Clerici, velut omnes conclamant hiſtoriæ. Si

ergò

Digitized by Google

ergò hæc aperta Clericorum expoſitio, & objectio graſſationi infidelium, Sapientiæ ac providæ gubernationi Epiſcoporum non obfuit, quid eiſdem ſuccenſeamus de illis, quos ſecum in una congregatione ac contubernio, ob quotidianum miniſterium neceſſarios, retinere ſolebant? & ſi florem delibatum Chriſtianæ Eccleſiæ cautiùs fuiſſe cuſtodiendum quis dicat, repono, vel ideo debuiſſe in ſinu Epiſcopi & ſecurâ aſſervari cuſtodiâ. Cedo enim, quid periculoſiùs in illis perſecutionibus? ſimul in quodam domicilio aliquos Clericos fuiſſe collectos, ubi Athletæ Chriſti egregiis virtutibus per Epiſcoporum aſſidua exhortamenta armati, poſtmodum ad præfinitum tempus, quaſi quidam generoſi catuli adverſus Dei hoſtes exſilirent intrepidi: an vero? mox prodire in publicum, & adverſùs perſecutores nullô adhuc experimentô delibatô concertare, an denique occultè in antris latitare & cavernis, exſpectaréque revirentem poſt perſecutionum pruinas, olivam pacis. Fecêre hoc quidem Clerici aliqui, ſed ſi feciſſent omnes, ſanè quàm egregiè ſuo muneri, ſuæ vocationi, atque obligationi deſerviiſſent. Sed his, ut opinamur, ſatis demonſtratis, ad ſecundum tranſeamus.

5. *Sportulantes fratres erant emiſſi à communi conſortio Pracones Evangelici inter ipſos communis vitæ profeſſores cenſendi.*

Sportulantes fratres tempore S. Cypriani, imò jam antea habuiſſe Eccleſiam indubium eſt. Sed inquirendum, qui], aut cur hi fuerint? quò clarè appareat, quàm hi nunquam communem vitam corporalem indicaverint periiſſe: erant enim è majori Clero, quorum operâ Epiſcopi aſſiduò ad ſalutem animarum in exteris & diſſitis locis procurandam utebantur. De his S. Cyprianus optimam nobis ſuppeditabit notitiam; hic cùm de ordinatione Celerini ſcriberet Eccleſiæ Carthaginenſi: *Presbyteri*, inquit, *honorem deſignaſſe nos illis, jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æqualibus quantitatibus partiantur.* Non erant hæ ſportulæ aliud ab initio Eccleſiæ, quàm quod paſſim per eas vulgus notare ſolebat; in ſportis enim portabantur, quæ ad victum & alimentum quotidiano uſu comparabantur, ab his dein ſportulæ ſeu portiones nomen ſortitæ ſunt ſuum, quæ portiones idem ſunt, ac quas nunc præbendas vocamus, ut eruditè notat Cangius hoc verbo: igitur Celerinus, quòd Presbyter ordinatus ſit, iiſdem ſportulis cum reliquis Presbyteris nuntiatur à Cypriano, ut ab Eccleſia Carthaginenſi, pro qua ordinatus eſt, honoretur. Nam tam ille, quàm reliqui presbyteri honorabantur ſportulis, non hoc modô,. quaſi nunquam in communi alerentur: ſed, quod jam hi, jam illi aſſiduè excurſionibus expoſiti ſportulas obtinere ab Eccleſia debebant, ne indigentiâ inter infideles adacti minùs commodè deſervire ſuo miniſterio poſſent, audi Cyprianum Ep. 66. *Hac nunc ratio*, inquit, *& forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ordinatione Clerici promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, nec moleſtiis ac negotiis Sæcularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fratribus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant, ſed die & nocte cæleſtibus rebus & ſpiritualibus ſerviant.*

Verùm concedamus liberè, etiam univerſum Clerum inter ſportulantes fratres computari, non inde evincetur, hunc extra communem vitam fuiſſe ſervatum. Nam in primis Jeroſolymitanæ Eccleſiæ miniſtris jam probavimus, perfectam exſtitiſſe Clericalem communis vitæ congregationem; attamen, ut acta apoſtolica teſtantur, *dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat;* ſingulis, non ſolùm laicis, ſed ipſis quoque Apoſtolis, & hæc portio ſeu ſportula cuique data poterat eſſe in veſtitu aliiſque neceſſariis, quin & victu, alimentiſque, eôdem modô, quo ſupra de

de ſportulantibus S. Cypriani Clericis loquebamur: ita, ut quamvìs omnes reſpectu receptarum certarum portionum ſportulantes dici poſſent fratres, magìs tamen, & ſpecialiter illi inter eos computarentur, qui ad prædicandum Evangelium deſtinabantur longiùs ire. Nam ex ipſo contextu Cypriani clarè apparet, ſtrictè loquendò, ſeu modo illo, quo communi cohabitationi opponuntur fratres ſportulantes, non omnes fuiſſe tales ex clero dictos, ſed Presbyteros: ideo Celerinum Cyprianus dicit in honóre ſportulantium fratrum habendum, quòd Presbyterii honorem illi deſignaverit. Ergò antea Celerinus, quamvìs Clericus, quamvìs Eccleſiæ Carthaginenſi incardinatus, nondum erat inter fratres ſportulantes: & tales, qualis Celerinus antea fuerat, plures in prædicta Eccleſia exſtitiſſe, quis dubitet? ſed cùm ſolis Presbyteris ab Epiſcopis demandaretur munus prædicationis, Baptiſmi conferendi, ut ipſe doctiſſimus Author contrariæ ſententiæ eruditè declarat, hinc illi quoque tanquam Apoſtolici miniſterii occupatione à communi contubernio præpediti, atque abſentes Sportulantes fratres meritò honorantur. Hæc omnia, opinamur, tam clara eſſe, atque manifeſta, ut ne quidem ampliori probatione aut elucidatione indigeant: præcipuè ſi ſimul adductus à nobis noviſſimè Cypriani Locus ex Ep. 66. bene ponderetur, in quo apertiſſimè habemus, illos, qui à Communi conſortio ſeparati, commune ſibi obſequium exhibendum non obtinent, in honore ſportulantium fratrum eſſe habendos: ne ſcilicet tunc, dum vel maximè clerici promoventur, hoc eſt extra commune domicilium ad fidem diſſeminandam emittuntur; & dum præprimis illis accurrata imponitur adminiſtratio divina in diſpenſandis Sacramentis, ex eo, quòd à communi corporali vita ſegregati ſint, ita egere incipiant, ut ab impoſito ſibi munere, curâ procurandorum temporalium diſtrahantur; & ideo illis providendum, honorandique ſunt (tanquam operarii digni mercede ſua) requiſitis ſportulis, quas aliàs, domi exiſtentes, cum reliquis in communi acciperent.

Denique: ut ultimo quoque objecto reſpondeamus, quod de ſilentio exſtructorum primis illis temporibûs monaſteriorum agit; qui ejus temporis ſtatum novit, normamque vivendi, facilem hujus Silentii cauſam reperiet: omnibus quippe compertum eſt, ante Conſtantini ætatem, non exſtitiſſe Eccleſias ac templa eâ magnificentiâ exſtructa, quam alioquin expetebant, & poſtmodum ſunt conſecuta; attamen quotquot ſeu ex domibus fidelium, ſeu ex ipſo fundamento exſtructæ ordinabantur Eccleſiæ, ſemper eò collimabat Epiſcoporum ſolertia, ut, quantùm fieri poſſet, imitarentur Hebræorum morem in iis diſponendis: unde Baron. t. I. Ann. ad an. 57. n. 103. *quod verò,* inquit, *ad ſtructuram Eccleſiarum pertinet, ſic erant earum ſingula membra diſpoſita, ut, quantùm licet in re parva maximam omnium repræſentare ſimulitudinem, quandam hieroſolymitani templi redderent. Quippe quô porticum, atrium, ſancta, ac demum ſancta ſanctorum membra templi præcipua contineret.* Idem verò Baron. in Apparatu n. 5. commemorat, in templo Jeroſolymitano fuiſſe quoque diverſoria erecta, eaque valde accomoda, quæ cum templo ipſo unum ædificium conſtituerent, eſſentque divino ſervitio mancipatis in debitum habitaculum, ubi victum, quietem, reliquáque corporis neceſſaria obtinerent, à quo abeſſe non poterant, ut apparet I. Reg. 3. manſiones quippe, ſeu ſtrata eorum ſic fuere diſpoſita, ut in illa atrii parte, quæ erat vicinior tabernaculo, dormiret ſacerdos, in remotiore Levitæ, tota verò pars Atrii pro habitaculo ac commo-

6. *Olim intra Eccleſias erant habitacula Clericorum, aut tempore perſecutionum in cavernis terræ, ideò primis temporibus nulla monaſteriorum quoad hoc nomen memoria.*

moratione miniſtrorum Dei aſſignata, erat diſtincta ab Atrio, in quo vulgus aſſiſtebat divina operantibus, ſeu ſacrificiorum tempore; idque ſaltem ab exſtructo templo Salomonis, quod princeps iſte longè commodiùs & magnificentiùs quàm Moyſes diſpoſuit. Hinc verò non minùs ad talis templi ſimilitudinem Eccleſiæ quoque fidelium ſunt ordinatæ, ita, ut in iis degentes Clerici aſſiduè divino miniſterio peragendo adeſſent, nec ſejungebatur Clericorum domicilium ab ipſius Eccleſiæ ſtructura, ſed ſub uno tecto probabiliùs totum conſtringebatur ædificium; haud enim crediderim iſtud ſub aprico & ſolis tentoriis erectum fuiſſe, utpote quod vix requiſita ad hoc amplitudo nimia in illis temporum anguſtiis admittebat. Atque inde eſt, quod à ſcriptoribus antiquis nunquam monaſteria memorentur deſtructa, cùm intelligantur ſub ipſis Eccleſiis: neque tum monaſterii nomen adeo ſolitum erat, cùm teſte Auguſtino. tr. 97. in Jo. *In Antiochia primùm poſt Aſcenſionem Domini appellati ſunt Apoſtoli Chriſtiani, ſicut legitur in actis Apoſtolorum: Xenodochia & monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibûs: res tamen ipſa ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, quæ etiam contra improbos defenduntur.* Hinc parùm intereſt, an domicilia clericorum, in quibus communi vivebant conſortio, hoc vel illo nomine notata fuerint, & eorum aut ruinæ, aut incrementa ſub proprio vel Eccleſiarum templorumque nomine referantur. Cùm autem hæc ipſa domicilia Conſtantini tempore ſic exſtruerentur, ut ſejunctum quoddam ab Eccleſiis proximè tamen contiguis ædificium conſtituerent, tum etiam proprium indubiè ſibi nomen vindicarunt: atque ab eodem tempore, & horum ſpecialis à ſcriptoribus memoria facta eſt, quæ ſanè, cùm antea non reperiatur, in ipſis, ut diximus Eccleſiis unà cum Clero in communi vivente erit inquirenda. Hîs verò ad rem noſtram ſat apertè declaratîs demum ad hiſtoricam noſtram deductionem procedamus.

CAPUT VII.

Hiſtorica de vitæ communis Propagatione à Sæculo primo ad usque ſextum Deductio.

Quæ hactenùs de Clericali inſtituto, vita ejusdem votiva, atque votorum qualitate, de congregatione, ejusque ſtabili permanentiâ usque ad Conſtantini tempora, hoc eſt annum circiter 306. ſummatim diſputavimus, ut apprimè noſtro opitulentur propoſito, oportet, ut eadem in Clero ſaltem aliquo perduraſſe luculentiori adhuc deductione probemus; ita quidem, ut plantatio hæc ſemel per ipſum Salvatorem incepta per Apoſtolos propagata, per eorum dein ſucceſſores, præcipuè Epiſcopos, tam ſedula rigatione conſervata, nullâ interruptâ ſerie perſeveraſſe demonſtretur. Nam licèt, quæ hactenus dicta ſunt, ſi in unum argumentum colligentur, facilè ſuffectura ſint ad legitimam votivi Clericalis inſtituti propagationem comprobandam, at cùm præcipuè à ſæculo quarto Monachorum præclara converſatio, id in compluribus meruerit Eccleſiis, ut ex eremis locisque ſolitariis etiam violenter quandoque hi virtute ac ſanctitate eximii ad infulas raperentur, ſenſimque monaſtica inſtitutio in urbibus ſic innoteſceret, ut planè circa ſæculum octavum, nonumque, non raró opus ædipô eſſet ad diſcernenda utriusque inſtituti, Clericalis ſcilicet, & monachilis invicem in eodem monaſterio quaſi conglutinati ſpecimina: hinc præprimis id nobis incumbet negotium, declarare, quorundam ſcriptorum maximè recentiorum opinionem fallere, fallique, dum paſſim,

ſim, ubi aut de monaſteriis, votisque, aut (ſi ſtylô antiquis accomodô dicere mavis) *terrenorum abdicatione*, *vita communi*, & his ſimilibus ſermo occurrit, mox omnem hanc loquendi rationem ad monachismum ſignificandum detorquent: quin, quod ampliùs eſt, etiam ſi aliquem virorum monaſticorum in monaſteriis converſatum fuiſſe *Clericumq́* ab antiquis nuncupari legant, id ſibi præjudicium aſſerant, quaſi hoc ipſum nomen ſimpliciter prolatum, communiter *monachum* ſignare conſueverit. Dabunt ſanè hi viri doctiſſimi, id nobis indulgentiæ, ut in hac deductione hiſtoricâ demonſtremus, quamvìs inter Clerum ac monachismum ſæpiùs commixtionem tantam inveniamus, ut primo intuitu totus Clerus votivus crederetur in iſtum coaluiſſe, poſtmodum re penitiùs inſpectâ, & maturâ diſcretione adhibitâ, apertiſſimè liquere, ſemper inter ſe eosdem ſua diſcrimina habuiſſe: & licèt in votiva, communique vita convenirent, attamen manifeſtè adeo inter ſe ſemper diſcrepaſſe, ut ſejunctum diverſumque inſtitutum utriusque continuò exſtitiſſe reperiatur. Hæc itaque, ut ſingulatim appareant, ad ipſam in titulo promiſſam noſtram hiſtoricam deductionem progrediamur: id tamen prævìè notantes, nullô modô velle nos imponere lectoribus, quaſi quiddam novi in hoc capite cudamus, cùm notiſſimum ſit, quâ præſtanti induſtriâ hanc ipſam Chronologicam enarrationem recenſuerit Author eruditiſſimus diſquiſitionum de ordine Canonico, eumque paulò poſt imitatus fuerit Reverendiſſimus Congreg. Lat. Generalis & Abbas Cæſar Benvenuti in ſuo tractatu hiſtorico-Chronologico, aliique. Hoc ergo potiùs exemplum inſequentes oportuit omnino ſimilem deductionem & in hac noſtra exegeſi depromere, ne quod maximè ad hiſtoriam noſtram illuſtrandam confert, omiſiſſe videamur. Et quamvìs brevitatis causâ potuiſſemus ad hos Authores ablegare lectorem, at quia novimus paucos horum exemplaribûs eſſe proviſos, eâ providentiâ legentibus conſulere placuit, ut & illos (quibus prædictorum Authorum opera præſtò ſunt) non omnino crambem hìc recoctam reperturos, exploratum habeamus.

I. *Sæculô primô, ut in Germaniam vita votivo-Clericalis inducta?*

De ſæculo itaque primo multis jam actu præmiſſis iſta adhuc veniunt adjicienda. Cùm primùm inſtitutum Clericale Jeroſolymis effloruit, non diu inde in alienas terras cæpit divulgari, nam Judaica adverſùs Apoſtolos perſecutione commota diſperſi ſunt, ut acta narrant, diſcipuli; divinâ id planè agente providentiâ, ut velut agricola per agrum diſpergit ſemina, inde fructum centuplum collecturus in meſſe, ita diſpergi oportebat Apoſtolos, ut divini hujus inſtituti ſemine per orbem vulgato centuplicatus fructus meteretur, hinc Athanaſius, *diſperſi ſunt*, inquit, id eſt, *diſſeminati ſunt: quaſi ſeminantes frumenta ad panem ſupercæleſtem conficiendum, univerſumq́ orbem peragrantes vivificæ doctrinæ virtutes efficaciasq́ diſſeminarunt.* (Homil. de ſerm.) Tunc ergò cum fidei augmento crevit & clericalis inſtituti propagatio. Utque ultra metam propoſitam non excurramus, & prima ſimul ſemina germinantia in Germania noſtra obtineamus, hæc nobis partim D. Marcus, partim S. Petrus Româ ſuppeditavit. *Marcus* enim, ut refert Andreas Dandulus in Chronico, *aſſumptô Evangeliô, quod ipſe confecerat, Juſſu Petri Aquilejam venit --- & innumeros ſua prædicatione & doctrina ſubſequentibûs ſignis ad Chriſti fidem convertit. Hic* autem, ut advertit Marocutus apud Ughellum, *non ſolùm Eccleſiæ Aquillejenſis, ſed etiam Laureacenſis in Norico Ripenſi fundator exſtitit.* (Ugh. t. 5. Ital. Sac. p. 19.) Non quidem, ut probabiliùs conjecturandum, in propria perſona, ſed in eo, quem ſui ſucceſſorem conſtituit, S. Hermagora,

gora, de quo iterum præfatus Marocutus, *alii*, inquit, *tradunt, S. Marcum non veniſſe in Noricum, ſed ab eodem, vel ab ejus ſucceſſore Hermagora miſſum fuiſſe illuc ab urbe Aquilejenſi B. Laurentium quendam primum Laureacenſem Apoſtolum, & Antiſtitem, â quo & ſucceſſoribus ejus Archiepiſcopis Laureacenſibus, & qui poſtmodum his ſubrogati fuêre Epiſcopis paſſavienſibus Evangelium Chriſti annuntiatum fuiſſe Noricis, Hunnis, Avaribus, Gepidis, Marcomannis, cæteriſque finitimis Bacharis trans-Danubianis.* Hæc ille, quæ interim hac de re ſufficiant. Neque Criſim inimus egregiè jam ab Authore Germaniæ S. elucidatam, de qua alibi plura. Petrus verò inferioris Germaniæ ſalutem meditans Eucharium, Maternum, alioſque ibidem Evangelium prædicandi causâ ſubmiſit, de quibus Anonymus Trevirenſis apud Dacher. ſequentia: *Eucharium*, inquit, *Epiſcopum ordinavit* (Petrus) *Maternum ſubdiaconum conſecravit, quos ſtatim in opus prædicationis direxit, alioſq; cum eis idoneos viros, Clementem, Manſuetum, Memnium, alioſq; plurimos, qui accepta benedictione Magiſtri ad Gallias properaverunt, & multos ad ſoliditatem ſacræ fidei ſignorum virtute perduxerunt, cùmq; in Elegiam Alſatiæ perveniſſent, ibiq; populo verbum veritatis prædicarent, unus eorum nomine Maternus graviter ægrotare cæpit*, &c. narratâ hìc miraculoſâ illâ per ſubmiſſum à B. Petro paſtoralem Baculum ejus reſuſcitatione, ſubjungit: *in quo loco Chriſtiani populi Eccleſiam conſtruxerunt, & ex eo, quod acciderat, nomen reſurrectionis ei impoſuerunt. Sanctus autem Eucharius ad alia loca migrare diſponens, valedixit in Elegia fratribus & cum Valerio & Materno profectus eſt, tandemq; perfecto itinere treberim pervenit.* &c. Omnium ſcriptorum ſenſus eſt, quòcunque tales divini verbi præcones venerant, primum eorum negotium fuiſſe, ut Eccleſias conſtruerent, nec ipſi ſemel inceptam fidei doctrinam dimitterent, loca illa deſerendo, ſed ſtabilirent aliquos, quotquot nimirum ſufficere ad divina miniſteria judicarent, accreſcente verò fidelium numero, copiam quoque miniſtrorum augerent: Sed quæritur jam, cujus inſtituti rationem tam hi, quorum Marcus Rector erat, quàm illi, quorum Petrus, obſervarent? Clericos fuiſſe extra dubium eſt, exſtitiſſe inſuper votivos, facillimè probamus. Et primò quidem non poteſt à quopiam erudito negari, eandem D. Marcum tenuiſſe vivendi formam cum Clericis ſuis, dum Aquilegiæ degeret, quàm dum Alexandriæ: Non enim quidquam videtur obſtitiſſe, & eadem utrobique principaliter urgebat perfectiſſimi exempli neoconverſis exhibendi causa, de qua ſuperiùs adductus loquebatur S. Iſidorus, ac vetuſtiſſimus Scriptor Salvianus: *ſupereſt*, inquiens: *de miniſtris & ſacerdotibus quiddam & Clericis dicere. Quidquid enim de aliis omnibus dictum eſt, magìs abſq; dubio ad eos pertinet, qui exemplo eſſe omnibus debent, & quos utique tantò antiſtare cæteris oportet devotione, quantò antiſtant omnibus dignitate - - - - - & ideò cunctos ſacri altaris ſuggeſtu eminent: tantùm excellere oportet merito quantùm gradu. Si enim viris in plebe poſitis & mulierculis ipſâ fæce infirmioribus talem ac tam perfectam Deus vivendi regulam dedit, quantò utique eſſe perfectiores jubet, à quibus omnes docendi ſunt &c. unde eſt, quod eis Salvator ipſe in Evangelio non, ut cæteris, voluntarium, ſed imperativum officium perfectionis indicit. Quid enim Laico illi adoleſcenti dixiſſe legimus? ſi vis eſſe perfectus, vende, quæ habes, & da pauperibus. Quid autem miniſtris ſuis? nolite, inquit, poſſidere aurum & argentum - - - - videte, quanta ſit in utroq; hoc Dei ſermone diverſitas. Laico dixit: ſi vis, vende, quæ poſſides. Miniſtro autem: nolo poſſideas.* Hæc omnino quæ Salvianus ſui temporis Clericis objiciebat tanquam adhuc obligantia,

Vide Hanſizii Metrop. Laureac. c. 2. & 3. &c.

Spicil. t. 2. f. 208.

Societas S. Marci Alexandriæ & Aquilejæ Clericalis votiva exſtitit.

L. 2. adverſ. avarit. n. 56.

tia, quis quæſo abnuat D. Marcum prætendiſſe in ſuis, utpote recenter à Salvatore præſcripta? Illum ergo virum ſanctiſſimum Alexandriæ cum Clericis ſuis vitam communem votivamque vixiſſe, teſtis eſt Hieronymus L. de ſcript. Eccl. in vita S. Marci: & Caſſianus ſcribit: *Monachos à S. Marco normam ſuſcepiſſe vivendi*, eam cumprimis, *quâ illa magnifica retinebant, quæ primitùs Eccleſiam vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe, multitudinis ſcilicet credentium* &c. Neque hæc ſimpliciter norma erat monachilis, ſeu talis, qua, qui viverent, diſcriminarentur à Clero, ſed talis, quâ Clerici ipſi in vita votiva conſtituerentur: unde meritò locum illum Euſebii de Philone L. 2. c. 7. malè à Chriſtophorſono in latinum idioma verſum notat Valeſius: dum ille legit: *Jam verò cùm eorum vivendi rationem, qui apud nos aſcetæ, ideſt, MONACHI - - appellati ſunt* &c. Valeſius autem rectiùs ſic: *cùm Philoſophorum aſcetarumq́; noſtrorum vitam deſcribit. Aſcetas* Philo, & ex Philone Euſebius notat, non *Monachos*, quaſi oppoſitos Clericis, cùm per aſcetas tanquam genus aliquod & Clerici intelligi poſſint, & monachi. Hinc Ruffinus citata Euſebii verba de Clericis æquè ac monachis, non de his ſolis interpretatur, adeoque Euſebius per S. Marcum locô citatô inſtitutos Alexandriæ aſcetas ait, non monachos: *hi autem*, inquit Valeſius, *multùm diſtant à monachis, ut genus diſtat à ſpecie, & aſcetæ quidem in Eccleſia ſemper fuerunt, monachorum verò nomen, & inſtitutum ſeriùs capit. Verum eſt, Caſſianum libro 2. Inſtit. c. 5. Sozomenum & alios, quos Baronius ſecutus eſt, hunc Euſebii locum de monachis accepiſſe, ſed longè ab Euſebii mente.* Hæc Valeſius, at aſcetæ iſti, ſi initiô Eccleſiæ monachi non fuerunt, quid ſanè fuerint niſi votivi Clerici? tales ergo Marcus Alexandriæ primus inſtituit, tales ſecum eſſe Aquilejæ voluit, tales denique in Noricum Pannoniamque miſit, ut hujus inſtituti & inibi propagatores exiſterent.

L. 2. inſtit. c. 5.

Nec minùs illud demonſtramus de Euchario, ejusque ſociis à D. Petro delegatis in inferiorem Germaniam; cur enim aliâ hi ipſi religioſiſſimi viri vitâ vixiſſent, quàm qualem à D. Petro didicerunt, de qua Hilarius Pictavenſis: *meminit*, inquit: *Evangelii Prædicator ille Petrus nullam ſibi eſſe portionem poſſeſſionis humanæ, cùm oranti alimoniam reſpondit: aurum & argentum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Quid eſt illud Petre, quod poſſides? renuntiaveras omnibus, Deo tuo dicens, ecce nos omnia dereliquimus.* &c. Sic ergo Petrus, quos ſibi junctos Diſcipulos altarisque miniſtros habuit, imitatores ſuos non minùs eſſe voluit quàm Paulus, cùm diceret ad Theſſalonicenſes: *vos Imitatores noſtri facti eſtis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa*, & iterum Philippenſes: *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Omnes, quos Author hiſtoriæ Trevirenſis fratres nuncupavit, unius communis vitæ conſortiô copulatos fuiſſe, inde evidenter deducitur; nec poterat ex obſtinacium paganorum manipulis *optata* meſſis ſperari, ſi ad dimittenda terrena & ſola quærenda cæleſtia, prædicantium clariſſima exempla defuiſſent: dico, *optata*, quæ certè quanta inter breve tempus ſit collecta ex authenticis documentis Browerus inſinuat libro 2. annal. Trevir. n. 16. *novum*, inquit, *Evangelii ſidus caligantibus hominum animis, & variis captis errorum præſtigiis per alios atq́; alios item verbi divini nuncios, illuxit - - - quorum ex conventibus tres deinde ſurrexerunt Eccleſiæ, quas metropoli Trevirorum Auguſtæ contributas poſteri numeravêre provinciales. Porrò Mediomatricum urbs jam tum præclariſſima Antiſtitem ſortita eſt B. Clementem. Leucis verò Manſuetus Chriſtiana ſacra Princeps invexit, at Virdunenſibus intervallo Sanctinus.* De-

Item S. Eucharii in Germaniam implantantis fidem.

in Pſ. 118.

Theſſ. 1. 16. Philip. 3. 17.

Digitized by Google

Denique ſi Gregorius Magnus, qui penè annis 500. diſtabat ab Apoſtolorum temporibus; ſuaviſſimo illo communis Clericalis vitæ odore adhuc allectus teſte Joanne Diacono L. 2. vitæ c. 12. talem eſſe volebat penes urbem Romanam, Eccleſiam, qualem hanc fuiſſe ſub Apoſtolis Lucas, & ſub Marco Evangeliſta penes Alexandriam Philo commemorat; an hunc ipſum fervorem converſationis ſanctiſſimæ Apoſtolorum Diſcipulis abnegabimus?

2. *Seculó ſecundó flore' votivo in C'ero paupertas*

Sæculum ſecundum, ùt fertiliſſimum erat ſanguine ac gloria martyrum, ſic minimè caruit ſanctiſſimâ votivorum Clericorum converſatione: id dubitare non ſinit Juſtini Martyris anno 164. coronati de fidelibus effatum: Apol. 2. f. 61. dicentis: *cum Chriſtiani* (antè converſionem) *pecuniarum & poſſeſſionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamaſſent, etiam ea, quæ habebant, in commune conferebant, & cum indigentibus quibusque communicabant.* Hæc Laici; quid judicandum erit de Clericis? Utpote magiſtris in pietate, ducibusque Laicorum. Soterum Pontificem Romanum ab anno 160. ad 170. prædicat Dyoniſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium communionis bonorum tam laudabilem charitate inter fratres egentes diſpenſatorem extitiſſe quàm ullum anteà inter primos Eccleſiæ miniſtros: *quam quidem certè*, inquit: *conſuetudinem à patribus traditam B. Soter veſter Epiſcopus hactenùs cuſtodivit diligenter: & mirum in modum ſuô propensô ſtudiô adauxit.* Quin paupertas adeò inter fideles votiva voluntariaque præ omni opulentia invaluit, ut Chriſtiani quaſi omnes hoc nomine deſignarentur. Hinc Minutii Felicis ad finem Sæculi ſecundi Eccleſiam Chriſti ſcientia virtuteque immodicè decorantis libera confeſſio eſt in ſuo octavio: *quòd*, inquit: *plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria; nos contemnere malumus opes quàm continere.*

hiſtor. Eccl. Euſeb. L. 4. c. 23.

Vides ergò hinc manifeſtam paupertatem, non coactam ſed voluntariam, *malumus*, inquit, *contemnere.*

3. *Seculó tertió labeſcenti vitæ votivæ multi adhuc manum adjutricem ſupponunt.*

Sæculô tertiô: Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus cupiditati poſſidendi adſcribit Decii perſecutionem an. 249. effervescentem L. de lapſis, aliàs verò eodem libro laxatam Eccleſiæ Diſciplinam deplorans *inter cæteros*, inquit: *Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum ſæcularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe deſerta per alienas provincias oberrantes negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibûs rapere, uſuris multiplicantibûs fænus augere, quod non perpeti tales pro peccatis ejusmodi merentur?* Hæc verò ad poſſeſſiones proprias quærendas occaſio non aliunde, niſi ex neceſſitate, ut priori capite dixeramus, evenit, perſecutionibûs nimium quantum ad quæque extrema miſeros fideles ac præcipuè Eccleſiæ miniſtros compellentibûs. Verùm etiam hîs infeſtis temporibûs necdum inter complures Clericos vita votiva deſiit: Etenim de Pierii Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyteri *ſpontanea paupertate illuſtri*, ut Epiphanius loquitur: de Genulphi bonis omnibus à ſe divenditis, atque in uſus pauperum erogatis juxta Conſilium Evangelicum: De Felice Nolano, de quo Paulinus, *quod vicit avaritiam. Dúmq; pace reducta ſua ſi vellet depoſcere jura licebat, horruit amiſſos in jura repoſcere fundos. Unde potens, caris inſtantibus hæc referebat: Cogitis ut repetam terrena, perennia perdam, Dives egebo Deo, ditabit gratia Chriſti* &c. de Gregorio Thaumaturgo, cui teſte Euſebio ne *in Epiſcopatu quidem quidquam rerum ad hanc vitam neceſſariarum ſuperfuit, utpote quòd ipſe omnibus rebus ſe veluti onere quodam levaverit.* Et denique de innumeris aliis paſſim proſtant in libris

Euſeb hiſt. Eccleſ. L. 6. c. 30.

bris de hac materia tractantibus exempla luculenta ac teſtimonia, fruſtra ideò hic repetenda.

Attamen de Genulpho mox memorato, id rurſum adducere expediet, quod ex anonymo antiquo ac fide digniſſimo enarravimus priori Cap. nimirum: cùm ipſe circa finem Sæculi tertii conſtituiſſet Biturrigis Eccleſiam, ibique Evangelium fructu eximio diſſeminare pergeret: *plurimi ſuas illi tradentes poſſeſſiones, comam capitis ibidem pro Deo deponebant, ac ejus ſervituti ſedulæ ſe mancipabant, quos pius Doctor divinis ſemper inſtitutionibus informabat, & Charitate Dei & dilectione fervere proximi, & pacis unanimitatem ſervare monebat, quibus etiam non ſolummodo cæleſtis vitæ pabulum miniſtrabat, verùm etiam temporalia commoda piâ ſemper eis ſolicitudine procurabat.* Vivaciſſimum ſanè votivorum Clericorum teſtimonium hoc eſt, *comam capitis deponere, poſſeſſiones ſuas tradere, fervere Charitate Dei, & dilectione proximi, pacis deniq; unamitatem ſervare.* Docebat neoconverſos ac ad miniſterium Eccleſiaſticum ſuſceptos tyrones ipſe, & miniſtrabat eis cæleſtis vitæ pabulum, ut diſcerent imitari magiſtri ſui veſtigia, fierique ſuo tempore ex diſcipulis non abſimiles ab ipſo Doctores.

Exſtat in Bibliot. Floriac.

4\. *Sæculô 4tô renovatur.* Part. 2. Cap. 2. n. 2.

Sæculô 4tô: Euſebium Vercellenſem novimus, quâ induſtriâ Clerum ad Apoſtolicos mores reduxerit, ſed quia de hoc opportunior inferiùs differendi recurret occaſio, illuc Lectorem dirigimus; maximè, cùm totius inſtituti votivo-Clericalis reſtaurator hoc ipſo Sæculo illuxerit Auguſtinus, ob cujus honorem tamen de eo, à quo ipſe in ſpiritu genitus eſt, ſilere piaculum eſſet, ſancto Ambroſio, haud dubiè & in perfecta, hoc eſt votiva expropriatione terrenorum exiſtente ejus Duce ſimul atque Doctore. De hoc ergò ſanctiſſimo Epiſcopo Paulinus narrat: quod *in tempore, quo Epiſcopus ordinatus eſt, aurum omne, atq; argentum, quod habere poterat, Eccleſiæ vel pauperibus contulit. Prædia etiam, quæ habebat, donavit Eccleſiæ, nihil ſibi, quod hic ſuum diceret, derelinquens, ut nudus atq; expeditus miles Chriſti Dominum ſuum ſequeretur, qui cùm dives eſſet, propter nos pauper factus eſt.* Quid? quod Paulinus Ambroſium militem Chriſti nominat, an non inde votivum fuiſſe declarat, aut fortaſſe remiſſior ipſe credendus erit in Chriſti militia exſtitiſſe, quàm trivialis quiſpiam, qui ſub Theodoſio Imperatore cingulum militare ſuſcepit, novimus enim, quô Sacramentô devincirentur in eo aſſumendo principi ſuo, quàm *non militarent unquam ſtipendiis ſuis*; ut ita in hoc, æquali lance ponderaret Paulus cum ipſis, Eccleſiæ miniſtros, 1. Cor. 9. 7. quàmquam *bonorum militum eſſet, ultra ſtipendia ſua nihil uſurpare* c. militare 23. q. 1. ergo non majoris virtutis exſtitiſſet Ambroſius, & cum eo quicunque Clericus, ſi hæc omnia non obſervaſſent altiori ordine ac ſanctiori, Deo ſcilicet ipſi immediatè obligante ſacramentô. Talis itaque miles Chriſti Ambroſius, ut dum ſua relinqueret & in militiam ſe Chriſti conſecraret, ſic ejus eſſe ſtatueret, votoque ſacraret, ut non ex aliis niſi ſtipendiis Chriſti viveret, nec uſurparet, ſed tantummodo uteretur. Relucet eò magìs in hoc ſanctiſſimo viro Clericalis ingenua expropriatio, quòd dici ne ab ullo quidem poſſit, eundem unquam monachum exſtitiſſe.

Non omittam, quin & ex alterius, Auguſtino æqualis æquè ac amiciſſimi, doctrinâ aliquid delibem, Hieronymi, inquam, viri ſanè pro diſciplina Clericali Zeloſiſſimi, hic de Nepotiano ſuo encomium ſcribens: *vixdum*, inquit: *Clericus factus, Baltheo depoſito, habituq; mutato, quid Caſtrenſis peculii fuit, in pauperes erogavit, legerat enim, qui vult perfectus eſſe, vendat omnia, quæ habet* &c. ex eodem enuntiante Hieronymo: *Aquilejenſis*

in Chronico.

Digitized by Google

ſis tum *Eccleſiæ Clerici*, *quaſi Chorus habebantur beatorum:* cur iſtud? niſi quia noverat, primos eos, qui pauperes eſſent ſpiritu, inter Beatos ab ipſo Redemptore computari. Hanc pulcherrimam Aquilejenſis Eccleſia diſciplinam ſancto Valeriadebuit, tum fortaſſè noviter aut altiùs elevatam, cùm anno 381. ab eodem adverſus arianam hæreſim concilium celebraretur, aſſidentibûs ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, præter Valerianum Ambroſio mediolanenſi, Sabino Placentino, & Euſebio Bononienſi: laudat verò Hieronymus præcipuè, citatô locô, in illo choro beatorum exiſtentes Clericos Florentinum, Bonoſum, Ruffinum, illuſtres planè Valeriani Alumnos, ut inquit Ughellus.

Ital. ſac. t. 5. in Patr. Aquil. n. 10.

Nunc ad divum noſtrum Auguſtinum transeundum de quo iſthic breviter referendum (cùm per decurſum longè plura occurrent) quod ipſe ad populum Hyponenſem de ſe ſuiſque diſſeruit Clericis. *Noſtis omnes*, inquit: *aut penè omnes ſic nos vivere in eâ domo, quæ dicitur domus Epiſcopii, ut quantum poſſumus, imitemur eos ſanctos, de quibus loquitur liber actuum Apoſtolorum: Nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia, ecce quomodo vivimus; nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium, ſed fortè aliqui habent: faciunt, quod non licet*, &c. Hæc verba Auguſtini diſſertiſſima pro paupertate votiva, ac religioſa inſtitutione inter Clericos adeò vel ſola ſufficiunt, ut ad lucem cæcutire meritò cenſendus ſit, qui aliter ſentiat. Hinc cum Eraſmus vota tam Auguſtino, quàm ejus negaret Clericis, imò & ipſis monachis, eô tempore, per orbem exiſtentibus, ob ſententiam contrariam certam firmamque, hoc ſibi judicium ab Univerſitate Pariſienſi promeruit anno 1539. *Maturâ præcedente deliberatione conconcluſum eſt, quòd Religioſi S. Auguſtini, & monachi illius temporis vota emiſerint, & quòd illa cenſura Eraſmi non ſit probanda, ſed ſit ſcandaloſa.* Dicit Auguſtinus, *quantum poſſimus, imitemur*, ſi ergo votiva eorum imitatio non fuiſſet, falſum dixiſſet ſanctiſſimus Pater, cùm ipſe eam ſententiam aſſeruerit defenderitque, quòd *hoc votum* (expropriationis, conſequenter & reliqua duo) *potentiſſimè voverint* Apoſtoli.

Ser. 355.

in Cenſura ſuper reg. S. Aug.

de Civ. L. 17. c. 4.

ErgoAuguſtinus cum clericis ſuis verè communi vitâ convixit, ſtatumque illum Apoſtolicum multis in locis jam pene collapſum glorioſâ Anaſtasî ad priſtinum vigorem reduxit. Ideò iſtud ſæculum præcipuè votivis Canonicis habendum eſt in monumentum ſempiternum, non quòd inde (ut quidam ſolâ nominis, ut ita dicam, umbrâ decepti augurantur potiùs, quàm legitimis argumentis convincunt) ſuam illi primævam originem ducant, ſed quòd in hoc, eum Zelotem pro votiva inter Clericos vitâ reformandâ certis, firmiſque fulcimentis Deus velut alterum Phinees dare Eccleſiæ voluerit, quem præ omnibus reliquis ſanctiſſimis licèt doctiſſimiſque viris Ordo Clericalis ſuſpiceret, pro reſtauratore ſuo cognoſceret, & demum ut Legislatorem ſuum ſucceſſu temporis veneraretur. Neque hic ſilendum, quod Cabaſſutius ſcribit, *conſuetudo*, inquit: *erat ab antiquis ducta temporibus, ut propè Eccleſiam vel in ipſo Epiſcopio, vel in ædibus Epiſcopio contiguis Canonici in commune viverent, perinde, ac in Cœnobiis, communi utentes menſa, & in communi quieſcentes dormitorio. Ex Auguſtini ſancti Doctoris exemplo pervaſerat in diverſas regiones laudabilis iſta conſuetudo, de qua fidiſſimus ejus Poſſidonius hæc perhibet vitæ ipſius teſtimonia Cap. 24. cum ipſo ſemper Clerici una etiam domo & menſa, ſumptibusq; communibus alebantur, & veſtiebantur.* Conſuetudo verò iſta non qualiscunque fuerat, ſed talis, quæ multis in locis pro certa clericalis vitæ regula aſſumebatur. Nam cum teſte Poſſidonio in vita *proficiente Doctrina divina ſub S. & cum*

Cabaſſut. notit. Conc. p. 340.

Digitized by Google

cum ſancto Auguſtino in monaſterio Deo ſervientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cœperunt: ac deinde ex monaſterio, quod per illum memorabilem virum & eſſe & creſcere cœperat, magnô deſideriô poſcere atque accipere Epiſcopos, & Clericos pax Eccleſiæ, atque unitas & cœpit primò, & poſtea conſecuta eſt, nam fermè decem, quos ipſe novi, ſanctos ac Venerabiles viros continentes, & Doctiſſimos Beatus Auguſtinus diverſis Eccleſiis nonnullis etiam eminentioribus rogatus dedit. Similiterq; & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſiis propagatis, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt, unde per multos & in multis &c. non ſolùm per omnes Africanas partes, verùm etiam in transmarinis &c. favente Deo multa innoteſcere meruerunt. Cùm, inquam, ùt ex hoc Poſſidii contextu inſtruimur, cæteris Eccleſiis & maximè in transmarinis hoc eſt in occidente poſitis hujus inſtituti renovata ratio innotuerit non ſolùm, ſed etiam per viros è gremio Auguſtini ſubmiſſos propagata ſit *inſtitutis monaſteriis:* patet evidenter, hanc vivendi in clero Auguſtinianam methodum, etiam in iis monaſteriis per prædictos ſanctos firmatam fuiſſe, neque id ad tempus quoddam exiguum, ſed continuata ſerie. Certè de Lazaro Archppo Medialenſi qui ab anno 438. ad 449. ſediſſe dicitur, hæc ſcribit Ughellus *S. Lazarus - - - - ex primicerio Cathedrali Archppus adlectus eſt anno 440 - - - pro conſtruendo monaſterio, Divi Auguſtini alumnis locum tribuit.* Non potuit hæc tam pia Auguſtini in ipſo quaſi Italiæ emporio erecta memoria citò adeò oblivionis cineribûs ſepeliri. Quin præcipuè, ubi obſervamus Gelaſium (cùm eôdem Sæculô quintô Romæ à Leone Magno inter Clericos Lateranenſes ſuſciperetur) poſtmodum anno 492. in ſolium ſummi Pontificatûs aſſumptum inter prima negotia hanc ſibi curam habuiſſe, ut Clerum ad Auguſtini normam vitamque aut reformaret, aut jam reformatum tueretur: illud referre licebit, quod apud Ciaconicum, in nova additione Auguſtini Oldoini, in Gelas. legitur: *Gelaſius beati Auguſtini Diſcipulus in perſecutione Wandalica ex Africa cum cæteris ejusdem Auguſtini Diſcipulis profugus ejus regulam Romam attulit, & ſub Leone I. juxta illam Canonicorum inſtitutum in Lateranenſi Baſilica reformavit.* Sunt quædam hic ſubduriusculè fortè in aliquorum auribus ſonantia, nempè Oldoinum dicere *Gelaſium Auguſtini regulam Romam attuliſſe: & ſecundùm illam inſtitutum & quidem Canonicorum* (cùm tunc ne nomen hoc in occidente ſolitum eſſet) *reformaſſe*, quod videtur in præjudicium ſanctiſſimi ac Zeloſiſſimi Papæ Leonis Magni fieri ne quidem potuiſſe, præcipuè, cùm id nulla monumenta antiqua vel ſuſpicandum miniſtrent. Verùm quod regulam Auguſtini per Gelaſium propagatam concernit, illud alibi commodiori occaſione tractabimus: at de reformatione eidem ab Oldoino aſſerta quædam hic memorabimus.

t. 4. Ital. Sac. p. 49. n. 21.

Certum eſt ex Victore Vitenſi irruentibus in Africam Wandalis, omniaque ferro & igne vaſtantibus, ac præprimis religioſis hominibus in devia quæque ablegatis, inter alia contigiſſe, ut *complures Clericos jubente Genserico navibus fractis impoſitos Dominus miſeratione bonitatis ſuæ proſpera navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus ſit Civitatem.* Non exprimuntur à Victore exulantium Clericorum nomina; & inter hos exſtitiſſe Gelaſium, dubito, an negari ea de cauſa prudenter poſſit, quaſi Afer non fuiſſet, ſed Romanus, præcipuè cùm & hæc ipſa objectio dudum jam diſſoluta ſit ab eruditiſſimis ſcriptoribus, vide, ſi vacat, hac de re Criticam Pagii ad an. 492. Cæterùm verum eſt, admiſſô etiam, Gelaſium Afrum fuiſſe, non continuò ſequi, fuiſſe & Auguſtini Clericum regulæque ejus vel profeſſum vel alio-

L. 1. de Wandalica perſecut.

alioquin obſervatorem: certè quicunque de Gelaſio ex antiquis ſcripſerunt, quamvìs Afrum natione ſtatuant, ex iis tamen fuiſſe exulantibus, de quibus Victor narrat, nil omnino memorant: deniqùe licet augurari quidpiam, certi tamen aliquid evinci nihil poteſt. At hìs non obſtantibûs neutiquam cadit aſſertio, dicentium, non ſolos, ſub Leone I. exſtitiſſe Romanos votivos Clericos, ſed Africanos quoque, nempè qui exules à Victore in Italiam veniſſe narrantur, quiqùe ab Auguſtino reſtitutam Clericalis vitæ normam ſervabant: Nam, ut à plerisque tam antiquis quàm recentioribus hiſtoricis creditur de quo Leone S. Auguſtinus Ep. 191. ad Sixtum tum Præsbyterum romanum loquitur, dum ait: *breviſſimam Epiſtolam tuam, quam de hac ipſá re* (defenſionem gratiæ Dei contra Pelagianos intelligit) *ad beatiſſimum ſenem Aurelium per Leonem Acolythum direxiſti, exultante alacritate deſcripſimus* &c. Idem hic ipſe fuit, qui dein Sixto Poſt 22. annos id eſt an. 440. ſucceſſit, & hunc quidem Magnum, de quo loquimur, Leonem (haud inficiari quisquam poterit) factam ab Auguſtino inter Clerum reformationem tunc, dum apud Aurelium eſſet, ſaltem narratione didiciſſe, utpote de qua ipſe S. Auguſtinus Aurelium jam diſſertè informaverat, quam ideò Sixto non ſolùm Romam redux referret, ſed memoriâ retinens adeò in Clero Africano diligeret, ut exules ad ſe venientes ſummus tum Pontifex reciperet ſimul, & inter ſuos collocaret: certè id innuere videtur Anaſtaſius, cùm de eo inquit: quod ipſe *monaſterium prope S. Petrum condidit:* hoc monaſterium monachorum eſſe non potuit, neqùe enim veſtigium exſtat, ad Eccleſiam S. Petri, ſeu Vaticanam exſtitiſſe unquam monachorum Cænobium, nec illud monachis adſcribere vel ipſe Mabillonius in ſuis annalibus audet L. I. n. 14. at cùm Leo (eôdem

Scripta Aug Epiſtola hæc verſus finem anni 41.

vide Phatinam in Leone.

ſcriptore teſtante) addiderit ſuper ſepulchra Apoſtolorum ex Clero Romano Cuſtodes, qui dicuntur cubicularii, veroſimilius eſt hos cuſtodes Clericos in dicto monaſterio habitaſſe, iisqùe illud datum fuiſſe. Sanè quòd Anaſtaſius S. Leonem monaſterium propè S. Petrum condidiſſe ait, verba formamqùe loquendi videtur ex Poſſidonio mutuaſſe, quaſi idem Leonem innueret feciſſe in Vaticano, quod hic ſanctiſſimus Pontifex noverat Auguſtinum inſtituiſſe in ſua Eccleſia Hipponenſi: facilè autem inde fieri potuit, ut, quos Clericos Africanos votivè viventes ſeu in condito à ſe monaſterio propè S. Petrum, ſeu, ut quibusdam videtur, etiam in Laterano, poſuerat, iis Gelaſium præfecerit, ut velut Prælatus non tantùm ex ærumna Africaná eliberatos ſecum ſocios in incepta ſanctitatis via, ſed etiam noviter ad eum accurrentes Clericos, regeret ac conſervaret. Nam, ut acta antiqua Wandalicæ perſecutionis & exulantium Clericorum innuunt, ingentem omnino eorum exſtitiſſe numerum, neceſſe eſt, non ſolùm Epiſcoporum ac Sacerdotum, ſed & inferioris ordinis Clericorum; cùm perſecutio illa annô Chriſti 429. initium ſuum ſumpſiſſe juxta Pagium dicatur, & ad annum usqùe 441. duraſſe, & afflixiſſe præprimis miniſtros Eccleſiæ. Utqùe ſolum, quod L. I. Victor Vitenſis narrat una vice factum, memoremus, cùm Gensericus Carthaginem ſubactam ingrederetur, vulgatô mox decretô Epiſcopos & Laicos nobiles de ſuis Eccleſiis & ſedibus nudos penitùs effugavit: tunc (proſequitur Victor) *memoratæ urbes* (id eſt Carthaginis) *Epiſcopum Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quodvultdeum & MAXIMAM turbam Clericorum navibus fractis impoſitam nudos atque expoliatos expelli præcepit*, *quos Dominus miſerationis bonitate proſpera navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt Civitatem.* Pauciſſima eorum

Digitized by Google

coꝛum nobis nomina innotuêre, quorum præter præfatum *Quodvultdeum* undecim recenſet Martyrologium Romanum, ſcilicet *Caſtrenſem*, *Tammarum*, *Roſium*, *Heraclium*, *Secundinum*, *Adjutorem*, *Marcum*, *Auguſtum*, *Elpidium*, *Canicnem*, & *Vindonium.* Non iſthic diſcepto, an præfati omnes Epiſcopali fuerint dignitate inſignes, neque an eâdem illâ à Victore narrata ſorte, an diverſis expulſi vicibûs, cùm hoc ad propoſitum noſtrum nil conferat. Quidquid horum ſit, adfert & alios quoſdam Proſper in ſuo Chronico æquali fatô, & ſub eadem perſecutione quamvìs fortè non eodem tempore, ejectos. Sic enim ille: *Altio II. & Sigùvulto Conſſ.* (quod convenit cum anno 437.) *in Africa Gensericus Rex intra habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem arianâ impietate ſubvertere, quoſdam Epiſcopos (quorum Poſſidius, & Novatus, ac Severianus Clariores erant) eatenus perſecutus eſt, ut eos privatos jure Baſilicarum ſuarum, etiam civitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet.* Deniqùe in ipſa S. Caſtrenſis vita refertur (præter nominatos in citato Martyrologio Romano) *Benignus:* hos in Italiam omnes, & Campaniam quidem appuliſſe, certum eſt, at id incompertum, quæ in loca, dum littora tenuerunt, quiqùe eorum diſceſſèrint. Vita Caſtrenſis n. 11. narratâ appulſione ait: *exinde, Angelo ducente, perrexerunt ad loca propria, quæ illis Chriſtus ſancivit pro ſalute credentium* &c. Sanctum Caſtrenſem autem *mœnia* vult *ſueſſanæ urbis* adiiſſe. De reliquis omnibus altum Silentium. Hinc ſola conjectura ſupereſt, nec imprudens, quoſdam tam ſuo nomine ſignatos, quàm alios, qui ſub turba illa plurima Clericorum intelligendi ſunt, præ reliquis locis, Romam tanquam commune Eccleſiaſticorum aſylum confugiſſe, ut ibi membra quieſcerent, ubi ſuum noſſent caput viſibile Eccleſiæ imperare. Atque inter hos non exilis eſſe numerus potuit minorum Clericorum à Leone ad erectum à ſe monaſterium collectus: ſi nobis quanta certitudo de appulſione Clericorum præfatorum in Italiam, tanta de Poſſidio à Proſpero nominato ſuppeteret, facilè hìc eſſet litem illam dirimere, an Poſſidius (cujus ſacrum corpus Mirandulæ in Eccleſia S. Georgii conditum eſt) idem ſit cum illo per Gensericum ejecto, nec minùs inſtituti Auguſtiniani per eundem præ reliquis in Italiam tranſlati, ſed cùm demum univerſa hæc ſolis innitantur conjecturis, id ſuffecerit, dubitari vix poſſe tot Clericos in Italiam ex Africa appulſos eam formam vivendi obſervaſſe, ac commendaſſe, quam ab Auguſtino multi eorum didicerant: certè id feciſſe credendum eſt ſanctum Secundinum æcanenſem, de quo videndus Boland. t. 2. Febr. pag. 529. & Ughell. tom. 10. pag. 6. Elpidium Rhegienſem, aut ùt alii, atelanum Epiſcopum. Ughell. tom. 10. pag. 18. cum quo fortè, quem lectiones Eccleſiæ Salernitanæ Cyonem dicunt, idem fuerit, quem vita S. Caſtrenſis Canionem nuncupat, deniqùe Caſtrenſem ipſum, alioſqùe præfatos, ubicunqùe demum pedem in Italia fixerint. Fundanda ſunt hæc, quæ aſſerimus, firmiori adhuc veritate in adductis Poſſidonii verbis, quibus dixerat *per multos & in multis non ſolùm per omnes Africanas partes, verùm etiam in transmarinis favente Deo multa innoteſcere meruerunt.* His ergò ſtantibûs, non potuit ſeu latere ſeu manifeſtata negligi Auguſtini diſciplina in ipſa omnium urbium principe Roma; ut adeò, quæ leges alioquin Clero aſſiduò inculcaret, exemplaris vitæ, & dignæ tantô miniſteriô, eò libentiùs ſuſcepiſſe illam reformationem credenda ſit, quàm felices ideo radices paruiſſe in Africa certo haberet experimento. Demus ergò non ſolum Leonem, ſed deceſſores quoqùe ſuos in Clero reformando aſſiduè ſtrenuèqùe laboraſſe, nec de-

Kal. ſept.

Proſper typ. poſt altera edit. canis pag. 302. t. 1.

apud Boll. 11. Febr. n. 8.

defuiſſe Romanis Pontificibus Clerum, qui votivè, ac apoſtolicè viveret: potuit tamen Leoni Gelaſius acceptam ab Auguſtino normam reformationis Clericalis tanquam aliunde notam ſubminiſtraſſe, ut illam promoveret in Vaticano, & Laterano, ſed quod cumprimis Olduinum, & omnes ejus aſſertum propugnantes tuetur, illud eſt, quod refert Onuphrius de Eccleſ. Later. p. 132. *Gelaſius*, inquit, *Papa circa annum Domini 490. Clericos, qui ab arctiore vitæ inſtituto Canonici, id eſt, regulares vocati ſunt (hi Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ more ſecundùm B. Auguſtini regulam in commune vivebant) Laterani collocavit, qui Presbyterorum veterum, tam Cardinalium, quàm non Cardinalium locò Baſilicæ Lateranenſi ſpeciatim addicti, quotidie deſervirent in adminiſtrandis præcipuè Sacramentis, & publicis precibus fiendis.* Hæc Onuphrii narratio non poteſt prudenter tanquam aſſertum quoddam rejici minùs in veritate firmatum: non enim credibile eſt, virum nullô partium allectum ſtudiô, doctrinæ præterea eximiæ, & rerum vel maximè romanarum eruderandarum, verúmque à falſis, ac Commentis diſtinguendarum verſatiſſimum, tantummodo in hoc adeò deſipuiſſe, ut ſine validis monumentis illud, quod tunc maximè à quibusdam æmulis in quæſtione agebatur, rectè Gelaſio adſcriberet, ſi non ſufficientibûs documentis inſtructus noviſſet, hunc & Auguſtini Diſcipulum fuiſſe, & eam reformationem in Laterano ſtatuiſſe. Sed inquis: ſi Onuphrius veterum notitiarum uſu hæc ſcripſit, cur earum auctoritates omiſit inſerere, & ſolùm tanquam è ſuo cerebro loqui maluit. Repono, id Authoritati, veritatique ab Onuphrio & cognitæ, & adductæ ne minimùm officere, alioquin omnium veterum cadet auctoritas, niſi aut oculis viſa, aut aliunde evidentia enarrent, cùm aliàs id ipſum à quovis poſſet prætendi, cujuscunque demum teſtimoniô vel Authoritate confiſi loquamur. Certè ſicut Criſis moderata, ſuiſque arctata limitibus, & præcipuè in rebus antiquis prudenti conjecturâ cum adjectis virorum eruditorum id ipſum ſentientium opinionibus laudabilis eſt, & expetenda, ita quorumdam Hipercriticum planè ſupercilium, omniaque ea nimiô cribrô ventilantium, quæ non aſſerendæ veritati, ſed aut tuendæ invidiæ, talibus ſolitæ, aut propenſæ ad omnia abneganda pertinaciæ proſint, deteſtandum eſt, ac execrandum. Egregiè ſanè hanc in rem quidam ex recentioribus ſcripſiſſe videtur: qui dum Germaniam demonſtraſſet fidem Catholicam ſartam, tectamque conſervaſſe usque ad An. 1321. hocque aliquantum deduxiſſet prolixiùs, ſic concludit: *hæc*, inquit, *paulò fuſiùs hic adducere placuit; ad retundendam Sectariorum inſolentiam, qui paſſim omnes traditiones ſolent explodere, & ad fabulas ablegare, quidquid non poteſt digitô oſtendi, aut evidenti ratione demonſtrari, certè Cenſura nimis cruda eſt, & hominis arrogantis, tot Authores illuſtres alicujus levitatis, aut erronei judicii arguere, niſi manifeſta in contrarium opponantur argumenta.* Hæc ille: quod præcipuè eos notare cupimus, qui recenti criſi de rebus hiſtoricis intenti perlegent paſſim in hoc opere, quid de ordine noſtro tam ſummi Pontifices, quàm ingens numerus eruditiſſimorum ſcriptorum enuntient: ſupponendum enim eſt, viros tam Doctos, & alioquin veritatis tanquam filiæ ſapientiæ peramantes, ſimilia nunquam fuiſſe Scripturos, niſi ſatis ſe noviſſent documentis antiquis aliisque ponderoſis proviſos rationibus Atque hæc de transplantata D. Auguſtini reſtauratione Clericali ex Africa in Italiam aliaque Occidentis Europæ loca ſint dicta. Quod autem de nomine Canonicorum ſæculô quintô necdum audito obicii poteſt, id alibi enucleatè diſſolvemus.

P. Henric. Scherer parte 2da Geogr. Hierar. c. 3. prop. 6. §. 4.

5.
Sæculo 5tô diſſeminata Clericalis votivæ vitæ per Auguſtinum reformatio per Galliam, Italiam, finitimaque loca in dies fanore fæcundiori.

Cùm verò deducto hactenùs diſcurſu ſimul ipſum Sæculum quintum ingreſſi ſimus, ſanè plures jam in hoc ſe ſe offerunt vitæ Clericalis votivæ æmulatores illuſtres, quorum illi cumprimis memorandi occurrunt, qui præ reliquis S. Auguſtini videntur imitatores exſtitiſſe, quales fuêre Paulinus, Nolanus, & Hilarius Arelatenſis, ille in Italia, in Gallia iſte, denique & tertius Hilarii Succeſſor Cæſarius in eadem Arelatenſi ſede. Paulini familiaria per Epiſtolas colloquia cum Auguſtino novimus, qui quàm intimis ſe amoris viſceribus dilexerint, ut cum Sacchino (in ejus vita) loquamur, patet ex iiſdem Epiſtolis, quas ſibi ſcribebant: & quem religionis ſpiritum, ſeu in ſolitudine ab Hieronymo, ſeu in Epiſcopatu ad ſuorum Clericorum exemplum ſervandum didicerat ab Auguſtino, colligimus ex Epiſtola S. hujus Doctoris, 32. vet. edit. ex qua habetur expetiiſſe Paulinum ab Alipio, vitæ ſuæ hiſtoriam ſibi communicari, cùmque modeſtiæ religioſæ cauſâ id detrectaret Alipius, negotium illud in Auguſtinum refudiſſe, id quoque Paulino à ſe ſupplicanti promittentem: & quamvis hæc deſideretur, non tamen dubitari poteſt, Auguſtinum primùm illud collaudaſſe in Alipio, ſimulque commendaſſe Paulino, quod iſtum dudum ad imitationem ſui feciſſe in Tagaſtenſi Eccleſia noverat, & cui præcipuè Auguſtinus in hac reſtituta Clericali votiva forma vivendi Doctor erat, atque director, ut patet ex Epiſtolis hac ſuper re ab Alipio ad Auguſtinum, & ab hoc ad illum reciprocè datis. Hilarium Arelatenſem Auguſtino non ignotum, vitæque, ac doctrinæ ejus Zelantiſſimum fuiſſe, qui ignorat, actorum ejus perquirat ſcriptorem Reverentium Epiſcopum: narrat hic de eo, quòd vixdum Epiſcopalem ſedem adeptus *eſfectus nomine ſacerdos -- ita ardenter, & ſtrenuè cæpit, ac perfectiſſimè conſummavit, ut in illius temporis incerto tumultu, quem pax longa metuerat, congregationem ſubitò inſtitueret, ſecreti cupidam, continentiæ virtute creſcentem; quam ſuô non minùs penè imbuit exemplô, quàm formavit eloquiô - - - Adeptus ipſe cæleſtem gloriam, exemplô ſuô fecit alios adipiſci: ad Philoſophiæ ſupernæ dogmata expeditus inceſſit, & ut alii quoq; incederent, inflammavit* & n. 10. de eadem qua ſupra Congregatione: *Cùm primùm*, inquit, *ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſe ipſô primùm monſtravit quemadmodum congregatio mundum contemneret, corpus deſpiceret, & vitia ſuperaret.* Quòd ſi dicas, hæc omnia Hilarium non ex Auguſtini, ſed Honorati deceſſoris ſui doctrina didiciſſe: ajo, & hoc verum eſſe, & id, quod nos aſſerimus; nam quantum reverentiæ ac æſtimationis detulerit hic vir ſanctiſſimus in Epiſcopatu ſuo exiſtens doctrinæ Auguſtini, eique non ſolùm in illis, quæ tunc Pelagianæ hæreſis cauſâ agitabantur, ſed in omnibus aliis, quorum admirator ſimul & ſectator fuerat (quod ſanè de nullo meliùs, quàm de imitatione virtutum intelligendum videtur) apparet ex teſtimonio Proſperi ad S. Auguſtinum ſcribentis Ep. 228. nov. Edit. cujus verba iſthic depromo: *Credimus*, inquit, *& ſperamus, non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidiô roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis, atque honoribus claros, caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum, præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum Sanctum Hilarium Arelatenſem Eppum, ſciat beatitudo tua admiratorem, ſectatoremq; in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ: & de hoc, quod in querelam trahit, jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre* &c. Hæc Proſperi dicta impenſiùs conferamus cum iis, quæ ex Reverentio de Hilarii (cùm primùm ſpeculatoris ſuſcepit officium) congregatione, quemadmodum mundum contemneret, informatâ audivimus, an non continuò elucet Hila-

apud Bolland.

Cap. 2. n. 9. apud Boll. 5. May.

Digitized by

Hilarium hæc ex doctrina Auguſtini, *cujus admirator erat & ſectator,* feciſſe, ex doctrina, inquam, non ea tantùm, quam de gratia rebúſque Theologicis tractantem velut Theoricam, ſed eam præcipuè, quam in miro clericorum votivorum augmento, & paſſim per transmarinas partes jam evolante undique famâ cognitam admirabatur, & ſectabatur vitæ ſpiritualis aliunde Zeloſiſſimus Hilarius.

Hancque doctrinam haud difficile erit affirmare, Eccleſiæ Arelatenſi ex Auguſtino diu inhæſiſſe, nam quicunque Cæſarium obſervaverit ejusdem ſedis Epiſcopum ad Sæculi quinti initium, videbit fidiſſimum Auguſtini in ſua apoſtolica Clericorum reformatione imitatorem: fuit is non minùs, ac Hilarius ex nobiliſſima Lerinenſium inſula monachus ad Epiſcopatum aſſumptus. Quodque vel maximè ordo votivo-Clericalis in acceptis monachiſmo referre debet, eſt, per viros omni ſanctitate conſpicuos frequenter ex eo ad regendas Eccleſias expetitos, non ſolùm non detortum ad monachilem formam Clerum Cathedralem fuiſſe, ſed id hunc per eum beneficii accepiſſe, ut pleniùs, firmiùſque ſemper tum conſervaretur in ſua obligatione apoſtolica, cùm Eccleſiæ Epiſcopales à talibus regerentur, qui ſtrictiori monaſtices vinculo illigati diſciplinæ regularis obſervantiam à Clericis ſibi commiſſis ſonticâ quâdam cauſâ prætenderent, quod nos pluribus inferiùs data occaſione comprobabimus. Certè, de quo loquimur, Divus Cæſarius ab Eonio Arelatenſi Epiſcopo nominatus eſt in Succeſſorem (ut Cyprianus vitæ Cæſarii Scriptor, & Diſcipulus teſtatur) ea præcipuè de Cauſa, ut *Eccleſiaſticum vigorem, quem querebatur, ſe adverſa impedito valetudine, in multis eſſe laxatum, per Chriſti ſervum Cæſarium in ſuum locum, & ſtatum Fraternitas revocatum gratuletur.* Et quod querebat Eonius, abundè Cæſarius reſarcivit, utpote: *qui tanta in ſe bona, largiente divina gratia, habuit, ut de audientium profectibus, & de Diſcipulorum ſequacitate - - - - non uno tantùm ſit merito coronatus.* Domum profectò ſuam Epiſcopalem, non aliam, quàm Auguſtinus habuit, ad monaſterii ſcilicet formam: hinc nulla omninò fœminis introeundi patebat licentia, neç ad ſalutandum, nec quâlibet cauſâ, nec religioſæ, nec propinquæ ancillæ. *Et verè ſancta cauta & perfecta conſuetudo, ut abſcindatur omnis occaſio maligna, ſive ſiniſtra ſuſpicio.* Ut citatus Cyprianus inquit. Planè nimirum ad Auguſtini imitationem, quem adeò cordi ſuo infixum geſſerat, ut cùm morbô ultimô confligaretur, inter non modicos, quos patiebatur, dolores ſciſcitatus ſit, *quàm proximè eſſet Beatiſſimi Auguſtini depoſitionis dies, & cùm imminere commemorationem ejus didiciſſet: confido,* ait, *in Domino, quòd meum tranſitum non longè diviſurus eſt ab ipſius Patris Auguſtini natali.* At unde quæſo hæc Cæſarii confidentia in Auguſtinum PATREM, niſi à perfectæ Imitationis conſcientia: & inconſonum penè fuiſſet huic Viro ſanctiſſimo, ſectari *Patris* tanti Doctrinam de gratia, intermittere autem exemplum reformationis in Clero: profectò, quantum Auguſtinianam ipſe regulam æſtimaverit, apparet abunde ex inſtitutione ſorori ſuæ, & cæteris à ſe in Dei obſequium collectis ſanctimonialibus tradita: hanc enim ex illa tanquam ex fonte præmiſſo hauſiſſe ſe, quisque perſpiciet, qui utramque, id eſt, Auguſtini, Cæſariique regulam combinabit. Quidquid nunc ſit de illa quæſtione, an Auguſtinus regulam ſuam fœminis, vel viris præſcripſerit, id pro noſtro hìc argumento ſufficiet, ut ſi Cæſárius non alia, quàm Auguſtini informatione uſus eſt ad inſtituendas Virgines Sacras, quantò magis eam obſervaverit, ut *Eccleſiaſticum vigorem in ſuum locum, & ſtatum Fraternitas revocatum poſſet gratulari.* Hinc tanta

Digitized by Google

ta apud Arelatenſes Clericos erat bonorum Communio, & expropriationis obſervatio, ut, tanquam dubitarent ex tunc Epiſcopi facultates etiam ipſius Eccleſiæ poſſe poſſideri, Julianus Pomerius ideo rem videatur in eorum favorem decidiſſe, dum ſcripſit de vita Contemp. L. 26. 8. *Congregandis fratribus alendis expedit facultates Eccleſiæ poſſidere, ut uno ſolicitudines omnium in ſua Societate viventium ſuſtinente, omnes, qui ſub eo ſunt, fructuoſa vacatione potiantur ſpiritualiter, & quiete.*

Sic igitur Auguſtini per Galliam, Italiam, finitimaque loca divulgata eſt diſciplina, & ſuaviſſimus odor Clericalis reformationis diffuſus, ſic imitatio vitæ apoſtolicæ ſuſcepta, ut jam non ambigerent multæ, eæque nobiliſſimæ Eccleſiæ lubentes amplecti, quod in Auguſtini Clericis viderant mira cumprimis facilitate peractum: hincque factum exiſtimo, ut Auguſtinum præ reliquis in hac vitæ forma imitanda reſpicerent omnes Clericalis inſtituti reformatores.

6. *S. Auguſtinus licèt Cleri votivi reformator non impreſſit ſuum nomen Clericis reſtauratis, quemadmodum S. Benedictus monachis.*

Verùm dum dabatur talis imitatio, cur non etiam nomen illis in locis reſonavit reformatoris Auguſtini, cur non exinde Clerici Auguſtiniani dicebantur, cur deniqúe accomodaſſe ſe ad regulam ejuſdem S. Auguſtini nullibi leguntur? cùm, monachorum in occidente ad particularem normam vivendi per D. Benedictum facta inſtitutio, hujus nomen non diù poſt penè in pleriſque locis fecerit audiri. Hæc objicientibus reſpondeo, inter Clericorum inſtitutum & illud D. Benedicti monachorum diſparem longè eſſe rationem: nunquam enim Clericos ad eas ſingularitates vi inſtituti ſui obligari ſolitos fuiſſe, ad quas monachos, ex parte jam oſtendimus, & infra oſtendemus. Præterquàm, quòd Clericorum regula non ſit alia niſi Canonum, quam ergò S. Auguſtinus compilavit in gratiam ſuorum, ut quondam illorum haberent Epitomen, non multùm referebat, an eam tanta obligatione amplecterentur, quantâ monachi illam S. Benedicti, quamvìs & hæc in ſui receptione tempore Benedicti Anianenſis non exiguas ſit paſſa antilogias. Hæc ergo ratio, quòd in Clericis, licèt ad æmulationem Auguſtinianæ reformationis reſtitutis, raró memoraretur Auguſtinus, cùm ſuos potiùs quævis Eccleſia, per quos reformabatur, reſpiceret Epiſcopos, quàm eum, à quo, ut ita dicam, fonte primùm talis reformatio ſuam ducebat originem: Unde non illa eſt ad D. Auguſtinum Clericorum, quæ ad D. Benedictum ratio monachorum; utpote in iſtum, ut diximus certi, particularíſque monachilis inſtituti origine, in illum ſolâ reſtauratione refuſâ. Quamvìs & de D. Benedicti monachorum nuncupatione obſervari poſſit, eandem ſat diù non fuiſſe auditam, neque facilè quis teſtimonium de hac ante tempora Benedicti Anianenſis adducet, hoc eſt, trecentis propè poſt S. Benedictum annis, de quo iterum alibi occurret loquendi occaſio.

7. *Sæculó 6to propagatur.*

Aſſumpſit, hôc modô Clericalis votiva vita vires recentes, & è gravi quodammodo agone redivivas: nam Sæculô ineunte ſextô, paſſim ſe inſinuant ejuſdem in Clero veſtigia. Notus eſt aliàs jam relatus à nobis Concilii Toletani an. 531. celebrati Canon. 1, quô ſtatuitur: *de his, quos voluntas parentum à primis Infantiæ annis Clericatûs officio mancipavit, obſervandum, ut mox, cum detonſi vel monaſterio electorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ, ſub Epiſcopali præſentia, à Præpoſito ſibi debeant erudiri: at ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebiſq; conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur: quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante placuit, & profeſſionem Caſtimoniæ ſuæ abſq; conjugali neceſſitate ſe ſpoponderint ſervaturos, hi tanquam appe-*

Digitized by Google

appetitores arctiſſimæ vitæ, leviſſimo Domini jugo ſubdantur, ac primò ſubdiaconatûs miniſterium, probatione habitâ profeſſionis ſuæ à vigeſimo anno ſuſcipiant. Hæc arctiſſima vita certè non qualiscunque Clericorum in majoribus conſtitutorum eſt, ſed eorum, quos votorum profeſſio coarctavit: hinc legitimè inferimus, eos, qui infra 18. annos necdum majoribûs inſigniebantur, velut noſtris temporibûs Tyrones religionum, libertatem obtinuiſſe redeundi ad ſæculum; at præfatis annîs completîs, quibus divinum præplacebat miniſterium, eô ſemel electô, votôque firmatô jam non erat liberum reſilire, ſed, ut inquit Binius: *Clericos ſelectos ad ſanctiorem vitam aſpirantes, ab Epiſcopo aſſumptos, manſiſſe cum eo in clauſura, paupertate, & Præpoſitorum obedientia, & ad teſtimonium vitæ Epiſcopi, conſtat ex Concilio Toletano 2. Cap. 1. & ex Auguſtino ſerm. de communi vita Cleric. & ſerm. 36. ad Presbyteros.*

in Cap. 2. Conc. tolet. 4ti Cap. 1.

Florebat igitur hoc tempore communis vitæ ſolicitudo in ipſis quoque Epiſcopalibus Hiſpaniæ Eccleſiis; ut non concederetur Presbyteris, aut Levitis ſeorſim habitare, niſi aut infirmitate, aut ſenectute impeditis, ſed neque his ſine ſocio, vitæque teſte: *Non aliter placuit*, (ſunt verba Conc. citati) *ut quemadmodum Antiſtites, ita & Presbyteri, & Levitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis gravitas in Conclavi Epiſcopi manere non ſinit, ut iidem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant* &c. Neque hanc vitam communem inter Clericos ſicuti in Hiſpania, ita alibi, ordinatos aliam, quàm votivam fuiſſe, ſatis ex monumentis antiquis docemur. De S. Licinio Andegavenſi, Sæculo hoc exeunte, Galliam ſuis virtutibus egregiè colluſtrante narrat vitæ ejus Author: quòd, *Conſiliô initô, ſecundùm Domini præceptum, qui dixit, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me, relictis omnibûs, militiæ Spirituali & Clericali ſe tradidit, & Domino ſoli vacare ſtuduit, nam antea Comes, & Dux Andegavenſium erat, & inter primos in palatio jam dicti Regis* (Clotharii ſcilicet) *pollebat. Sed demum Clericus effectus ſoli Domino, & ſpiritualibus fratribus placere ſatagebat, pauperem & Communem vitam ducere deſiderans.* Circa annum 543. S. Chrotildis Clodovæi Magni conjux renovaſſe dicitur *ab ipſis fundamentis quoddam miræ magnitudinis monaſterium quod in ſuburbio Rotomagenſis Civitatis propè muros ejusdem urbis tempore B. Dyoniſii ibidem ædificatum fuit, & ab eodem apoſtolico viro dedicatum in nomine duodecim Apoſtolorum die Kal. ſept. ſicut* in quadam petra, quæ erat in fundamento altaris repoſita, ſculptum erat, *ibique aggregaſſe eandem* (ſcilicet Reginam) *non modicam congregationem Clericorum Deo ſervientium.* De S. Launomaro vitæ ejus Author prodidit, quòd in Eccleſia Carnotenſi circa annum 562. in *Communitate Clericali vixit, ibique juxta morem communis vitæ Cellerarium egit, cùm jam ſacerdotii gradum fuiſſet adeptus, & exemplô doctus Apoſtolorum formam primitivæ Eccleſiæ imitari videbatur.*

apud Boll. 13. Feb.

auctor hujus vitæ penè coævus: nam dicit ſe hujus viri

facta nonnulla à familiaribus ejus, qui ejus diſcipulos viderunt, narrantibus percepiſſe.

Annal. Mabil. L. 5. n. 19.

Ut nihil dicamus de multis aliis, qui hoc tempore præclarè Deo ſub Clericali abrenuntiatione rerum temporalium militabant; quales erant S. Fridolinus in ſcotia, Gibehardus Abbas religioſiſſimus Eccleſiæ S. Remigii Rhemis in Gallia, *Canonicorum congregationem ob amorem Dei & S. Remigii aggregans:* ùt refert Floduardus. S. Paulus Leonenſis in Armorica, ac demum ipſe S. Gregorius Magnus Romæ, atque in Anglia: nam Joannes Diaconus in vita hujus eximii Pontificis ſcribit: *Videbantur paſſim cum eruditiſſimis Clericis adhærere Pontifici religioſiſſimi monachi, & in diverſis profeſſionibus habebatur vita communis. Ita, ut talis eſſet tunc ſub Gregorio penes urbem Romanam Eccleſia, qualem hanc fuiſſe ſub Apoſtolis Lucas, &*

Hiſtor. Rhemenſi L. 2. C. 17.

apud Boland. L. 2. C. 12.

& ſub Marco Evangeliſta penes Alexandriam Philo commemorat. Non inſtitutor primus hujus clericalis apoſtolicæ converſationis erat Gregorius, ſed fortaſſe primus poſt S. Fulgentium, qui Clericos cum monachis quodammodo conſociaret: neque tamen, ut commixti viverent ſub eodem inſtituto, ſed ut unà ſibi præſentes, alter alteri, ſecundùm cujusque ſtatûs differentiam, dexteram ſupponeret ad opus divinum opportuniùs exequendum, quod Joannes non inepto cuique appoſito inſinuaſſe videtur, dum dixit, cum *eruditiſſimis* Clericis, *religioſiſſimos* monachos Pontifici adhæſiſſe, ſicut enim in Clero effectivè quàm maximè expetitur *eruditio*, ſic in monacho ſumma religionis, ac reſtrictionis monaſticæ obſervantia. Hinc, cùm utrumque Gregorius expeteret, illud præſtitêre Clerici, iſtud monachi: volebat enim, atque conſtituerat, ut in diverſis profeſſionibus haberetur vita communis. Et profectò, valdè à veritate deſiperet, qui opinaretur Clericos illos, ac monachos monaſtici inſtituti fuiſſe alumnos; nec minùs falleretur exiſtimans Clericos illos Gregorianos peculiatos exſtitiſſe, cùm in his æquè, ac monachis haberetur vita communis, id eſt votiva. Horum verò Clericorum Seminarium quod Gregorio identidem ſuppeditabat viros ſcientiâ, virtuteque ornatos, erat utraque principalis Eccleſia, Vaticana ſcilicet, & Lateranenſis. Ibi monaſterium habebant à Leone primo erectum, hìc Patriarchium ipſum Lateranenſe: monachorum verò aſceterium, tunc ipſa erat cum adjuncto Cænobio Eccleſia S. Pancratii. At verò hìc mirari ſubit, incidere quibusdam potuiſſe, ut dicerent, Monachos Eccleſiam cum Patriarchio Lateranenſi incoluiſſe, ibique hos, non Clericos fuiſſe conſtitutos; facilè hoc commentum diſſolvit Onuphrius in libello de ſeptem Eccleſiis f. 132. & 133. dicens: quod

Monachi Caſinenſes non Patriarchium Lateranenſe, ſed diſtinctum ab eo monaſterium Eccleſiamque obtinendo incolunt.

auctâ fidelis populi multitudine, *cùm Presbyteri per ſingulos urbis Romæ titulos diſtributi eſſent, hicq; in ſuis paraciis occupati non ita aſſiſtere Romano Pontifici poſſent, Clericorum quoq; diſciplina laberetur; Gelaſius Papa circa annum Domini 400. Clericos, qui ab arctiore vitæ inſtituto Canonici, id eſt, Regulares vocati ſunt (hi Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ more ſecundùm D. Auguſtini regulam in Communi vivebant) Lateràni collocavit, qui Presbyterorum tam Cardinalium, quàm non Cardinalium locò, Baſilicæ Lateranenſi ſpeciatim addicti, quotidie deſervirent in adminiſtrandis præcipuè Sacramentis, & publicis precibus fiendis, in quibusdam verò ſolennitatibus Romanus Pontifex antiquum cum Presbyteris Cardinalibus, & aliis Baſilicarum urbis Prælatis, morem retinebat, nam vetere inſtituto in Baſilica Lateranenſi rem divinam facere ſolebat. Canonicorum porrò priſcis illis temporibûs præcipuum (ut dixi) munus erat, ſacramenta plebi Dei adminiſtrare nam in pſallendo minùs erant occupati, cùm eo tempore pſalmodiam adhuc fideles populi frequentarent. Cæterùm, cùm religionis Zelus paulatim decreviſſet, Lateranenſisq; Baſilica non ita in pſalmodia frequentaretur à populis, & Canonici majoribûs occupati rebûs, cantiones frequentare nequirent, optima occaſione accidit, ut haud longè poſt Gelaſii tempora à monachis id munus Laterani ſuſciperetur. Qui paulò ante à B. Benedicto Abbate in occidente inſtituti, optimè vivendi normam acceperant. Is enim in monte Caſino monachorum Cænobiô ædificatô, eis primus omnium occidentalium jura vivendi dedit, qui cùm nullis ſacris tum initiarentur, orationibus tantùm, precibus, hymnis, pſalmis, & Cantui in Eccleſia vacare ſolebant. Huic ſanctiſſimo Patri Benedicto, cùm anno Domini 542. obiiſſet, in monaſterii Caſinenſis Regimine vir ſanctus Abbas Conſtantinus ſuffectus eſt, ejusdem Patris Diſcipulus: Huic tertius ſimplicius, cui quartus Vitalis, & eidem Boniciul Abbates ſucceſſêre, ſub Abbate*

late Bonicio Longobardi, qui Juſtino minore Auguſto, anno Dom. 568. Italiam invaſerant, Caſſinenſe monaſterium nocturno tempore fratribûs quieſcentibûs ceperunt, & omnibûs direptis effecerunt, ut ne unus quidem illic homo permaneret. Fugientes itaque ex eodem cœnobio fratres Romam ſub Joanne Papa tertio profecti ſunt: ex cujus Pontificis conceſſione, juxta Lateranenſem Baſilicam monaſterium conſtruxerunt, ſub titulo ſanctorum Joannis Bap. Evang. & Poncratii, ubi per centum, & triginta annos, quoad Caſinenſe monaſterium dirutum permanſit, perſtiterunt, & Laicorum locò in Lateranenſi Baſilica ſacras horas, & pſalmos canere cœperunt, Canonicis tantùm ſacra in ea facientibûs; & ſacramenta omnia adminiſtrantibûs. Hujus Monaſterii meminit S. Gregorius L. Dialog. 2. c. 1. Cæterùm cum proceſſu temporis monachorum Lateranenſium laberetur inſtitutum, Gregorius Papa tertius, monaſterium SS. Joannis Bap. Evang. & Poncratii propè Lateranenſem Baſilicam antiquitùs conſtructum renovavit, quod tum monachis ſuperiorum Pontificum incuriâ pene deſtitutum erat; cui prædia multa & dona contulit, & quæ invenerat ipſius monaſterii alienata, redditò pretiò eidem loco reſtituit, ubi Congregationem monachorum reformavit, & Abbatem conſtituit ad perſolvenda quotidie ſacra officia laudis Divinæ in Baſilica ſancti Salvatoris, quæ dicitur Conſtantiniana juxta Lateranum diurnis; nocturniſque temporibus, quemadmodum tunc in Baſilica S. Petri Apoſtoli fieri mos erat. Quo verò tempore monachi eô locô ceſſerint, & Canonici multiplicati monachorum munia in pſallendo, & horas Canonicas cantando ſupplere cœperint, incompertum. Certùm eſt, aliquot ſæculis poſt, Canonicorum tantùm Lateranenſium, qui monachorum more in Communi vivebant, Priórimque, qui Abbatis locò omnibus præeſſet, habebant, mentionem fieri, & monachis omnino præteritis. Hæc Onuphrius, cujus integrum hac de re fragmentum adferre libuit, ut quid de Canonicorum, monachorùmque jure in Eccleſiam Lateranenſem æquè, ac Vaticanam credere liceat, ſimul ad oculum habeamus. Quodque præcipuè obſervandum, monaſterium illud SS. Joannis utriusque & S. Pancratii (quod Onuphrius ſcribit, à Joanne tertio exſtructum fugitivis Caſinenſibus monachis anno 568.) ab hiſtoricis, & Scriptoribus quibusdam malè confundi cum ipſa Eccleſia Lateranenſi: patet enim ex Onuphrio, Anaſtaſio Bibliothecario, aliiſque, hanc longè ante illam S. Pancratii exſtitiſſe, & inhabitatam fuiſſe à Clericis, ut mox ex Anaſtaſio oſtendemus. Monachi autem ex Caſino profugi novô monaſteriô ac Eccleſiâ donati ſunt SS. Joanni ac Pancratio Sacrâ. Indubitatum enim videtur, à tempore Damaſi, Leonis, ac Gelaſii, usque ad Alexandrum ſecundum Clericos Lateranenſes non illam S. Pancratii Eccleſiam, ſed Patriarchium, in quo antehac ſummus ipſe Pontifex reſidere ſolebat pariter incoluiſſe: Certè Anaſtaſius Bibliothecarius, de Paſchali PP. ſcribens, ait, cum *à primævo ætatis ſuæ divino cultui mancipatum, atq; in ſacroſanctæ Eccleſiæ Patriarchio ſtudiis divinæ, ſalutiferaq; ſcripturæ imbutum, inde in omni bonitate perfectum ſubdiaconum quidem factum, & poſtmodum Diaconum ac demum Presbyterum honorificè fuiſſe conſecratum.* Ex quo patet ipſum Patriarchium, ſimul fuiſſe Clericorum monaſterium, adeoque plenè diſtinctum ab eo, quod erat S. Pancratii. Neque etiam videtur hanc Caſinenſium fugam facilè combinandam cum anno 580, adeoque cum Regimine Paſchalis potiùs, quàm Joannis tertii, quod vult Mabillonius L. 7. n. 1. Ann. Ben. ſed hæc Chronologia, quia nos non urget, facilè relinquitur. Neque prodeſt diſputare ad rem noſtram, quì qualitèrve per Gregorium eliminatis Clericis Monachi inſtituti potiùs ſint in præfato monaſterio, quàm

Vide Tamb. de jure Ab. tom. 2. diſp. 24. q. 5. & Azor. tom. 1. L. 12. Cap. 22. q. 4.

quàm reſtituti: id illi viderint, qui in tam reſtricto temporis intervallo, quale illud eſt, quod Mabillio cum ſuis adſtruit, enormem adeo mutationem coguntur admittere. Cæterùm quod iterum cauſam noſtram reſpicit, eſt, idem monaſterium pleno jure Canonicis regularibus ſub Alexandro ſecundo ceſſiſſe. Libet hìc attexere, quæ in Critica ſua Pagius ſcribit: *Mortuô, inquit, Honoriô in Papam electus eſt Gregorius Cardinalis Diaconus S. Angeli, qui fuerat Monachus Lateranenſis Cœnobii, SS. Joannis Bap. Joannis Evang. atq; Pancratii inquit Baronius num. 2. Verùm Oldoinus in Innocentio ſecundo p. 979. notat, Anaſtaſii 4ti & Paſchalis 2di diplomatibûs conſtare ab Alexandri 2. temporibus usq; ad Bonifacii octavi monaſterium illud fuiſſe Canonicorum regularium. Et licèt temporibûs Joannis tertii monachi divi Benedicti & Gregorii tertii, monaſterium illud apud Eccleſiam Lateranenſem obtinuerint, tamen aliquot ſæculis ante Alexandrum ſecundum locô exceſſerant, nec illorum prorſus ulla in Lateranenſis Eccleſiæ monumentis memoria habetur, ut teſtatur Onuphrius, qui Lateranenſe Archivium ſæpè ſcrutatus. Teſtatur & Cæſar Raſponius in Baſilica Lateranenſi L. 2. C. 1.* hæc ille. Ex quo patet ſimul prædictorum ſcriptorum fallendi occaſio, cùm enim ab Alexandri 2. &c. temporibus Eccleſia S. Pancratii dicatur fuiſſe Canon. Reg. hôc loquendi modô decepti credebant unicum monaſterium intelligi, unamque Eccleſiam Lateranenſem, cùm tamen ex Onuphrio clarum ſit, aliud fuiſſe monaſterium cum Eccleſia S. Pancratii monachis profugis anno 568. conditum, quod ipſum jam obſervaſſe apparet Mabillon. in annal. L. cit. dum ait, quòd *Pelagii 2di* (melius Joannis 3.) *licentiâ locum proximum Patriarchio Later. ad ædificandum monaſterium obtinuerint.*

Critica Bar. tom. 4. an. 1130. n. 3.

Denique quamvìs monaſterium illud conſecratum fuerit SS. Joanni utrique, falluntur tamen, qui ideò putant, ipſam Eccleſiam Lateranenſem per hoc intelligi, ita, ut monachi illam ipſam Eccleſiam incolerent: erat ſanè tam monaſterium monachorum, quàm Baſilica Lateranenſis una cum Eccleſia utrique Joanni dedicata, ſemper tamen illud ab iſta, ſicut Clerici à monachis, diſtinctum: illi, ut Onuphrius ediſſerit, in eadem tanquam ſibi propria, divina perficiebant myſteria, ac Sacramenta, iſti Laicorum locô cantus, ac pſalmodiam: hinc eis in ſæpè dicta Eccleſia oratorium quoddam, in quo pſallerent, fuerat aſſignatum. Sicut eodem modo ſub Gregorio tertio ad idem obſequium præſtandum in Eccleſiam S. Petri Vaticanam vocati ſunt, quamvìs nunquam monaſterium illud inhabitarent, tribûs Vaticanæ Eccleſiæ adhærentibûs aliis Cœnobiis, quæ illi incolerent: *Conſtruxit*, inquit Anaſtaſius in Gregorio, *monaſterium circa titulum ſanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Chryſogoni, conſtituens ibidem Abbatem, & monachorum congregationem ad perſolvendas Deo laudes, & in eodem titulo diurnis, atque nocturnis temporibûs ordinatam ſecundùm inſtar officiorum Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli, ſegregatam videlicèt à jure poteſtatis Presbyteri prædicti tituli.* Igitur alia erant monaſteria monachorum ab habitaculo Clericorum, illi morabantur in tribus monaſteriis Eccleſiæ S. Petri contiguè exſtructis, iſti in ipſo Vaticano: ut adeo non ſolùm Clerici in ſuo miniſterio ſemper juxta inſtitutum ſuum eſſent diſcreti à monachis, ſed & in habitatione, quamvìs clauſtrali non minùs, atque regulari, quæ quidem per Eugenium ſecundum egregiè ſtabilita eſt, Canone ideò conſtituto in Concilio ab eodem Romæ anno 826. celebrato. Ubi Cap. 7. inquit: *neceſſaria res exigit, ut juxta Eccleſiam Clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent, itaq; omnibus unum ſit refectorium ac dormitorium, ſeu cætera offici-*

officinæ ad uſus Clericorum neceſſariæ.

8. *Gregorius M. reformat Clerum Romanum eò providet neoconvertendæ Angliæ.*

Sed ut, unde paululùm digreſſi ſumus, revertamur: magnus Gregorius non deſtitit Clericalem diſciplinam omnimodis promovere, & è fonte romano ſuos in rivulos diffundere etiam ad oras exteras, nam notiſſima illa Anglorum Converſione per S. Auguſtinum conſtitutâ in Eccleſiis tunc aut reſtitutis aut fundatis, ubicunque Clerici ſacramentorum adminiſtrandorum causâ ponendi fuerant, eosdem regulari illâ votivâque vitâ voluit informandos. Adeo enim certum mihi eſt Auguſtinum Eccleſiam Cantuarienſem tali vitæ diſciplina inſtruxiſſe, quali Gregorius romanam, ut ne dubium movendum autumen. Nec refert hujus rei monumenta antiqua deeſſe (quod dudum nos ipſi, & ante nos in caſibus ſimilibus viri eruditi, moderatique Critici obſervarûnt) attamen non deficiunt indicia manifeſta. Exſtat namque in antiquis æquè ac medii ævi ſcriptorum hiſtoriis, conſtitiſſe ad Eccleſiam dorobernenſem (metropolitanam ſcilicèt) duo monaſteria, unum antiquiſſimum ſancti Martini, de quo Gocelinus in vita S. Auguſtini Cantuarienſis Cap. 2. n. 20. *Reſidua verò*, inquit, *Eccleſia B. Martini, olim ab ipſis romanis Chriſtianis condita, tunc illuſtrabat Cantiam, quæ hactenùs manet aſſiduis miniſtris officioſa per dimidium ferè ſtadium diſtans orientalis ab Authentica Chriſti Eccleſia.* Scilicèt S. Salvatoris, quam Auguſtinus liberalitate Regis Ethelberti à ſe converſi ex fundamento erexerat. At Eccleſia illa S. Martini paulò ante Auguſtini adventum erat ſimul domicilium Clericorum, ſeu potiùs habebat ſibi iſtud annexum: nam ut idem Gocelinus: *in hac*, ait, *Beatus Præſul Letardus, velut apoſtolicorum prælegatorum præcurſor, aut Janitor, primò divinis officiis & Sacramentis Reginæ Chriſtianæ, ut fidelis Paranymphus cum ſuis clericis obſequebatur.* Hæc Regina erat ipſa hujus Ethelberti conthoralis de regia Francorum ſtirpe genita, & tam conſtanter Chriſtiana, ut teſte Beda in Epitome, illam ea conditione à parentibus acciperet, *ut ritum fidei ac religionis ſuæ cum Epiſcopo, quem ei adjutorem fidei dederat, nomine Luidhardo, inviolatam ſervare licentiam haberet.* Quamvìs autem tunc Luidhardus jam objerit, vixit tamen Bertha Regina, adeoque non ſine miniſtris Eccleſiaſticis Eccleſiæ S. Martini ſervientibus: huc ergo Auguſtinus primùm appulit, & explicuit vexilla fidei gentibus hujus regionis prædicandæ, hæcque Eccleſia unà cum habitaculo ſeu monaſterio adjuncto erat ei prima ſedes apoſtolicæ ſuæ miſſionis. Teſte enim iterum Gocelino loco cit. *In hoc oratorio Auguſtinus cum ſuo Choro quotidiana Domini miniſteria celebrabat, & in pſalmis, precibus, atq; in voce tubæ - - - noctes & dies Laudes Domini attollebat:* advenit verò in Cantiam anno 596. cum ſociis eum Romà comitantibus: qui ſocii, an monachi omnes fuerint, an commixti Clericis, hìc non diſcepto; id propè certum, multos Monachos non fuiſſe: nam cùm Gregorius ſcribens Virgilio Arelatenſi Epiſcopo dicat: *Auguſtinum cum aliis ſervis Dei pro animarum illuc compendio ſe transmiſiſſe - - - quatenus ſi quid Deo lucrifacere valuerit &c.* Patet hanc primam miſſionem explorandi potiùs causâ inſtitutam (an ſcilicet fidem recipere Angli vellent) non verò tanquam certitudine jam præhabita de libertate eam prædicandi. Unde & Auguſtinum diſpoſuerat ordinandum Epiſcopum, *ſi ab Anglis ſuſciperetur*, ut inquit Beda L. 16. 23. adeò enim incerto de ſuſceptione à ſe ſubmiſſorum operariorum Gregorio, ut majorem ſtatim numerum eorum ablegâret, nulla ratio ſuaſit. Sufficerit itaque Auguſtino in ſolatium ſuæ peregrinationis ſocios ad ſummum quatuor aut quinque fuiſſe

Non ſoli monachi, ſed hi cum genuinis Clericis in Angliam mittuntur à Gregorio.

fuiſſe deſtinatos: neque crediderim ex his vel unum ordinatum exceptô Auguſtinô fuiſſe presbyterum; at cùm propiores fierent peregrinando per Gallias terræ Angliæ: & Auguſtinus, ut narrat Gocelinus, *ſuorum ſociorum timiditate impulſus* reverteretur ad Gregorium hujus miſſionis deprecaturus negotium, tum fortè ſimul & alios & plures operarios ſibi ſuppeditandos petierit Auguſtinus, eóſque ſacerdotiô initiatos, ne deeſſent ſacris laboribus negotiatores requiſiti: aut certè id factum, cùm anno ſequenti 597. ex Anglia rediret in Galliam ordinandus à Virgilio præfato Epiſcopus: quidquid horum ſit, negari non poteſt, presbyteros, & pleroſque ſuæ legationis ſocios ſe ex Gallia accepiſſe, ſic enim colligitur ex Epiſt. Gregor. 58. L. 5. ad Theodoricum & Theodobertum Reges ſcripta, in qua ait: *quibus* (Auguſtini ſcilicet & ſociis ſuis) *injunximus, ut aliquos ſecum è vicino debeant Presbyteros ducere cum quibus, eorum poſſint mentes agnoſcere, & voluntates admonitione ſua, quantùm Deus donaverit, adjuvare.* Cauſa, quòd Gregorius presbyteros ex Gallia potiùs, quàm Româ ſuſcipiendos ad hoc opus Evangelicum ordinaverit, erat linguæ Anglicæ apud Romanos imperitia, ut liquet ex præfatis Epiſtolæ verbis. Et teſtatur Beda *pleroſque profectionis Auguſtini Comites Francos fuiſſe.* Qui univerſim numerum fermè quadrageſimum æquabant. Francos verò iſtos non poſſumus non inter genuinos Clericos numerare, cùm tunc rariſſimè eſſent è monachis Sacerdotes: quodne quis gratis à me probandum contendat, utpote certitudinem hanc omni eorum temporum & maximè Gregorianarum conſtituionum notitiâ conclamante. Cui addi poteſt ipſorum monachorum in Gallia utcunque reſtricta ſuppellex. Videatur hac de re Claudius Rob. in Gallia Chriſtiana & monachus Bened. ſcriptor mirac. S. Bercharii, & auth. vit. S. Waldeberti, quorum

Lb. 1. hiſt. Angl. C. 25.

teſtimonio certum, regulam S. Bened. ante ſæc. 10. Galliæ fuiſſe ignotam. Ac denique major Clericorum, quàm monachorum ad fidem implantandam neceſſitas.

9. *Monachorum officium in Anglia ad pſalmodiam incumbere, Clericorum ſervire curæ animarum.*

Itaque egregiè primitiis laborum in his viris Apoſtolicis Dei gratiâ cooperante, ut diximus, primam ſuam ſtationem fixit Auguſtinus in S. Martini Eccleſia, ibi collectis haud dubiè in unum monachis cum Clericis, mox ut commodiùs ſe habere cæperunt res Chriſtianæ, favente Ethelberto noviter converſo, conſtructa eſt intra Civitatem ab Auguſtino teſte Beda alia Eccleſia ad S. Salvatorem, quam ipſe ſanctus conſtituit Epiſcopalem: evocati ad hanc Clerici, & in altera S. Martini relicti monachi, ſolùm ſtatis temporibus adventuri, quibûs divinæ pſalmodiæ deſervirent, dum Clerici Evangelicis laboribus inſudarent, ſanè ad eam normam, quam viderat Auguſtinus à S. Gregorio Romæ conſtitutam. Erant ergo cum Auguſtino Clerici, erant & monachi, ſed magis illi, quàm iſti; nam, ut ab illis nunquam ſepararetur, Gregorius ad primam ſibi ab Auguſtino propoſitam quæſtionem decidit: *quia*, inquit, *Fraternitas tua monaſterii regulis erudita, ſeorſim vivere non debet à Clericis ſuis* &c. Sed quid ſi hi ipſi Clerici monachi ſunt? certè ſic aſſerere cuidam erudito viro placuit, cùm diſſertè enuntiaret, non ſolùm Eccleſiam Cantuarienſem, ſed & alias Cathedrales Angliæ omnes, principio monachorum fuiſſe, & quidem tam certò, ut mirum opinetur, exſtitiſſe hoc tempore nonnullos, qui id in dubium revocare, aut negare auſi ſunt: præcipuam ſuæ aſſertionis anchoram firmat Bedæ teſtimoniô in vita S. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnens. & Bonifacii 4ti decreto ad Anglos, & quidem ad Cantuarienſes datô, ubi ſtatuit: ut *ipſi* eorum *prædicatores monachi monachorum gregem ſibi adſocient.* Idque in Cantuarienſi Eccleſia, ut habet apertè prædicta Bulla

L. cit. c. 33.

L. 12. Ep. 31.

Mabill. Ann. Ben. L. 10. n. 12. & in Analect. diſſert. de vit. monas. Gregorii primi Part. 2. N. 8.

vita S. Cuthb. apud Bolland. c. 19.

Digitized by Google

Bulla relata à Spelmanno ad annum 610. data Laurentio Succeſſori B. Auguſtini, poſt mortem hujus ad ſummum fortaſſe annô quartô, quô ipſe S. Laurentius hanc Eccleſiam S. Salvatoris dedicavit. Fateor, me aliquantum fluctuaſſe, an reſponſionem his objectionibus redderem, an potiùs tanquam abundantiſſimè jam reſolutis ſuperſederem, remiſſo Lectore ad id, quod tam eruditè, quàm nervoſè, plenèque repoſuit Author diſquiſitionum de ordine Canonico fol. 81. & ſequ: & iterùm f. 510. ut ſic parcerem in re nota, & dubio jam affluenter evulſô, foliis inutiliter augendis: utpotè quòd in eruditum, ac cordatum non poſſit obrepere, ut credat, in Cantuarienſi, aliiſque Eccleſiis Gregorii Magni tempore meros monachos fuiſſe: cùm latere nequeat, nimis hujus ſancti viri diſtricta in monachos obſervantia, ne *monaſteria monachorum converterentur in habitacula Clericorum.* Quemadmodum ipſe diſſertè & ſeveriſſimè decrevit Ep. 1. L. 4. anno ordinationis ſuæ quinto, qui coincidit cum anno Chri. 594; adeoque duobus non omnino annis ante Miſſionem hanc Anglicanam id fuerat conſtitutum: & quamvis non ignorem, quibuſdam ſubtilitatibus hanc conſtitutionem Gregorii ſolere ab adverſantibus explicari, verùm actum igitur, fruſtraque in re tam apertâ torquent ſe, textumque Gregorii: legendus hac de re Author diſcipl. Eccl. Par. 1. L. 3. C. 13. & 14. qui nemini imponit, dum ex Gregorii diverſis locis docet manifeſtè, quàm noluerit ille monachos in monaſteriis ſuis Clericalibus curis implicari. Et ſi id voluiſſet fieri in Eccleſia Anglicana, nunquam Clericos illuc ex Gallia mittendos petiiſſet, ſed monachos, *Presbyteros,* inquit, *quòd debeant ſecum ducere,* non monachos, Presbyteri autem hi Clerici erant, non monachi, cùm ex ipſius decreto pauciſſimi ordinarentur in ſacerdotes. Unicum ab ipſo conceſſum fuiſſe in monſterio ordinandum reperio L. 7. Ep. 94. & L. 5. Ep. 41. non tamen plures, ut ex iiſdem Epiſtolis patet. Quod unum ſufficere poſſet, ſalvis inanibus effugiis, ad omnia contraria argumenta retundenda. Neque enim prætendi poteſt quædam ſpecialis indulgentia, & relaxatio ſui decreti in ſola Eccleſia Anglicana monachis admiſſa, cùm non appareat ulla hujus neceſſitas: utpotè quòd juxta omnes pene ſcriptores, à partium ſtudio liberos, certum ſit Francos Sacerdotes Auguſtino in opus Evangelii prædicandi adjunctos Clericos fuiſſe, & nos mox id argumento ineluctabili declarabimus ob penuriam ſacerdotum monachorum, qui, dum etiam ad munus Clericale aſſumebantur tunc primò ordinabantur: at Gregorius non ſcribit ſe injunxiſſe Auguſtino, ut aliquos ſecum è vicino debeant ducere in Presbyteros *ordinandos,* ſed actu Presbyteros, ſic patebit contextum hujus Epiſtolæ perlegenti.

Verùm, ut hanc qualemcunque difficultatem clarioribus adhuc argumentis enodemus, Bedæ Venerabilis verba hanc difficultatem aliquantùm colluſtratura producere neceſſe eſt, quæ ſic ſonant: *neq; aliquis miretur, quod in eadem inſula Lindisfarna, cùm permodica ſit, & ſupra Epiſcopi, & nunc Abbatis & monachorum locum eſſe diximus: re vera enim ita eſt. Namq; una eademq; habitatio utroſque ſimul tenet, imò omnes monachos tenet, Aidanus quippe, qui primus ejuſdem loci Epiſcopus fuit, monachicam cum ſuis omnibus vitam ſemper agere ſolebat. Unde ab ipſo omnes loci illius Antiſtites uſque hodie ſic Epiſcopale exercent officium, ut regente monaſterium Abbate, quem ipſi cum conſilio fratrum elegerint, omnes Presbyteri, Diacones, Cantores, Lectores, cæteriq; gradus Eccleſiaſtici, monachicam per omnia cum Epiſcopo regulam ſervent, quam vivendi normam multùm ſe diligere probavit B. Pater Gregorius, cùm ſciſcitanti per litteras Auguſtino, quem primum genti Anglorum Epiſcopum miſerat, qualiter Epiſcopi cum ſuis* Cle-

In vita Cutberti c. 16. & L. 4. hiſt. Eccl. c. 5. n. 24.

Clericis converſari debeant? Reſpondit inter alia: Sed quia tua fraternitas, monaſterii regulis erudita, ſeorſim non debet fieri à Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, quæ Deo auctore nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Hæc ad verbum Beda. Atque ex his, ſi Diis placet, confectum habemus argumentum pro Eccleſiæ æquè Cantuarienſis, quàm Lindisfarnenſis monachiſmo: cùm Beda hujus inſtitutum cum alterius conferat, æſtimetque æquale, iſtud autem apertè nimis monachos habuiſſe affirmet.

10. *Veterum ſcriptorum conſuetæ confuſionis Monachi & Clerici quamvis in re omninò diſtincti, agnoſcentium, ratio.* At penitiùs iſta ponderata profectò nunquam perſuadebunt, nec evincent, ut ideo monachiſmum clericali (ut vulgò dicitur) inſtituto oppoſitum, aut Cantuarienſi aut Lindisfarnenſi Eccleſiæ aſſerere cogamur, qui enim Bedæ Venerabilis ſtylum novit, uſúmque ſcribendi, clarè reperiet, cùm monachos monachiſmúmque memorat, atque pro eodem declamat, adeo non in eorum caſtra deſcendere, qui volunt hunc clericatui regulari oppoſitum, ſeu ab eo diſtinctum, quin potiùs, niſi apertè ad ordinem monaſticum, ut talem, & quidem S. Benedicti reſtringat, ut plurimùm jam intelligere clericos, jam monachos; ut neceſſe ſit ſecundùm circumſtantias, aliáque tunc occurrentia indicia explicare eundem, ne contra mentem ſcribentis in errorem impingamus. Conſideremus ergo Aidani, Cutbertique tempora, nec non monachorum mores, atque communiter leges receptas, quas ſibi tam ſanctas ſemper, & inviolatas habuêre, ut ne jota aut apicem præterirent. Obiit S. Cuthbertus anno 687, quô eodem propè Sæculô & S. Aidanus vixerat, utpote cujus animam ex corpore in cælum evolantem S. Cuthbertus (teſte Beda in metris de iſto) conſpexit. Igitur ſæculum ſeptimum, quos in viris Deo dicatis mores habuerit in Eccleſia occidentali, obſervandum. Primò: adeò monachis interdicta fuit animarum cura, ut (quamdiu monaſtico erant amicti ſchemate, neque ad Clerum jure ſolenni tranſpoſiti) omnimodis ab ea arcerentur. Audivit Magnus Gregorius Eccleſiam S. Pancratii Romæ divinis publicè celebrandis ab incurio Clero deſtitui, poſuit mox illuc monachos, ſed hâc cautelâ, ut ipſi quidem divinam pſalmodiam peragerent, *ſed ne*, inquit: *remotis presbyteris, quibus Eccleſia ipſa fuerat ante commiſſa, vacare miniſteriis videatur: idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illuc debeas adhibere presbyterum, qui ſacra miſſarum poſſit ſolennia celebrare.* Neque in hac aut alia Epiſtola conſtituit S. Pontifex, ut ſolùm hic peregrinus Presbyter ad tempus aſſumatur, donec aliquis ex cætu monachorum ſacerdotiô initiatus fuiſſet. Conceſſit id Urbico Abbati monaſterii S. Hermæ, ſed ideo, *ut nec ille de monaſterio ſuo egredi hac pro cauſa, nec extraneum ſibi ad peragendum ſacrum opus cogatur adducere.* Minimè autem, ut in monaſterio conſtitutus monachus pro adminiſtrandis ſacramentis fidelium plebi, initietur ſacerdotiô, quod manifeſtè contra ipſum hunc S. pugnaret Gregorium, utpote qui Ep. 40. L. 6. abſolutè conſtituit, *ut quâlibet morâ & excuſatione ſubmotâ, ſi quiſquam Abbatum aut monachorum ex quocunque monaſterio ad Clericatûs officium vel ordinem ſacrum aſſumatur, nullam illic ampliùs habeat poteſtatem.* Idem Gregorius Ep. 18. L. 7. ſcriptâ ad monachos monaſterii urbis Claſſitanæ, ſtatuit: *Quiſquis ex prædicto monaſterio ad Eccleſiaſticum ordinem pervenerit, ulteriùs illic nec aliquam poteſtatem, nec licentiam habeat habitandi.* Tota autem hujus conſtitutionis cauſa in eo fundabatur, quòd Gregorius, & quicunque monaſticæ diſciplinæ Zelatores noluerint, monachos à ſua vita contem-

Monachis ſæculis 6. 7. &c. cura animarum extranea vetita.

apud Caniſium t. 2. antiq. Lect. P. 1. f. 7.

Vide Annal. Mab. L. 1. n. 45.

templativa diſtrahendos, & alienis negotiis occupandos: ait enim ipſe Epiſt. 1. L. 4. ad Ravennatenſem Epiſcopum Joannem: *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire, & in monachica regula ordinatè perſiſtere, ut ipſe diſtrictionem monaſterii teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere.* Hæc teſtimonia à Capite occidentalis Eccleſiæ producere oportuit., & quidem pro eo, de quo diſceptamus, tempore definita, ut inde appareat, fieri vi hujus à Gregorio toties repetiti Decreti ne quidem potuiſſe, ut monachi *ſuis* in *monaſteriis* conſtituti Eccleſiaſticis miniſteriis præficerentur, ergo hoc neque in Eccleſia Anglicana, quod ipſe nullibi aliàs conceſſit. Quòd ſi dicas negari non poſſe, in hoc caſu ſpecialiter à Gregorio id fuiſſe admiſſum, eò, quòd monachi meruerint, ut ſuorum in laborum præmium hâc licentiâ Clericalis poteſtatis donarentur. Repono, id nec Auguſtinum, nec alios, quoscunque demum, fortè pauciſſimos monachos ad hoc opus aſſumptos ut monachos feciſſe, ſed ut Clericos; cùm oporteret Auguſtinum adhuc Romæ exiſtentem, ut primùm ſacerdotiô initiatus eſt, monachiſmo eô modô renuntiare, quo ipſe in allegata Epiſtola 40. L. 4. decrevit: ſcilicet: *ut ſi quiſpiam Abbatum aut monachorum ex quocunq; monaſterio ad Clericatûs officium vel ordinem ſacrum acceſſerit, non illic aliquam habeat ulteriùs poteſtatem.* Atque hinc dum toties Auguſtinum & frequentatîs Epiſtolis conatur jam Epiſcopis commendare in Gallia, jam Regibus, nunquam invenimus monachum vocatum, utpote jam relatum inter Clericos, & haud dubiè à ſe ipſo ſacerdotiô inſignitum; quos verò à ſe miſſos monachos Gregorius dicit, inter eos habendi ſunt: at quorum non erat Eccleſiaſticis deſervire myſteriis, ſed monaſterii diſtrictionem tenere: & ut diximus, dum Clerici occupabantur ſuis obſequiis, illi domeſticam tum in Eccleſia tum in Clauſtro colere cogebantur devotionem.

Secundò: hoc eodem ſæculo imò multis ſecuturis adhuc, monachi prohibebantur Cathedrales poſſidere Eccleſias: certè, ut in re notiſſima non diu hæream, pro decimo adhuc ſæculo exſtat monumentum evidens, quô nil minùs, quàm monachis Eccleſiæ Cathedrales concedebantur: refert illud in ſuis Annalibus trevir. Browerus ex quodam chronico Franco-Saxonico, quodque dicit antiquæ probatæ fidei. Annô plùs minùs 967. Otto diſpoſuit Magdeburgenſem Eccleſiam in Archiepiſcopalem elevare, nobiliſſimum ea in urbe erat Cænobium S. Mauritii, quod incoluerant monachi, viri tum virtute tum Doctrina conſpicui, iſtud igitur propoſito Ottonis deſervire debuit, ut Cathedralis Eccleſia fieret, res in Concilio Ravennatenſi, præſentibus ſummô Eccleſiæ capite Joanne 13. aliiſque quamplurimis Epiſcopis ſolenniter decreta, paulò poſt in effectum deducta eſt. Sed ecce, quid cum S. Mauritii Monachis? narrat id Chroniſta ſic inquiens: *transmutata eſt itaq; Abbatia in montem ſuburbio ejusdem civitatis adjacentem: deputaturq; S. Joanni Baptiſtæ & adhuc habetur. Monachi quoq; ſuccedentibus ſibi Clericis reliquerunt in libris & aliis rebus plurima ornamenta: quæ ibidem imperiali munere & propriâ induſtriâ fuerant congregata, cùmq; illorum animos ob hanc migrationem non immeritò triſtitia quædam obnubilaret, Cæſar eis pro conſolatione, prædiorum ſuæ hæreditatis, non parva dona adjecit, & quocunq; in loco cum Canonicis in una ſtatione conveniant, ipſi dextra in parte ſupremum locum obtineant, conſtituit. Sed & præterea, ut recurrente annuatim hujus translocationis Die, quæ eſt quinta Idus Auguſti id eſt in vigilia Victoris ignium Levita Laurentii pedibus nudis, proceſſione lugubri, ſedem ſuam viſitantes, miſſam celebrent, quô tam apud Canoni-*

11. *Cathedrales Eccleſias his temporibus poſſidere non poterant monachi.*

L. 10. ad an. 965. N. 9. & ſeq.

nonicos, quàm apud Monachos facti hujus perpetim ſtaret inviolabilis memoria &c. Recenſet dein Chroniſta multorum monachorum promotiones ad diverſos Epiſcopatus, & ad hunc ipſum Magdabergenſem, ait, primum promotum fuiſſe Adalbertum hujus S. Mauritii Cænobii Monachum. Nulli eſſe dubium poteſt, iſtius translationis Monachorum cauſam fuiſſe conſtitutos canones, qui tum adhuc ſanctè obſervabantur, ne monaſteria monachorum manentibûs monachis fierent monaſteria Clericorum. Et maluit piiſſimus Imperator tot obligationibus potiùs adſtringere neoinductos Canonicos, tot gratiis cumulare monachos, quàm ut hi neglectis Canonibus Cathedralem Eccleſiam occuparent. Sed ad anteriora quoque tempora revertamur, anno 772. celebratum eſt Concilium Bavaricum Dingolvingenſe, in eo *Patres vetant*, ut loquitur Concilium, *ut monachis Parochiæ commendari deberent, vel publica Baptiſmatis obſequia, niſi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent, commorandi negotiô exceptô, ſi viciſſitudinis villarum propriarum ſingulis annis obedientialibus curis commiſſio ab Abbate proprio fuerit determinata: unde ab univerſis Abbatibus facta profeſſio, ut minimè titulis popularibus ſe ingerere depellerentur; & hæc omnia, cui commiſſæ ſunt plebes, ſub poteſtate Epiſcoporum permanerent, ſicut in ſanctis ſynodis vel Decretis priſcorum Patrum perarata comprobat conſcriptio. Priſcorum*, inquam, *Patrum conſcriptio*, quæ ſanè abundè patet, & omnium propè ante octavum Sæculum prælapſorum temporum uſu: reguláque hæc ſemper ab omnibus non ſolùm recepta, ſed maximè â monachis ipſis expetita eſt; unde Caſſianus de inſtit. Cænob. L. 11. C. 17. *hæc*, inquit, *eſt antiquitus Patrum permanens nunc uſque ſententia, omnimodis monachum fugere debere mulieres & Epiſcopos:* Sanctus Baſilius ſuis, quos regebat, monachis, ſcribit conſtit. monaſt. C. 9. *Clerum* (id eſt Clericatum) *aut inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet, ſiquidem Diabolica iſta peſtis eſt.* Hinc facilè reſolves, cur S. Benedictus in regula ſua nullam cautionem de appetendo clericatu ſtatuerit, ipſe enim in fine, ad regulam ſignatè S. Baſilii ablegat ſuos. Et hoc præceptum, uſusque tam communis fuit monachis, ſaltem ne in monaſteriis poſiti Clericalia popularibus hominibus plebanorum more miniſteria præſtent, quàm quòd communiſſimus: ideo noluit inſerere, quæ aliundè in monachis tanquam vi Canonum conſtituta ſupponebantur. Hæc autem omnia ſic dicta velim, ut liqueat, monachos in ſuis monaſteriis Clericatûs curam ad exteros non admiſiſſe: unde adhuc ſæculo undecimo, ut habetur apud Ivonem Decret. p. 7. c. 151. Alexander ſecundus *juxta Calchedonenſis tenorem Concilii, Monachis (quamvis religioſis ad normam S. Benedicti) intra clauſtra morari præcepit, & â populorum omnino prædicatione ceſſare.*

tom. 6. Conc. Col. 1796.

Cæterùm inaniter vellicarer, ſi evincere vellem abſolutè monachos â clericatu fuiſſe excluſos, neque enim latent plurima exempla, quibus monachi comprobantur exercuiſſe clericalia, digniſſimè ad ſummam quoque Cathedram fuiſſe non ſolùm promotos, ſed etiam raptos, maximè ex Lirinenſi illo & Luxovienſi virtutum alveari: ſed qui hæc admittere debeo, & lubens poſſum, certè vel ideo, ne allegati, plurimique his ſimiles Canones gratis videantur ſtatuti, ut ipſis quóque monachis in Cænobiis ſuis conſtitutis, id adjudicem, nunquam â me quiſquam eruditus prætendet. Scio in Oriente pridem anteà monachis contradita fuiſſe Clericalia munia. Hieronymus in Epitaphio D. Paulæ narrat, monachos ei obvios factos: *Occurrente ſibi ſancto & Venerabili Epiſcopo Iſidoro Confeſſore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos ſacerdotalis & Leviticus ſublima-*

Non tamen omnino excludebantur â Clericatu monachi imò multi ad eum cogebantur.

limabat gradus: Sed iſti fortè non alii fuerint, quàm qui ſuis commonachis miniſteria Eccleſiaſtica ſuppeditarent. S. Euthimius multos, ùt monachus, erudiebat, Baptizabatque & Joannes Moſchus in Prat. ſpir. ait C. 3. Cononem Presbyterum Monaſterii Benthuculæ juſſum fuiſſe, ut accedentes ad monaſterium ſuum Baptizaret, eóſque ſacro Chryſmate inungeret. Verùm hæc ſæculò jam ſextô in Oriente, nihil tale factum in Occidente legimus. Quin omnia Conciliorum decreta probant contrarium, nihil itáque monaſteriis Monachorum tum, id eſt, ſæculô ſeptimô & diu quóque deinceps cum cura animarum, taceo cum Eccleſiis Cathedralibus.

12. *Monachorum Eccleſias adire inhibebantur mulieres: quod fieri non potuiſſet, ſi eis propria & paſſim licita fuiſſet vita Clericalis.*

Tertiò: gravi ſanciebatur decreto, ne mulieres ingrederentur Eccleſias monachorum, ut obſervat eruditus Annalium Benedictinorum editor L. 4. n. 6. ubi exemplum aſſumit à Floriacenſi & Caſtrenſi monaſterio, idque ſæculô adhuc nonô: *teſte Aimonio*, inquit ille, *ubi S. Vincentii Martyris illuc allatum eſt corpus venerandum, in Eccleſia B. M. ante ipſius Cœnobii portam collocaverunt ob mulierum frequentiam, quibus monaſterii aditus, adeoque Principis Baſilica ex antiqua Patrum ejusdem loci conſuetudine denegabatur*: addit Mabillio dicens: *eadem diſciplina viguit ab ipſis primordiis in cœnobio Fuldenſi, quæ perſeverabat úsque ad tempora Bonifacii Noni, item in cœnobijs Lindisfarnenſi apud Anglos, Elnonenſi, ſithienſi, & ſtabulenſi apud Belgas, in Romano S. Pauli, aliiſque permultis, ne dicam omnibus*: hæc ille, neque feſelliſſet, aſſerendo id de omnibus, ſaltem ad ſæculum uſque nonum: profectò cùm idem Mabillio ad annum 754. n. 17. narraſſet violentiam illius mulieris Anglæ illatam Eccleſiæ monachorum Beſnenſi, quâ ipſum Oratorium audacter ingredi præſumpſit, ut inquit Author Chron. Beſuens. addit Mabillio: *id factum eſſe contra generale ferè interdictum illius temporis monachorum, qui muliebrem ſexum ab Eccleſiis ſuis arcebant.* Quod conſtitutum ſanctè obſervabatur ab omnibus, neque ſubire mentem poſſet aliud de illorum temporum monachis judicium, ſi modò ſanctorum vita paſſim deſcripta monaſteriorúmque monachilium fundationes ac ritus percurrantur

Spicil. Dach. tom. 2. f. 404.

Ex allegatis documentis deducitur, non potuiſſe monachos, ut tales, præſidere Eccleſiis Cathedralibus Anglianis.

Conferamus jam hæc omnia monachorum conſtituta ſanctiſſimè alioquin obſervata aut ſi neglecta, certè non niſi à relaxatis & ſatis ſuperque per viros tum diſciplinæ amantes culpatis: an perſuadere ſibi quis poterit Gregorium tam liberè monachica inſtituta in ſola Cantuarienſi Eccleſia remiſiſſe, præcipuè, cùm noſſet Auguſtinum Quamvis monachum, ſe tamen illum vel ipſâ ſacerdotali ordinatione in Clerum transtuliſſe, cœteros verò è Gallia eidem ſociatos aliunde ex clericatu aſſumptos: hinc gratus nulláque neceſſitate urgente tantam in monachis diſpenſationem, tantam monaſtici inſtituti libertatem, ut credamus, Gregorium ultroneè feciſſe, non admittit hujus viri ſanctiſſimi Zelus incomparabilis & fervor conſervandæ Diſciplinæ indefeſſus. Opinabar ego nec adhuc ab hac ſententia optimáque de monachis formata æſtimatione recedo, quòd, cùm Author Annalium Benedict. aſſerat, Gregorium per Auguſtinum monaſterii ſui præpoſitum, alioſque *monachos* & *Clericos* exſequi & perficere conſtituiſſe, ut Anglos ad Chriſtianam fidem adduceret, illud etiam perfeciſſe per utroſque: aſt ea diſciplina, ut monachi inter limites ſui inſtitui perſeverantes exemplum præſtantiſſimum precibus pſalmodiis ac clauſtralibus condignis exercitiis exhiberent neoconvertendo, aut jam converſo populo in Chriſtiana fide per laudatiſſimum Magdalenæ otium: Clerici autem in adminiſtrandis Sacramentis per Marthæ negotium, non verò, ut ibi dimitterent ſuæ formæ rationem, quam L. 9. n. 1.

adeo

Digitized by Google

adeo diſtrictè ab iis Romæ commorantibus exigebat Gregorius. Stantibus verò, uti profectò nulla ratio contrariari poteſt, his allegatis Sanctiſſimis inſtitutis, apparebit continuò fieri nunquam potuiſſe, ut ſoli monachi Cantuarienſem aliáſque Cathedrales Eccleſias regendas ſuſciperent ſub ſchemate monachili & cùm, ut repetitò diximus, hæc inſtituta negari nequeant, verba etiam ita ſint intelligenda, *ut res, de qua agitur valere potiùs poſſit, Quàm perire* C. Abbate 25. de Ver. ſig. impoſſibile autem eſſet, ſubſiſtere poſſe Bedæ relatiooem ſecundùm verba, prout ſonant, neque hic cenſendus ſit aliter ſcripſiſſe quàm Gregoriana tempora ferebant, expetebàtque ratio monachorum, adeoque ejuſdem verba non vulgari modo, ſed in eo ſenſu retinenda ſint, quem ſolent, imò debent rectè intelligentibus generare C. 7. ext. de ſpons. demum cogemur neceſſariò Bedam accomodè explicare; ad hunc ſcilicet ſenſum, quód idem per monachos monaſticùmque inſtitutum non alios, quàm Clericos votivos notaverit non quidem omnimodè monachis excluſis, ſed ut diximus, ut plurimùm Clericorum cætui (normâ tamen vivendi diverſâ) atque vel ideo conjunctis, ut iſti agerent ea, quæ munus prædicationis expoſcit, illi verò, quæ monaſtica Clauſtraliſque vita, ſcilicet Pſalmodiam precéſque in Eccleſia &c. hoc qui judiciò integrô, ſanóque perſpexerit, inveniet planum in narratione Bedæ ſenſum, atque intellectum: cùm alioquin, ut obſervatum eſt, concordare iſta cum inſtitutis monachorum, tum ubique ſanctiſſimè cultis, non poſſint. diſcurrens itaque Beda de Lindiſfarnenſi Inſula, quod ſimul Epiſcopum & eum ipſum quòque Abbatem habuerit, idémque locus fuerit monachorum, ſic intelligendus eſt, ut veri ac genuini ibi monachi ad normam Gregoriani inſtituti haberentur, ſed adjunctis veris Clericis: at cùm iſti ſimul votivam, ſimul regularem vitam obſervarent, imò eidem illigati eſſent, hôc titulô quaſi per quendam exegetáticum ſcribendi modum, & ipſi monachi nominentur: Quo ſenſu non raró quoſdam ſæculares in pietatem aſceticam abſorptos, monachos dicimus non tamen ſolùm hoc ſenſu, verùm longè accomodatiori, & quo nec negari nec ambigi poteſt, à ſcriptoribus antiquis Clericos genuinos ſæpè nomine monachorum fuiſſe nuncupatos: eò ſcilicet, quô ſignificare votivos volebant. Quaſi enim honoraturi ſcriptores Clericos illos, quos noverant preſſiùs inſequi Apoſtolica veſtigia monachos nuncupabant, inſinuaturi inde, & rerum expropriationem, & earum, perſonarúmque vitam Communem, quâ nihil á monachis Diſcordabant. Pro hac noſtra expoſitione certare veterum teſtimonia manifeſta patebit inquirentibus; S. Veſmarum Scio à Trithemio inter monachos collocari, eò quòd cænobium Lobienſe Abbas regeret ad finem Sæculi ſeptimi: præterquam autem, quòd certum. Sitillum, ùt clericum (velut tempora illa ferebant, ut Abbatiale regimen ſæpè etiam ſæcularibus hominibus committeretur) Abbatiam Lobienſem obtinuiſſe per interventum Hildulphi; qui erat unus de proceribus regni majoribus teſte Fulcuino ſcriptore geſtorum S. Veſmari: antea tamen ab ipſo Fulcuino dicitur, *quòd Doctoribus Sanctarum ſcripturarum ad imbuendum à parentibus traditus minimè ſæculariter, ſed monaſterialiter & regulariter fuiſſet imbutus.* S. Hieronymus Geliodorum & Nepotianum ſæpius monachos vocat, *imitabatur*, inquit in Epitaphio Nepotiani, *monachum & Epiſcopum venerabatur, in Heliodoro:* Scilicet avunculo ſuo: & tamen quantum abſit, ut profeſſione Heliodorus nunquam monachus fuerit, quiſque ex ejus vitæ geſtis ediſcet, Bremen-

Clerici ſæpè nomine monachorum cohoneſtati.

Spicil. Dacher. de geſt. Abb. Lobienſ. Tom. 2. p. 72.

Chron. Bremenſe. Cap. 41.

menſes Canonicos regulâ vixiſſe monaſticâ ex Kranzio diſcimus. *S. Humbertus Maricolis Clericos utriuſque conditionis, & gradûs triginta conſtituit*, ut ipſe vitæ Humbertinæ Author diſertè narrat, quosque viri eruditi nec ambigunt clericos genuinos fuiſſe, at hos ipſe Humbertus monachos nuncupat in litteris ſuæ fundationis *hæc omnia*, inquit: *ſupra nominata ad ipſum monaſterium delegavimus, ut ipſi monachi, vel ſucceſſores noſtri in ſuo jure vel Dominatione à præſenti die recipiant ad poſſidendum*: ut nil dicamus de ſæculis poſterioribus, medioque ævo, imò & recentioribus temporibus, quibus, quàm paſſim & obviam canonici monachorum inſigniti ſint nomine, nemo eruditorum ignorat. hoc verò non aliâ redundavit ex cauſa, quàm partim, quòd Canonici Clerici vitam eandem haberent votivam, quam monachi, ita, ut cùm aliás monachi nomen viris non ſolùm â ſæculo ſejunctis, ſed maximè ſolitariis proprium eſſet, ut ipſa nominis Etimologia declarat, poſtmodum ubi urbani eſſe cæperunt, & in unam coaluêre ſocietatem, jam non monachi â ſolitudine, ſed ab animorum unitate, ut S. Auguſtinus obſervat, vel maximè autem, â vita votiva dicerentur: partim autem, quòd Canonici, ſeu clerici in plurimis monaſteriis conjuncti viverent atque inde præcipuè factum, ut homines licèt diverſæ profeſſionis â quibusdam generali nuncupatione Clericorum, ab aliis monachorum notarentur. Hæc quàm vera ſint, cuique palám erit, qui ſæculorum priorum mores conſuetudinéſque perpenderit, & obſervaverit ea, quæ hactenus de monachorum æquè ac Clericorum vivendi ritu dicta ſunt, aut poſt hæc dicentur.

Acta SS. 25. mart. in vita S. Humberti Comment. præv. n. 1. & 6.

13. *Bedæ ſupra allegati locus explicatur.*

Denique ex his ſic conſtitutis planiſſimâ & apertâ viâ patebit ſenſus illius fragmenti de Lindisfarnenſi æquè, ac cantuarienſi Eccleſiâ ex Bedæ deprompti hiſtoria, imò hiſtoricorum omnium ſimili amphibologia loquentium: ſcilicet, indicare Beda quâdam energia, ùt diximus, voluit, quales tum temporis viri eximii etiam à clericali ſtatu cum monachis juncti in Eccleſia Lindisfarnenſi convixerint, unde annotavit: ne aliquis *miretur, quòd eadem inſula Lindisfarna ab ipſo dicatur, cùm permodica eſſet, & Epiſcopi, & Abbatis ſimul, & monachorum, clericorúmque locus.* Quaſi ſcilicet Epiſcopo ſibi Clerum annexum habenti, Abbati verò monachos, tam reſtrictus locus nequiret ſufficere? Suffecit etenim, & quidem ideò, quòd non tantùm ſic clerici ſancta charitate conjuncti eſſent cum monachis, ut omnes monachi eſſe viderentur: verùm etiam, quòd ob votivam vitam utrinque ſervatam, & ipſi Clerici cum Epiſcopo monachi, ipſeque Epiſcopus Abbas nuncupari mereretur, atque hanc vivendi normam expreſſè Beda ait Gregorium Auguſtino commendaſſe: Quodſi per illam vir ſanctus ſtrictè intellexiſſet monaſticam (ubi certum eſt, Clericos Gallicanos Auguſtino convixiſſe in Cantuaria) admittendum planè foret, hos Clericos Gregorii ordinatione, monachiſmum coactos aſſumpſiſſe, cùm interea ex allegatis alibi à nobis rationibus notum ſit, ipſos monachos curæ animarum applicandos monachiſmo certô modô renuntiare debuiſſe: igitur Clericos illos juxta horum aſſertum oportuiſſet priùs monachatum induere, atque ſimul exuere, quô nil dici poſſet abſurdius. Conſimili ratione reſolvimus ex Bonifacii 4ti decreto objecta. Erat tum ea quorundam malè in monachos affectorum Clericorum obſtinax invidia, ut non ſolùm à ſuo eos vellent avelli, quô illis convivebant, conſortio; verùm & inſigniri Clericalibûs prærogativis poſſe negabant: repreſſit audaciam, Bonifacius, decrevítque, ut Rex licenter monachorum regulariter vi-

ventium habitationem conſtituat, ut ipſi prædicatores monachi (id eſt, qui ad Clericatum aſſumebantur) monachorum gregem ſibi aſſocient, eô ſcilicet, quô diximus modô, neque aliud præfixit Rex ipſe Ethetredus Sæculô undecimô, dum monachos reſtituit, antea inſolentiâ clericorum ſæculariter nimis viventium eliminatos ex Eccleſia Cantuarienſi, quos ſibi conjunctos ex primæva inſtitutione habere oportuiſſet, id ipſum demum, decretum Alexandri depoſcit, ùt legenti patebit: nihilque aliud univerſim ſuis documentis contrarium ſentientes, evincent, niſi, ſicut ab exordio Confeſſionis Anglorum conſtitutum eſt monachorum cum Clericis in eadem Eccleſia conſortium, & ſicut Auguſtinus ex monacho Clericus, ſic quoque ſubinde doctrinâ & meritô præſtantes monachi Clerici fierent, Eccleſiamque Cantuarienſem gubernarent, monachiſmô depoſitô, eò, quòd tunc idem needum, (velut noſtris temporibûs) Clericalibus muniis implecteretur: neque hunc morem Clericis, qui nunquam monachi fuerant, quâcunque livoris fallaciâ impedire unquam ampliùs liceret.

Eſſet jam, quod hac occaſione alia Orderici aſſertio explanaretur
L. 11. p. 873. dicentis: *nunquam usq; ad ſæculum duodecimum contigiſſe, ut alii quàm monachi ad Archiepiſcopalem Cantuariæ infulam elevarentur.* Verùm cùm parùm interſit, an Ordericus per monachos homines ſimpliciter votivos ſeu religioſos ad ſimilitudinem Bedæ intelligat, nec ne, eò quòd ejus authoritas in aſſerendo tanta non ſit, quanta aliorum, néque plus obtinere ſuô hic ipſe aſſertô poſſit, niſi præſediſſe monachos ad Clericatum translatos, adeóque tum veros Clericos: ſtabit firma noſtra concluſio in Cantuarienſi Eccleſia ſemper exſtitiſſe votivos Clericos, præcipuè Sæculô ſextô, ſeptimôque, à quo ſuum ſumat exordium.

CAPUT VIII.

Deductio enarrationis votivo-Clericalis inſtituti propagati ad Sæculum usque undecimum.

QUam Gregorius Pontifex cum Auguſtino ſuo per Sæculi ſexti finem ſeptimique initium Magni illius Hypponenſis Auguſtini cæptam Clericorum reformationem ſeu edoctus, ſeu proprii Zeli ardore inflammatus egregia propagatione ſtabilivit, eandem diverſorum locorum Antiſtites eximia planè virtute ampliârunt.

Memorandus cumprimis ſtatus, 1.
hujus ſæculi initiô, venit Viennenſis Eccleſiæ: erat illa Cathedralis, tum miro quoque virtutum ſplendore illuſtris, *Sæculô 7. propagatur vita Communis Clericalis.* cùm Sindolphus paſtorale munus laudatiſſimô Zelô adminiſtraret: imitabantur tantæ matris exemplum innumeræ aliæ huic ſubditæ, tanquam non degeneres filiæ, omnes æquali fervore diſciplinam Apoſtolicam obſervantes: audiendus hac de re vitæ Sindolphi ſcriptor penè coævus: *Porrò,* inquit, *in domo majori SS. Martyrum apoſtolicam vitam tenentes, in unúmque viventes Clerici plurimi erant, ita, ut turmis diſpoſitis officiorum miniſteria peragerent.* (Vide Bol. 1. Jan. vit. S. Clari Abb. Cap. 2.) *Apud S. Severum quoq; cætus Clericorum venerabilia ſanctorum in unum converſantium habitacula ad ſexaginta ſub cura Pontificis degentia in Viennenſi Diæceſi ſatis ordinabiliter ſita erant, ſic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei Eccleſia Viennenſis florebat.* Hæc vita Apoſtolica, quam Clerici Viennenſes tenebant, neſcio, an ab erudito quopiam aſſeri poſſit alia, quàm votiva, quamvis non lateat, placere quibuſdam (tantùm ne Clericis illam vitam priori ævô concedant, quam preſſè moderni Canonici regulares aſſequuntur) tum apoſtolis tum clericis, aut omnem votorum obſervatorum rationem abnegare, aut ſaltem eam,

quâ

Digitized by Google

quâ credantur religioſorum more voviſſe, veriqúe religioſi exinde fuiſſe: utpote, quòd conſiliis evangelicis, aut omnibus, aut cuidam eorum obſtricti fuerint non vinculô voti, ſed præcepti ab Apoſtolis conſtituti ſic obligantis ad tria prædicta Conſilia evangelica, quemadmodum Chriſtianos, exempli cauſâ, præceptum Eccleſiæ obligat ad audiendam miſſam die feſtivo &c. quod neutiquam votum ſeu directè, ſeu indirectè vel interpretativè involvit. Verùm quàm contrariè manifeſtis SS. Patrum & Clariſſimorum Doctorum à nobis Capite primo allegatorum teſtimoniis iſta aſtruantur, per ſe liquet. Quodſi verò ideò neganda eſt primis Clericis votiva vita, quòd Clarus de iis textus, aut in ſcriptura, aut aliis coævis documentis non exſtet, cùm *turpe ſit ſine lege loqui*, actum eſt de ipſis quóque monachis, quos voviſſe tam parùm in ſcriptoribus maximè ſæculum octavum præcedentibus eſt reperire, ac ipſos Clericos. Prima votivæ vitæ nota pro monachis eruitur teſte Thomaſſino ex Calchedonenſi Canone 7. anno 451. in Concilio generali edito, is tamen voti ne quidem nomen profert: hæc ejuſdem verba: *qui ſemel in Clero deputati ſunt, aut monachorum vitam elegerunt, ſtatuimus, neq; ad militiam, neq; ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut tentantes, & non agentes pænitentiam, ita, ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.* Profectò, quibus animo eſt, non votum, ſed præceptum adſtruere, primis Clericis ut expropriationi, caſtitati, ac obedientiæ viverent: habebunt, multò magis, ut ex hoc Canone ſimile pro monachis præceptum eruant, vota excludant, apertiſſimè contra communem omnium, hunc Canonem interpretantium, ſenſum. Sicut enim quorumvis Conciliorum & Patrum de materiâ & obſervantiâ votorum monachis præſcriptâ mens eô modò intelligenda eſt, ut quod de his præceperant, ad ipſam vovendi obligationem reducatur, ſic pariter quidquid dicatur quoad conſilia Evangelica apoſtolos præcepiſſe, in id demum concidet, ut eorum præcepta atque decreta, conſilia evangelica non qualitercunque obſervanda inculcent, ſed prout ſunt votis Deo immediatè factis firmata: aut ſi hoc negant, viderint qualiter ſeu D. Benedicto, ſeu cuicunque ſanctiſſimo monacho votivam vitam propugnent, quam, ut diximus prioribus ſeptem Sæculis, ſub his terminis nunquam aſſertam reperient. Dicant verò, qui, quemadmodum unanimi ita & vero juſtoque Calculo ſubſcribunt votivæ veterum monachorum vitæ omnes, quotquot ſunt melioris notæ authores, dicant, inquam, quibus inducti motivis, id ſecuri planè ac certi de veritate enuncient: profectò, ſi benè apprehendo, aut id affirmant ob ſtatûs ipſius exigentiam atque convenientiam, aut ex traditione ſic edocti, aut ex ipſa verborum interpretatione. Primô enim modô ipſa monaſtica vita videtur per ſe hominem Deo ſacrare, & ut inquit Dyoniſius: *monachi à vita indiviſibili & ſingulari, qua in Deiformem monadem colliguntur, & perficiuntur, tales dicuntur.* Ex quo convenientia illa & exigentia infertur, monachum eſſe non poſſe, niſi Deo ſe per tria vota ſtabili famulatu mancipet, ut docent communiter doctores: atque ideò, monachus ſine profeſſione haberi nequit. Secundô verò, monachus ſemper pro tali æſtimatus eſt, qui repudiatis terrenis ſe Deo per tria vota tanquam in perpetuum & adæquatum holocauſtum libavit; ita quidem, ut præcipuè antonomaſticè monachus pro religioſo haberetur, id eſt, pro vovente: quod tamen non ex alio deſumptum eſt capite, niſi ex tertiô modô, cùm antiqui Scriptores de monachis diſcurrentes comperi-

Diſcip. Eccl. P. 2. L. 1. c. 11. n. 3.

Æquali decreto monachi & Clerici ad votivam vitam obligabantur, quia enim id certum de monachis, neque de Clericis negari poteſt.

Vide Jvon. Carnot. Epiſt. 41. ad Gaufred. Vindoc. Monaſt. Abbat. docentem monachos olim nullam externam profeſſionem feciſſe.

De Eccl. Hierar. c. 6.

vide Leſſ. L. 2. c. 41. de St. rel. Tambur. t. 1. de jure Ab. diſp. 5. q 10. Cap. porrect. de regul. &c.

rentur aſſerere, eorum inſtitutum normamque vivendi eſſe, ut Apoſtolos imitarentur, Sæculo renuntiarent, carni, ejúsque concupiſcentiis bellum indicerent, abnegatis omnibus Chriſtum ſequerentur, & ſi quæ ſunt aliæ his æquivalentes loquendi veterum formulæ. Ex quibus generaliter eruebatur, interpretativè voluiſſe hos antiquos Scriptores indigitare in iisdem monachis *vitam votivam:* alioquin, ſi in formalibus terminis hanc quis prætendat, nunquam monachis eam ante ſæculum ſeptimum & fortaſſe, ſat parcè deinceps usque ad undecimum, quô uſurpatio *profeſſionis religioſæ*, *votorum*, ſimiliumque vocum, primùm innoteſcere cæperunt, quis adjudicare audebit. Hæc verò omnia dignabitur benevolus Lector, ſuô modô Clericis accomodare, ita quidem, ut, ſi de convenientia vitæ votivæ iisdem aſſerendæ quæramus, vel ipſum nomen Clerici, magis longè, quàm monachi hanc ſibi propriam eſſe ex Hieronymi teſtimonio vindicet, ratioque ſtatûs eò ampliùs exigat votorum emittendorum obligationem, quò hic & meritô, & perfectione ſemper monaſticum inſtitutum præcipuè tempore implantandæ, ac propagandæ fidei, præcellere tenebatur, ut non verbô ſolùm, ſed vel maximè convertendis hominibus præluceret exemplô, juxta illud Iſidori ſuperiùs Cap. 1mo. n. 10. memorati, *nunquam inducendos paganos fuiſſe ad divitias & voluptates odio perſequendas* &c. *niſi id feciſſe antea Clericos, magiſtróſque fidei perſpexiſſent.* Si verò traditionem obſervemus, ea tam certa firmaque ſtetit apud antiquos usque ad recentiora tempora aſſertio, atque ſententia, ut (ſi fortaſſe Petri Abaëlardi in ordinem præmonſtratenſem demas dicteria, quæſtionem noſtram haud attingentia, cùm falſè omnino à quibusdam neotericis de ordine univerſim Canonico prolata credantur, prout res penitiùs conſiderata extra controverſiam eſt) ad ſæculum usque decimum quintum nè dubium eruditis occurreret, aliter, quàm pro antiquorum Clericorum vita votiva contra impudentes ut plurimùm hæreticos decertandi, quales Lutherus, Calvinus, aliique fuêre velut ex Cornelio à Lapide viro doctiſſimo Cap. primô oſtendimus. Hinc rurſus æquali ratione meritò quidquid Antiqui, Authores ſcriptoresque retulerant de Clericorum abrenuntiatione terrena, de facultatibus dimiſſis, de apoſtolica vita aſſumpta, atque his ſimilibus phraſibus, per id univerſim intelligebatur vita votiva; neutiquam verò præceptum tale, quod eis impoſitum ad *obſervanda* Evangelica conſilia adſtringeret, non ad *vovenda:* atque ex hujus paritate rationis ſimul quisque perſpiciet inane effugium, quô prætexitur, verba illa ſeu Conciliorum, ſeu Patrum, *vitam Canonicam, apoſtolicam, Canonibus ſacris conformem, perfectionis Chriſtianæ officium, bonorum communionem, communem apoſtolicam vitam*, & quæcunque hunc ſenſum efformantia proferentium, non alium ſenſum exprimere, niſi quòd Clerici priſtini æmulati quidem fuerint Apoſtolorum virtutes, & quôdam modô conſilia Evangelica amplexi, ſed non niſi, ut hæc eis aut præceptivè Canones obſervanda præfigerent, aut ipſi liberè ſine nulla votorum profeſſione amplecterentur. His enim ſtantibus, ut ſupra jam diximus, eliminabimus omnes monachos è voventium numero: cùm legamus eosdem quidem caſtitati ſtuduiſſe, renuntiâſſe divitiis, & omnia propter Deum reliquiſſe &c. ſed hæc votorum emiſſione firmaſſe, nulla veterum teſtimonia aſſeverent. Perquiramus Pauli, Hilarionis, quin ipſius D. Benedicti, Romani, Mauri, ſubſequorumque monachorum totam Galliam, Italiam, Germaniam, ſuâ ſanctitate illuſtrantium vitam, niſi interpretandi beneficiô uſuri, nun-

Vita votiva olim in formalibus terminis non exprimebatur.

Digitized by Google

nunquam eos voviſſe probabimus, atque hinc eſt, quòd olim univerſim tacita profeſſio abſolutè hominem pro vovente declararet, ac votis obſtricto, ut habetur Cap. Vidua 4. & cap. ad noſtram 8. de regular. quodſi ergo omnes D. Benedicti Filii ideò ſufficienter, ac certò pro votivis habebantur, quòd
Cap. 58. juxta regulæ ſuæ præſcriptum *promitterent de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo & Sanctis ejus*, & quodſi hæc nemo ſanus aliter interpretari niſi ad veram genuinam vitam votivam poteſt, quis eandem ſimillimâ fermè per Canones præſcriptâ formâ veſtitam clericis abnegabit. Stabilitatem enim, quam Clericus quisque, ſaltem *decimum octavum ætatis ſuæ annum complens tanquam appetitor arctiſſimæ vitæ leviſſimo Domini jugo ſe ſubdens profitebatur*, Canon primus Toletani Concilii â nobis jam ante relatus ſatis demonſtrat: *morum quóque converſionem per gratiam caſtitatis ſibi Deo inſpirante placentem* ex eodem promiſſam diſcimus. Obedientiam à quovis Clerico Epiſcopo vovendam omnes Canones clamant, & certè, non refutatione, ſed riſu eam aſſertionem dignam quivis eruditus cenſebit, quæ Auguſtinianos Clericos vitæ votivæ expertes pronuntiat: audiendus hac de re doctiſſimus Thomaſſinus
P. 1. diſcp. Eccl. L. 36. 3. n. 6. *obiter*, inquit *hic eximendus eſt error, quô deluſi fuêre, qui putarunt hos communis vitæ cum Auguſtino ſectatores nullô fuiſſe voti vinculô obligatos, ipſa enim in contrarium promo ejus verba, adverſim eos, qui deviabant à propoſito, vel furtim poſſidentes aliquid in ea ſocietate, vel ejus apertè deſertores, illos enim ita execratur, ut qui voti & profeſſionis Sanctitatem violaverint, damnabili ſe implicuerint perfidiæ, & ſpem abjecerint æternæ ſalutis malum eſt cadere à propoſito, ſed pejus eſt ſimulare propoſitum. Ecce dico, audite, qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in actibus Apoſtolorum deſerit, à voto ſuo cadit, & â profeſſione ſanctâ deficit &c ego ſcio, quantum mali ſit profiteri Sanctum aliquid, nec implere. Vovete, inquit, & reddite domino Deo veſtro, & melius eſt, non vovere, quàm vovere, & non reddere, & paulò inferiùs profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem ſi ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit. Quot voces, tot argumenta certiſſima, certiſſimum illud fuiſſe votum, quod ſolvi ſine Summo piaculo non poſſet*: hæc vir iſte Clariſſimus. Quære jam, quæ Auguſtinianorum Clericorum forma profitendi, nullam reperies, niſi eam, quam Canones ſeveriores Clericis diſciplinatis præſcripſerant, eam certè, quâ tacitè jam ad hanc profeſſionem obligabantur hoc ipſo, dum ſocietati illi ſe jungerent, tales verò, non ſolùm in Hipponenſi Auguſtini Eccleſia, ſed in plurimis aliis exſtitiſſe, ex Poſſidio alibi didicimus, ut adeò, qui hæc argumenta ſanô judiciô, & animô nullis præjudiciis occupatô ſcrutatus fuerit, faciliùs propè Clericos votis illigatos deprehenſurus ſit, quàm immunes ab ipſis.

Quemadmodum autem ex hactenùs productis inſtruimur, neutiquam ad clerum votivum antiquitùs obtinendum neceſſe eſſe de formali profeſſione teſtimonia quærere, ſed prudenti id veterum phraſium interpretatione etiam demonſtrativè deduci: ſic malè ominantur, qui ajunt, obedientiam &c. ſoli Epiſcopo, Prælatoque, non Deo (quod tamen in religioſis votis exigitur) à Clericis olim fuiſſe promiſſam, aut ſi etiam Deo facta, non tamen omnia Evangelica Conſilia, ſed unum fortaſſe Caſtitatis, & apud Auguſtini Clericos expropriationis, utpote quòd de aliis nulla expreſſa ſit mentio. Dico enim ad primum: hoc inaniter aſſeri, cùm promiſſio Epiſcopo Prælatoque fiat,

at, prout vices Dei ſuſtinenti, quod ſufficit ad obligationem votivam contrahendam, alioquin etiam hodiernæ religioſorum formæ profeſſionis non eſſent taliter obligatoriæ, cùm multæ tantùm dirigantur immediatè ad ſuperiorem præſentem. Quoad 2dum verò obſervo ſummam non ſolùm concatenationem horum trium Evangelicorum conſiliorum antiquitùs fuiſſe, ſed & neceſſitatem, in ipſa quacunque, ſeu monachili, ſeu Clericali ſocietate: ut imprimis inconvenientiſſimum eſſet, in Communi vita expropriationem promittere, & aut jus nubendi, aut voluntatis propriæ ſibi retinere dominium: deinde quòque nulla ratio diverſitatis adferri poteſt, quâ evincatur, voto firmatam exempli cauſâ expropriationem, & ab hoc excluſam fuiſſe obedientiam, Caſtitatémve: quodſi enim tacitâ profeſſione omnium votorum obligatio contrahitur, ut docent doctores, quantò magis id æſtimandum, ubi vel unius expreſſa ſit nuncupatio? quæ nos aliàs luculentiùs demonſtravimus.

Vide ſchmier. t.2. L. 3. tr. 16. 3.Sect. 3. §. 3. n. 172. p. 336.

Cæterùm dum Clerici in Communem talem ſocietatem aſſumebantur, obligati ut plurimùm fuère, Secundùm *Canonicam vivere regulam*, prout id in Conciliis de diſciplina Eccleſiaſtica tractantibus palàm eſt, ipſique hiſtorici, ubi virum aliquem Clericalis votivæ vitæ veſtigiis arctiùs inſiſtentem deſcribunt, dicunt eundem ſub *regula Canonica*, aut ſecundùm eam vixiſſe: hinc in Capitulari Theodonis-Villenſi Carolus Magnus mandat, ut *qui ſæculum relinquunt ſpecie, ut Deo ſerviant, re, ut Dominicum Regis ſervitium fraudent, omninò Secundùm regulam vel Canonicam vel monaſticam vivant:* Et Concilium Pontigonenſe anni 876. ſub Carolo Calvo ſtatuit, Can. 8. *ut Epiſcopi in Civitatibus ſuis proximum Eccleſiæ ſuæ Clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum Clero ſecundùm Canonicam regulam Deo militent.* Sic & teſte Alfrido in vita, Lindgerus *honeſtum conſtruxit monaſterium Clericorum ſub regula Canonica Chriſto famulantium.* Quæri igitur poteſt, dum frequenter per priora Sæcula hujus *regulæ Canonicæ* ſit mentio, ad quam formam vivendi eadem Clericos devinciret? putant enim quidam per regulam hanc eos ſolùm Canones eſſe intelligendos, qui qualitercunque Clericos ad vitam Eccleſiaſticam piè, honeſteque ducendam adſtringeret, nullatenùs autem eos, quibus vita regularis ſeu votiva præciperetur, verùm ſicut Eccleſiaſtica, ita Canonica regula, quàm prioribus ſæculis ſemper uſurparetur ad denotandam vitam, non qualemcúnque Clericalem, ſed *arctiſſimam illam* votiſque firmatam, ſanè teſtimonia nobis ad id probandum ſuppeterent innumera, atque ne hæc omnino præteriiſſe videamur, certè antiquus fideque digniſſimus Scriptor vitæ S. Gaudentii Novarienſis, cùm dixiſſet, quòd *ab ipſis incunabulis adeò in religionis propoſitum exarſerit &c. ut poſt, juvenili ætate divino inſpiramine Eccleſiaſticam regulam toto conamine diligendo inſequeretur.* Mox hujus regulæ qualitates innuit, cùm ſubjicit. *Ita enim,* inquit, *ſemetipſum propriâ diſciplinâ coercebat intentus &c. ut protinùs divina juſſa implere feſtinans, renuntiánſque omnibus non ſegnis Evangelii Auditor factus: abrenuntiavit ſemetipſum ſibi, tulit crucem ſuam, & ſecutus eſt Chriſtum.* Hoc ergò Gaudentio Clericatum genuinum aſſumenti erat *Eccleſiaſticam regulam* inſequi. Prætetea adeò ſolitum erat vitæ votivæ diſciplinam per *Canonicam regulam* indigitare, ut, ſæculô undecimô, duodecimôque cùm paſſim Canonici regulares jam ſub Auguſtini vexillo vivere cernerentur, adhuc ſub *Canonica, apoſtolicàque regula* ſimpliciter exiſtere dicerentur, prout id infra declarandi melior locus occurret, ſic itaque ſæculô Septimô Clerici in Apoſtolicam ſocietatem coa-

L. 1. C. 4. n. 27. apud Boland. ad diem 26. Martii.

apud Bol. l. 2. Jan. die 20. hujus. C. 1.

Digitized by Google

coadunati erant, degebántque, ut ſi qualitercunque monachis ex traditione certâ votivam vitam adſtruere cogimur, eam æqua lance oporteat pro Clericis prædictis ponderare: cùm, ut aliàs tradidimus, vita iſta apoſtolica votiva non â monachis ad Clericos, ſed ab his ad illos tanquam è fonte ad rivulos promanârit. Quodſi enim inter Doctos jam non ampliùs monachorum origo ante ſæculum 4. quæritur, aut aſtruitur: certè cum tempore Apoſtolorum vita votiva ſuum reperiret exordium, & tot authoritatibus conclamantibus, ut Capite primo adductæ ſunt, Clerici tum omnes votis illigati perſiſterent, ſicut hi cum Apoſtolis primi fuerant obſervatores hujus excellentiſſimæ converſationis, ſic erant & propagatores, meritóque ùt patres ac Doctores quemadmodum perfectionis Chriſtianæ normam tradebant fidelibus, ſic religioſæ ac votivæ ſemitam præſtruebant tum monachis, tum omnibus ſubſecuturo tempore religioſam vitam amplexuris.

Refutatur ſententia aſſerentium prima monaſteria Canonicorum ex relaxatione monachorum prodiiſſe.
Vide Annal. Ben. L. 27. n. 10. & Thomaſſ. Diſcip. Eccl. P. 7. L. 2. C. 9. n. 14.

Hinc non video, quo modo à quibusdam aſſeri poſſit, ſæculô ſeptimô, de quo agimus, Eccleſias ſeu monaſteria Canonicorum (quæ cathedrali dignitate non fulgebant) ut plurimùm, aut omninò talia evaſiſſe ex relaxatione monachorum: profectò, ſicut id in quibusdam monaſteriis fieri potuiſſe (ut nempè monachi dimiſſâ ſeveriori diſciplinâ Canonicorum mores induerent) nunquam abnuemus, ita generaliter hoc aſſerere non facilè quisquam tam pervicaciter audebit: videbimus enim, non pauca exſtitiſſe à ſæculo ſeptimo, imò & antea, exſtructa Clericorum collegia, quæ nunquam monachorum, ſemper Clericorum fuerant, néque Canonicos monachorum adeò inſtitutô eguiſſe, quin exemplis & regulis præceſſorum propriis abundè providerentur. Suorum Factum tamen, idque eò magis ſuccedentibûs Sæculis, quò pronior identidem in Coercitam laxitatem advertebatur quorundam Clericorum recidere animus, factum, inquam, ut quædam ex monachorum Sanctâ inſtitutione, Clericatui minimè præjudicioſa tum à Chrodogango, tum ab aliis præclariſſimis reformatoribus mutuarentur, quibûs firmior, quaſi aheneúsque murus libertati tam facilè illabeſcenti opponeretur, omnimodis aſſentimur.

2.
Sæculô 7.mô Germania floret diſciplinâ votivo-Clericali.

Sed jam vocat inſtituti ratio, ut his obſtaculis aliquantùm è via remotis, planiùs in inceptis pro grediamur, & è Gallia nos in Germaniam noſtram transferamus: Trudonem enim illum Metenſem, & aliquot in Belgio monaſteriorum Fundatorem piiſſimum, novimus qua regulari diſciplina ſub Clodulphi Metenſis Præſulis regimine Clericum verum, apoſtolicúmque egerit, qualiter *cunctam hæreditatem ſuam in poſſeſſionem S. Stephano, Pontificibúsque Metenſis Eccleſiæ perpetua traditione confirmaverit, & depoſito laicali habitu ex Conſilio jam dicti Pontificis comam ſuam in S. Stephani Proto-Martyris Eccleſia vovens ſe ſoli Deo ſerviturum totonderit*: ac denique qualiter plures cum ipſo in eadem Metenſi Eccleſia vixerint, ut inquit, Donatus vitæ ejus ſcriptor: *ſub ſanctæ converſationis habitu Chriſtum nudi nudum ſequentes, & voventes ſe ſoli Domino ſerviturus Canonicè & regulariter.*

Donat: Diac. in vita S. Trud. C. 9.

Idem Cap. 11. vide de hoc plura in deſcriptione monaſterii Hasbanienſis.

Amandus quòque Trajectenſis ille Apoſtolus, quæ demumcúnque *Collegia Canonicorum, ſive ut veteres loquebantur (verba ſunt Sanderi rerum Gandevarum ſcriptoris eximii) monaſteria Clericorum condidit, in Communi viventium erant.* Hinc & Humbertum ipſi S. Amando coæqualem legimus fundaſſe Cænobium *ſub regulari Canonicorum norma*, ùt teſtatur Lotharius Rex Francorum in privilegio ſuo mareolenſibus conceſſo. Paulus quòque Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus adeptô Eccleſiaſticæ curæ negotiô

L. 3. C. 7.

Miræus Dipl. eBlg. L. 16. 21.

gotiô *in Cathedrali Eccleſia Canonicos canonicè vivere inſtituit*, *& in ſua ſede per plures reſidens annos ab incepto virtutum non deſtitit*, ut narrat vitæ ejus ſcriptor.

Boland. 2. Febr. n. 12. S. Sulpitius, cùm ad medium fortè vel paulò ampliùs Sæculi ſeptimi *Clericatûs ſuſcepit onus*, *& leviticam ſortem indeptus Eccleſiæ miniſtraret*, ut ait coævus ſcriptor, *cùmque Eccleſias*, *monaſteria*, *cellásque jam ſatis abundèque conſtruxiſſet innumerabilium Clericorum*, *ac Monachorum Pater effectus eſt:* memorat verò tam *monachorum*, quàm *Clericorum* laudatiſſimam votivam converſationem, illorum quidem, *cùm bonis ſuis quibusque indigentibus erogatis*, *multásque etiam vitæ ſollicitudines procul abiicientes*, *& extra urbem in hortulis*, *& exiguis quibusque agellis degerent*, iſtorum verò: *cùm ſicut in actibus Apoſtolorum hi qui primitùs crediderant*, *vitam duxiſſe memorantur*, *poſſeſſiones ſuas & prædia vendentes*, *& pretia ponentes ante pedes cæterorum diviſis unicuique*, *prout unicuique opus erat*, *ut evangelicò facilè fungerentur officiô*.

Harduin. t. 3. Conc. Col. 576. In Concilio Rhemenſi anno. 625. habito, definitum eſt: *Clerici luceant ſicut ſtellæ*, *& perpetuæ claritates*, *in firmamento Eccleſiæ*, *non ſint Ebrii*, *nugaces*, *ſæcularibus immixti*, *nec mulieres alloqnantur*, *aut domi retineant*, *vivant in Communi*, *& ædes pauperi patentes inhabitent*, præclarus omninò Canon ad dilucidandam vitam communem hoc tempore florentem.

De Archiepiſcopis Veſontionenſibus *Migetio*, *Donato Albonio*, quâ curâ Clericos Cathedrales alióſque ſuæ Diæceſis ad vitam regularem reformare, in eaque conſervare conati ſint, per longum in ipſa hujus Eccleſiæ deſcriptione monſtrabimus: & quia plura ibidem in diverſis monaſteriis exempla recurrunt, eadem conſulere non gravabitur lector eruditus, ne in nimium campum duplicato gratis labore excurramus: Certùmque eſt, ſæculum iſtud teſtimoniis eximiis vitæ clericalis votivæ abundare, ita ut Anglia, Italia, Gallia, Germania, Hiſpaniaque, illuſtria planè intra ſinum ſuum Monaſteria Canonicorum votivorum complecteretur, qui paſſim in clauſtris more monachorum vivebant: velut illi quos præſtanti encomio ab Euſebio Vercellis inſtituto dilaudat Ambroſius, hi afforis munia ſua clericalia fructu centuplo, & inæſtimabili Sanctæ converſationis adminiſtrabant exemplo, in monaſterio verò Secreta ſervabant ſui cordis.

Sæculum octavum non minùs multis in locis Clericorum votivorum ſancta inſtitutione fertile fuit, floruit enim ad initium hujus, eximiæ ſanctitatis Abbas Launomarus, quem dum quidam Ord. S. Benedicti profeſſum aſſerunt, malè ſibi notos eſſe rerum veterum mores oſtendunt, utpote (velut eruditè Bollandus notavit) quòd in his Galliæ partibus ordo S. Benedicti vixdum innotuerit, nec tum propagatus tam latè fuerit, ut Launomarum in ſuum ſinum reciperet: at illa antiquiſſima Carnutenſium traditio eò certior, quò eorum temporum conſuetudini conformior; quam teſtatur Marchantius apud eundem Bollandum, acceptam à majoribus haberi, ſcilicet: *Launomarum Domini Baſilicæ Apoſtolorum Principis Carnutæ præfuiſſe: communiq; Cleri ærario*, teſte ipſo Jepeſio Benedictino, *haud exiguô ſpatiô æconomicam rem procuraſſe monaſterii prædictorum Clericorum*. Quamvis nec opus ſit multis recentiorum teſtimoniis, cùm nobis ejuſdem vitæ author ſancto propè coævus veritatem penè ad oculum dilucidet: igitur ille Cap. 1. n. 5. *mox*, inquit, *ùt ad intelligibiles annos excolevit*, *vocem Salvatoris aure corporis*, *& cordis*, *vir beatiſſimus audiens*, *quod inſciâ ſollicitudine parentum vis divina adſpiraverat*, *ipſe ſuis omnibus renuntiavit*, *ut in terra viventium portionem nullo fine obnoxiam mereretur*, - - - - *intereà Dei famulus doctrinæ*, *verbiq; cæleſtis pabula ſitienter hauriens adoleſcentiam ſuam ejus jugi meditatione caſtis moribus adorna-*

3. Sæculo octavo, in Clero floret vita votiva.

Die 19. Jan. in vita S. Launomari in prævio Comment.

Apud eundem Boll. cit.

ornabat, jam tunc flammis accenſus divini amoris, ſecretum eremi deſiderare cæperat, ad tempus igitur celans animi propoſitum, dum adhuc in eadem urbe moraretur, ſacerdotalem infulam divinâ ſe comitante gratia indeptus eſt. Non longè poſt ibidem à fratribus, cum quibus ad cæleſtia anhelabat, miniſter rei familiaris inſtitutus, ſubſtantiam cunctamq́ penum ſollicitus providebat, ſummâq́ diſcertione, paterno affectu cunctis fratribus neceſſaria miniſtrabat, adeo, ut nulli debitam annonam, nec in parvo ſubtraheret, neq́ alicui prodigè effunderet. Longâ quippe exercitii Spiritualis eruditione fundatus vir iſte in ſacerdotio ſuo dignè Deo militavit, exemplô quoq́ doctus Apoſtolorum, formam primitivæ Eccleſiæ imitari nitebatur, de qua ſcriptum eſt, quia dividebatur ſingulis, prout cuiq́ opus erat. Sic ergo Launomarus monachicum inſtitutum arripere cupiens ad clericale devenit, & in Carnotenſi Eccleſia cum Clericis ſuis *apoſtolicam* (ùt Scriptor vitæ enarrat) *communitatem* inſigniter promovit. Neque in mentem venire poſſet, ut in hac narratione quis monachiſmum in dicta Eccleſia viguiſſe ſubodoret: cùm Author hic certè de eo aliquid monſtraſſet ipſe in inſtituto à S. Launomaro monaſterio Corbionenſi monachus exiſtens. Eodem hoc Sæculo an. 842. celebratum eſt concilium in Germania, in hoc Concilio facta eſt quædam Cleri reformatio, at, quod notatum velim, antequam hujus Concilii Canonem unum, alterúmve referam, meminit ipſius Mabillon: in Annal. ſuis & Canonem (juxta ipſum) ſecundum, ultimúmque allegans, quoties in eo occurrit, *Servorum Dei* nuncupatio, ipſe de ſuo addit, *ſeu monachorum*, quod quo jure id fecerit, in parte 2. declarabimus, hôc ſolùm interim iſthìc annotatô, ſicut illa Mabillonii explicatio in toto Concilio non reperitur, ſic certum eſſe, per voces illas *Servorum Dei*, Patres Concilii non alios niſi Clericos rerum divinarum miniſtros tanquam veros Dei Servos ab ipſa Eccleſia ad hoc deſtinatos intellexiſſe. Juxta Othloni ergo editionem apud citatum Serarium Concilium ſtatuit canone 5to. *Servis Dei per omnia omnibus, armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, vel hoſtem pergere prohibuimus omnino; niſi illos tantùm, qui propter divinum myſterium, miſſarum ſcilicet ſolennia adimplenda, & Sanctorum patrocinia, ad hoc electi ſunt, id eſt, unum, vel duos Epiſcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps ſecum habeat, & unusquisq́ Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pænitentiam poſſit. Nec non & illas Venationes & Sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus Servis Dei interdiximus, & ut accipitres & falcones non habeant.* Et Canone 14. *decrevimus quoque, ut Presbyteri, vel Diaconi non ſagis Laicorum more, ſed caſulis utantur*: id eſt, tunicis talaribus) *ritu ſervorum Dei, & nullus in domo ſua mulieres habitare permittat.* Quisque juſtus arbiter perpendat monachos an Clericos potiùs hi Canones reſpiciant, ſervos Dei dictos? Hæc verò quædam quaſi præambulæ Conſtitutiones Patrum ad reformandum Clerum quibusdam in locis jam à lege Canonibúsque exorbitantem fuêre, cùm non diù poſt paſſim laboratum, ubi regularis diſciplina exciderat, eandem valido niſu iterum reſtaurare, ùt videre eſt in Conciliis hoc ſæculo celebratis: tale fuerat Cloveshovienſe an. 747. Romanum an. 733. ſub Gregorio. Et 768 ſub Stephano, aliaque plura. Præcipuè autem Epiſcopi ſancti hoc ſæculum ſplendore ſuæ virtutis non minùs, quàm ſcientiæ præclarè colluſtrabant, inter quos cumprimis exſtitit magnus ille Germaniæ noſtræ Apoſtolus S. Bonifacius cum Gregorio Trajectenſi, Burchardo aliiſque, quorum exſtructa pro Clericis ſub Canonica vita viventibus complura monaſteria paſſim iterum in eorum deſcriptione occurrunt, ubi & ea ſupplemus, quæ

Serar. rer. Mogun. tom. 1. L. 3. c. 42.

Mab. Annal. L. 21. n. 68.

per ſervos Dei, non ſemper intelligendi antonomaſticè monachi ſtrictè tales.

Digitized by Google

hic pro præſenti proba in teſtimonium adferrenda ideo præterimus.

Beregiſum non minùs novimus, quomodo in Andaginenſi à ſe ſtatuto Cænobio Clericorum officia delegavit, quibus ſub Canonico ordine militantibus ipſe Pater in eodem habitu ſociatus eſt, ùt teſtatur vitæ ſcriptor à nobis in hujus Cænobii deſcriptione inferiùs relatus.

Florebat tum præclarè Cathedralis quoque Eccleſia Metenſis, cui ad ingentis emolumenti accrementum datus in Epiſcopum eſt S. Chrodegangus, vir non ſanguine ſolùm, ſed & pietate illuſtris, quemque alterum veluti Auguſtinum Germani noſtri Canonici non immeritò poſſunt revereri, de hoc Zeloſiſſimo Epiſcopo eruditè ac veridicè Brovverus in Annal. Trevir. *quod vero* inquit, *cumprimis hic memorandum, vitam eam Clericorum poſt florentis Romani imperii Sæcula reduxiſſe traditur, quam adeò S. Ambroſius teſtatur, ab Euſebio Vercellenſi præclaro Pontifice in Italia diligentiùs excoli cæptam, ut quem duo pariter à Clero ſuo exegiſſe memorat monaſterii videlicet continentiam, & diſciplinam Eccleſiæ, ut & in Civitate poſitus, inſtituta monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate. Ipſe itaq; Chrodegangus, quod antiqua litteræ loquuntur, diſciplina ex urbe romana petita, rarô tum Auſtraſiæ exemplô, Clericos regulares in unam communémque vitæ ſocietatem aggregavit, eósque Cænobii legibus adſtrictos, excitatis circa S. Stephani ædem ſeorſim domiciliis, ceu clauſtrô monaſticô coërcuit: & ne parandi victûs quemquam cura tangeret, omnia indiviſa ad vitam degendam neceſſaria, largiter in commune præberi juſſit, inde cantum romanum, legéſque, quas ibi acceperat, iis tradidit; & illius Eccleſiæ, ùt religionis omnia ſanctiſſiiſſima jura, ſic accuratè Ceremonias retinere atque obſervare voluit. Et multa certè in actis Chrodogangi concurrunt, quo conjecturam facias, eum normæ vivendi ac diſciplinæ, quam Canonici deinceps in Auſtraſia paſſim tenuêre, conſtitiſſe vel Authorem vel Vindicem.*

Annal. Trevir. L. 7. ad an. 765. n. 175.

Hæc Author iſte doctiſſimus, ſed quia de legibus dixit, quibus Canonicos ſuos adſtrinxit, eæ aliæ non ſunt, niſi regula illa apud eruditos notiſſima, quam Chrodegangi nuncupamus. Multa eaque diverſa judicia in viris, rerum hiſtoricarum Eccleſiaſticarûmque peritis hæc regula concitavit, quibûsdam per eam opinantibûs, verè tunc temporis, opeque Chrodegangi factum, ut Canonici, qui usque tunc liberiùs vixerant, vitam communem amplecterentur atque regularem: aliis econtra Chrodegangum hac qualicunque ſuâ regulâ cenſentibûs, Clericorum reſtaurationem ſic attemperaſſe, ut primus *Canonicorum* inſtitutor exiſteret, utpote quòd Paulus Diaconus non dicat, à Chrodegango *Canonicos*, ſed *Clericos* in negligentiam delapſos ad diſciplinam reductos, hincque inferendum exiſtimantibûs, Chrodegangi tempore nomen Canonici quodammodò cæpiſſe reſtringi, ut, quod ante ipſum, non alios niſi matricularios Clericos notaret in Communi viventes, at nil minùs quàm *votivè*, cùm in tota ſua regula nec expropriationem commendet, nec memoret: hinc Chrodegangum fortè fuiſſe, qui arctiori & votivæ vivendi methodo aliquando inducendæ prima fundamenta jaceret, non tamen compleret ipſe. Eſſent complura, quæ his opinionibus ordine opponeremus, niſi potiora jam attigiſſemus, partim adhuc tractaturi eſſemus: præcipuè ubi Canonicorum Inſtitutor S. Chrodegangus dicitur, eò, quód antea Canonici, non à communi vita, ſed à matricula dicerentur. Verùm hanc aſſertionem refutabimus alibi, dum Canonici Nominis genuinam originem, primumque in Eccleſia uſum deſcribemus. Nos autem dimiſsis aliis ad præſens caput minùs facientibûs, duo ſolummodò diſcutienda de S. Chrodegango aſſumemus, primò: an nulli hoc tempore Canoni-

Quid regula Chrodegangi operata in reformando inſtituto Canonico?

nonici Nominis genuinam originem, primumque in Eccleſia uſum deſcribemus. Nos autem dimiſſis aliis ad præſens caput minùs facientibûs, duo ſolummodò diſcutienda de S. Chrodogango aſſumemùs, primò: an nulli hòc tempore Canonici in ſocietate Clericali votivè coadunati vixerint, ſed primùm per Chrodegangum ad hanc normam vivendi formati fuerint? ſecundò quid Chrodegangus per ſuam reformationem, traditamque regulam profecerit in Clero?

Erat hoc Sæculum monaſteriis, Eccleſiiſque tam monachilibus, quàm Clericalibus funeſtiſſimum, res utrorumque direptæ, & acciſæ, loca ſacra Laicis in feudum, commendáſque extradita, imò ipſa monaſteria quandoque laſcivis mulieribus prodita, Epiſcopatus etiam indigniſſimis hominibus collati, qualis inter alios Milo fuit, *ſolâ tonſurâ Clericus*, de quo Chroniſta Trevirenſis dum diſſerit, etiam hujus ejuſdem Sæculi mores ad propoſitum noſtrum depingit: *nihil*, inquit: *in eo* (id eſt Millone) *de clericali honore vel vita, niſi ſola tonſura enituit eô enim tempore bella graviora & inteſtina parricidialia in hac provincia orta ſunt, quando Carolus Tyrmanus Laicis Epiſcopatus dedit, & Epiſcopos nullam poteſtatem habere permiſit: cum hoc Carolo Milo ſupradictus ad bellum profectus eſt, ſolâ jam tonſurâ Clericus, habitu & moribus irreligioſus -- cujus infelici tempore his de Eccleſiis multa ſunt ablata, & res ab epiſcopiis diviſæ, domus religioſorum deſtructa, Eccleſiaſtica diſciplina diſperdita, adeo, ut Clerici ſacerdotes, monachi, moniales ſine lege Eccleſiaſtica viverent, & refugia indebita haberent. &c.* licèt autem aliquantò durior hic Chroniſta ſit, in Carolum Martellum, certiſſimum tamen illud, quod de perverſo Eccleſiaſticorum ſtatu teſtatum ex Paulo Diacono pene totum deſumpſit. Interea verò malè imponunt veritati dicentes, hujus Sæculi initiò ſeu ante Chrodegangum nullas exſtitiſſe Canonicorum congregationes, hâc ipſâ temporum morúmque injuriâ deluſi, qui ſi abnegare Clericis ſuas Congregationes attentant, cur id non faciunt monachis penè in majorem adhuc ruinam delapſis? Itaque cùm Chrodegangus ne quidem adhuc in majoribus conſtitutus eſſet, imò nec pueritiam egreſſus, *B. Rigobertus Remenſis Antiſtes Canonicam religionem inſtituit.* Hinc Marlotus in hiſt. ſua Rhem. ſcripſerat: quod Rigobertus *palmam meritò aliis præripuiſſe cenſendus ſit, qui ſimili per Galliam reformationi Canonicorum incubuerunt.* Neque refert ab Antonio Pagio audacter non minùs Anònymum vitæ Rigoberti Scriptorem, quàm Marlotum hallucinationis argui; eò, quòd *Canonici* juxta ipſum *primùm à Chrodegango Epiſcopo Metenſi longè poſt annum 717.* (quô hanc circiter reformationem conſtituiſſe Rigobertus creditur) *inſtituti fuerint, ideoq; illa Eccleſiæ Rhemenſis traditio nullo nitatur fundamento:* ut ipſe decernit: nam quàm præoccupatis ſententiis ſe hic vir alioquin doctiſſimus non raró ac ſatis infeliciter implicaverit, ſufficiat hìc verbis Clariſſimi Act. SS. Boland Continuatoris Pinii notaſſe, qui de eo ordinem ſummorum Pontificum ad libitum potiùs ſuum, quàm ad libram rationis, & veterum Cathalogorum ponderante ſic ait: *iis non obſtantibus aliam prorſus rationem in Criſi ſua Baroniana inivit Antonius Pagius - - adducit ille verba ex Catalogis - - - atque codicem Palatinum &c. tum verò more ſuo pronuntians, protritis quodammodo auctoritatibûs omnibûs definitivè rem determinat &c. ita nimirum Pagius hypotheſim ſuam ſeu ſeriem Pontificiam rectè de ſe ordinaſſe exiſtimat; dum interim notas omnes Chronologicas ad libitum convellit, atque detorquet &c.* non ergò mirum, (ſi Pagio aut libuit, aut licuit monumenta certa ac omnium aliorum eruditorum aſſenſu comprobata rejicere, quæ

Spicil. Dach. tom. 1. Anon. hiſt. Trevir. ex Paulo Warnfidenſi.

Vita S. Rigob. apud Bolan. t. 1. c. 1. n. 4.

in Metrop. Rhem. L. 2. c. 45.

Pag. in Crit. Bar. ad an. 717. n. 6.

act. SS. t. 6. Julii in vit. SS. Nazarii &c. §. 1. n. 8.

Digitized by Google

ſuo arbitrio minùs viderentur favere) etiam tam annonymum illum quàm Marlotum Hallucinari adeò liberè definire, cùm videret eorum mentem diſcordantem ſententiæ ſuæ, quâ Chrodegangum primum authorem Canonicæ reformationis minori profectò cum fundamento, quàm pro Rigoberto Anonymum & Marlotum, enunciat. Quamvìs & iſtud indubitatum, concidiſſe hanc tam præclarè elevatam Canonicam diſciplinam, cùm à Carolo Martello Milo ille ſolâ tonſurâ Clericus Eccleſiæ Rhemenſi intruderetur, Rigobertô depulſô. Cùm Chrodegangus juxta certam Chronologiam Epiſcopatum Metenſem adeptus ſit anno 742. regulámque credatur Canonicis ſuis exaraſſe circa an. 750. jam duobus propè antea annorum luſtris id eſt an. 741. *B. Burchardus convocatis, tam Clero quàm populo Martyrum Kiliani & ſociorum Corpora ſuper montem ſæpè dictum* (Wirzburg) *comitantibus populorum turbis transportari fecit, per continuum triennium ibi in Baſilica S. Dei Genitricis easdem ſacratiſſimas reliquias indeficienti totius religionis officio quam univerſum ſibi adhærentem Clerum reverenter excubans cuſtodivit, propoſuitque principale illic ſuæ ſedis inſtituere monaſterium*, inquit Egilvvardus Wurchardi biographus, & ne nobis dubitandi remaneret occaſio, quale illum monaſterium fuerit? en Egilvvardi narrationem ulteriorem; *Sanctus Dei Burchardus ut Mariæ contemplationibus invigilaret, in arcto proclivi montis ſæpè dicti cæpit inſtituere Cœnobium, quod in honore Dei Genitricis conſtructum tanta dotavit quantitate prædiorum, quæ duodecim fratribus Canonicis ibidem Deo militantibus ſufficerent ad victum, & veſtitum inter quæ dotalia, eidem conceſſit monaſterio prædictum montem Wirtzburg cum prædiis, & redditibus ſicut aquiſierat, à Ducis Hettani filia, ordinatis ibidem in ſervitutem Domini, duodecim ſub Canonica vita fratribus.*

Vide Pag. Crit. ad an. 766. n. 7.

Vide rge. Chrod. apud. Dach. ſpicil. Tom. 1. in Præf.

Egilvvard. in vit. S. Wurch. L. 2. C. 6. ib. C. 8.

Hæc ex penna cujusdam alioquin monachi, nec ſuo ordini in multis arrogandis ſuperfluis, modice liberalis. Ex quo igitur elucet, ante Chrodegangum ſocietates Canonicorum collectas eſſe, átque ſic collectas, ut ne tum novum quoddam anteaque inſolitum inventum ſuſpicari liceat, quia id ſcriptores tales nunquam ſiluiſſent. Præterea Egbertum Antiſtitem Eboracenſem in Anglia Clericos ſuos Cathedrales non ſolùm ad Canonicam diſciplinam, ſed normæ planè Auguſtinianæ imitatricem perſuaſiſſe, patet ex ipſius præfatione in ſuas Excerpt: Canonum: dum inquit: *Canones dicimus regulas, quas S. Patres conſtituerunt, in quibus ſcriptum eſt, quomodo Canonici, id eſt, Regulares Clerici vivere debent. Auguſtinus Aurelius Epiſcopus dicit: ut nulli ſacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obviare. Et ne excuſatio de ignoratione naſcatur, vel per oblivionem negligatur, frequenter in hoc libello; quaſi in ſpeculo proſpiciant, quod Canonum eſt regulis definitum.* En Egberti reſpectus ad Auguſtini regulam, quam non ambigit Canonum nomine inſignire, ut, *in hoc libello, quaſi in ſpeculo proſpiciant Canonici, quod Canonum eſt regulis definitum.* Quódque ad rem noſtram eſt, Egbertus Epiſcopatum Eboracenſem obtinuit anno 735. adeoque plùs quàm integrô luſtrô præ Chrodegango, & tamen Egbertus Clericos ex voce Canonum regulares nuncupat: viderint ergò, quî ſuam Chronologiam huic voci affigentes emendent, dum inquiunt, per Chrodegangi regulam traditam, primùm Canonicos cæpiſſe Ethimologiam obtinere à regula. Et hæc iſthìc de ſocietate Clericali ſeu Communi Canonicorum vita ante tempora inductæ à Chrodegango regulæ adducta ſufficiant. Plura qui cupit, paſſim enarrata exempla per iſtud & antecedens ſæculum aſſertionem præ-

Pag. in Crit. Bar. adan 731. n. 11.

ſen-

Digitized by Google

ſentem comprobantia in hac Exegeſi locata reperiet: nos ad ſecundum progredimur. Cùm ergò Chrodegangus non ſolùm ſubitò quodam divino impulſu ſed præcedentibus multorum virorum ac ſanctorum Epiſcoporum in diverſis Europæ partibus, ut mox narravimus, egregiis exemplis exſtimulatus ſuam quoque Metenſem Eccleſiam aptaret ad priſtinam regularem diſciplinam reducere, id tandem remedium aggreſſùs eſt, ut certam quandam efformaret regulam ſuis tradendam Clericis, quæcunque Collegia ac monaſteria per totam Metenſem Diæceſim diffuſa incolentibus. Dixi eum *aptaſſe* Eccleſiam Metenſem *reducere ad priſtinam Diſciplinam.* Ne à Communi veritate deviarem, dicturus: eam ad *novam normam inſtituiſſe,* eò, quòd indubitatum ſit præceſſiſſe viro huic præclaro alios dudum jam pro eadem regulari Clericali diſciplina in hac ipſa Metenſi Eccleſia incomparabiliter laborantes, quales pronum erit comperire, ſi vel leviter hiſtoriam Metenſem diſcutiamus, regulámque illam Stephani & Pauli Canonicis Metenſibus Sæculô 7mô jam traditam (de qua plura nos alibi agimus) & Arnulphi, Clodulfi, nec non Trudonis vitam ſcrutemur, ubi luculenta teſtimonia ſe prodent vitæ regulariſſimæ Clericalis in Eccleſia Metenſi, maximè ſæculi ſexti fine, & ſeptimo pene toto florentis.

Cùm autem initiò, ut diximus ſæculi 8vi per complures annos diſciplina Eccleſiaſtica graviſſimè dilaberetur, haud dubium, quin manes ſuos & Eccleſiæ Metenſis Clerus ſubjerit, Chrodegangus igitur, ut huic malo maturo ſatis Conamine mederetur, regulam ſuam elumbravit, non Elegantiâ ſtyli, ſed egregio documentorum pondere ac authoritate commendabilem. Quia verò cuidam recentiorum Scriptorum nuper placuit aſſerere, regulam Mentenſem inſufficientem fuiſſe ad Canonicorum vitam ordinandam, inſuper illa Communiter prætenditur, tanquam excluſiva votivæ expropriationis, utpote quòd à Dacherio relata nihil de hac memoret: en tibi lector benevole, genuinam ex Labbæi editione ſuppedito, cujus obſervationem præmitto. Sic itaque ille: *Ex codice* inquit *vetutiſſimo è Palatina Bibliotheca in Vaticanam translato deſcriptum, miſſúmque Româ ſtudiò Em. Prin. Card. Barbarini Exemplar habuimus. Illud lector collatum tibi offerimus, non ſolùm cum Apographo noſtro ope R. P. Jac. Sirmondi ex codicibus Andegavenſi, ac Fiſcanenſi jam dudum expreſſo, ſed etiam cum excuſis à D. Luca Dachario O B. tom. 1. ſpicil. ex illa verò diligenti ſeduláque Collatione didicimus, argumentiſque validiſſimis evincere parati ſumus, hanc, quam primi nos publicæ luci damus, Canonicorum, ut vulgò appellari ſolent, regularium normam illam ipſam eſſe, quam Metenſibus ſuis Canonicis ſpecialiter Chrodogangus propoſuit, vulgarem autem, quæ exſtat* (illam ſcilicet à Dacherio editam) *Ab Anonymo quopiam, ut eſſet omnibus per orbem Chriſtianum diffuſis Canonicis Communis, nec uni duntaxat Civitati affixa, primùm quidem ſpoliatam fuiſſe iis omnibus, quæ ad ſolos Metenſes ſpectare videbantur, tum deinde adſcitis undecunque, mutatóque in plerisque priori ordine non ſatis Commodè aſſutis præceptionibus regulari Canonicorum inſtituto congruentibus, præſertim ex Aquisg. Concilio an. 816. celebrato locupletatum cenſeo. Neq; tu ſi utramq; oppellam conferre volueris, aliud, opinor, judicabis.* Exponit dein vir doctiſſimus hanc ſinceram, nulliſque, ùt ipſe in titulo ait, adſcititiis acceſſionibus interpolatam, aut ſpoliatam legitimis Capitulis regulam, cujus nos in præſens unum tantùm Cap. 31. dabimus: quô manifeſtè docemur, Metenſibus expropriatos Clericos convixiſſe ſecundùm primum, aut Secundum gradum, at-

Mab.: Ann. Ben. L. 28. n. 51.

Digitized by Google

atque hinc fortè omnes reliquos ſaltem ſecundùm tertium, quartúmve: ut adeò appareat evidenter per regulam ſuam Chrodegangum tantum profeciſſe in Clero, ut, quos ſtrictè votivos reperiret, conſervaret, multos verò laxatos, aut noviter diſciplinam regularem aggreſſos ad hanc apoſtolicam vitam perſuaderet. Ergo caput illud audiamus: titulus ejus hic eſt: *De eo, quod, qui ad hunc Canonicum ſpecialem ordinem hujus Congregationis ſe ſociare vult, de rebus, quas poſſidet ad Eccleſiam B. Pauli Apoſtoli ſolennem donationem per præſentem faciat, reſervato tamen tempore vitæ ſuæ uſufructuario ordine.* Sequitur Capitulum. *Licèt legamus antiquam Eccleſiam ſub tempore Apoſtolorum, ita unanimem concordémque exſtitiſſe, & ita omnia reliquiſſe, ut ſinguli prædia ſua vendentes ad pedes Apoſtolorum pretia ponerent, ut nullus eorum ſibi aliquid proprium dicere auderet, ſed erant illis omnia communia, unde & habere dicebantur cor unum, & animam unam: quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in communi accipiebant tam viri quàm fœminæ, ſeu parvuli, omniſque vulgus ardore fidei accenſi, atque in amore religionis provocati, cunctis cum gratiarum actione ſufficientiam præbebant, ſed quia noſtris temporibus perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, ut ad aliquantulamcunque ſimilitudinem converſationis eorum noſtros animos contrahamus, quia nimis inerter tepidéque, ac remiſſæ devotionis eſt, ut, quod, ſicut diximus, omne vulgus pro Dei nomine conſenſit, nos qui peculiariùs Canonicis ordinibus inſervire debemus, quantulamcunq; in partem in hanc perfectionem non conſentiamus. Et ſi omnia relinquere non poſſumus, ſic ad uſum tantùm noſtra teneamus, ut dimiſſa, volumus nolumus, fuerint, non ad hæredem noſtrorum carnalium atque parentum, ſed ad Eccleſiam, cui Deo auctore in commune deſervimus, de cujus rebus ſtipendia habemus, locô hæreditariô relinquamus, ut ſi cum illis perfectis, pro perfecta abrenuntiatione ſæculique hujus contemptu corona non tribuitur, vel peccatorum venia ſicut minimis miſericordiâ divinâ concedatur, quia S. Proſper vel alii S. Patres ſecundùm divinam auctoritatem ſanxerunt, ut illi Clerici, qui de rebus Eccleſiæ vivere cupiunt, res proprias, quas habent, per inſtrumenta Chartarum, Deo & Eccleſiæ, deſerviant, condonent, & ſic rebus Eccleſiæ licentius abſque maxima culpa utantur, ut ſicut de rebus Eccleſiæ ipſi Clerici gaudent, ita & Eccleſia de rebus ipſorum Clericorum cum pauperibus ſuis ſic aucta atque meliorata gratuletur, ita tamen, ut ipſi Clerici, dum advivent, ſi ita placuerit, res ſuas uſufructuario ordine per Beneficium Eccleſiæ habeant: ut omnia ſint communia, & poſt obitum eorum ad Eccleſiam, vel ad Canonicum ordinem, cui ante datæ fuerant, revertantur, ſimiliter indicantes, ut illi Clerici, qui de facultatibus ſuis ſufficientiam habent, de ipſis rebus propriis vivere debeant, ſi tam infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum Eccleſiæ Dei, cui deſerviunt, dare noluerint, & ſic ipſius Eccleſiæ in amore Chriſti gratuita ſervitute, ſedulâque modulatione impendant, & ſciant ſe pro hac re, quia rebus Eccleſiæ ſicut cæteri Canonici utuntur, ſpecialem miſericordiam recepturos, cui de propriis rebus inſerviunt; quia ſi ea, quæ accepturi erant pro eorum ordinibus de eleemoſyna diſpenſatori reliquerint, nihil habentibus conferenda, ſine peccato poſſident ſua: quia & ipſi quodammodo relinquunt ſua, quando propriis contenti rebus, nihilq; de jure debere arbitrantur * quodſi putant ideò accipi debere eorum quæ conferuntur Eccleſiæ, portionem, nec eam videantur abjicere, quia non poſſunt ſua relinquere, quod eis deforme ſit inter ſuos, pauperes reddi: noverint eſſe deformius, poſſeſſiros* (fortè poſſeſſores, ſeu eos, qui propria retinent (*de eleemoſynis pauperum paſci. Hoc enim providendum eſt, ut non gravetur mater Eccleſia, quam conſtat quotidie ſubventioni pauperum, viduarúmque, atq; Orphanorum, ſimúlque egentium, Canonum*

Hoc integrum Capitulum in Dacherii exemplari omiſſum eſt, ut patebit conferenti.

* Senſus hic etiam Labbæo obſcurus.

nonum

Digitized by Google

nonum juſſione conſtrictam, debere eſſe ſemper intentam. Igitur quicunque ſe ad hunc ordinem Canonicum, quem modò utrumque recuperare cupimus, ſicut in parvulo decretulo, quod digeſſimus, intimavimus, ſe ſacrare voluerit, & de rebus, quas habet ſolenniter donatione per præſentem (ſenſus iterum obſcurus, fortè legendum: per præſentem donationem) *donet ad Eccleſiam B. Pauli ad opus Dei, vel Clericis ibidem deſervientibus, faciat & precariam* (Libellus ſeu ' hrata, quâ prædium ab Eccleſia alicui ad dies vitæ in uſum conceditur. Cang. verbo præcaria) *ſi ita ei placuerit: exinde ab Epiſcopo accipiat ea ratione, ut dum advivet ipſas res uſufructuario ordine habeat, & poſt obitum ejus cum omni integritate, omniq; ſuperpoſito, ad Eccleſiam, cui datæ fuerint, vel ipſius Congregationis ipſæ res, abſq; ullius conſignatione, vel exſpectata traditione revertantur. Et liceat ei de omni mobili ipſis rebus, quamdiu vivit, & in ipſo ordine conſiſtit, eleemoſynas tam in pauperes, quàm congregationem, quàm etiam ubicùnque voluerit, facere, & neceſſitates ſuas explere, & ſi aliquod de ipſo mobili poſt obitum ejus ſuperfuerit; media pars in Eleemoſina ejus in pauperes, vel promiſſas ejus aut ubi voluerit, ambulet, Archidiacono, aut primicerio, vel cui ipſe vivens rogaverit diſpenſante; & illa media pars in ipſius Eleemoſyna ad Clerum, vel ad ipſam congregationem revertatur, Et ipſi Clerici de ipſis rebus, quas in precarias habent, neq; de terris neq; de vineis, aut ſylvis, pratis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi poteſtatem non habeant, excepto, ut diximus, de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant, quod voluerint.*

Quod ſi contigerit ſuadente Diabolo, ut aliquis ex his fratribus, qui ipſas res per precarias habuerint, in aliquo crimine grave aut leve incidat, pænitentiam, juxta quod Epiſcopus ei judicaverit, agit. Tamen de rebus quas per precariam poſſidet, exſpoliatus pro hac re eſſe non debeat. Si quis autem eodem modo, quo ſupra inſtituimus ad hanc congregationem tam unus ex Abbatibus noſtris, quàm quilibet ex extraneis Clericis ſe ſociare deſideraverit, eo tenore, ut alii fratres fecerunt, faciat. Quodſi alter fuerit, qui ſe eis voluerit ſociare, & omnia ad integrum perfectionis gratiâ derelinquere: Epiſcopus provideat eis neceſſaria, qualiter opus bonum, quod Deo inſpirante cœpit, adimplere valeat.

Hæc ergo citatis locis Chrodegangus. Quæ ut dilucidè intelligantur, rememoranda ſunt, Capite quinto de votiva Clericorum paupertate obſervata, ex quibus plana fient, iſthìc capite 31. regulæ Chrodegangi propoſita. Scilicet obligaſſe ſanctum Epiſcopum Clericos Metenſes, ſub voto paupertatis viverent, quamvis non æqualiter omnes. Præſcribit autem, ut ſaltem ad aliquantulamcunque ſimilitudinem converſationis primorum Chriſtianorum perfectam expropriationem habentium animos contrahant: ſcilicet eam obſervari juſſit, quæ quidem ex reliquis paupertatis gradibus remiſſior, adhuc tamen inter illos reputetur, hoc enim per aliquantulamcúnque ſimilitudinem innuit. Nam ſi nullus omnino gradus ſervaretur, non eſſet ad illam perfectam expropriationem ampliùs ſimilitudo: cùm in ſimilibus requiratur, ut, quod ineſt uni, ſaltem proportionaliter debeat ineſſe alteri. Videatur Pergolinus de Dialect. S. Script. L. 5. C. 23. & S. Th. par. 1. q. 4. art. 3. minorem ergo in perfectione paupertatis conſiſtentem gradum præſcripſit Chrodegangus, ut alliceret ad obſervantiam majoris & præſtantioris, quem eundem in fine quóque induxit: *quòdſi* inquiens, *alter fuerit, qui ſe eis voluerit ſociare, & omnia ad integrum perfectionis gratiâ derelinquere &c.* Patet ex his luculenter ſub Chro-

Digitized by Google

Chrodegango votivos, genuinos, veróſque Clericos exſtitiſſe, at abſque dubio diverſis diverſum gradum paupertatis tenentibus, imò quibusdam omnem planè negligentibus. Unde ſicut frequentiùs fieri ſolet, ut triticum exſuperetur à Zizaniis, & horum copiâ illud penè celetur, ſic id ipſum præcipuè ad finem hujus Sæculi factum fuiſſe perſuadent antiquiſſima ejusdem facta, & malitia hominum in omnem debachans ſtatum atque conditionem, prout hiſtorias legentibus palàm fiet. Ex quo ſanè ſufficeret vel modica à nobis poſſe exempla vitæ votivæ Clericalis adferri, ne omninò exſtincta credatur: at etiam his malevolis temporibus noluit Deus ex abundantia bonitatis ſuæ, inſtituto à ſe & tantîs Sæculis tam providè cuſtodito votivo Clericali ordini adeò deeſſe, ut in ſanctitate vocationis perfectionísque ſuæ penitùs ſuffocaretur. Quod itaque Chrodegangus Metis aut reformaſſe, aut reſtituiſſe per hanc ſuam ſanctam regulam reperitur, illud alibi quoque fecêre viri ſpiritum Domini habentes, prout jam actu demonſtravimus. Et ultrò declarare poſſemus de pluribus Germaniæ locis ſacris ac Clericalibus, quæ à B. Gregorio Trajectenſi, à Madelveo Epiſcopo Virdunenſi, à Willibaldo Eiſtettenſi, aliíſque præclarè ſanè adprimævam Clericorum noſtrorum vitam reſtituendam facta ſunt, de quibus quia alibi, tanquam accomodatiori occaſione agimus, hîc ea præmittere nolebamus. Intereà tamen diſſimulare penitus non licet nonſolùm in Cathedralibus ſub Epiſcopis, verùm & monaſteriis ſub Abbatibus ac, præpoſitis multos conſtitiſſe Clericos regulariter viventes, iſtud perſuadet Canon. 11. Concilii Vernenſis, annô 755. habiti: mandantis de Clericis, ut vel *in monaſterio ſint ſub ordine regulari*, vel *ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico.* Prætereà quàm laudabiliter Chrodegangi inſtitutionem etiam in diſſitis locis æmulati tunc ſint viri ſancti, unum adduxiſſe ſufficiet Lefricum Epiſcopum Exonienſem in Anglia, hic enim *cùm apud Lotharingos*, teſte Malmesburienſi L. 2. c. 6. *alitus ſit & edoctus, Canonicos in monaſterio S. Petri inſtituit, qui ad formam Lotharingorum contra morem Anglorum, uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent, habentes œconomum ab Epiſcopo conſtitutum, qui eis diatim neceſſaria victui, annuatim amictui commoda ſuggereret.* Ex quibus pariter communis vita ampliùs in Metenſi Eccleſia à Chrodegango inſtituta probatur. At dum, inquit Wilhelmus, illud factum contra morem Anglorum, in hoc ei aſſentiri non poſſumus, utpote, quòd nec à Malmesburienſi, nec ab alio probetur, diſciplinam illam ab Auguſtino Cantuarienſi Clericis præfixam, & per M. Gregorium decretam tam citò defeciſſe.

4. *Sæculô Nonô minùs reſloret eadem diſciplina ob fata tunc injurioſa, attamen in multis perdurat.*

Sæculum Nonum in dies ampliores reperit in Clero vitæ votivæ, ac diſciplinæ religioſæ remiſſiones. neque id mirum, cùm in eandem ſortem ordo quoque monaſticus inciderit, de quo ſimile quid audire longè videtur funeſtius; utpote caſtro aliquo optimis, ſecuríſque mœniis vallatô minùs hoſtium inſultui expoſitô, quàm urbe apertâ, omnibúsque patente. Initium huic relaxationi utriusque ordinis ſæculum jam ſeptimum dedit: ſæcularibus nempè mirum in modum invadentibus res Eccleſiæ, & quæ eis ad luxum ſervire poterant, monachis, Clericisque ad ſui inſtituti ingens diſpendium ſuppeditare coactis: unde veridicè in ſuis Annalibus Mabillio ad ſæculi 8vi exordium: *cujus*, inquit, *procelloſa tempora* languente *Francorum imperio, bellis cùm Domeſticis, tum externis pleraque ſuperiorum temporum decora corruperunt, nam Eccleſiarum ac monaſteriorum acciſæ res, & in beneficium datæ Eccleſiæ, Abbatiæ ipſæ, pars direptæ, & deſtructæ, pars laicis hominibus traditæ, imò & virorum* mona-

Ann. Ben. L. 19. n. 1.

Digitized by Google

monaſteria quandoq; probroſis mulieribus prodita &c. Verùm ut diximus, ſuccedentia tempora non meliora evaſêre, ſed deteriora, hinc demum de remedio præprimis in Germania noſtra cogitatum eſt. Fecit id Imperiô & virtute Carolus verè Magnus, qui anno 802, ut narrat Annaliſta Anonymus apud Lambecium: *demoravit apud Aquis Palatium - - - & menſe Octimbrio* (id eſt Octobris) *congregavit univerſalem ſynodum in jam nominato loco, & ibi fecit Epiſcopos cum Presbyteris ſeu Diaconibus relegi univerſos Canones, quos ſancta ſynodus recepit, & decreta Pontificum, & pleniter juſſit ea tradi coram omnibus Epiſcopis, presbyteris, & Diaconibus &c. Et tunc juſſio ejus generaliter ſuper omnes Epiſcopos, Abbates, presbyteros, Diacones, ſeu univerſo Clero facta eſt, ut unusquisque in loco ſuo juxta conſtitutionem ſanctorum Patrum, ſive in Epiſcopatibus, ſeu in monaſteriis, aut per univerſas ſanctas Eccleſias, ut Canonici juxta Canones viverent, & quidquid in Clero aut in populo, de culpis aut negligentiis apparuerit, juxta Canonum Authoritatem emendaſſent* &c. Sic ergò Cleri per Carolum aſſumpta eſt reformatio, neque in multis locis ſine evidenti emolumento. Nam hoc eodem anno *B. Ludgerus factus Mimigadfordenſis Epiſcopus*, teſte Alfrido *in loco, cujus eſt vocabulum Mimigernefurum, ibi Domino honeſtum conſtruxit monaſterium ſub regula Canonica Chriſto famulantium.* De quo nos alibi plura. Pariter anno 813. Moguntiæ celebratum eſt concilium: in eo Canones: 9. ſcilicet 19. 20. 21. & 23. de diſciplina Eccleſiaſtica ſic decernunt. *Decrevimus ut Canonici Canonicè vivant, obſervantes divinæ ſcripturæ doctrinam & documenta ſanctorum Patrum, & nihil ſinè licentia Epiſcopi ſui vel Magiſtri eorum compoſitè agere præſumant in unoquoque Epiſcopatu: & ut ſimul manducent & dormiant, & ut in ſuo Clauſtro maneant, & in ſingulis diebus mane primo ad Lectionem veniant & audiant, quid eis imperetur, ad menſam verò ſimiliter Lectionem audiant, & obedientiam ſecundùm Canones ſuis magiſtris exhibeant.* Sed jam ſe iterum nova Canonicorum offert regula eisdem tradita, ut à devio tramite revocati diſciplinam debitam reaſſumerent: Hæc anno 816. vulgata eſt in Concilio Aquisgranenſi, à Ludovico Pio in hoc ſuo Aquis Palatio, congregato. Verùm quia hæc quoque regula non minimas Criſes ſubire cogitur, de ea hìc ex conſulto agendum putavimus.

apud Bol. 16. Mart. in vita Ludg. L. 1. n. 40.

5. *De Aquisgranenſi Regula ſolidum examen inſtituitur.*

A multis tum noſtris tum extraneis ſcriptoribus hoc Concilium cum ſua regula citatur atque perquiritur, an ſcilicet ex ea colligi detur Canonicorum votiva illa & Apoſtolica vita revocata, an potiùs per ipſam omnis, ſi qua etiam antea vigebat obſtrictio, demum diſſoluta ſit? profectò, quantum eidem lapſu temporum multi ſancti, eruditíque viri inſultârint, paulò poſt videbimus. Sunt tamen aliqui ejusdem patrocinium aſſumentes, probantésque nihil penè plùs eandem concedere, quàm quod adhuc religioſæ paupertatis (de hac enim ſolùm quæſtio verſatur) limites repetunt, benevolam eſſe infirmis, ſed non omninò relaxantem. Nos qui dudum ad id animum laborémque noſtrum ſacramus, ut, quantum operis præſentis anguſtiæ admittunt, non decurta, aut cancellata proferamus, ſed genuina, quamvìs fortè aliquandò hôc ipſô fuſiora, cùm ſæpiùs, ut præfati ſumus, hanc regulam ejúsque hinc inde fragmenta in quibusdam libris repererimus, parum inde tamen adverſæ parti ſatisfactura, quantum hìc fieri poterit, omnia clarè exhibebimus, &, ſi Dii conſilium faverint, fortè ad calcem operis totam ad verbum relaturi, ut, cùm alioquin non in obviis libris habeatur, hìc cuique pateat quæſtionem de ordine noſtro accurratiùs ſcrutaturo. Igitur

habetur tom 9. Con. Labbæi ad an. 816.

Digitized by Google

In Præfatione hæc leguntur: cùm in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Chriſtianiſſimus, ac religioſiſſimus Hludovicus ſuperno munere Victor Auguſtus anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 816. indict. 10. anno ſiquidem Imperii ſui tertio Aquisgrani Palatio generalem ſanctúmque convocaſſet conventum, & cæpiſſet ſecundùm ardentiſſimam erga divinum cultum ſibi cælitùs inſpiratam voluntatem, multa congrua & neceſſaria de emendatione S. Eccleſiæ, illius videlicet amore, qui eam ſuo ſancto & pretioſo redemit ſanguine, eiq; ſe adfuturum usque ad conſumationem pollicitus eſt ſæculi, ſolerter ac curioſè pertractare; eò usque inter cætera perventum eſt, ut eundem ſanctum & Venerabilem Deo annuente aggregatum conventum conſuleret, imò conſulendo admoneret, ſuper quibusdam Eccleſiarum Præpoſitis, qui partim ignorantiâ, partim deſidiâ ſubditorum curam parvi pendebant, & hoſpitalitatem minùs juſto diligebant, quid facto opus eſſet. Adjunxit etiam monendo, ut quia Canonicorum vita ſparſim in ſacris Canonibus, & in ſanctorum Patrum dictis erat indita, propter ſimplices quosque minúsque Capaces, aliquam ex eisdem ſacris Canonibus & ſanctorum Patrum dictis inſtitutionis formam pari voto, pariq; conſenſu excerperent, per quam patenter prælatorum, & ſubditorum vita monſtraretur. Quatenus omnes, qui Canonica cenſentur profeſſione, per viam propoſiti ſui inoffenſô greſſu incederent, & in Chriſti militia devotiùs unanimes atq; concordes exiſterent. Sed ut id nutu divino fieret, Dominum in communi humiliter exorandum præmonuit, ut ſervorum ſuorum exorabilibus pulſatus precibus, eisque admonitionem ſecundùm ſuam voluntatem fieri, ſuaq; gratia eam præcedere, & ſubſequi dignaretur. Ad quam etiam admonitionem ſacer conventus intimo gaudio repletus expanſis in cælum manibûs Creatori omnium gratias agens, benedixit. Quippe qui talem, tam pium, tamq; benignum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Principem, cunctiſq; ejus neceſſitatibus ſapientiſſimum, ac devotiſſimum, prætulerit procuratorem. Suſcipientes ergò libentiſſimè, hilaritérque ejus ſaluberrimam multis Deo miſerante profuturam admonitionem, licèt pleriq; auxiliante Chriſto devotè ac religioſè cum ſibi ſubjectis Canonicam ſervent inſtitutionem, & in plerisq; locis idem ordo pleniſſimè ſervetur, omnium tamen id animis inſedit, ut ſecundùm ejusdem Principis admonitionem, unà divino freti auxilio ejusdem piiſſimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberaliſſima largitione copiam librorum præ manibus habentes, ex Canonica authoritate, & ſanctorum Patrum dictis, veluti ex diverſis pratis quosdam floſculos carpentes, hanc inſtitutionis formam excerperent, & Canonicis obſervandam conferrent, ut quorum fortè labore, ob tarditatem ingenii ſeu inopiam librorum ſparſim digeſta difficilè comprehendi poſſet, ſolerti ſtudio in eodem opere breviter congeſta perfacilè ab his reperiri poſſet, per quam, ut præmiſſum eſt, & prælati recto tramite incedere, & ſubditis normam vivendi, abſq; ignorantiæ obſtaculo ſalubriter poſſent præbere. Vigilanti ergò ſtudio eandem inſtitutionis formam colligere ſtuduerunt; in quâ pleniſſimè continetur, qualiter & prælati vivere & ſubjectos regere, eisq; Eccleſiaſticos ſumptus adminiſtrare, & in Dei ſervitio conſtringere, bene operantes quoq; ad meliora provocare, protervos quoque & negligentes debeant corrigere. Cùm igitur hujus inſtitutionis formam coram memorato glorioſo Principe prolatam ſacer conventus laudibus extuliſſet, & Eccleſiaſtica auctoritate fulcitam laudeq; dignam, ac ſanctæ Eccleſiæ utillimam atq; proficuam conſona voce prædicaret, nihilq; in ea reprehenſionis ab iis, qui ſapiunt, reperiri poſſe profiteretur, ab eodem victorioſiſſimo Principe, & ab omnibus, qui aderant, Deo gratias acclamatum eſt. Nec immeritò, quippe qui occultâ ſuâ diſpenſatione & gratiſſimâ inſpiratione præfatum principem, ut id fieri moneret, compulit,

&

& ut ad effectum perduceretur, miſerando adjuvit. Proinde omnium ſententia ſtatutum eſt, ab omnibus, qui in Canonica profeſſione Domino militant; hanc inſtitutionis formam, tot Eccleſiaſticorum virorum vigilanti ſtudio congeſtam, dignisq; præconiis laudatam, juxta virium poſſibilitatem modis omnibus obſervandam, quatenùs hanc ſive aliarum ſanctarum ſcripturarum documenta ſedula meditatione perlegentes, & prælati & ſubditi vocatione, quâ vocati ſunt, ope divinâ adminiculati, infatigabiliter ambulent, & pro tam piiſſimo Principe, qui ob lucrum animarum hoc ſacrum & venerabile Concilium ad hanc formam congerendam & ſtatuendam ſalutiferis admonitionibus excitavit, modernis futurisq; temporibus Dei immenſam clementiam jugiter exorent. Hæc de regula Canonicorum memorata præfatio eidem regulæ præfixa. Ubi advertimus cumprimis: dum dicitur: *quia Canonicorum vita ſparſim in ſacris Canonibus & in ſanctorum Patrum dictis erat indita propter ſimplices* &c. Inde præcipuè eveniſſe, ut inciperent quoque Canonici quendam certum apparatum regularum obtinere in ſimilitudinem monachorum, cauſam habes additam, nimirum: quòd à quovis Canonico *aut ob tarditatem ingenii, ſeu inopiam librorum ſparſim digeſta difficile comprehendi poſſent:* Quod ipſum Ludovicus Pius inſinuat in ſua Epiſtola Amoni Salisburg. Archiepiſcopo miſſa cum hac regula Aquisgranenſi, prout eadem apud Mir. exſtat L. 1. Donat. piar. C. 13. videmus quàm egregiè haud dubiè per illam Carolinam reformationem Canonicus Ordo in plerisque locis adhuc floruerit, ita quidem ut dicant Patres Concilii: quòd *plerique auxiliante Chriſto devotè ac religioſè cum ſibi ſubjectis Canonicam ſervent inſtitutionem, & in plerisque locis idem ordo pleniſſimè ſervetur.* Quodſi *pleniſſimè*, ergò pro certo votivè, non enim poteſt plenè ſervari, quod in aliquo, & quidem in principali deficere invenitur, quale eſt Apoſtolicæ communitatis obſervantia: & profectò, ſi plurima Germaniæ (de aliis nunc loqui abſtinemus) loca luſtremus horum temporum, reperiemus, penè ubique ſanctos in Eccleſiis, monaſteriisque mores, inculpatam floruiſſe; qualis erat, ut diximus, in monaſterienſi, præterea tempore S. Odulphi in trajectenſi, & Aldrici Antiſtitis in Metenſi, Hetti Archiepiſcopi in Trevirenſi. Hildeberti & Williberti in Colonienſi &c. de quibus omnibus ſuo loco in deſcriptione monaſteriorum inquirendum erit. Quodſi verò in plerisque locis Ordo Canonicus *pleniſſimè* tunc ſervabatur, ſanè opus non tam erat reformatione, quàm Fulcimine quôdam, ut ſua in plenitudine firmaretur, hinc hæc regula congeſta eſt, ut cuique mox volenti ad manus eſſet. Et ut dicitur in præfatione, *juxta virium poſſibilitatem modis omnibus obſervaretur:* Scilicet prout cujusque Conditio, ſtatus & circumſtantiæ admiſerint: Certum eſt enim, aliam obſervantiam diſciplinæ cuſtodiri poſſe in Communitate & in clauſtro, aliam in Parochiis, & ſeparatis locis: hinc omnino opus erat, tali Canonum congeſtu ac compilatione, quô & ſuam haberent præſcriptam normam vivendi qui in Clauſtris conjuncti, & illi, qui ab eo ſemoti, curis animarum vivebant in Parochiis præpoſiti: quæ ſi quisque hujus regulæ juſtus arbiter combinaverit multum ad ejusdem præconium (in ſæpefata præfatione mirè reſonans) tuendum proficiet. Nam, ut vel modicum ejusdem examen operemur; Conſtat ipſa capitibus centum quadraginta quinque, in his verò inquirenda ſolùm ea veniunt, quæ ad præſens noſtrum negotium conferunt; quorum ſunt imprimis ea, quæ præciſè ordinum obligationem, miniſteriúmque concernunt, de quibus, primis maximè duodecim

cim capitibus agitur, dein de obligatione Præpoſitorum ac paſtorum, de his agunt ſequentia Capita usque ad 34. incluſivè, at trigeſimum quintum diſſertè hunc titulum præſefert: *quod ſacerdotes nihil proprium habeant, & Eccleſiæ facultates, tanquam communes, Deo rationem reddituri, ſuſcipiunt.* At verò cap. 40. agitur jam de Clericis uſuras accipientibus, item cap. 61. de Avaritia Cap. 62, & 75. rurſus de uſura, ac deniqúe Cap. 109. quæſtio ponitur: *quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.* Et Cap. 20. *Qui Clerici, in Congregatione Canonica conſtituti, Eccleſiaſtica accipere ſtipendia debeant?* ac deniqúe Cap. 115. dicitur: *Quod Canonica inſtitutio cæteris ſupereminеat inſtitutionibus.* Hæc poſteriora Capita qui legerit, júdicabit omnino, regulam Aquisgranenſem nunquam ſuos Canonicos inter alios, quàm, ut vulgò dicimus, *ſæculares* habuiſſe: quid enim regularibus ac votivis cum uſuris? præterea agnoſcit regula, ea tunc tempora fuiſſe, in quibus renuntiari à Clericis proprio non poterat, quod apertè Caput 109. docet. Hinc non ſolùm rerum, ut à Chrodogango factum, uſufructuaria, ſed proprietaria conceſſa eſt poſſeſſio. Imò Caput 115. loquitur, quaſi Canonicis jam ſolitum & proprium erat, ſæculari modô ſua poſſidere, ſic enim illud ad verbum: *quia evidenti auctoritate liquet Canonicam inſtitutionem cæteris præſtare inſtitutionibus, debent, neceſſe eſt, qui hujus profeſſionis cenſetur nomine, procurare, qualiter in ſemetipſis eandem inſtitutionem vitæ & moribus exornent potiùs, quàm dehoneſtent, quoniam qui tantæ auctoritatis inſtitutione pollent, & ſe aliis imitabiles præbere debent, verendum eſt, ne ſi (quod abſit) à propoſito exorbitaverint, regno Dei indigni fiant. Quamquam enim Canonicis, quia in ſacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus veſci, dare, & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia habere, quod monachis, qui ſecundùm regularem inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, penitùs inhibitum eſt: non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum à monachorum diſtare debet vita. Monachi namq́, qui Evangelicum præceptum ſequentes, diſtractis atque renuntiatis patrimoniis, ſua Chriſto dedêre, meritò de facultatibus Eccleſiæ ſubſidium accipiunt temporale: ut, quia toto mentis deſiderio cæleſtia appetunt, ſic in hac peregrinationis via ſumptibus dominicis ſuſtententur, quatenùs ad ea quæ contempſerunt, minimè redire qualibet neceſſitatis cauſa compellantur. Et quia nihil ſibi proprium reliquerunt, manifeſtum eſt, illos copioſioribus Eccleſiæ ſumptibus quàm Canonicos, qui ſuis & Eccleſiæ licitè utuntur rebus indigere. Unusquisq́ enim, ait, Apoſtolus, proprium Donum habet à Deo.* Ita Canon iſte. Quô manifeſtiùs nihil probari poſſet, Canonicos, hac regula Aquisgranenſi proviſos, verè tales fuiſſe, quales paſſim nunc in multis Cathedralibus conſpicimus, & vulgò *ſæculares* nuncupamus.

Verùm, ſicut in his indicia ſæcularitatis monſtrantur, ita exſtant Capitula rurſum alia præter 35tum ſupra adductum, quod ex adverſo regularitatem probat. nam caput 110. habet, *quæ ſint vera gaudia vel veræ divitiæ, & quid impedimenti afferunt bona præſentia amatoribus futurorum.* Ex S. Gregorio. item Caput 112. & 113. quæ integros ſermones adferunt S. Auguſtini de moribus & vita Clericorum, in quibus regularis votiváque vita tam diſſertè præſcribitur, ut nil apertiùs haberi poſſit prout eosdem ſermones legentibus indubitatum eſt. Refert id ipſum Cap. 94. 95. 96. 98. 99. &c. & quæ maximè urget Concluſio ſeu Poriſma Cap. 113. quod ſermonem ſecundum complectitur S. Auguſtini de communi vita clericorum. Ibi enim ipſum ſuis verbis Concilium ſic loquirur. *Quia ergo*

ergo conſtat Sanctam Eccleſiam prædictorum Patrum exempla ſequi debere, quorum noſcitur documentis poſt Apoſtolica inſtituta ubertim coruſcare: debent non ſolùm prælati imitando, verùm etiam ſubditi obſequendo usquequaque ſtudere, qualiter eorum exemplis & doctrinis parentes, ad felicitatis gaudia, quò illi præceſſerunt, valeant pervenire. Quoniam ſicut hi qui eorum Doctrinis & exemplis ſumma devotione obediunt, æternis gaudiis inſeruntur, ita nimirum ea ſectari nolentes æternis ſuppliciis mancipantur. Memoratas igitur Sanctorum Patrum ſententias, quibus Clericalis ordo ad bene vivendum inſtruitur, ſedulè perlegat & diligenter pertractet, quiſquis Canonicam profeſſus eſt vitam, quas cùm benè perſcrutatus fuerit, patenter inveniet, quòd illi non enervatè, ſed religioſè vivendum eſt. Præterea Cap. 114. totum penè eſt in commendanda & præſcribenda voluntaria paupertate, & quidem ad ſimilitudinem monachorum, ait enim: *propter quorundam ſimplicium verba, qui religioſis & eruditis viris ſeſe admonentibus ac redarguentibus plerumq; objicere ſolent, ſolos monachos ſcripturarum ſanctarum præcepta obſervare debere, operæ pretium duximus quædam Evangelica atque Apoſtolica quàm breviſſimè ad medium deducere præcepta: ut hæc hujuscemodi imperiti homines audientes, hisq; aurem cordis accomodantes, intelligant, quæ ſibi, quæ monachis conveniant obſervare præcepta, qui enim mente & corpore vult contemnere ſæculum, & pauperem ſequi Chriſtum, audiat ipſum dicentem in Evangelio: ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia* &c. Ubi cùm Caput iſtud titulum præſeferat: *Quæ præcepta ſpecialiter monachis, quæ cæteris conveniant Chriſtianis?* expreſſè inter monachos etiam Clericos refert, nam poſtquam aliquot præcepta perfectionis adduxit, ſubdit. *Multa quidem & innumera legalia, prophetica & Evangelica atq; Apoſtolica poterant proferri documenta, quibus infatigabiliter atque inexcuſabiliter devotio famulari debet Chriſtiana, ſed propter eos, quos ſupra memoravimus, hæc pauca breviter annumerare ſtuduimus, qui inſipienter aſſerunt, ſolos monachos arctam ſectari debere viam, cùm utiq; Dominus arctam & anguſtam viam dicat eſſe, quæ ducit ad vitam, & nemo niſi per eam in vitam ingredi poſſit æternam. Non ſolùm igitur monachis & Clericis, verùm etiam omnibus, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, per hanc arctam & anguſtam intrandum eſt viam.* Ubi vides, quæ adjudicavit hoc capitulum de abrenuntiatione Monachis, adjudicavit æquo tenore & Clericis.

Hæc univerſim conſiderata movent nos, ut omnino aſſeramus, & propendeamus potiùs in ſententiam propugnantem, regulam hanc pro vita votiva ſtetiſſe. Quamvis enim ut verum fateamur, in Capitulo illo 115. author ſeù Compilator hujus regulæ tam remiſſè à priorum fervore, & quaſi alienè ſcribat, ut propè ſubvertere videatur, quæ antè ad diſciplinam tuendam conſtruxerat, attamen non inde adhuc illa vera ac regulari ſeu votivæ vitæ appoſita ſæcularitas & proprietas evinci poterit. Hinc factum quidem eſt, & præcipuè propter hoc ipſum Caput 115, ut in iſtam regulam inveherentur etiam ſumma Eccleſiæ capita, & viri alii pii atque eruditi, velut fuerat poſt ſæcula duo elapſa Hildebrandus tunc ſedis Apoſtolicæ Archidiaconus, & Nicolaus ſecundus in Concilio Romano anno 1059. celebrato, indeque paulò poſt Petrus Damiani. Demum noſtris quoque temporibus inter alios Joannes Mauburnus ſuo in Venatorio. Hildebrandus quidem, cùm in Concilio coram toto conſeſſu divinâ quadam peroraret eloquentiâ, & adverſus corrupti Cleri mores detonaret præcipuè eorum, *qui*, ut inquit ipſe, *noſcantur communem vitam, exemplò primitivæ Eccleſiæ amplexi ſimul & profeſſi, in tantum, quòd nihil ſibi reſervaſſent proprii, facultate ſua vel* Vide Annal. Mabil. tom. iii append. n. 77.

 diſtri-

diſtributa egenis, aut relictâ propinquis, vel certè oblatâ Chriſti Eccleſiis, quos ſicut amor perfectionis arctiorem viam aggredi, & per anguſtam portam ingredi ſanctâ contentione conjunxit, ſic & abundantia iniquitatis ſuô frigore paulatim disjungere quærit, ut poſt ſe recedant, atq; propoſiti ſemel arrepti apoſtatæ fiant. Cauſam hujus perverſitatis illam ipſam, de qua loquimur, allegans regulam, ait enim: *quod illi ipſi ad maximam ſuæ pervaricationis defenſionem, aſſumunt aliqua Capitula ex regula illa, quæ dicitur Canonicis, hortatu Ludovici Imperatoris à quo, neſcitur, compilata, qui quamdiu priorum Patrum ſententiis & veſtigiis Congregationes Canonicorum informare & ducere curavit, facultates Eccleſiæ his tantùm deberi prædicavit, qui amore perfectionis vel renuntiant ſimul omnibus, quæ poſſident, vel ſoli cupiditati poſſidendi, ſi deſunt alia quibus renuntient, ubi autem vel ſuo vel alieno languori quaſi conſcendere voluit, à tramite ſanctorum Patrum nimiùm devius aberravit, totúmque, quod approbare videbatur, reprobavit, & quod defendendum ſuſceperat, non ſolùm impugnavit, ſed quantum in ſe fuerat, expugnavit.* Hæc Hildebrandus. Nec minùs ſummus Pontifex Nicolaus ſecundus vehementer compilatorem illius regulæ ſugillat, & corruptorem doctrinæ tam Evangelicæ, quàm SS. Patrum coarguit, ait enim, quod *ipſe ubicunque de nihil proprium habentibus, & communem vitam ducentibus ſententias ſanctorum Patrum ſanas & integras propoſuit, mox eas perverſô ſuæ præſumptionis arbitriô aut corrupit, aut decurtavit, & quod majoris eſt audaciæ, imò infinitæ ſtultitiæ fuit, quaſi ipſe ſolus litteratus eſſet, aut nemo niſi ipſô exponente ſcripturas ſanctas intelligere poſſet, teſtimonia, quæ ex dictis ſanctorum Patrum inſeruit, ſic exponere laboravit, velut ſi Domino dicente: niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus: ipſe è contrario dixerit ſimul Eccleſiaſticis facultatibus, & ſuis proprietatibus decenter utantur,* &c.

Petrus Damiani Epiſtolam formavit ad Canonicos exhortatoriam, ut propria habere dimittant, & in communi ſtudeant vivere, dein verò iſta ſubpingit: *ſed, cùm hæc illis objicimus, ipſi regulæ ſuæ librum nobis protinus offerunt, ad regulæ ſuæ auctoritatem redeunt, eâq; ſibi proprietatis peculium concedenti, pati præjudicium conqueruntur, quam nimirum regulam nos nec funditùs improbamus, nec illi auctoritatem omninò tribuimus. Probamus enim in quantum ſanctis Eccleſiæ doctoribus conſonat, abjicimus autem, atq; conſpuimus, in quantum authenticis eorum inſtitutionibus non concordat: ſed jam ipſa eorum regula deducatur in medium; & utrúm indifferenter tota, an cautè atque ſuſpectè ex parte duntaxat ſuſcipi debeat, in una ſaltem paginula diſcernamus. Planè hoc in quadam ejus periocha reperitur. Sanctorum Patrum ſententiæ docent, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, vel res Eccleſiarum inofficiosè accipere debere, inde dicit Proſper, qui Eccleſiæ ſerviunt, & ea, quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt. Proinde tam de ſuis, quàm de Eccleſiæ facultatibus non plùs accipiant, aut exigant, quàm oportet, & accipientes cibum & potum atq; veſtimentum, his contenti ſint, ne plùs accipientes pauperes gravare videantur. Ecce in his verbis, ubi ſcilicet Clericos cibô & potu ac veſte contentos eſſe debere promulgat, & nobiſcum, & cum totius Eccleſiæ auctoritate concordat. Quod autem illicò ſequitur, prorſus abſurdum, ineptum videtur ac frivolum. Ii, verò qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam utilitatem Eccleſiæ conferunt accipiant in Canonica congregatione victum, & veſtimentum, & Eleemoſynarum partes, quia de talibus dicitur in libro Proſperi, Clerici quos voluntas, aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes neceſſaria vitæ accipiant. Prius itaq; dat victum*

in opuſc. 24.

Digitized by Google

ctum & veſtitum regula, deinde diviſores conſtituit Eleemoſynarum, illud ſcilicet ad neceſſarium vitæ ſubſidium hoc ad inferciendam congeriem ſacculorum; illud, ut corporaliter vivant, hoc, ut æternæ morti pabulum nutriant. Conſiderãda ſunt ipſa reptantium portenta verborum,& ignominioſæ atque confuſæ locutionis opprobrium; nam cùm præmiſiſſet, ut Clerici ſuſciperent cum victu & veſtitu etiam partes Eleemoſynarum, quaſi reddit cauſam, quia de talibus in libro Proſperi dicitur, Clerici quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes neceſſaria vitæ accipiant. His dein ſuam in regulæ compilatorem, ſeu potiùs, ut ipſe Damianus putat, corruptorem ſugillationem acrem ſatis ſubjicit: *dic,* inquit: *Tullianæ reformator eloquentiæ, dic nove Demoſthenes, quia dicit Proſper, ut Clerici neceſſaria vitæ accipiant, idcirco præter victum & veſtimenta per ſingulas etiam perſonas Eleemoſynas dividant, ut juxta tuam interpretationem, neceſſaria vitæ ſuſcipere, hoc ſit, victu veſteq; perceptis Eleemoſynas diſpertire? quàm benè faciunt Clerici, qui te præconiis efferunt, qui tam gravia, & importabilia tuæ legis edicta latis viſceribus amplectuntur; gravia, inquam, cùm hæc regula præſcribat, ut à maximo uſq; ad minimum, etiamſi duorum vel trium annorum ſit in Clero puerulus, quinq; ſibi libras vini, & quatuor panis, ut non ad vomitum ſed ad exenterationem recipiat; præcipitq;, ut etiamſi ſemel in die reficitur, hæc panis & vini menſura nullatenus minuatur, ut ſi refectioni fræna laxentur, non jam ructare ſed crepare venter, & Ilia compellatur.* Concludens verò Damianus: *Planè,* inquit: *Præter nonnullas Sanctorum Patrum ſententias, quæ in eodem libello reperiüntur appoſitæ, de cætero ſicut in litteris ſtylus horret incultus, ſic in pleriſq; ſententiis devius corrigendus eſt intellectus: neſcivit enim invenire, quod ſcriberet, neſcivit ſcribere, ſi quas etiam ineptias inveniſſet, iſtos amans flores eloquentiæ, qui ſpinoſis moribus adverſantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ.*

Denique Mauburnus noſter in prædicto ſuo Venatorio de Ludovico Imperatore huius regulæ fautore, ac propagatore ſic ſcribit: *dum ordinem Canonicum ſublimare & reformare voluit, deſtruxit, qui ædificare putavit, unde & vocem hanc cælitùs audivit: Venenum Eccleſiæ datum, verè enim Venerabiles illi Abbates deſcriptores miraculorum B. Bernardi Claræuallenſis ad Canonicos Colonienſes inquiunt, videmus Venenum Eccleſiæ additum, ſicut dictum eſt ad Ludovicum, quem vos cognominatis Pium, qui præcipue ditavit Eccleſias. Legimus enim in hiſtoria ejus, quod audierit vocem dicentem ſibi, venenum Eccleſiæ addidiſti, non enim eſt abſonum venenum interpretari divitias, deſperata eſt plaga Cleri, ditata eſt Eccleſia poſſeſſionibûs, ſed virtutibûs ſpoliata, neq; enim longa potuit eſſe cohabitatio, ex quo paupertatis eſt deſerta obſervatio. Nunc autem vos Apoſtolorum occupatis loca, eorum ſtipendiis vivitis, poteſtatem tenetis, auctoritate polletis: cum quibus, ut pace veſtra dixerimus, communia vobis ſunt omnia præter converſionem & Converſationem.* Hæc Mauburnus, Epiſtolæ quidem illius, quæ eſt L. 6. de miraculis S. Bernardi P. 1. c. 6. fideliter verba referens, ſed inverſè, ut patebit legenti.

Ex his verò authoritatibus patet, regulæ Aquisgranenſis non leve repudium, patet quoque ſimul certiſſima illatio, ante hanc regulares Clericos religioſæ comuniq́ue vitæ devinctos: injuſtè enim aliàs Hildebrandus, Nicolaus, Petrus Damiani omnes ſæculum undecimum ſuâ doctrinâ morumq́ue ſanctitate illuſtrantes, eidem tanquam relaxanti, & fibulam virtutis in Clero antea ſolitæ, ac in abrenuntiatione terrenorum cumprimis fundatæ diſſolventi, tam vehemente Zelo inſultaſſent, & culpaſſent in illa, quod ſemper licitum fuiſſet. Nos de hoc Concilio Romano alibi iterum occaſionem loquendi nanciſcemur,

Digitized by Google

cemur, ubi & Gregorii ſeptimi tunc verò Hildebrandi verba referemus ulteriora integrum cum præſentibus textum componentia, ex quibus ampliùs colligemus, quàm longè ante hanc regulam vita votiva in Romanis Clericis etiam cum formula certa emittendæ profeſſionis fuerit conſueta: ut hinc arguat Hildebrandus regulam Aquisgranenſem, non tam Canonicos regulares effeciſſe, quàm regularitatem irritaſſe, quod dictum iis volumus, qui putant Canonicos ſub hoc nomine *regularium* originem ſuam iſti regulæ in acceptis referre. Sed nos de his inferiùs plura.

Ut verò ad Aquisgranenſis hujus regulæ pretium, judiciumque formandum revertamur, cenſenda omnino eſt nullatenùs ſuſtuliſſe votivam paupertatem, in hoc tamen non omninò immunis à culpa ejusdem compilator, imò & approbator atque defenſor, quòd nimis quoad illos infirmos ſit liberalis: *infirmos* inquam, quos vocavit antea Pomerius, qui ſuis facultatibus renuntiare non poſſunt, ampliùs autem nocens, quoad Caput illud 115. Certè, cum Petrus Damiani in eadem præfata Epiſtola crederet, regulam Aquisgranenſem non ſui authoris ſed ſubſequi cujusdam interpolatoris injuriâ, talibus regulari diſciplinæ obnoxiis centonibus infartam fuiſſe, firmus huic viro ſancto adhærere conſtitui, præcipuè perſuaſus Patrum Concilio Aquisgranenſi præſidentium, quin ipſius verè ſancti Principis Ludovici præſentis Zelo atque virtute; quos ne quidem ſuſpicari quis poſſet, tantam libertatem ac remiſſionem inducere voluiſſe in Clerum votivum, quem cupiebant potiùs ad priſtinam ſanctitatis viam revocare. At perpendente me priſtinorum temporum mores, & quæ jam ſæculo quinto de illis, ut dixeram, infirmis Pomerius ſcripſit, aliud ſubſecutum eſt judicium: nihil ſcilicet novæ remiſſionis cauſaſſe hanc regulam, ſed eam ad exemplum prædeceſſorum tantummodo toleraſſe. Quod inde patet, cùm eodem non ſolis Canonicis in clauſtro viventibus, & antehac expropriationi ſtudentibus, ſed omnibus omninò Clericis ad obſervandum ſit propoſita, hinc neceſſe erat, plura diverſa pro diverſis Clericorum conditionibus inſerere, ut haberent & expropriati Canonici ſuam inſtructionem, & illi, qui dudum ſine voto expropriationis vivebant, aut deniquè illi, qui laxiori gradui paupertatis inſiſtebant. Certum enim, & eruditis, hiſtoriæque medii præcipuè ævi expertibus obvium, vixiſſe quadruplicis, ut ita dicam, modificationis Clericos; aliqui ſtrictè pauperes erant, aliqui remiſſiores, aliqui Initiantes, imò parvuli, ſæpeque impuberes, de quibus ſuperiùs Petrus Damiani, dum in menſuram cibi & potûs invehitur, aliqui nullo paupertatis votivæ vinculo obligati, qui ideo cum reliquis nihil habebant commune, niſi quod illis conviverent, & uni matriculæ inſerti eſſent.

At enim & illud obſervandum cenſemus, Capitis 115. exordium magnâ indigere cenſurâ, & ſi quidquam in hac regula à præfatis Patribus dignè reprehendendum eſt, certè in iſtud caput redundavit, præcipuè ubi dicitur, *non legi à ſacris Canonibus eſſe Canonicis prohibitum peculium, licere illis dare & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia &c.* Quæ ſequuntur: hujus enim capitis ſcutô ſe muniebant, de quibus Hildebrandus, & aliâ mente explicabant in ſuum, dicámne, commodum potiùs, an ruinam prædicta verba, ut dum Concilium in his non aliud inſinuat, quàm quod olim Pomerius & ante illum adhuc Ambroſius, dicens: *ſed & ſi quis Eccleſiam nolens gravare in ſacerdotio aliquo conſtitutus aut miniſterio, non totum quod habet conferat, ſed operetur cum honeſtate, quantum officio ſatis eſt, non* L. 1. offic. c. 30.

non mihi imperfectus videtur. Ex quibus in re nihil ampliùs inferes, quàm votorum ſimplicium libertatem. Ipſi tamen ad omnimodam remiſſionem interpretabantur hæc Concilii verba, cenſentes: quòd, cùm non legatur à ſacris Canonibus *prohibitum eſſe Canonicis, licere illis dare, accipere* &c. hôc ipſô eſſe illis pleniſſimum jus in dando & accipiendo, ſicut ſæcularibus hominibus: cùm verba tamen iſta ſolum interea valorem aſtruant in teſtando & ſimilibus: at neque inde injurii arguendi ſunt ſancti præfati Patres atque Doctores: culpabant enim, quod videbant in tantam clericalis inſtituti ac diſciplinæ regularis ruinam undequaque Canonicos provocari: ita quidem (quemadmodum ſæculis mox infra explicandis cernemus) ut tota facies Eccleſiæ tantô aliàs decore nitida, appareret, quodam peplo redundantium in Clero vitiorum obvelata. Ergo, ut diximus, in eo quoque permanemus, nihil minùs regulam Aquisgranenſem quàm ſæcularitatem induxiſſe: ad ſummum ſolùm, ad exemplum plurium jam præteritorum ſæculorum, evitandi amplioris mali in remiſſis eam toleravit, tanquam aut infirmis, aut fortaſſe jam totaliter extra ſenſum religioſæ virtutis ſtupentibus. Et quia, ut ipſum in præfatione profitetur Concilium, in plerisque locis Ordo Canonicus pleniſſimè ſervabatur, ſanè concludendum, ſæculum hoc nonum præclaros adhuc flores primævæ Apoſtolicæ inſtitutionis in eodem Clero foviſſe. Quamvìs inficiari non poſſimus (velut ſuperiùs diximus) remiſſiones quoque non paucas repertas fuiſſe in aliquibus locis, ſcilicèt, ubi infirmi illi ſe identidem inſinuabant, ſuæque libertatis ſocios aucupabantur. Certè quod in *plerisque locis*, tempore hujus Concilii *Ordo Canonicus pleniſſimè* ſervaretur, præprimis admetiendum eſt illuſtriſſimo illi Germaniæ ſyderi Carolo Magno, ad cujus vel intuitum ſuffundebatur, & effugiebat omnis vitiorum ac malitiæ caligo, eaque vel maximè in Clero, quem ipſe totis viribus conabatur inter præſcripta clauſtra coercere religioſæ continentiæ atque mediocritatis: Interea tamen non multùm reſiſtam, iſtud capitulum ex parte infartum fuiſſe aſſentibus, prout inferiùs de hoc recurret ampliùs noſtra opinio: ducor, quòd nimis liberè videatur hanc in Canonicis libertatem ex Canonibus decernere, cui tamen adeo illis verbis *& quod majoris eſt audaciæ* &c. Nicolaus PP. refragatur, ut apertè innuat, illud canonibus adverſari, pariter Damianum hoc capitulum planè latuiſſe apparet, qui enim adeo redarguit Cap. 121. de cibo & de potu æqualiter accipiendo, an putamus neglecturum aliud, quod longè manifeſtiùs in hujus ſancti viri ſententiam pugnabat. Denique illa verba, *non legi à ſacris Canonibus eſſe prohibitum* &c. Ipſi titulo hujus Cap. adverſantur, ut legenti patebit. Atque ex his univerſim patet regulam Aquisgranenſem nihil per ſe ſe novi Canonicis votivis attuliſſe, ſed ſolummodò à Concilio traditam, *ut quorum fortè labore, ob tarditatem ingenii, ſeu inopiam librorum ſparſim digeſta difficile comprehendi poſſent, ſolerti ſtudio in eodem opere comprehenderentur.* Quæ ipſa poſterior cauſa non exigua fuit, cur omnia Collegia Can. reg. relictâ hac adhuc, nimis fuſâ regulâ, alteram demum S. Auguſtini amplecterentur atque hæc de regula aquisgranenſi dicta pro nunc ſufficiant. Libet jam rurſus filum prioribus innectere, atque ulteriora exempla inaudire regularis hoc ſæculo Canonici inſtituti. Perquirantur acta S. Odulphi Trajectenſis Canonici, de hoc ſcribitur, quòd cùm primùm ſacris initiatus eſſet ac ſacerdos conſecratus, parochiam ex voluntate parentum ſuſcipere cogebatur regendam, ſed non multò poſt, inquit vitæ ſcriptor, *viſum eſt ei ad-* Act. SS. 12. Jun.

ire ſummæ reverentiæ locum, nomine trajectum, ut inibi quamdiu in hac luce viveret, cum aliis DEI famulis ibidem ſub caſtris Chriſti degentibus, Chriſto Regi militaret. Quid plura? vir Deo plenus juxta veridicam vocem in Evangelio dicentis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus Diſcipulus, poſtponens patrem, propinquos, agros, familiam, omnemqúe poſſeſſionem, quò viſum eſt ei Chriſto duce pergere, pauper rebus, dives meritis, contendit properare. Nihil enim habere deſiderabat in hoc ſæculo, ut à Domino ſecundùm ſuam promiſſionem centuplum acciperet, & vitam æternam poſſideret in futuro. Quo in loco tum temporis erat quidam magnæ ſanctitatis Epiſcopus nomine Fredericus, qui ſanctum virum cum magno ſuſcepit gaudio, & honore condigno, omnesqùe ſecum unanimiter ſervi DEI, qui inibi erant coadunati, Domino congratulabantur tam ſanctum tam religioſum adventaſſe DEI famulum. Porrò hoc tempore trajectenſis ad Rhenum Eccleſia tanta abundabat ſanctitate Canonicorum, quod plures complecteretur in ſua Clericali ſocietate unà cum Epiſcopo præſtantiſſimos viros; qualis erat Hungerus poſtea Friderici ſucceſſor, Radbodus, Baldricus, aliique complures præcipuè illi, cum quibus Odulphus Stavriam navigans præclaro Zelo inibi hæreſim arianam exſtirpavit, de qua re Chronicon vetus PontificumUltra-

Mag.Chron Belg. f.59. n. 55.

jectinorum audiendum: ubi agens de Friderico, ſic inquit: *ſanctus autem Epiſcopus inde ſuam Diæceſim undecúnque perluſtrans, pervenit ad Friſiam, ubi de ſancta Trinitate percepit arianam inoleviſſe perfidiam, quam & ipſam cum magno laboris ſtudio prorſus extinxit, & poſtquam Beato Odulpho Sancti Salvatoris Concanonico Staurienſem Eccleſiam commiſit, omnibus benè peractis, Trajectum ſaluberrimè transfretavit.* Dixi verò Odulphum cum aliis hoc Evangelicum curaſſe officium: nam quod Chronicon præfatum breviter, illud Miræus magìs dilucidat, dum in faſtis Belgicis hæc ſcribit: Odulphus *à Friderico Epiſcopo in Friſiam miſſus Stauriæ Canonicorum in communi pariter viventium collegium inſtauravit*, Haud dubiè per illos, quos ſecum in Opus Evangelii Trajecto aſſumpſit. Idem pietatis Canonicæ fervor florebat Hildesheimii, cùm ibidem Altfridus ejusdem loci Epiſcopus monaſterium S. Mariæ inſtituit, ut legitur in theatro Corbejæ Saxonicæ, *ut Canonici Religioſiſſimè viventes ſoli Deo famularentur.*

Theat. Corb Sax. C.18.

De Compendienſi Monaſterio hôc ſæculô à Carolo Calvo conſtructo, *in quo Canonicos poſuit ſervos Dei totius ſilentii & quietudinis Canonicæ morem obſervaturos:* qui plura enucleatiùs cupit, hujus adeat Cænobii deſcriptionem. Adeóque facies diſciplinæ Canonicæ hôc ſæculô quamvìs ab initio aliquantum maculata utcunque plurium reformantium induſtria labes inſperſas felici forte abſterſit.

6.

Sæculo 10mo fluctuat non peſſumit vita votivo-Canonica.

Non feliciora fata ſtatus univerſus Eccleſiaſticus ſæculo decimo expertus fuerat, cùm adhuc paſſim alieni, id eſt homines ſæculares ac Laici depaſcerent robur illius, præterea collegia, atque Eccleſiæ plurimæ à Normannis, Hunnis, aliiſque Barbaris devaſtarentur. Hanc miſeram ſortem perpendentes Eccleſiæ Proceres, ùt primùm aliquanta quies depulſô bellorum turbine reſtituta eſt, de remedio reparandæ diſciplinæ cogitarunt. Hinc ſæculô iſtô obſervanda veniunt Troslejanæ ſynodi circa annum 909. celebratæ verba: quibus dum deplorandas Eccleſiæ vices & obſervantiam regularem undique ruinas minitantem clariùs depingit, cauſam hiſce ſubjungit: *ſive namque monachorum ſeu Canonicorum ſeu ſint Sanctimonialium* (monaſteria) *propriis & ſibi jure competentibus carent Rectoribus, & dum contra omnem Eccleſiæ autoritatem prælatis utuntur extraneis, in eis*

Vicus in pago ſueſſonico vulgo Troli dictus vide pag. ad an. hunc.

eis degentes, partim indigentiâ, partim malevolentiâ, maximéque inhabilium ſibi præpoſitorum faciente inconvenientiâ, moribus vivunt incompoſitis, & qui ſanctitati, religionique cœleſti intenti eſſe debuerant, ſui velut propoſiti immemores, terrenis negotiis vacant. Hinc omnimodis laboratum, ut hæc procelloſa tempeſtas ſedulis remediis dispelleretur. Cùm primùm igitur præfata Troslejana ſynodus incæpta eſt, non defuêre viri, adhuc quaſi è communi hujus infelicitatis cataclismo liberi, atque innocentes, qui præſtanti zelo executi ſunt incæptam reformationem: ſic in Gallia de Guidone Epiſcopo Anicienſi dicitur, *poſtquam verò Deus omnipotens &c. dedit ei tranquillam & ſerenam pacem, convocavit majores Eccleſiæ, dicens voluntatem ſuam eſſe, ut Clerici ibidem Deo ſervientes haberent communiter victum & veſtitum ſufficienter.* Turpio quoque Lemovicenſium Epiſcopus anno 920. *Sanctam religionem* (ut teſtantur ejusdem Litteræ apud Duchesn) *quæ usque ad ipſum illibata pervenerat, ſuis temporibus de ſede, quam ſibi Dominus regendam commiſerat, auſferri conſpiciens, clauſtrum inſtruxit ad Eccleſiam S. Auguſtini, eóque aggregare Canonicos inſtituit, qui in commune ſine aliqua proprietate degentes, divinæ ſervituti incumberent.* Leodienſis certè Eccleſia magno (Sæculô decimô) virorum Sanctorum ſplendore fulgebat, prout documenta ex Wazonis Decani Leodienſis Litteris ſuo loco referendis diſcemus. Præterea novimus Notgerum anno 972. deſignatum Epiſcopum Leodienſem quantâ induſtriâ regularem in ſuis curaverit Diſciplinam: nam non ſolùm ipſam majorem Eccleſiam diu in priſtino fervore retinuit, verùm & alias inſtituit, quas inſtructas eſſe voluit Apoſtolicâ vitâ. Sic ſanctæ crucis à ſe condito pro Canonicis Cænobio, cùm anno 1005. diploma Henricus concederet, in eo inquit: *qualiter vir magnæ ſanctitatis, & ſatis digna reverentiæ Dompnus Notgerus Epiſcopus &c. Eccleſiam quamdam in urbe Leodio à fundamentis exſtruxit in memoriam videlicet & laudem ligni S. Crucis, & Canonicorum Cænobium ibidem inſtituit, & pro promerenda æterna vita ex ſumptibus ſuis in eodem loco Deo militantibus ſtruendam decenter ornavit, ut ſanctorum Patrum inſtituta ſequentes, diu noctúque ſerviant pro pace regni noſtri &c. ad Deum indeſinenter preces fundant, unà cibum capiant, pariter dormiant, totosq́ ſe divino cultui mancipent.* Idem cum illis fecit Canonicis, quos é Caprimonte in urbem tranſtulit locum illum usque ad ſolum ſuis tam Monaſteriis quàm caſtris evacuans, ut hiſtoria Leodienſis teſtatur.

tom. 2. Gall. Chriſt. in inſtrum. Col. 223.

in notis ad Biblio. Cluniac. p. 150.

vide Deſcript. monaſt. in Eccleſ. Leodienſi.

Vid. hiſt. Leod. P. Fiſen. L. 7. ad an. 972.

Non abſimilem Zelum adhibuit Trevirenſis Eccleſiæ Antiſtes Henricus, *qui regulares officinas* (teſtante Epiſcoporum Trevirenſium hiſtoria) *& clauſtrum circa majorem Eccleſiam, conſtruxit, & rigorem regularis converſationis ibidem decrevit exerceri.* Paucis de ejus itinere & obitu interpöſitis, legitur deinde Theodoricum ſucceſſiſſe. Et mox hæc formalia ſubduntur: *ſub eo regulares Canonici in Eccleſia S, Petri deſierunt.* Regularem autem illam vitam debebat maximè Henricus in ſua Cathedrali inductam noviter, S. Wolfgango, quem Canonicis ſuis Decanum præfecit, unde Brovverus in ſuis annalibus: *Decani igitur, inquit, ac electi cenſoris in clero munere illi commendato, Epiſcopi recuſare imperium non auſus, provinciam ſe utiq́ dignam ſuſcepit, atq́ hoc obiit eò intenſiore cura, quò Clerum intellexit deſciviſſe longiùs tum ab antiqua vivendi norma, Henrico igitur auctor ſuaſorq́ fuit areâ ampliſſimâ occupatâ & regularibus officinis, quas vocant, exſtructis, clauſtrum ſimul principi Baſilicæ circumdaret, réſque Cleri & fortunas juberet, ut antiquitùs ſolet, in commune* con-

Spicil. Dach t. 2. f. 214.

Annal. trevir. L. 9. n. 122.

conferre, res inuſitata viſa, & in arduo. Sed blandis miſcendo ſevera, Wolffgangus effecit tandem, ut eadem impoſterum menſa, & ſub eodem tecto trevericus Clerus agens, vitam à turba ſegregatam, & legibus Diſciplinæ ſeverioris aſtrictam arriperet. Electus verò Henricus eſt an. 956. obiitque anno 964. cùmque ſanctus Wolffgangus mortuô Henricô in ſolitudinem diſceſſerit, hinc aſſignari propriè annus hujus reſtitutæ diſciplinæ non poteſt: at Chronicon Hirſaugienſe relaxationem Canonicorum Trevirenſium alligat anno 977. de qua iterum Brovverus audiendus: *nunc cauſas, ait, obſervo Treviris eodem tempore abjecto ſanctiore, quod B. Volffgangus dederat, inſtituto, flexiſſe retrò oculos, quæque copulata bene fuerant, rurſum diviſiſſe, pertæſos utique vita communis ac beatioris. Rem eam Trithemius ſeverè æſtimavit, partésque facere dicerem, ni ei provinciales libri geſtorum adſtipularentur: ſub Theodorico, inquit, Canonici majoris Eccleſiæ, abjectâ regulari vita, quam hucuſq; majores eorum continuaverunt, deſierunt eſſe regulares & facti ſunt nomine & converſatione ſæculares. Quorum exemplô malô, Canonici quóque S. Paulini Trevirenſes, ſancti Caſtoris in confluentia, Monguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes, & complurium aliarum Eccleſiarum, diverſis quidem temporibus ſed uno impietatis Spiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt.* Hæc ex Trithemio Brovverus. Treviris tamen primarium Clerum rediiſſe ad communem vitam Ludolphi Archiepiſcopi tempore, id eſt anno circiter 994. acta ejusdem docere, idem demonſtrat Brovverus citatus.

Ex his autem colligi datur, quot hoc ſæculo Eccleſiæ primariæ regulari vita in ſuis Canonicis effulſerint, cùm enarratæ à Trithemio omnes Trevirenſium impetum dicantur ſecuti. Et profectò miſerandam Clericalis inſtituti fortunam ſæculum decimum evaneſcens reliquit, ita, ut ſubſequens paucas reliquias de priſtina communis vitæ converſatione reperiret. Nos tamen ad iſtud progredientes ea, quæ tunc ſuperfuerant multis adhuc in locis fragmenta ſiç colligamus, ut mirâ Dei providentiâ factum admiremur, diſciplinam votivo - Clericalem primævam in novam & tandem omnium firmiſſimam reſtaurationem centuplicato fænore fuiſſe revocatam.

7. *Sæculô undecimô generalis Cleri reformatio, qualis à tempore S. Auguſtini vix audita.*

Sæculô itaque undecimo Ordo Canonicus cùm ſe primis aliquantum annis in aliquibus præſertim Germaniæ locis jam penè putaret conſumptum, Paulò poſt, ut Lucifer Ortus, ita quidem, ut, cùm ipſius ſæculi hujus accremento accreſceret, ac ſucceſſu temporis egregiè firmaretur. Et quod mireris hoc tempore, illud fuit; cùm paſſim, quos aliàs religio pro ſtabilimento ſui tanquam columnas reſpicere ſolet, *ſeniores*, utpote in diſciplina jam exercitatos, quibus velut tenelli, faciléque nutantes ramuſculi innitantur juniores atque tyrones, hoc tempore non rarò factum eſſe, ut quaſi exciſo inutili carioſoque ſtipite, novæ virtutum plantulæ eò inſererentur feliciùs, quo certiùs præviderentur longè ſanctiori omine in ævum duraturæ: ſic ſuppeditant argumentum hujus rei documenta Paderbornenſia de B. Meinvverco Epiſcopo, hic cùm *in Halberſtadenſi Eccleſia ſub præpoſito Canonicæ legis* viveret, ut narrat ejus vitæ ſcriptor, quamvis alioquin inibi non uſque adeo tunc diſciplina floreret, *ipſe*, tamen, *omnibus Charus & amabilis, aſpectu & colloquio affabilis, actu & eloquio incomprehenſibilis* erat. Poſtquam autem idem Meinvvercus Paderbornenſem adeptus eſt infulam optimæ ſui Cleri reformationi ſtudere conatus eſt, nam ſub ipſo *ſtudiorum multiplicia floruerunt exercitia, & bonæ indolis juvenes & pueri ſtrenuè inſtituebantur normâ regulari.* Emine-

Apud leibnitium t. 1. p. 519. & ſeq.

Digitized by Google

Eminebat inter hos ipſius Meinvverci ſororius Nepos Imadus nomine. *Hic*, uti ibidem legitur, *tempore ſuæ pueritiæ tanto diſciplinæ clauſtralis rigore ibidem* (ſcilicet, ut antea dixerat, in Paderbrunnenſi Eccleſia) *eſt nutritus, ut nunquam patrem ſuum videre extra Conventum ſpecialiter, vel ei colloqui fuerit permiſſus, dicente Epiſcopo, pueros & adoleſcentes cum diſtrictione debere erudiri, & non nocivis blandimentis deliniri---- adoleſcebant quoq; ſecum in Tyrones militiæ cæleſtis Anno Archiepiſcopus Colonienſis, Frithericus Monaſterienſis, & perplures alij ſtrenui poſtmodum in Vinea Domini operarii.*

N. 51. loco cit. habetur & in actis SS. Tom. 1. Jun. Cap. 11. n. 78.

Vigebat tum temporis in Paderbrunnenſi Eccleſia regula Aquisgranenſis, & paſſim ab illius Canonicis ſecundùm *infirmorum* normam ſua quiſque poſſidebat, at paulò poſt Meinvvercus ſagaci induſtria fecit, ut exſtructam in pulcherrimam formam Eccleſiam plures Canonici ſuis hæreditalibus dotarent, & hi viciſſim tanquam genuini ejuſdem filii ab ipſa in communi ſuſtentarentur. Atque ut firmiorem adhuc Canonicæ diſciplinæ inſtitutionem ex radice novæ plantationis ſtatueret, Eccleſiam monaſteriumque recens ex fundamento conſtruxit, in quo *Canonicos Deo ſervientes congregavit, quibus victum & veſtitum de bonis propriis miniſtravit.*

Ibid. n. 122.

Unvvanus quàm ſedulè ad regularem vitam ſuos reduxerit Canonicos, in Bremenſi Eccleſia inferiùs in ejuſdem deſcriptione referemus.

Trajectenſis Eccleſia hoc adhuc tempore ſub Wolbodone Præpoſito (*qui ibidem ſub religioſis admodum patribus in Eccleſiaſticis clauſtralis vitæ adoleverat diſciplinis*) adeo *regulari obſervantia eminuit, ut nullus alicui evagandi, aut à ſanctæ religionis tramite exorbitandi locus eſſet.* Ut referunt acta ejus.

acta SS. Tom. 2. apr.

Hildesheimenſis Eccleſia ſub Godehardo ſuo Epiſcopo jam inventa eſt non levi clauſtrali florere diſciplina, nam teſte Volfherro ejus vitæ ſcriptore: *cùm ipſe cænobii Cathedralis religionem eatenus rationabiliter, Deo gratias, conſervatam agnovit, omni eam devotionis ſtudio ampliare ſategit dein* Cap. 5. ejuſdem vitæ n. 40. rurſus in teſtimonium hujus inquit: quod *Canonicos fratres ad ſacræ religionis obſervantiam apoſtolicè arguendo & obſecrando multipliciter informando conduxit, nonnullos in omni Canonicæ regulæ obſervatione jure laudabiles impenſiùs dilexit.* Rexit Godehardus Epiſcopatum Hildesheimenſem uſque ad an. 1038. quô obiit teſte Chronographo Hildesheimenſi. Non igitur ambigendum uſque dum nulli alterius Eccleſiæ bene ordinatæ ipſam Hildesheimenſem in ſuorum Canonicorum regulari obſervantiâ ceſſiſſe ſub tanto Rectore.

acta SS. 2. Maij.

Verùm cùm hinc ſæculi undecimi medium jam penè curſum teneamus, aliquantò Clariùs Ordinis Canonici illuceſcunt ſpecioſa lumina, dum quaſi ſol diutinè alternis obfuſcantium nebularum vicibus obvelatus his temporibus (ſi unquam poſt primam ab Auguſtino factam reformationem) plenô jubare incæpit fulgeſcere. Refert enim Charta anno 1039. â Benedicto Avenionenſi Epiſcopo tradita: quod quidam Eccleſiæ ſuæ *Clerici divino amore tacti, ſcilicet Arnaudus, Odilo, Pontius, & Durandus ab ipſo poſtularunt, ut religiosè vivere poſſent in Eccleſia S. Rufi, jam diu deſerta & inhabitabili*, conceſſit eandem piiſſimis viris liberrimè Epiſcopus, unacum decimis, oblationibus, aliiſque bonis eidem Eccleſiæ annexis. Qui hi Clerici fuerint, diverſa diverſorum eſt opinio, Pennotus noſter ait ſe ex antiquis tabulariis ab Abbate Congregationis ſan-Rufinæ Reverndiſſimo Domino Guilielmo Emanuele de la fey accepiſſe, cùm circa annum ſalutis 1000. Cathedrales S. Mariæ

apud Fantonium Caſtruccium Carmelitam L. 3. hiſtor. Avenion Cap. 9.

hiſt. trip. L. 2. C. 56. n. 1. & 2.

Avenionenſes Canonici diſciplinæ Canonicæ pertæſi, vitæ Communis vinculum ſolvere & abiicere cæpiſſent, ex his ipſis quatuor prænominatos à Capitulo ſibi hanc obtinuiſſe Eccleſiam, ut juxta eam extructô monaſteriô ſe *in unum propoſitum colligentes ſuos mores ad exempla vitæ primævæ Apoſtolorum reformarent.* Nec defuit eis ad felicem propaginem divina bonitas, abundanter adeo providens, ut non diu inde hi quatuor viri complures obtinerent ſui inſtituti conſortes: ex quo, ſucceſſu temporis, tam nobilis exorta eſt congregatio, ut digna haberetur etiam eruditiſſimorum virorum præconio celebrari: & ne iſthic eorum meminerimus, quæ ſummi Pontifices aliique in laudem ejuſdem ſcripſêre, illud annotaſſe ſufficiet, quod in actis ſanctorum conſcriptum legimus in vita S. Oldegarii ad 6. Martii: ubi vir Clariſſimus hujus vitæ editor de monaſterio S. Rufi diſſerens ait: *illud in primi Ordinis Canonici refloreſcentis principiis ſæculo undecimo, ex initio hactenùs obſcuro in maximam ſubitò evaſit claritatem, ut palmites à mari uſque ad mare extendens, plurima non ſolùm per Galliam, ſed per Hiſpaniam quoq; Italiamq; ex eo monaſteria ſint procreata.* Atque hanc S. Rufi Congregationem hoc tempore ſuam ſumpſiſſe originem, nemo eſt, qui negaverit. Et quamquàm necdum comperimus, an Pennoti ſubſiſtat aſſertio ex Renato Choppino & Provinciali Romano (quorum tamen genuinum textum utrinque referre omittit) ſtabilita, Canonicos Avenionenſes Cathedrales hoc tempore regulares exſtitiſſe, idque uſque ad ſæculum 15tum, Epiſcopatum tenente Juliano de Ruvere poſtea Julio 2do: præterea difficulter exinde conveniant, quæ idem ſuperiùs citatô locô edixit, ſcilicet tunc, cùm quatuor aſſerti Clerici Eccleſiam S. Rufi obtinere quærerent, illos Cathedrales Canonicæ diſciplinæ jugum & vitæ communis vinculum abiicere cæpiſſe: quin potiùs fortaſſe aſſerendum foret, eoſdem Canonicos juxta Aquiſgranenſem libertatem vixiſſe, aliis mediocritatem, fortaſſe aliis omnimodam proprietatem ſervantibus: certum interea eſt, illos ipſos Avenionenſes Canonicos tempore Urbani ſecundi, qui clavum Eccleſiæ univerſalis ab anno 1088. ad 1099. tenuit, circa medium ſui regiminis, vitam regularem ſecundùm ultimam hôc ſæculô reformationem fuiſſe amplexos, ut teſtantur Sammarthani, dum ajunt: *Eccleſia primaria* (Avenionenſis) *Canonicis regularibus commiſſa eſt ab Urbano 2do, inter quos ipſe Alphonſus Arragoniæ Rex, Provinciæ Comes voluit cooptari, id teſtantur tabulæ publicæ ejuſdem Eccleſiæ. Regulam illam uſq; ad Sixti quarti Pontificis tempora 1485. Capitulum illibatè ſervavit.* Hæc illi. Hinc pariter quàmvis apertis documentis evinci non poſſit, præfatos quatuor Clericos fuiſſe gremii Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, ſunt tamen quædam, ut id perſuadeant. Primò: quòd certum ſit, Cathedrales tum temporis fuiſſe relaxatos; utpote, ab Urbano, ut diximus, eodem hoc ſæculo reformatos. Ideò omninò contingere potuit, ut quidam ex iis ſpiritu Diſciplinæ allecti, cùm Cathedralem reformare in eorum viribus non eſſet, ſaltem ipſi in ſeparata Eccleſia pro ſe id efficerent. Secundò: Cartha Benedicti Epiſcopi expreſsè dicit illos ſuæ Eccleſiæ Clericos, hæc ejus ſunt verba: *Benedictus gratia Dei Avenionenſis ſedis Epiſcopus: Ex noſtrâ Eccleſiâ Clerici divino amore tacti ſcilicet Arnoldus, Odilo, Pontius, & Durandus humiliter flagitarunt, quatenus loca ſanctorum Juſti & Rufi, ut religioſè illic viverent, concederemus &c.* Et licèt, cùm eos Clericos nominet, æſtimari poſſent, qualitercunque Eccleſiæ Epiſcopalis matricularii, ſed non è gre-

Henshen. in notis vitæ S. Ollegarii ad Cap. 2.

L.1.c.33. n. 6.

Gall. Chr. Tom. 1. p. 74. nunc in nova Edit. t. 1. Col. 79.

NB. in nova Editione prætermittitur *illibatè*

è gremio Canonicorum, interea tamen multum quoque ea verba roboris addunt: *Ex noſtra, Eccleſia*, fuiſſe in re Canonicos Cathedrales, tertiò: vix credi poteſt, licèt ſuæ Diæceſis Clerici fuerint, ſi non de gremio Cathedrali, tam facili negotio capitulum illis hanc Eccleſiam cum omnibus juribus ceſſurum, quod tamen confratribus faciliùs admittitur, utpote cùm præbendis conſuetis ſibique debitis renuntiarent, ut aliis ab eadem Cathedrali remediis providerentur.

8. *Regularis Clericorum reformatio, Auguſtinianam regulam ſervandam propoſuit, tanquam vitæ votivò-Clericalis normam, non tanquam novi inſtituti conſtitutivum.*

Unde ex his concludimus, haud difficulter colligi, qua occaſione factum ſit, ut ſenſim ſtrictior ſemper, firmiorque in inſtitutum Canonicum norma induceretur vivendi: ſic, ſcilicet, ut, cùm in aliqua Canonicorum communitate inter remiſſos & indiſciplinatos viri viverent â religioſa converſatione ac inſtituti ſui debito minimè devii atque peregrini, cùm cernerent, ſe torrenti relaxatorum perſuadere diſciplinam non poſſe, mallent ipſi conſcientiæ & obligationi ſuæ ſatisfacturi, ſeorſim ſibi de communi vita providere, quàm in communi tali ſocietate vivere, & nihil communis atque religioſæ obſervantiæ participare. Sic, inquam, factum eſt, ut plurima extra Cathedrales Eccleſias monaſteria initiarentur Clericorum (non ſolùm iſtô, verùm & prioribus ſæculis) in quibus ſanctè pieque Magni Auguſtini reformationi conformiter viveretur: certè hujus Auguſtinianæ reformationis ſuavitas atque dulcedo, adeò hoc tempore plurima attraxit Clericorum corda, & affectus, ut nunc jam apertiùs conſtituerent, quod olim hinc inde non pauci ſuppreſsô adhuc Auguſtini nomine identidem fecerant, ejuſdem ſcilicet præcipuè ſermonibus duobus de vita Clericorum abundè edocti; prout patet ex regula Aquisgranenſi, quæ manifeſtè convincit, hos ſermones tam ſolitos, atque notos Clericis jam olim fuiſſe, atque inter eorum Canones ſeu regulas computatos, quàm quoscunque alios ſeu Iſidori, ſeu Pomerii, ſeu Gregorii &c. atque ſic demum accidit, ut ſe iſti non ſolùm Canonicos, atque regulares verùm & S. Auguſtini dicerent, id eſt Canonicos reformationis Auguſtinianæ legitimos ſucceſſores & æmulatores: inde denique factum eſt, ut paſſim hoc ſæculo, cùm monaſteria communitatesque Clericorum inſtituerentur in fundationum, donationum ac confirmationum Chartas, ac etiam in ipſas de Clericorum communitate formatas hiſtorias nomen Auguſtini influeret. Quemadmodum Henricus ſecundus Angliæ Rex, ùt refert monaſterium Anglicanum, ad ſæculi futuri initium Cænobium Walthamenſe, â primævo inſtituto remiſſum, Canonicis regulariter viventibus extradidit reformandum, in Litteris autem ſuis inquit: *ſe illud cedere Canonicis regularibus glorioſam ſervantibus vivendi regulam â ſanctis Apoſtolis traditam, & poſtea â Magno & Beato Auguſtino adornatam.* t. 2. p. 13.

Anna Regina Galliæ anno 1061. fundavit Canonicam Sylvanectenſem S. Vincentii, in ea conſtituit, ùt legitur apud Sammarthanos, *quatenus ibi: quieti & tranquilli religioſi viri, Domino ſervientes, mundo renuntiantes, regularem id eſt Sanctorum Apoſtolorum & B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, vitam Canonicè amplectentes vivere valeant.* t. 4. Gall. Chriſt. p. 950.

Similiter Stephanus Piperacenſis Canonicus ante quingentos annos Scriptor in B. Petri Piperacenſis vita narrat: quòd, cùm hic eſſet Langeacenſis Archipresbyter, *ſuo relicto Archipresbyteriô, Præſulis Durani functus conſilio, aſſumptô habitu Canonicô, oneréque mundi depoſito Deo militaturus perpetuò, ſuſfultus fratrum gemino ſolatio, Vigiliarum natali Dominico Piperacum venit ſolenni gaudio anno Domini milleſimo ſupra ſexageſimum ſecundo.* habetur. t. 2. Spicil. Dach. f. 155.

Pro-

Digitized by Google

Præfatus verò Præſul Duranus, vir ſanctiſſimus, audiens à vicinis Primatibus, Petro & ſociis ejus gratis Eccleſias dari, easdem & plures alias eis communi Claremontenſium Canonicorum Capitulo liberaliſſimè conceſſit. Deus autem ſuorum fidelium meſſem augmentare volens, numerum ſupradictum viſitans, in unum plures adunavit ei regularium, qui ſequantur victum Apoſtolicum, ſecundùm edictum Auguſtinicum, nihil habentes in hoc mundo proprium.

Itáque, cùm alioquin hactenus Canonici obſervantiores ab aliquot ſæculis dicerentur vivere ſecundum SS. Patrum inſtituta *ſimpliciter*, ſubinde, maximè hôc ſæculô Auguſtini præ reliquis Sanctiſſimam vitam ſibi in normam præfixêre vivendi, ejuſque Nomen ſuo iuſtituto arctiùs imprimere ſatagerunt: patétque ex allegatis & plurimis aliis teſtimoniis (quæ facilè adhuc adduci poſſent, niſi brevitati ſtuderemus) nil novi hos auſpicatos eſſe, ſed quod antiquiſſimum fuerat, in Clericis Auguſtini tempore, renovaſſe, *quos certiſſimum eſt* (ut inquit vir clariſſimus Thomaſſinus) *& communem vitam profeſſos eſſe, & terrenorum omnium abdicationem.* Unde qui etiam regulam Aquisgranenſem ſibi præſtitutam habebant, ſi expropriationi ſe obligabant, Auguſtiniani meritò dici ac nuncupari poterant, eò quòd ejuſdem expropriationis inſtitutum præ cunctis reliquis Patribus nemo Clariùs ac imitabiliùs proponeret, quàm ipſe tum ſuis in ſermonibus de vita Clericorum per totum, capite 112. & 113. deductis, tum in regula minori id eſt illa, quam nunc univerſus Ordo Canonicus jam ab aliquot ſæculis ideò profitetur. Dicebantur ergò regulares, dicebantur S, Auguſtini regulam ſequentes, quamvis hæc, quam nunc tenemus, regula necdum inter illos vigeret: demum accreſcente in dies Auguſtini inter Canonicos gloria jam ipſo anno 1066. cujuſdam Ordinis nomine inſigniebantur. Nam ut legitur apud Miræum S. Lietbertus Epiſcopus Cameracenſis, cùm cerneret in monaſterio S, Autberti Confeſſoris à Canonicis ibidem deſervientibus injunctam ſervitutem negligi, locumque vileſcere, & indies â prioris honorificentiæ ſtatu declinare. *Hoc*, inquit, *ego conſiderans, condolui, capiq; animo volvere, qualiter meliùs ad Divinum cultum poſſem relevare, tandem Zelo Dei animatus, & fidelium noſtrorum conſilio roboratus, regulares Canonicos, de communi viventes, & ejuſdem* Profeſſionis *&* Ordinis *Abbatem eo in loco conſtitui. Reſtauratis & alibi reſtitutis præbendis Canonicorum illorum, qui proprium retinentes illic communiter vivere noluerunt.*

Diſcip. Eccl. P. 1. L. 3. C. 11. n. 3.

Mir. Dipl. Belg. L. 1. C. 36.

Sic ergo ſenſim ſe ſeparavêre Canonici renuntiantes ſeu votivi ab aliis, & aliô quodammodo nomine, eò magis diſcernere ſe voluerant, quò manifeſtiùs diſtinctam iſti ab illis obſervantiam tenuêre. Nuncupabantur hi, communis vitæ æmulatores, regulares Canonici, dicebantur vivere aut ſecundùm inſtituta Patrum, aut ſecundùm normam alicujus ſancti in particulari, velut Hugo Nivernenſis Epiſcopus anno 1063. *Monaſterium S. Stephani videns adeò ſpirituali annihilatum obſequiò & terreno privatum beneficio, ut non ſit, qui ſibi ſerviat &c. cum Willelmo Comite fratribusq; ſuis Hugone & Leone, in unum omnium* (inquit) *convenit ſententia: Canonicum Ordinem in hac Eccleſia eſſe, ſemperq; fore decrèvimus, noſtris verò fratribus, quos hic in Dei nomine & Canonico Ordine congregamus, Beati Sylveſtri Papæ Romani regulam tenentibus hanc pauperrimam Eccleſiam ab omni ſervitutis nodo ſolutam pro Dei amore concedimus &c.* Alii nominare maluerunt Gregorium, Euſebium &c. ſed demum ut mox diximus ſucceſſu temporis præ

Spicil. Dach. t. 2. p. 404.

Ocu-

Digitized by Google

cunctis ſplendidiſſimum Eccleſiæ ſidus prævaluit Auguſtinus.

Verùm prout ex iſtis diſcimus, non poterant hi Canonici qualitercunque ſe ad normam Apoſtolicam (ope & ſubſidio SS. Patrum, cujuscunque demum in ſingulari, ſeu omnium ſimul eam identidem reformantium) inſtituentes, atque recolligentes dici novum ordinem fundaſſe, aut ſpecie diſcriminari ab antiquiſſimis expropriatis, & votivis Clericis: utpote, præterquam, quòd manifeſtè oſtenderimus tales votivos per omnia ſucceſſiva tempora Eccleſiam decoráſſe, inſuper patet, iſtos in nullo diſcreviſſe ab illis, niſi quòd ſatagerent, poſtquam primus ille Apoſtolorum fervor in ſuccedentibus aliquantùm, ſæpiúsque deferbuit, crebriùs firmiores radices ponere ſanctæ converſationis ad Clericale inſtitutum apprimè requiſitæ: ſed an hoc ſit novum ordinem inſtituere? cuique erudito committimus: alioquin Canonici Windeſemenſes, Lateranenſes, Sant-Rufenſes &c. aliíque ſub nulla ſtrictè loquendô Congregatione viventes, item apud S. Benedicti Monachos, Cluniacenſes, Sanct-Vitonani, Sanct-Maurenſes, Caſſinenſes &c. pariter quique eorum diſtinctum ordinem conflabunt: quod qui admittet, ipſe viderit, quomodo non in omnibus religionibus Canonicorum ac monachorum tot propè diſcernet ordines religioſorum, quot repererit locô diſtincta monaſteria & unum eorum præ altero diſtrictiùs regulari diſciplinæ obligari. Major igitur, minorve obſervantia illo cumprimis tempore, quo necdum religionum tam diverſæ ſubdiviſiones ſolitæ erant (quales exempli causâ nunc in S. Franciſci alumnis conſpicimus) nihil faciebat ad conſtituendum diſtinctum novúmque ordinem, maximè verò clericalem: quid enim de monachico dicendum, non eſt noſtrum decidere; porrò certum interea manet, longè aliis eundem mediis, conſuetudinéque fulciri, quàm Canonicum, cui nihil de ſubſtantia ſpecifica fuit, & eſt ammodò proprium, quàm vita mixta cum votorum obligatione, prout inferiùs latiùs diſcurremus.

Quamvis itaque ex omnibus hac prima parte exaratis apparere abundè debeat, exſtitiſſe à tempore Apoſtolorum uſque ad ſæculum undecimum quàmplurima cum Clericis notivis atque in communi viventibus monaſteria; inſtitutum quoque iſtud non puram ideam in ſua origine fuiſſe, ſed jam tum ſuam habuiſſe ſingularitatem: Cùm tamen adhuc quæſtio non exilis moveri poſſit, an clerici hi votivi diſtinctum aliquem, & ùt nunc loqui ſolemus particularem, individuúmque religioſum ordinem conſtituerint, quodve indicium hujus aſſignari poſſit, notáque diſcriminis; hinc novæ nobis inſtruendæ partis ſe prodit occaſio: nam aliam hanc eſſe quæſtionem ab illa, quam capite ſecundo agitavimus, perſpicuum eſt; licèt enim concedatur in Apoſtolis reliquíſque primævis Clericis exſtitiſſe ſingulare votivo-Clericale inſtitutum, poterat tamen illud in ratione *Clericatûs* ipſius tam latè patere, ut omnium Saltem idea eſſet ac complementum ſubſequè inſtitutorum Clericalium ordinum, ita quidem, ut ſi aliqui eorum ordine Canonicorum regularium eſſent tempore poſteriores, tamen jure primæ hujus originis eſſent cum eodem omninò æquales: hoc verò ſi admitteretur à nobis, ingentem quandam confuſionem ad perturbationem ipſorum ordinum Clericalium ſimul concedere oporteret, eò quòd juxta nos eſſent ſimul inter ſe diſtincti, ſimúlque iidem ejuſdemque infimæ ſpeciei. Ut autem hac quoque in parte ſecunda ordine procedamus, eandem in ſua Capita, ut mox docebimus, dividemus. 9 *Concluſio primæ partis & ſecundæ adornandæ ratio adducitur.*

PARS SECUNDA

De Diſcrepantia ac ſpecifica ſubſiſtentia Inſtituti Votivo - Clericalis.

ORdinabimus partem iſtam diſpertiemúrque in ea quæſtionum Capita, quibus præcipuè demonſtremus, inſtitutum Clericale votivum (antequam magnam illam ſæculo undecimo paſſim inductam per regulam S. Auguſtini reformationem ſuſcepit) verum, ac particularem, & ùt nunc mos fert dicendi, religioſum ordinem exſtitiſſe, quod ut fiat, ante omnia illud ab inſtituto ſtrictè monaſtico vindicabimus, exinde ad rei Cardinem proceſſuri inveſtigatis notis, atque indiciis ſinceris diſcrepantiæ unius inſtituti ab altero, conſtitutivis etiam ſingularitatis intentæ, monitos autem lectores cupimus, ſolùm nos hâc parte concluſuros, quæ Clericos, Canonicóſque votivos ante ſuſceptam ſæculô undecimô S. Auguſtini regulam reſpiciunt. Hanc enim Æconomiam aſſumere in præſenti Exegeſi decrevimus, ut quæcunque in priorum decem ſæculorum Clericis obvenire poſſent difficultatem moventia, ne inter genuinos votivos locarentur, priùs expediremus, atque demum tertia parte, ea agitaremus, quæ de Canonicis regularibus noſtratibus poſſunt in diſceptationem vocari.

CAPUT I.

An, & quæ ſit diverſitas inter inſtitutum votivo-Clericale, & monaſticum.

EX D. Thoma ſuperiùs relato docemur, omnes religioſos ſtatus in ſubſtantia convenire: nos quoque patenter oſtendimus in quæſtione, capite ſecundo prioris partis, propoſita, an vita Apoſtolica generica idea fuerit ſtatûs religioſi, an ſpecies ſingularis? quænam alioquin ſtatum aliquem religioſum in ſua ſingularitate conſtituant? nec minùs attigimus, inſtitutum votivo-Clericale quàm ſignatè ab inſtituto monaſtico per finem ſuum particularem ſemper ſe ipſum diſcreverit. At, cùm omnia illa eò ſolùm contenderint, ut probaretur Apoſtolorum tempore ſtatum, quem ipſi profitebantur, fuiſſe in ſe verè jam ad particulare ſeu ſingulare inſtitutum religioſum contractum, atque ſic continuâ ſerie propagatum, ut nunquam tali fuerit qualitate veſtitus, qui eundem aut alium à ſe ipſo fecerit, aut ita exſtinctum, ut novus emerſerit; adeoque continua analogica ſui perduratione proceſſerit uſque ad ſæculum incluſivè undecimum: 1.

1. præcipuum in hac parte quæſitum eſt de notis diſcretivis inſtituti votivò Clericalis ab omni alio.

Nunc aliam eamque magis ad rem noſtram præfinitam quæſtionem diſcutimus, totâ hac parte agitandam, de Notis ſeu ſignis inſtitutum votivo-Clericale ab omni alio ſtatu religioſo diſcrepantibus. Cùm enim, ut locô citatô monſtravimus, ſingularitatem alicujus inſtituti religioſi facientia eſſe principaliter duo poſſint, partim ſcilicet quæ ex fine ſpeciali, quem quiſque ſtatus religioſus ſibi propoſitum habet, partim verò quæ ex mediis, à quovis ordine ſecundùm finis ſui ſpecialis exigentiam requiſitis, ut eidem Simul, votiſque ſubſtantialibus adimplendis accomodatiùs vivat, reſultant, his inſu-

Digitized by Google

inſuper tria adhuc jungere valemus, nempè: *diverſas conſtitutiones ac regulas;* ſecundò ipſum quóque *fundatorem*, non quaſi hic conſtitutiva ingrediatur ipſius ſingularitatis ſtrictè ſumptæ (ſcio enim, unum, eundémque Sanctum fundatorem potuiſſe plures â ſe invicem longè diſtinctas inſtituere religiones) verùm ſolùm denominativè, ita ut præcipuum diſcrimen unius ordinis religioſi ab altero ſoleat occurrere à nomine Fundatoris, quin quandoque & loci, unde hodiedum nuncupationem ſuam Carthuſiani, Ciſtercienſes, Camaldulenſes &c. ſortiuntur. *Denominativè*, inquam ne quis me putet in nomine aut loco fundare diverſitatem inſtituti, quod inane ac vanum eſſet commentum. Denique tertiò *Religioſas veſtes, habitúmque*, ut plurimùm diverſum unius ordinis ab altero: *talis enim quis ex habitu, quem geſtat, præſumitur, qualis is eſſe, cujus habitum fert, comprobatur* C. ſi judex de ſent. Excommun. in 6. quod non poſſet fieri, niſi & in ipſis religionibus, habitus unam notaret diſtinctam ab altera, hinc de his omnibus in præſenti parte articulatiùs erit agendum; ut inde eluceſcat magìs ac magìs plana ſingularitas atque diſcrepentia per omnia priora undecim ſæcula inſtituti votivo - Clericalis, ab omni alio, ſimúlque dein appareat ſola analogica identitas cum inſtituto hodiedum per Dei gratiam immodicè florente Canonicorum Regularium. Igitur ut à Capite arceſſamus negotium, quandoquidem totâ priori parte Clericatum votivum, adeoque verè regularem (ùt nunc dicimus) atque religioſum à primordio prædicati Evangelii exſtitiſſe jam probaverimus, argumentis, ùt confidimus, non tam facili (velut quibusdam hactenùs placuit) exploſione elidendis: nunc cumprimis videndum, an hæc votiva Clericorum inſtitutio aſſerta, atque probata, non reipſa cum monachiſmo coaleſcat, ita quidem ut quidquid regularitatis clericatui dedimus, id monachismo debeamus, & dum Clericos demonſtrare conati ſumus fuiſſe votis adſtrictos, an non per hos ipſos ſint intelligendi monachi, dudum Clericalibus muniis aſſueti, imo paſſim Clericorum nomine deſignatis. Prout hoc modo cuidam viro erudito viſum eſt definire. Hanc quæſtionem dum expediemus præſenti Capite, reliquas in ſubſequentibus reſolvemus.

Mab. Annal. L. 6. n. 72. L. 12. n. 19. & 26. L. 35. n. 85. & paſſim aliàs.

2\. Non diu poſt receptam à plerisque eruditis epocham inſtituti monachismi, prout is cum vita Cænobitica coaluit, quæ in exordium circiter ſæculi quarti incurrit. Siricius Papa Epiſtolam edidit an. 355. ad Himerium ſequentis tenoris: *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, & vita ac fidei inſtitutio Sancta commendat Clericorum officiis aggregari & optamus, & volumus.* Inde non multùm volutatum eſt animô, quin undique é cavernis (ut ita dicam) terræ, & abſtruſis angulis occultati monachi, aſcetæ, anachoritæ, & eremitæ, in quibus pietas cum doctrina viguerat, ad Clericalia munera raperentur frequentiſſimè inviti. At nemo dixerit (cui veteres hiſtoriæ innoteſcunt) monachiſmum inde fuiſſe cum clericatu confuſum, quin tantum profectò ſemper diſcrimen obſervatum eſt utriusque, ut, qui ex monachis aſſumeretur ad Clerum, jam ultrò monachus eſſe non poſſet. Hinc illa Hieronymi ad Paulinum obteſtatio: *Si*, inquit, *ſic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo, ſi autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod Sæculum dereliqui, ego habeo, quod ſemper habui.* Intelligit verò per ſæculum, non temporalium rerum poſſeſſionem, quaſi hoc ipſo, ſi Clericus fieret, paupertati votivæ renuntiare cogeretur, cùm eadem non minùs à Clericis plu-

Monachorum à Clericis diſtinguendorum ratio diſquiritur.

C. monachos 29. q. 1.

Vide etiam Deſnos L. 3. de can. reg. C. 16. §. ſed ad intentum.

plurimis æquè ac à monachis votivè ſervaretur, ut ſuperiori parte jam declaravimus: verùm per ſæculum, negotia illa, miniſteriàque Eccleſiaſtica notare voluit Vir Sanctus, quibus, cùm ſe penitùs expediviſſet, noluit novô vinculô illigari. Hæc ita eſſe docemur ex ejus vitâ, à Mariano Victorio Reatino conſcripta, ubi de hac ordinatione Hieronymi ſic ſcribit: *etſi ſæpè quidem loca, vel diſcendi cauſa, vel, ut magis litteris, & orationi in quiete & ſilentio vacaret, mutavit, ipſum tamen monachi animum nunquam mutavit: Verum hoc fuiſſe, experimentô Paulinus, qui eum Presbyterum Antiochiæ ordinavit, didicit, & longè poſtea Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, qui eum ad animarum curam, & publicè Sacramenta miniſtrandi munus vocavit: nam primus illum* (id eſt Paulinus, ad quem præfata Hieronymi verba) *ordinare non potuit, niſi in monachi profeſſione ſe eum relicturum priùs polliceretur. Alter verò nullô modô, ut publicè ſacrificaret & animarum curæ intenderet, obtinere potuit, ſe enim non ad hujusmodi munus* (ſcilicet quod ipſe per ſæculum derelictum, intelligebat) *ſed ut in agris & ſolitudinibus vitam traduceret, ibique adoleſcentiæ peccata defleret, vocatum potiùs eſſe aſſerebat.* Producit dein Marianus in hujus ſui dicti teſtimonium, eum ipſum textum, quem ſupra poſuimus. Præter hunc Hieronymi locum exſtant teſtimonia luculenta eruditis notiſſima, quibus conclamatum eſt concordi voce: *Monachum non docentis, ſed plangentis habere officium, & aliam eſſe cauſam monachorum, aliam Clericorum, Clericos oves paſcere, monachos paſci.* Ut idem ſcribit Hieronymus, præterea, *Neminem poſſe & Eccleſiaſticis obſequiis, & in monachica regula ordinatè perſiſtere, ut ipſe diſtrictionem monaſterii teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur manere; & cùm unum ex his pro ſui magnitudine, diligenter quis non poſſit explere, ad utrumque judicari idoneum, incongruum eſſe. Denique invicem & Eccleſiaſticum ordinem vitâ monaſticâ, & regulam monachatûs Eccleſiaſticis utilitatibus impediri.* Ut loquitur M. Gregorius. Sicut enim ex conſtituto Clericatui proprium ſemper erat publicis Eccleſiæ miniſteriis deſervire, & aſſiduum penè animarum negotium tractare cum ſubjecto populo, ita proprium erat monachiſmo, ſeparatum eſſe ab omni illa cura, quæ extra clauſtrum vocabat, nihil agere, nihil operari, niſi quod propriæ ſaluti expediret, & intra ſolitudinis penetralia animum recollectum teneret Hinc cùm nec ſummus Pontifex, nec alii Eccleſiæ Principes immutatum monaſticum vellent inſtitutum, ſed ſuo potiùs cuperent in vigore ſervatum, reſolutum eſt, ut virtute ſcientiáque pollentes monachi è monaſteriis quaſi quibusdam ſeminariis educerentur, & ſic cooptarentur in Clerum, ut quidquid de monachiſmo Clericatui quodammodo reluctaretur, deponerent, adeòque monachi reverâ eſſe deſinerent: quemadmodum enim ſuperiùs diximus, ab origine religioſæ vitæ inſtitutæ, quoad ſubſtantiam omnes ſucceſſu temporis exortæ religiones omnino conveniebant, & in fine particulari ſolùm diſcriminabantur, hinc de iſto agere oportuit, ut à monachis relinqueretur, cùm Clero aggregabantur: ut ſcilicet, cùm finis particularis monachi eſſet officium plangentis non docentis, hôc relictô aſſumerent finem particularem Clerici, & haberent ex tunc officium docentis: tali obſervantiâ, ut ſub officio plangentis, intelligatur poſitiva excluſio docentis, in quantum iſtud adæquatam involvit Evangelicam doctrinam, hoc eſt docere & paſcere plebem verbô & Sacramentis. Sic verò in Clerum aſſumpti, quamvis fortè adhuc plangentis non rarò officium latiùs intellectum retine-

apud ſur. 30. ſep. to. 4.

Ep. ad Riparium pres.

L. 4. Ep. 1. & L. 3. Ep. 11.

tinerent (id eſt contemplativæ exercitia vitæ) non oberat id Clericatui, imò ſummopere expediebat, utpote aliunde ex vita mixta conflato, verùm, prout officium plangentis conſiderabatur tanquam finis monachiſmi excludentis officium docentis, illud retinere non poterant. Inde quoque cùm habitus monaſticus non minùs eſſet à Clericatu diſcretivus, qui monachi ad Clerum transferebantur, veſtem monachilem cogebantur ſuô modô dimittere: atque illud eſt, quod Zacharias Papa conſulentibus de hac re reſpondit: *Presbyteri Cardinales* (id eſt Rectores, Parochiarum) *qui monachicâ vitâ velle habebant vivendi, plebi quidem ſibi ſubjectæ præclariori veſte induti debitum prædicationis perſolvant, & in ſecreto propoſitum ſervent ſui cordis.* Scilicèt veſtem obligabantur geſtare Clericalem & afforis apparere competenter ùt Clerici, quales tunc omnino erant, at in ſecreto cordis, ſi vellent, poterant eas auſteritates, devotiones &c. ſervare, quæ ùt monachi ſervabant in Clauſtro, quia hæc omnia aliunde non ſunt Diſcretiva Clerici à monacho, ſed id, quod à monacho ſeparari non poteſt, nempè quod *ſolùm* plangentis, non docentis ei ex inſtituto incumbat officium. Ex quo incidenter obſervo, etiam noſtri temporis monachos, quibus ob præſtantis ſuæ converſationis prærogativam, & egregia in Eccleſiam Catholicam merita dudum Clericatûs officium tribuitur: exinde non dimiſiſſe monachatûs requiſitam qualitatem; nam, quod illis conceſſum eſt in ſuorum præmium meritorum: non abſtulit inſtituti diſcretivam qualitatem, ſicut è contrario, ſi Clerico quacunque ex cauſa auferantur prærogativæ adminiſtrandi ſacramenta, & ea agendi, quæ ſunt conſtituentia Clericatum non ceſſabit eſſe Clericus, aliàs, qui aut morbo, aut alia corporis poſt ſuſceptum Clericatum impotentia occupatur, Clericus non eſſet, quod nemo admittet.

apud Baronium.

Verùm qualecunque demum illis temporibûs diſcrimen Clericum ſeparabat à monacho, jam tum tamen quædam videbatur monaſtici inſtituti ratio cum clericatu coaluiſſe, ſic: ut etiam votivis Clericis monachorum devotio ac pietas, tribueretur in laudem, & dum illi perfectioribus internæ vitæ actibus inſiſterent, quaſi per quandam ſynecdochen genericè (ut ex Auguſtino aliàs docuimus) monachorum nomine inſignirentur. Occurrit in hujus aſſerti noſtri teſtimonium egregia illa Euſebii Vercellenſis in ſuis Cathedralibus Clericis inſtitutio, quos Magnus Ambroſius, dum ob perfectionem inductæ à præfato Beato Epiſcopo Euſebio diſciplinæ religioſæ dilaudat, monachorum titulô expreſſè decorat. Hæc Ambroſii verba: *quaſi* inquit, *in aliis Eccleſiis tanta ſuppetit ordinandi ſacerdotis conſideratio* (De eligendo enim novo præſule ſcribit, viduatæ Eccleſiæ Vercellenſis) *quanta cura expetitur in Vercellenſi Eccleſia, ubi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo, monaſterii continentia & diſciplina Eccleſiæ: hæc enim primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius S. Memoriæ conjunxit, ut & in Civitate poſitus inſtituta monachorum teneret, & Eccleſiam regeret Jejunii ſobrietate.*

Tom. 2. nov. Edit. Ep. 63. n. 66.

Sunt, qui dudum ſibi perſuaſum habent, Ambroſium nec potuiſſe, nec voluiſſe de aliis niſi preſſè, & ſtrictè monachis ab Euſebio in ſua Epiſcopali Eccleſia inſtitutis diſcurrere, & ex hinc probari, monachos jam ſæculô quartô ad regimen animarum, neutiquam ſuô ſchemate monaſticô dimiſſô, fuiſſe aſſumptos: Verùm minùs iſti locum Ambroſii penetrant, qui ſic comminiſcuntur; eò quòd nequiverit vir ſanctus aut arrogare Euſebio, quod ipſe inſolitum noverat, aut aſſerere factum, quod Euſebius nunquam intendit: ſcimus

mus enim ex Auguſtino & Hieronimo, quæ norma Communis ac generalis fuerit illius temporis monachorum; & verba Ambroſii, ſi tali ſenſu ſummantur, nec majoribus illis, nec inſtituto monaſtico, nec Conciliis, ullô modô poſſunt congruere, quod quia nos hactenùs & præcipuè priori parte paſſim monſtravimus, ubi de antiquorum monachorum ritu vivendi diſcurſus ſuppetebat, non putamus hìc ammodò eſſe iterandum. Solùm obſervamus, ut ſenſum rei temporisque accomodum & exinde mentem genuinam S. Ambroſii attingamus, certiſſimum eſſe, hunc virum ſanctum per inſtituta monachorum conjuncta clericali ſeu Eccleſiæ diſciplinæ nihil niſi vitam votivam prout *clauſtrali* unitam intellexiſſe, id eſt finem generalem cum mediis eundem efficaciùs promoventibus: nam, cùm Eliæ, Eliſæi, Danielis, Ananiæ & Azariæ, exempla imitatum Euſebium deprædicet, atque diſſertè hæc verba ſupra relatis adjiciat *multum adjumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, ſi ad ſtudium abſtinentiæ, & ad normam integritatis juventutem adſtringat, & verſantes intra urbem abdicet uſu urbis & converſatione.* Nihil apertiùs indicare videtur, quàm dilaudandum Euſebium, quòd diſciplinæ Eccleſiaſticæ alioquin in Occidente notiſſimæ votorum obſervantiam, & vitæ communionem complectenti ipſe cuſtodiam ſeu abſtinentiam ac integritatem addiderit *ſolitudinis* atque *quietis clauſtralis*, ut in Clericis jam non minùs videri poſſit monaſteriorum arctatio, quàm ipſis in monachis: cùm enim monachorum nomen & *unum* notaret & *ſolum*, ſicut Auguſtinus in unitate concipiebat charitatis unionem, quâ multi unum fiunt, ſic Ambroſius ſe ſe reflexit ad ſolitudinis nuncupationem, qua tota quædam communitas Clauſtrali recluſione, quaſi ſola fiat, & ut ipſe inquit: *verſantes intra urbem* (hoc eſt intra ipſam in Clauſtro habitantes) *abdicentur uſu urbis & converſatione.* Neque quis in hac explicatione exiſtimet, nos conceptus potiùs venari, quàm veritatem, nam ſui ipſius optimus interpres, noſtræque opinionis aſſertor S. Ambroſius exiſtit: hic in eadem Epiſtola n, 71. ſic ſuum diſcurſum de S. Euſebio proſequitur: *hæc igitur patientia in S. Euſebio monaſterii coaluit uſu, & durioris obſervationis Conſuetudine hauſit laborum tolerantiam, namque hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantia eſſe quis ambigat? Clericorum officia & monachorum inſtituta? iſta ad comitatem & moralitatem diſciplina, illa ad abſtinentiam aſſuefacta: hæc velut in theatro, illa in ſecreto, ſpectatur iſta, abſconditur illa, hæc in ſtadio, illa in ſpelunca, hæc adverſùs confuſionem mundi, illa adverſùs carnis appetentiam, hæc ſubiiciens, illa refugiens corporis voluptates: huic mundus crucifigitur, vel ipſa mundo, illi ignoratur: hæc gratior, illa tutior, hæc ſe ipſum regens, illa coercens, hæc dimicat, illa ſe removet, hæc illecebras vincit, illa refugit.* Quidquid in hac oppoſitione utriusque vitæ conſideres, habes eatenùs monaſticam converſationem commendatam, in quantum ſuos à mundanis abſtrahit & *intra clauſtra recludit.* Hujus ergò Clauſtralis cuſtodiæ primus in occidente Author Euſebius omnibus ſubſequis tam principibus quàm Epiſcopis monaſteriorum Clericalium fundatoribus atque reformatoribus normam dederat, quam ſequerentur, adeò ſollicitis paſſibus, ut exin ne ſæculum ullum decurrerit, in quo non unum alterumve monumentum exſtet, ejusdem aut curatæ aut conſervatæ aut reſtitutæ: de quo videri poſſunt Concil: Toletanum quartum, Hiſpalenſe ſæculi 7mi, regula Chrodegangi, Regula Aquisgranenſis, nec non & vita S. Cæſarii, atque Honorati Arelatenſium Epiſcoporum &c.

Quos

Quos itaque Euſebius Clericos Monachorum inſtitutis imbuit, hæc alia non fuêre, niſi Clauſtralis Diſciplinæ exercitia vitæ Clericali votivæ ſuperaddita, quibus in vita contempletiva eruditi, expeditiores fierent in miniſteriis Eccleſiæ tam ad Doctrinæ pabulum, quàm virtutis exemplum plebi conferndum; nequaquam autem, ut hinc dicamus, virum hunc ſanctum primum fuiſſe, qui Monachis Clericatum ſic uniret, ut quos Clericos, illos & ſtrictè Monachos haberet: prout ſermo ille primô intuitu videtur innuere, falſò Ambroſio adſcriptus nuncque 56. in Appendicem rejectus. Cui etſi ob antiquitatem aliquid tribueremus, in eundem tamen, quem in Euſebio explicuimus, ſenſum, totus contextus reſolvetur, ut rem penitiùs obſervanti liquebit: & hæc de Inſtituto Monaſtico-Clericali â S. Euſebio in occidentem inducto, breviter diſſerere libuit, ut demum pateat, quid illis temporibûs Monachi in Clero profecerint, aut quam ſibi cum iſto promeruerint analogicam rationem. Porrò quamdiu hanc Monachorum in Clerum aſſumptorum diſcriminationem per ea, quæ tum mox, tum aliàs de Gregorio M. retulimus, eſt reperire, tam diu nulla ſe ingerit difficultas Monachum diſtinguendi à Clerico, at cùm ſenſim pluribus Monachi decorarentur privilegiis, cùmque Clerici ipſi apud eosdem multa ſui profectûs emolumenta nanciſcerentur, adeò quidem, ut integra ſeminaria Clericorum juncta fierent Cœnobiis Monachorum, ut ab his illi, tum in virtute, tum litteris inſtruerentur, imò & ab Abbatibus eorum, tonſurâ initiarentur; prætereà, cùm ex conceſſione primùm Magni Gregorii ſicut legitur L. 3. Ep. 18. Clerici aſſumerentur in ipſa cœnobia Monachorum, in quibus localiter reſidebant, ut his divina miniſteria peragerent, mox verò & ipſi Monachi Clericalibus ordinibus providerentur, & iidem domeſticis ſuis omnia (ſicut aliàs Clericorum munus erat) Sacramenta perficerent, atque miniſtrarent: inſuper aliquot pòſt ſæculis paſſim Monachis etiam retentô ſchemate Monachili concederetur non ſolùm, ùt antea intra clauſtri ſui ſepta, plenum exercere Clericatum, verùm & in Parochiis (quæ Monaſteriis ſuis benefactorum liberalitate adſcribebantur) exponerentur cum integro jure Clericali: adde, cùm quidam viri virtute, ſanctitatéque conſpicui, quamvìs nunquam Monachiſmum ſtrictè talem profeſſi, adeò tamen monaſticè viverent, ut diſcerni ne vix quidem poſſent, Clericíne ex prima à ſæculo converſione, an Monachi fuerint? velut de S. Eulogio Cordubenſi presbytero legitur in vita ejus: quòd *ita Clericatum ageret proprium, ut regularem ordinem non dimitteret alienum, ita Monachis adhæreret, ut Clericus probaretur, ita in Clero degeret, ut Monachus videretur, utrobique aptus adcurrens, & utrorumq; profeſſiones unus ſufficientiſſimè complens &c.* item de S.Ludgero, quem permiſerunt Monachi Caſinen: ùt ait Altfridus Synchronus Scriptor, *converſari ſecum cucullam ſumere, non tamen promittere obſervantiam ejus regularem.* Denique cùm ſic commiſcerentur Clerici Monachis, ut intra eosdem lares conviverent, in eadem Eccleſia divinis intenderent: tum demum identidem difficilius diſcrimen haberi cæpit Clericum inter & Monachum, nam ſicut facili errore Monachus pro Clerico, ſic quoque Clericus cenſeri pro Monacho poterat, præcipuè dum multorum etiam alioquin peritorum ſcriptorum hiſtoriam aliquam texentium parum intererat, an genuinum Clericum, quem intra Monachorum penetralia educari, ac converſari multis annis viderent, Monachum dicerent, an Monachum extra ſuum Clau-

Clauſtrum aſſiduè in vinea Domini operantem Clericum nuncuparent. Hæc quàm evidentia ſint, veterum ſcripta ſcrutantibus, ne quidem dubitandum; ut hinc verè mirum videatur, aſſerere potuiſſe eruditum quempiam compertum ſcriptorem *abhorrere à fide*, *quòd in eadem Abbatia* (ſcilicet Paviæ in Cælo aureo, ſæculô undecimô ac antea) *duplex ac duplicis inſtituti conventus*, *Monachorum ſcilicet S. Benedicti & Clericorum regularium S. Auguſtini ſimul exſtiterit &c.* Quaſi ſcilicet Paradoxum eſſet Clericos monachis convivere. Nam tot apertiſſima hujus rei documenta proſtant, ut pene ad lucem cæcutire cenſendus ſit ſcriptor, qui hæc ignorat, utque ex plurimis paucula proferamus: an. 854. Quidam Clerici, nempè *Protaſius Archipresbyter*, *Sancoli*, *Recoſindus & Victor Presbyteri*, *Atila monachus*, *& Baſo ſubdiaconus res ſuas omnes mobiles atque immobiles monaſterio S. Andreæ exalatenſi* (fuit id monachorum vide Annal. Ben. Mab. L. 34. n. 82.) *contulerunt*, *retento ſibi ad vitam uſufructu*, *eô pactô*, *ut converſarentur in ipſa S. Andreæ Exalatenſi Eccleſia - - quòd ſi ab illo monaſterio ad aliud fortè diſcederent*, *earum rerum uſumfructum ſecum ferrent &c.*

1 vid vitam B. Landulphi à Malabayla ſcriptam, hoc aſſerente.

Maria Hiſp. in Append. tit. 26.

Annal. Mab. L. 34. n. 82.

Monachorum cum Clericis promiſcus ſapè convictus diſcriminis rationem poſterioribus ſcriptoribus obtinendam frequentius impedivit.

Idem L. 29. n. 16.

De monaſterio Corbejenſi ad an. 822. habetur ex Adalhardi Abb. ſtatutis, ibidem vixiſſe Clericos monachis immixtos, unde Mabillio in ſuis Annal. *in breviculo Adalhardi notabile*, inquit, *quòd reperiatur monaſterium Corbejenſe tunc in tres Claſſes fuiſſe diviſum*, *prima fratres ſeu monachos*, *ſecunda Clericos*, *quorum alii præciſè Clerici*, *alii peculiari vocabulo pulſantes appellabantur: & ſcholarios*, *tertia matricularios & famulos continebat.*

Idem Mabilio ex Gervaſio enarrat de Eccleſia Cantuarienſi ad an. 870. ſequentia: defuncto Ceolnoto Cantuarienſi Antiſtite ſuffectus eſt oethelredus Wintonienſis Epiſcopus, *is Clericos ſimul cum monachis in ea Eccleſia pſallere gravatè ferens*, *id tamen corrigere diſtulit*, *usque ad tempora pacis & tranquillitatis. Sed cùm Pagani Eccleſias*, *monaſteria*, *& ſacra loca ſusque deque verterent*, *monachos & Sanctimoniales cæderent*, *aut fugarent*, *id infectum remanſit*, *& Clerici cum monachis permiſti permanſerunt.* Imò quod amplius eſt, in Concilio Lemovicenſi anno 1031. habito definitum eſt, *ſi qui monachi voluntariè monaſticum habitum abjeciſſent*, *Redituri ad emendationem congruam*, *ſi monachi eos recipere nollent*, *poſſent cum Clericis in monaſteriis Canonicorum remanere.* Ampliſſimus hic campus fuit, permiſcendi cum monachis Canonicos. Patet igitur, *quam fidem abhorreat* aſſertum de convictu monachorum & Clericorum. Cæterùm qui hanc in rem plura exempla deſiderat, capitis 5. n. 4. adeat.

L. 37. n. 20. Gervas Col. 1643.

Hæc verò monachiſmi commixtio cum Clericatu quantamcunque confuſionem in diſcernendo obtruderet, nunquam efficere potuit, ut aut uterque in unum inſtitutum coaleſceret, aut idem monachus eſſet ac Clericus: quamvis enim minùs advertentibus, aut diſcrimen curantibus facilè obreperet, monachum pro Clerico, aut viciſſim æſtimare; attamen quorum intererat, vel dum opus erat, maxima ſemper animadverſa eſt inter utrumque hanc profeſſionem diſcrepantia. Nos igitur, ut rem ipſam ſolidis argumentis firmemus, hæc ex præcipuis delibare voluimus præter ea, quæ cap. 7. prioris partis jam aliquantùm produximus. Primò: certum eſt Canones Eccleſiaſticos ſemper â monachis Clericos ſuis diſtinxiſſe decretis ob inſtituti diverſitatem, quamvìs oppidò receptum jam fuerit, ut monachi etiam Clericalibus officiis applicarentur: nam cùm Clericis in minoribus conſtitutis jam â Gregorii M. ætate conceſſum eſſet, tanquam in Clericatu Tyronibus ante 18. annum, ſi vellent,

3 *Non tamen omnino diſcrepantiam obtinere deſideratam præcluſit. Quod nobis primò inter inſtitutum utrumque aperiunt concilia.*

Digitized by Google

vellent, relictô eô amplecti nuptias, nunquam id conceſſum monachis; ſic â Photio Sæculô nonô Novella Juſtiniani Nomo-Canoni intexta eſt: Quô dicitur: *Si monachus Clericus factus fuerit, ne audeat ad matrimonium accedere, etiamſi eum gradum ſit aſſecutus, in quo licet Clericis Uxores ducere ſcilicet Cantoris & Lectoris.*

Eodem ſæculo cùm in monaſteriis, presbyteratûs ordine non unus, ùt olim, ſed plures, in eadem communitate, monachi honorarentur; attamen jurisdictio ſacerdotalis ſic reſtringebatur, ut extra Clauſtri limites, & ad homines extraneos nullatenùs ſe extenderet: hinc Pariſienſe Conc. 6. an. 829. celebratum canone 42. decrevit. *Nec illud*, inquit: *videtur nobis congruum, ut Clerici & Laici Epiſcoporum & presbyterorum Canonicorum Judicia declinantes, monaſteria monachorum expetant, ut ibi monachis ſacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum faciant, præſertim cùm eisdem monachis ſacerdotibus id facere fas non ſit, exceptis his duntaxat, qui ſub monaſtico ordine ſecum in monaſteriis degunt.* Erat, ùt ſuô modô nunc eſt, genuinis Clericis ſacerdotibus ea jurisdictio, ut quicunque ad eos venirent Confeſſionis peragendæ cauſâ, licèt ex propriis ovibus non eſſent, laici ſeu Clerici, ſacramentum iis pœnitentiæ adminiſtrarent; negabatur hæc facultas monachis, non alia de cauſa, quàm quòd vellent Concilii Patres diſcrimen noſſe inter Clericatum genuinum & illum, qui monachis ſolùm ex privilegio concedebattur.

Quartô jam ſæculô â Cæſarauguſtano Concilio ſtatutum eſt: *ſiquis Clericus propter luxum, vanitatiſque præſumptum de officio ſuo ſpontè diſceſſerit, ac velut obſervatorem legis, monachum videri ſe maluerit eſſe, quàm Clericum: ita de Eccleſia repellatur, ut niſi rogando atque obſecrando plurimis temporibus ſatisfecerit, non recipiatur.* Adeò Scilicet Clericus diverſus habebatur â monacho profeſſione non minùs, quàm ipſo nomine.

In Eccleſiis, ubi monachi reſederant ſimul jure parochiali ornatis, monachis non concedebatur regimen animarum, quod conſtitutum adhuc ſæculô duodecimô ab Urbano 3tio eſt emiſſum. Hic ejus Canon. *in Eccleſiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, ſed Capellanus, qui populum regat ab Epiſcopo per Conſilium monachorum inſtituatur &c.* De Capell. monach. decretal. 3. tit. 36. C. 1.

Cùm *monachorum vita ſubjectionis verbum habeat, & diſcipulatûs, non docendi vel præſidendi vel paſcendi alios*, ut refert Canon Conſtantinopolitanæ ſynodi ſæculo 9. habitæ, ideò ab eadem definitum eſt, ut ſi etiam *Epiſcopus de Pontificali ordine ad monachorum id eſt pœnitentium deſcenderit vitam, nequaquam jam ad Pontificatum reſurgat,* Non me equidem latet hunc Canonem â Photio Patriarcha in præjudicium S. Ignatii fuiſſe conceptum, quem in monachum ipſe impio ſtratagemate curavit tonderi, at non aſſumpſimus hic in argumentum Photii aſtum, ſed Canonis Cauſam diſtinguentis monachilem ſtatum â Clericali. Ann. Ben. L. 51. n. 104. Nec etiam obſtat Sylveſtri ſecundi decretum, quod refert Mabillio pro Benigno Epiſcopo, dein monacho Cluniacenſi, attamen adhuc aliquos ordinante Clericos: licèt enim Pontifex validam dixerit ordinationem, eòquòd hanc, aliorum Epiſcoporum licentiâ ac conceſſione inductus, egerit, nunquam tamen approbavit actum, hinc quòque, ut poſthac ſimilia non præſumat, diſertè præſcribit.

Denique ſi paſſim aliàs ex Conciliis emanantes Canones reſpiciamus, nunquam talis apparebit Clericorum cum monachis confuſio, ut idem, quod decernebatur pro Clericis, monachos, viciſſimque

Digitized by Google

ſimque attingeret, niſi id expreſſis & ſignantibus verbis innuerent.

4. *Secundò examinata monachorum antiquitùs conſueta diverſitas.*

His authoritatibus adductis libet quoque alia concervatim hanc in rem facientia documenta adjungere, quibus univerſim liqueat, quanta ſemper diverſitas inter monachiſmum ſe ſe oſtenderit, & genuinum Clericatum.

vide amplam hujus rei explanationem apud Auth. Diſquis: de ordine Can. 3. act. 4. p. 208. quam adeo nos hic aliter damus.

Rem eruditis notam, cùm opus non ſit, pluribus enodare, pariter tanquam certam ſuppono, exſtitiſſe jam olim monachos duplicis generis (non de illis jam loquimur, quorum quatuor in ſuæ regulæ C. 1. memorat S. Benedictus, cùm ipſe quandam inferiorem diviſionem inducat, nos generaliorem) Urbanos & Solitarios, illi in Civitatibus, hi in deſertis ſylvis, aut ſiquidem in locis aliquantó civilioribus, certè ab urbe ipſa remotis, & ſaltem extra eandem. Fugiebant iſti conſortium hominum, fugiebantúrque viciſſim ab his, imò & criminabantur, ut ait Salvianus. At urbani ſicut ſe ingerebant Civium, ubi habitabant, conſortio, ita & remiſſiùs vivebant, adeò quandoque à vero monachiſmo quaſi liberi, ut ſi habitationem eorum, quâ ſe paulisper removebant à communi vulgarium hominum contubernio, & modeſtiorem vivendi converſandique rationem excipias, in nullo penè diverſos æſtimaveris à quocunque alio fideli pióque Chriſtiano, velut eos deſcripſit Zachæus apud Dacherium.

De provid. Dei L. 8. in fine

Zachæus ſpicil. Dach. t. 1. L. 3. C. 3. p. 35.

Originem horum ſi requiras, non aliam quis facilè adducet, niſi, quam colligere licet ex Orientalium monachorum conſuetudine. Anachoritarum & Eremitarum genus primùm ſylvas excoluiſſe novimus, poſtmodum non tam allectis quàm ſe ipſos vi percibúsque, intrudentibus diſcipulis ſenſim Cænobia ſocietatésque coaluerunt monachorum, quod nemo diſſentiet, qui vitas, primorum Patrum Hilarionis, Palæmonii, Pachomii, Pauli, Antonii &c. perlegerit attentiùs; tum verò non ſolùm homines idiotæ ac ſimplices, ſed viri doctiſſimi facti ſunt ſylvarum incolæ, ut in his longè ſuaviùs, paceque dulciori orationibus non tantùm, ſed & ſtudiis deſervirent: qua de re, qui certitudinem deſiderat, Epiſtolas adeat, Gregorii Nazianzeni atque Baſilii, cùm nobis non vacet etiam pericopes earum in re aliunde indubitata adferre. Effecit autem hæc ingens, cum ſapientia, monachorum ſanctitas, ut ſi talium, per ſylvas & colles deſerti, fama reſonaret, ipſásque etiam penetraret Civitates, vehementi ardore ab Epiſcopis à Clero quærerentur, imò non raró violentè traherentur ad urbes, ut ibi præcones agerent, & quæ ſua in ſolitudine magnâ induſtriâ collegerant verbi divini ſelectiſſima ſemina, ſpargerent in corda plebis urbanæ, quantò civilium rerum commerciô urbanioris, tantò magis ſæpè divinarum rerum notitiâ ſylveſtris: ſed cùm hi ſic allecti, atque in Clerum aſſumpti eſſent, non dimiſerunt propenſum ſuum in monachos affectum. Hinc legimus S. Fulgentium, cùm in Epiſcopum Ruſpenſem inauguraretur, adeòque ex monachiſmo transferretur in Clerum, ſine monachis vivere noluiſſe: *ſimilitudinem magni cujusdam monaſterii*, inquit vitæ ejus Scriptor: *monachis & Clericis adunari effecit*. Sic quóque factum in pluribus occidentis partibus, ut ubi monachi tiarâ Epiſcopali inſigniebantur, ſolliciti eſſent, nè longè ab ipſis diſtarent ſuæ priſtinæ profeſſionis alumni.

in vita ejus Cap. 20.

Verùm multiplicabantur hôc modô urbani monachi, ut (quemadmodum diximus) ſenſim evaderent remiſſiores. Hinc illæ Hieronymi, Auguſtini aliorúmque Patrum non immodicæ correptiones adverſùs monachos urbanos; quos quoque Zachæus perſtringit, & Auguſtinus integro tractatu à vagatione & inutili otio

ad

Digitized by Google

ad laborem & piam vitæ converſationem revocat, Hieronymus verò, quaſi non poſſet monachus conformiter ſuo ſtatui vivere, ſi in urbibus commoretur; ad ſolitudinem etiam duriori concitatione provocat, *ſi*, inquit ad Paulinum, *cupis eſſe, quod diceris, monachus, id eſt ſolus, quid facis in Urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula.*

Ep. ad Paulinum de inſtitut. monach.

Sanctum Benedictum quandam paraſſe monachorum reformationem, ipſa, quæ exſtant, vitæ acta manifeſtè produnt, ac præcipuè in eo, ut ab urbibus removerentur; hinc Caſſinum ſibi elegit, locum unc temporis omnis humani uſûs penitùs exulem, ſed hujus Sancti viri ſucceſſores atque Diſcipuli, non diu poſt Barbaris Caſſinum vaſtantibus, in urbem Romanam profugi ex ſolitariis urbani eſſe cæperunt. Tunc quod Fulgentius operatus eſt Ruſpæ in Africa, id ipſum perfecit Romæ Gregorius, ut ſcilicet cum Clericis monachos ſibi haberet conjunctos.

Omnes hi Urbani monachi tam proximè ſe ſe ad Clericatum habuerunt, ut interjectu temporum, vix â ſolertiſſimis Scriptoribus diſcernerentur, monachi illi fuerint an Clerici? Auguſtinum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum multi viri docti monachos dixerunt, cùm tamen eruditiſſimi noſtrorum temporum Authores â monachiſmo illos omnino abſolvant: nam plures Sanctorum Patrum initio ſuæ converſionis ſe habebant inter monachos, quamvis monachum nunquam profiterentur, imo ſæpè nec profiteri volebant; cauſa fuerat, quòd urbani præcipuè monachi ſe ſæpè non aliter haberent, quàm religioſiores Chriſtiani nullô voti vinculô illigati. cùm enim S. Auguſtinus monachos deſcripſiſſet ſolitarios ac auſteriores, inde procedit ad æqualis inſtituti fæminas, expôſt ad Clericos ac demum ad monachos urbanos, de his ait: *Nec ideò quidem laudabile Chriſtianorum genus contempſerim, eorum ſcilicet, qui in Civitatibus degunt, à vulgari vita remotiſſimi, vidi ego diverſorium ſanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus & Doctiſſimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus ſinguli gravitate atque prudentia & divina ſcientia præpollentes cæteris ſecum habitantibus præſunt, Chriſtianâ charitate, ſanctitate & libertate viventibus &c. Atque inter hæc nemo urgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt, nulli, quod recuſat, imponitur, nec ideò Condemnatur à cæteris.* Hæc Auguſtinus, â quo iſti ſolùm *laudabile Chriſtianorum genus* nuncupantur, non monachi, quamvìs â vulgo velut monachi haberentur. Præthereà votis minimè adſtrictos fuiſſe, patet tum ex eo, quòd, cùm monachos auſteriores deſcriberet, diſertè dicat: *contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris in Communem vitam congregati ſimul ætatem agant, nemo quidquam poſſidet proprium &c.* Quæ manifeſta monaſticæ profeſſionis indicia conſultò apud alios intermittit.

Vide acta SS. in vita S. Baſilii Cæſar. & Gregorii &c.

L. 1. de mor. Eccl. C. 31.

Zachæus quoque horum â vinculo profeſſionis libertatem innuit, dum eos in poſtremo gradu conſtituit. *Quidam etiam*, inquit: *velut in poſtremo gradu ſecta iſtius parva obſervatione contenti tantum cælibes vivunt, vel nunquam experti matrimonia reſpuentes, vel amiſſorum recordatione commoniti ſecunda, ſi prima habuêre, devitant, dum alterum ferè non caventibus provenit - - - - hi inquam, rebus communis converſationis interſunt, & ſecreta non expetunt, vita hujus conſuetudinem retinentes, ut etiam ſi â delictis vacui fore poſſunt, occaſioni tamen ſubjaceant delictorum, dum lege corporis in diverſum trahente, difficiliùs magna perficiunt, qui poſſunt mala videre nolentes &c.* hos Zachæus inter Monachos habuit, at quô

L. 3. C. 6. p. 36.

Confer. etiam dicta S. Epiphanii interius producta C. 2. n. 5. tex. *quidam verò ex ſolitariam &c.* Et infra *Vertex horum omnium.*

at quô modô? certè eô, quô mox diximus, facilè quisque advertet.

Hæc autem Monachorum, ut inquit Zachæus, in poſtremo gradu exiſtendum forma, nequit ſtrictè vocari Monachilis, nam licèt ſanctior vulgari Chriſtianorum converſatione fuerit, nunquam tamen Monachiſmi veri videtur habuiſſe Profeſſionem; nihil igitur alioquin diſcrepant â plebe, ut patet ex Zachæi contextu: tales verò multis in locis ſe inſinuabant, morabantur ubertim in Urbibus: donec dein quoque ſtrictiores ſupervenerint, quales ex inſtitutione quorundam Patrum erant, aliàs non niſi extra urbes, ùt diximus, ſua figentes Cænobia, poſtmodum ſalutari quoque conſilio in urbem tranſlati: nam tempore S. Auguſtini tales auſteriores Monachos necdum in civitatibus exſtitiſſe innuit Salviani locus, qui tamen poſt Auguſtinum ſuâ doctrinâ Africam illuſtravit, dicit enim adhuc ſuo tempore: *inter Africæ civitates & maximè intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium jubis usq; ad cutem tonſum videre ille populus ſine convitio atq; execratione vix poterat.* Quicunque ergò Monachi tunc in urbibus morabantur, vix crediderim diſtinctos fuiſſe ab illis, quos de poſtremo gradu ſupra deſcripſimus, non alia fortè de cauſa Monachorum vocabulo notati, quàm, quòd Clerici actu non eſſent, religioſiùs tamen viverent ad normam Monachorum: ita quidem, ut ſi rem penitiùs conſideremus, quaſi quidam Canditati proximiores, quàm ſimplices de plebe laici æſtimari poſſent ad Clerum, tum ad hunc aſſumendi, ſi ſcientia cum virtute, quam tum diſcebant, adeſſet ſufficiens. Hinc ſanè mihi pro certo videtur, plurimos ex his urbanis Monachis ad Clericatum primis quinque ac ſex ſæculis fuiſſe evectos: tales certè fuêre in Oriente Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus: in Oriente Cæſarius Arelatenſis, Amandus Burdegalenſis, & Trajectenſis, Melanius Rhedonenſis, Eligius Noviomenſis, aliique innumeri, omnes, ſi ſolidiùs loquamur, ideo inter Clericos genuinos referendi, quòd nunquam Monachicam vitam ſecundùm religionis ritum aliàs Monachis receptum profeſſi ſint. Hæc enim, quam diximus, Monachilis vita, nihil aliud erat, quàm modeſtior ſenſuum, & vitæ ad perfectionem Chriſtianam ſollicitior cuſtodia. Inter hos quoque nullus recuſo, magnum numerare Auguſtinum, nam quamvis non rarò extra urbes tales viri ſibi quandam Congregarent ſocietatem, ut privati & ſejuncti â curis ſæcularibus tum in libros ſcribendos, tum otiô quoque ſpirituali animum relaxaturi incumberent, & hôc modô *Monachi* paſſim dicerentur, id eſt *ſolitarii* & â turba remoti; nihil tamen minùs quàm in re Monachi erant. Hinc facilè reſolves, quî ſæpiùs factum ſit, ut quidam tam liberè â ſcriptoribus antiquis Monachi dicerentur, cùm tamen tales non eſſent: ſic Gregorius Nazianzenus â quantis non ſcriptoribus Monachus, imò & â ſuis coævis cenſebatur, non alia de cauſa, quàm quòd ad normam Urbanorum Monachorum viveret, at ipſe ſanctus obteſtatus eſt, ſe verum Monachum non eſſe, ſed inter Monachos & homines ſæculares mediâ viâ incedere: *mediâ* (verba illius ſunt) *inter illos, hosq; procedo viâ, meditans ùt iſti, commodum illorum æmulans.* Potuit ergo Monachus dici Gregorius, quòd ſe vitæ contemplativæ dediſſet, at nunquam ſtrictiori jure, cùm profeſſionem illam neutiquam aſſumpſerit. Quamvis enim Monachi ſancta ſocietate & glutine Chriſtianæ Charitatis eſſent uniti. ſub uno quodam ſibi præfecto viverent, pſalmos certis horis cantarent &c. non plùs tamen Monachi erant, quàm fre-

De provid. Dei L. 8. in fine.

in Monachos Hypocritas tom. 2.

frequentioribus in locis, ac præcipuè majoribus in civitatibus videre eſt Congregationem aliquam ſeu Clericorum, ſeu etiam ſæcularium juxta diverſa inſtituta viventium, quibus & lectio menſalis & certa totius diei diſtributio, aliaque imponuntur, neque tamen vitam religioſam, taceo monaſticam ducere conſpiciuntur; aut qualem fortè Sæculo undecimo multis inſtituere placuit antiquiſſimâ illâ haud dubiè normâ provocatis, de quibus Bertholdus Conſtantienſis: *his*, inquit, *temporibûs in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non ſolùm in Clericis, Monachis, religioſiſſimè commorantibus, verùm etiam in laicis, ſe ſuaq; ad eandem communem vitam devotiſſimè offerentibus. Qui etſi habitu nec Clerici nec Monachi viderentur: nequaquam tamen eis diſpares meritis fuiſſe creduntur.* Et Paulò infra. *Non ſolùm autem virorum & fœminarum innumerabilis multitudo his temporibûs ſe ad hujuſmodi vitam contulerunt, ut ſub Obedientia Clericorum & Monachorum communiter viverent, eiſq; more ancillarum quotidiani ſervitii penſum devotiſſimè perſolverent, in ipſis quoque villis filiæ ruſticorum innumeræ conjugio & ſæculo renuntiare, & ſub alicujus ſacerdotis obedientia vivere ſtuduerunt: ſed etiam ipſa conjugata nihilominus religioſè vivere & religioſis cum ſumma devotione non ceſſaverunt obedire.*

in Hiſt. ſui temporis ad an. 1091.

Hujus autem ipſius rei exemplum longè antiquius habemus ex ſæculo ſexto, ſeptimóque, dum in Hiſpania paſſim leguntur homines diverſi ſexûs ſtatúſque convolaſſe, ut in communi viventes, Deo devotiùs præſtarent obſequium, verùm cùm mos iſte ſenſim in corruptelam degeneraſſet, ita, ut nullo obſervato ſexûs diſcrimine conjugati ſimul cum uxoribus, liberis, ac ſervis domicilia ſibi in monaſterii modum componerent, non, ut Deo arctiùs ſervirent, ſed ut publicis curis atque tributis hac fraude eximerentur: Concilium Ilerdenſe Can. 2. eoſdem partim reſtrinxit ad antiquam & ſanctiorem formam, partim omnino ſuſtulit: Ideo S. Fructuoſus regulam conſcripſit, juxta quam, qui ſe reformationi accomodarent, vivere poſſent. Similì ergò modô ſe in aliis quoque locis monachi iſti urbani habebant, nunquam ſtricto jure monachi nuncupandi. Quod univerſim ab illis notatum cupimus, qui, ſi vel monachi nomen in veteri aliquo hiſtorico legunt, ſtatim judicant talem exſtitiſſe profeſſione & inſtituto: nam monachi iſti, de quibus dudum loquimur, nec certâ aliquâ regulâ, nec ſpeciali veſte, nec exercitiis ſoli monacho propriis & â Clericali aut etiam laicali ſtatu eum plenè diſcrepantibus obligabantur, & ut ſæpiùs effati ſumus, in hoc uno nomen monachi merebantur, quòd ſanctiori adipiſcendæ perfectionis converſationi ſe darent, ad libitum eidem ſtatui adhærentes; & ad libitum rurſus diſcedentes: *vitæ*, nempe, *hujus*, ùt inquit Zachæus, *conſuetudinem retinentes*, quorum quidem *mens religioſa, non religioni penitùs addicta*; ſcilicet per aliquod voti vinculum, â quo reſilire, ſi liberet, nequirent.

vide Mabil. Annal. L. 13. n. 40.

Utque demum his probandis & adſtruendis monachis ultimum argumentum addamus, lubet virum eruditiſſimum Chriſtophorum Drovverum percipere, qui iſtud genus monachorum â B. Hieronymo poni dicit in tertia Claſſe, *quod genus* (inquit Drovverus) *licèt infimum cenſeat, & deterrimum reſpectu primi & optimi, illud tamen vel ſolùm ait floruiſſe in Pannoniis, diſciplinâ ſæpè fluxâ & degeneri, ob vulgata cum ſæculo commercia, hos autem binos vel ternos, nec multò plures ſimul habitaſſe, ſuo arbitratu ac ditione viventes, & de labore ac victu, quam manibus expediebant contuliſſe partem in medium, ut haberent alimenta communia, habitaſſe verò plurimùm in urbibus & Ca-*

L. 4. annal. Trevir. ad annum 327. n. 182. & ſeqq.

Digitized by Google

Caſtellis, jejunio deditos, crebriſque ſuſpiriis &c. tales putat Drovverus exſtitiſſe Treviris, in quos Pontitianus cum tribus aliis offenderat, ùt narrat S. Auguſtinus. Sanè conſentirem omnimodè, hos Drovveri monachos â deſcriptis per nos nihil diſcreviſſe, niſi ad ſummum, quòd aliquantò jam magis viverent ad Ægyptiorum monachorum æmulationem, quos ſaltem ſe aſſequi voluiſſe prodit ipſe S. Auguſtinus, at de quibus nos diſſeruimus ex Zachæo, minus adhuc de monachili ſtatu habuiſſe vel ex ipſo veſtitu, victu, modóque orandi arguendum. Nam, ut Zachæus inquit citatô locô, *habitus his nec inhonorabilis nec abjectus eſt, & aut idem qui omnibus cibus communis, aut rarò abſtinens, & in paucis reciſus. Pſallendi perinde vigore non fervent, nullisque vigiliis nocturnam rumpunt quietem &c.* Quod tamen monachi illi â Pontitiano viſi diſtrictiùs obſervaſſe videntur, præterquàm, quòd illi *veſte* induerentur, ùt inquit Drovverus, *craſſiore textu, laxas manicas, Calligas fallicantes.* Quo veſtimento in Africa haud urbibus ſe immiſcere præſumpſerant, ùt Salviani locus inſinuat. Romæ profectò cùm tales morari inciperent, miratur Hieronymus Ep. ad Paulam, quòd *genus hoc deteſtabile monachorum* (ſic odio erant Romanis quoque indigenis Eremi incolæ) *non urbe pellatur.* Hi monachi ſe jam certo habitu geſtuque à vulgari laicorum ſtatu diſtinguebant, quemadmodum id ſolebant qualescunque auſteriores monachi, quorum ritus erat pullatè ſimul ac ſordidè ſeu ad contemptum conſpicientium veſtiri: unde Hieronymus ad Ruſticum monachum. *Si monachus eſſe vis, ſordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſunt, vilis tunica contemptum ſæculi probat.* Et de Pamachio ex conſulis Pronepote Monacho idem idem Hieronymus. *Quis hoc crederet, ut Conſulum Pronepos, inter purpuras ſenatorum, furvâ tunicâ pullatus incederet*: id eſt, ut jam monachus eſſet, qui paulò ante inter Senatores reputabatur; aſt monachi illi urbani non alium niſi moderatiorem veſtitum curabant, *nec inhonorabilem nec abjectum.*

L. 8. conf. C. 6.

de obitu Bleſillæ.

Epiſt. ad eundem de obitu Paulinæ.

Diu his Urbanis monachis deſcribendis inſtitimus, verùm requirebat id inveſtigandi diſcrimen, ut ſcilicet planiſſimâ viâ in notitiam dirigeremur Clericos â genuinis monachis diſtinguendi. Hi monachi Urbani quaſi primi erant, qui ad Clericatum raptim quoque aſſumebantur, de quibus nulla diſceptatio, nulla obſtacula ingruebant, quæ aliàs monachos ſtrictè tales involverant: nam quæ S. Auguſtinus adverſus ruinoſam monachorum ſuperbiam detonat, ne ſcilicet *illi ſurrigantur, & tam gravi contumeliâ Clerici digni putentur &c.* non illos attingebat monachos Urbanos, ſed auſteriores, & maximè illos, qui monaſticam ſolitudinem nauſeantes, ut ab hac ſpecioſô prætextu liberentur, ad Clerum accommodari geſtiebant; quos ipſe ideò S. Auguſtinus monaſteriorum deſertores vocitabat: *Non eſt iſta*, inquit, *via danda ſervis Dei, ut ſe faciliùs putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores & ipſis etiam facilis lapſus, & ordini Clericorum fit indigniſſima injuria ſi deſertores monaſteriorum ad militiam Clericatûs eligantur &c.*

Ep. 76. ad Aurelium.

ibid.

Erant monaſteria monachorum urbanorum complura in Civitatibus, vivebant in eis viri eximii, qui dein ad magnifica Eccleſiæ miniſteria promovebantur. Sanè id mecum firmus Conſtitui, ut credam, nec erit Eruditus quiſpiam diſſentiens (quicunque accuratè duplicis hujus monaſtici generis formam, ſortemque perſpexerit) niſi apertis documentis conſtet, quemdam ex genuinis ſtrictiſque monachis ad Clericatum fuiſſe vocatum, generaliter tantùm, ac vulgariter monacho prolato, potiùs illum

Digitized by Google

illum inter hos Urbanos, quàm auſteros habendum. Utpote quòd hi & proximiores Clero eſſent, & plebi tunc eligenti notiores, inſuper Canones monachos arcentes à Clericatu, eas rationes adderent, quæ auſteros, non Urbanos, attingerent, nempe recluſio, ſolitudo, ac fuga Epiſcoporum, ut innuit Caſſian. de inſtit. Cænob. L. 11. C. 17, idque unicè ne in Clerum allicerentur. Unde Hieron. *Si officium vis exercere presbyteri vive in urbibus & Caſtellis, ſin autem eſſe cupis, quod diceris, monachus, id eſt ſolus, quid facis in urbibus?* ex quo patet, aliam fuiſſe non ſolùm cauſam Clericorum, ſed & Urbanorum monachorum, aliam Auſterorum.

Hæc verò dum ediſſero, nullus ignoro, certiſſimum eſſe, plurimos genuinos monachos ad infulas, aliasque Clericales dignitates per multa ſæcula fuiſſe aſſumptos, nec quemquam ideo ab hac prærogativa verè profeſſum monachum excludo, ſed ubi talem non legero, hujus quoque ſortis à me non fore æſtimandum nemo inficiabitur. Cùm manifeſta nimis talium liberorum, ut ita dicam, & ſolo nomine monachorum exſtent indicia: certè horum ab origine ſua fuiſſe Agaunenſe in Valeſia, quod nunc noſtri incolunt, monaſterium, indicat hiſtoria Abbatum Agaunenſium: in qua dicitur. S. Maximum Genevenſis urbis Antiſtitem ad hanc devotionem Sigiſmundi præcordia incitaſſe, ut de loco illo promiſcui vulgi habitatio tolleretur (erant ſcilicet eô modô collecti fideles, quô ſupra de Hiſpania meminimus & de Germania ex Bertholdo) hinc ſubiicitur: igitur *habitô conſiliô, quod univerſitati Dei inſtinctu complacuit, viſum eſt, ut omnes mulieres de loco illo tollerentur, & remotis familiis ſæcularibus, Dei inibi, hoc eſt monachorum* (nimirum quales jam Lerinum occupaverant) *familia locaretur, qui diu noctuq; cæleſtia imitantes cantionibus divinis inſiſterent pertractandis.* Atque hi omnes ſicut antea non aliter nominari poterant, quàm laxiori modô monachi, dein ad diſciplinam Lirinenſem reformati nomen iſtud potiori primò ac vero Jure merebantur.

His ita conſtitutis facilis jam ratio ſuggeritur, quâ Clericos genuinos ab illis monachis diſcernamus, quos generatim Canones patrúmque decreta diſtinctos habere voluerunt, & ſic diſtinctos, ut proprium atque diverſum omnino à Clericatu inſtitutum conflarent: nam quid illis ſupra deſcriptis urbanis, liberiſque monachis cum Clero commixtis obvenerit, idem penè erit, acſi de hominibus purè laicis, nulliſque adhuc ſignato religioſo inſtituto obſtrictis, ſermo formaretur ac quæſtio. Unde, dum legimus, â quibusdam, fortaſſe & antiquis ſcriptoribus, tantum eximiorum virorum numerum inter monachos reputari, idem erit dixiſſe, multos eorum vixiſſe abſtractè â ſæculo, incoluiſſéque ſuô modô ſolitudinem, atque in hoc monachiſmum ſic æmulatos fuiſſe, quaſi illi obſtricti vixiſſent, cùm interim ab eo tam ſoluti eſſent, quàm quique ſæculares; ſolâ liberâ ad hanc imitationem pietate nullo voto firmatâ, nullô ſibi ſingulari monaſtico ritu, quô in numerum genuinorum monachorum arctarentur impoſitô. Vide quæ ampliora nec hic repetenda adfert Author noſter fol. 519. 520. 522.

5. *A ſæculo 6to ac deinceps. longè difficilius diſcrimen non ex inſtituti ſed hiſtoricorum nomina confundentium acyirologia eruitur.*

Subintravit autem exinde, ac velut ſucceſſit his tam latè â nobis deſcriptis urbanis monachis turba Auſteriorum, ùt jam ſuperiùs explicuimus, atque tum nova difficiliórque provenit cauſa diſcriminis monachum inter & Clericum, his enim ipſis, cùm ſe adeò hactenùs diverſos vellent eſſe ab omni munere Clericali, ut Pachomius horum genuinus nominandus Patriarcha

Digitized by Google

triarcha liberè diceret: *Cogitatio feralis ambitûs, ſi in mentes irrepſerit monachorum, ut vel primi cupiant eſſe, vel clerici.* Et S. Benedictus in regula ſua de Clerico ſuſcipiendo agens tam alienè quaſi diſcurrat, ut ſatis innuat, quàm acceptiùs ſibi longè eſſet, monachos ſuos ſine Clericatu exiſtere: adeóque ex his penè non cogitare liceret monachis de obtinendo Clericatu. In vitis PP. apud Roſvveyd. C. 24. his inquam ipſis jam Siricii, ùt diximus, tempore imponebatur non raró Clericatus: quod quidem, quamvìs ad ſæculum propè nonum duraret, ut ſcilicet necdum generali Eccleſiæ indultò publicis miniſteriis applicarentur, attamen, cùm id paſſim fieret per Epiſcopos, Regibus quoque ùt plurimùm poſtulantibus, hóc modô in ipſa quoque monaſteria Clericatus magnifico planè amplexu ſuſceptus eſt, ut Abbatibus proprios liceret ſubditos monachos ſuos primâ tonſurâ ac minoribûs inſignire, indeque monachi vel intra ſui Clauſtri ſepta conſtituti quodammodo Clerici evaſère: ut itaque facilè nomen Clericorum apud illos inoleverit. Verùm optandum ſanè foret: ſi ùt tunc, ſubſequis quoque temporibus animadverſum fuiſſet præcipuè â ſcriptoribus, etiam tali modô Clerizatorum (ut ita dicam) monachorum diſcrimen â veris Clericis: nam ſicut in illis ordinati presbyteri monachicum tamdiu inſtitutum veſtémque retinere cogebantur, ut perfecti monachi eſſent, donec in Clauſtris ſuis permanebant; ùt aliàs diximus, ita & per minores collatos ordines facti Clerici, monachi auſteri & genuini eſſe non desjerant. Hinc apud coævos ſaltem & accuratiores ſcriptores reperire licet monachi, Clericíque diſcrimen in nomine. Unum brevitatis cauſâ adduxiſſe ſufficiet: Prudentius Epiſcopus Trecenſis deſcribens vitam Virginis Tricaſſinæ, ſanctæ ſcilicet Mauræ, diſcernit ingenuè â Clerico monachum, quamvìs haud dubiè hunc ſicut illum minoribus proviſum, dum in Mentuniacenſe cænobium Clericis, *monachisque* collata ab ipſa commemorat beneficia: *Quod,* inquit: *Leo Abbas, & ſancta ejus congregatio recognoſcunt, quibus de proprio cucullas & mappulas aquirebat, quantæ autem virtutis & efficaciæ ſit mappula, quam Leoni Mauræ tribuit, Claris indiciis proteſtatur Melanus Clericus, Sanctinus monachus, & Paulinus Clericus, ipſius tactu â febribus liberati:* Non tamen ab omnibus ſcriptoribus tam diſtincta obſervata eſt diverſitas nominis, quantum inter Clericos & monachos exſtitit diſcrimen profeſſionis, ſed quos jam Clericos dixerant, quâ datâ viâ monachos nuncupârunt, atque viciſſim. Quam ergo, quæret aliquis quam, inquam, diſcrepantiam in documentis antiquis licebit reperire tantâ in permixtione hujus utriusque inſtituti? diffiteri hac in re non poſſumus quòd difficilem ſanè, quamvìs in re certiſſimam: cùm enim in multis ſola nominum confuſio, nullaque aliàs indicia diſcriminis ſuppetant, quis, quæſo, ædipus augurari de aliquo aut cænobio, aut alumno ejus poterit, ut monachis potiùs adſcribat, quàm Clericis? legant hac de re, qui dictis noſtris minùs fidem præſtare volunt, Gregorium Turonenſem, Bedæ hiſtoriam Anglicanam, Alcuinum, aliosque penè innumeros medii cumprimis ævi Scriptores, credètque nobis tam certa quàm vera aſſerentibus. Neque prodeſt ad eam, quam vir Doctiſſimus Mabillio ſibi elegit viam, recurrere, ut univerſim quis dicat, Clerici nomine, niſi obſtent manifeſta ſpecimina pro genuino Clericatu pugnantia, ſemper intelligendos monachos: quàm injurii enim hâc lege ſcribendi ſuſceptâ in Clerum eſſemus? cùm nimis exploratum habeamus ipſo quóque nomine monachorum

Can. 14. Conc. Nic. 2. an. 787.

Suronenſe Con. 2. Can. 14.

Prudent. in Elogio S. Mauræ.

Nomen monachi ſervi Dei, & ſimilium dictionum, non ſufficiunt ad diſcrimen dignoſcendum.

Digitized by Google

rum Clericos genuinos, ſed obſervantiores antiquitùs fuiſſe notatos, quantò magis ſæpiſſimè id obſervari oportet de nomine Clericorum. Quoties Liudgerum Altfridus monachum dicit? licèt talem nunquam fuiſſe ipſe fateatur Mabillio: quoties Eccleſiæ & habitacula Clericorum nuncupantur Clauſtra, cænobia, monaſteria? in quibus nemo unquam niſi iidem commorati ſunt Clerici: quoties Clerici ſic uniti atque commixti cum monachis in eodem domicilio vixerunt, ut nec ipſe idem præfatus Scriptor hunc nodum plus quàm Gordium dismembrare poſſit? quamvìs tam latâ, tamque liberâ à ſe regula ſtatutâ pro diſcernendo, an in monaſterio aliquo monachi Clericivè vixerint? ut diceret, generaliter loquendo, Clericorum nomine abſolutè prolato ſemper intelligendos monachos, ſicut non minùs, dum quem legimus aut *ſervum Dei*, aut ſub *regulari inſtituto*, aut *ſub regula SS. Patrum*, aut *ſub habitu Canonico* conſtitutum, imò, quod mireris, ſolo adjuncto nomine, *humilis*, *Abbatis*, *Fratris*, & ſi qui alii ſint, quamvìs remoti ſatis ab hac particulari notatione termini, uti & dum *monaſterium*, *Cænobium*, *Baſilica &c.* Proferuntur, ſemper ex his fore pro monachorum jure definiendum. Non me equidem latet, quòd Eccleſiam SS. Criſpini & Criſpiniani, *monaſterialem* à Gregorio Turon: dici, ipſe enuntiet: alumnos hujus Eccleſiæ *fratres ibi Deo militantes* (cùm in charta autographa ibidem aſſervata ſuis oculis legerit) pariter diffiteri non poteſt, *Clerum monaſtici & Canonici ordinis* in ea exſtitiſſe ait, nec minùs teſtatur legi & *Abbatis* nomen: hiſque omnibùs concurrentibùs non vult Mabillio ſuis hanc Eccleſiam ante ſæculum nonum aſſerere, quædam, quæ ex dictis pro monachis pugnant, interpolatoris vitio mallens adſcribere, quàm affirmare, ibi monachos fuiſſe: & hoc prudenter quidem & cautè, ſed utinam ſemper obſervatum, nam dum hoc prædictum SS. Criſpini &c. Cænobium Clericis vindicavit, iisdem perſuaſus rationibus debuiſſet quoque SS. Ruperti & Corbiniani Clericos â monachiſmo eximere, quòd in hujus utriusque hiſtoria ne monachi indicium legatur: de S. enim Ruperto adfert ipſe contextum ſequentem: *Rudbertus venit ad locum Juvavum ſitum ad fluvium cognominem, ubi Eccleſiam in honorem S. Petri ædificavit, & Clauſtra cum ceteris habitaculis Clericorum.* Subjungit ad hæc ſæpefatus Scriptor ac Annaliſta: *Clericorum nomine monachos ut paſſim aliàs in ſuperiori contextu intelligi, ex eo patet, quod â principio monachi perpetuò locum illum inſederint.* Sic quidem decidit, at non benè ex eo, quod in quæſtione verſatur, nam tempore Ruperti Clericos eò jure, imò potiori exſtitiſſe in Eccleſia Salisburgenſi S. Petri, quàm unquam in monaſterio relato SS. Criſpini &c. eò ipſô admittere debebit, quòd cum S. Corbiniano Convixiſſe Clericos in monaſterio Friſingenſi, & Brivatenſem S. Juliani, aut Divionenſem S. Benigni ſæculô 7mô & Octavô Clericos ſolos incoluiſſe, idem ipſe profiteatur, ùt patebit conferenti rationis paritatem, quam utrobique idem vir Clariſſimus allegat.

vide ejus Annal. L. 25. n. 27.

idem ibid. L. 6. n. 72. & L. 12. n. 20. L. 45. n. 84.

L. 7. n. 7.

6\. *Ipſi ſcriptores, nomina licèt confundentes, agnoverunt tamen manifeſtum diſcrimen inter Clericale & monaſticum inſtitutum.*

Verùm enim verò quidquid difficultatis in diſcrimine ſtatuendo monachi â genuino Clerico hactenus deprompta documenta opponunt, illa ipſa non obſcurè arguunt monachiſmum ſemper perfectè à Clericatu diſcrepaſſe, ipſorum, qui has difficultates obtruderant, authorum declaratione, quamvis ſæpiſſimè ex nominum abuſu perſonas confundentium, ſemper tamen inſtitutum Clericale aliud à monachiſmo agnoſcentium: nunquam etenim aliàs tam diſſertè præcipuè Hagiogra-

graphi inducerent alia Clericorum, alia monachorum acta, fataque; ut planè ſuperfluum ſit in re tam nota atque confecta diſceptiones conſerere, quemadmodum quorumdam ſcriptorum fert animus; non alia de cauſa, niſi, quòd, hôc admiſsô Jus diſceptandi avulſum ſit illis, qui Clericis vitam ante ſæculum undecimum votivam abjudicant. Quodſi enim ſemel admittant, per illos in monaſteriis collectos Clericos, non venire monachos, cùm aliis documentis apertiſſimis revincantur votivos fuiſſe, cauſâ cadunt ſuâ; hinc, ut hunc ſibi infeſtum declinent arietem, his Clericis ſtrictum monachiſmum affingunt. manet ergo, quod ſupra ediximus, verum firmumque, Clericos ſic eſſe diſtinguendos à monachis, ut iſti, cùm ad Clericatum aſſumerentur, non aliter monachi eſſe deſinerent, quàm ſi noſtris temporibûs monachus aliquis Superiorum veniâ ad noſtros tranſiret, quem morem quidem generaliter (multis tamen in locis usque ad ſæculum nonum) duraſſe certum eſt, & nos requiſita in hanc rem argumenta jam aliundè produximus. Præterea liquet Clericos Canonicosque in jus ſuum trahere poſſe imò in honoris ſui priſtini obſervantiam debere quoque monaſteria illa, loca ſacra, nec non & perſonas, quas (licèt aliquandò inter monachos viventes, aut ob ſtrictiorem diſciplinam monachi nomen obtinentes) aliundè & ex aliis documentis conſtat Clericos exſtitiſſe: inanis enim aſſertio eſſet, ex ſolo nomine monachi aut ſimilium adjunctorum illos ex numero genuinorum Clericorum eliminare. Novimus ſiquidem, quàm frequenter Scriptores ab argumento Cauſarum rem ponderantes titulis, nominibúsque diverſis inſigniant: ſic S. Auguſtinus non ſolos monachos, ſed & Laicos & Clericos ſuos *ſervos DEi* nuncupavit. S. Hilarius in Pſ. 118. ſcribens ex ore Davidis veteris teſtamenti Prophetas, novique fideles omnes ſervos Dei differtè appellat. Antiquiſſimus vitæ S. Melanii Scriptor omnes Dei ſervitio mancipatos ſervos Dei nominat: *Dei ſervos* inquit: *cujuscunque fuiſſent Ordinis digna reverentia honorabat* (Rex ſcilicet Clodovæus) & ſæculô decimô Theodoricus Epiſcopus Metenſis monaſterium dicitur conſtruxiſſe in honorem S. Goërici Metenſis ibidem Epiſcopi &c. ubi *Adalbero*, verba ſunt ipſius Mabillonii ex veteri ſcriptore: *primùm ſervos Dei ſeu Clericos qui locum incolerent, coadunavit.* Quos Clericos idem Annaliſta nunquam præſumit inter monachos locare. Abſtineo à locis plurimis afferendis, dum de his ſermo inferiùs iterum aliunde recurret. Ultrò verò & de aliis ſimilibus authorum dictionibus æquale erit ferendum judicium, unde enim aut quô jure quis ideò ſolùm, quòd locum aliquem ab hominibus religioſis habitatum, legat nuncupatum *Baſilicam, monaſterium, Cœnobium, Clauſtrum, Eccleſiam ſacri Ordinis &c.* Quódque ipſos ejus incolas audiat appellatos *Clericos Fratres, ſancti alicujus viri Diſcipulos, divino amore ſuccenſos, Venerabiles* & alia his ſimilia appoſita data viris Deo ſervientibus, ſtatim definiat ibi monachos? quodque præprimis admirandum, legit vir alioquin doctiſſimus à nobis ſæpè memoratus, in Venerabili Beda Magenſes vixiſſe ſub Abbate Canonico, reſolvit idem eſſe, ac Abbate Regulari ſeu Benedictino. Hæc ejus verba: *proceſſu*, inquit: *temporis magnopere crevit Magenſe aſceterium, & converſis paulò poſt ad meliora inſtituta omnibus* (id eſt, à ritu ſcotico in celebratione Paſchæ ad ritum Romanum) *egregium examen continebat monachorum, qui ex provincia illa ibidem collecti ad exemplum Venerabilium Patrum ſub regula & Abbate Canonico - - - - vivebant. Quibus verbis Beda innuit Magenſes ad regulam*

in

apud Bolland. die 6. Jan. Cap. 1.

Ann. Ben. L. 49. n. 41.

L. 15. Annal. n. 34.

in Britannia tum recepta, hoc eſt, Benedictina, inſtituta acceſſiſſe. At unde hæc aſſertio? cùm regula S. Benedicti tum nec inducta adhuc eſſet in Angliam, cujus introductæ auctor primus fuit S. Wilfridus, ſed non in omnibus monaſteriis & ſignatè quidem in Magenſi, de quo nos alibi plura. Nihil aliud ergo per Abbatem Canonicum voluiſſe Bedam. intelligere, quàm Præpoſitum illius loci canonicè inſtitutum, qui antehàc ùt plurimùm intruſus erat, religioſos etiam hujus Cænobii nil minùs, quàm Benedictinos fuiſſe, & ſolùm vixiſſe ſecundùm regulam S. Columbani patet ex eô, quòd licèt S. Wilfridus apud Malmesburienſem dicat, ſe *vitam monachorum ſecundùm regulam S. Benedicti Patris, quam nullus prior ibi invexit, conſtituiſſe*, tamen certum ſit, S. Cuthbertum ejúsque monachos illam regulam ne noviſſe quidem, ùt diſcimus ex ipſo Venerabili Beda Cuthberti mores ſic deſcribente, ut non poſſet non meminiſſe regulæ S. Benedicti, ſi ſecundùm eam Cuthbertus vixiſſet, liquet id quoque ex Uſſerio quamvìs Heterodoxo, in ſuis tamen elucubrationibus præ aliis non minùs erudito, quàm ſincero, qui ait, *in tota Anglia monaſteria penè omnia centum & ultrò annis poſt S. Cuthbertum* (qui an. 687. obiit) *ad regulam Columbanam fuiſſe confirmata: S. quoque Wilfridum, cùm regulam B. Benedicti attentaret inducere, regulam S. Columbæ etiam cæleſtibus ſignis confirmatam propria confeſſione agnoviſſe.* Inanis igitur eſſet vellicatio, evincere velle, S. Wilfridum ſtatim Benedictinâ regulâ, alteram S. Columbæ Suppreſſiſſe, quæ adeo firmiter impreſſa erat omnibus, Nortumbrenſibus non ſolùm, ſed & Gallis atque Germanis, ut ſæculo nono vix Carolus Magnus niſi quodam pio aſtu per Benedictum Anianenſem conceptô demum perſuadere monachos potuerit ad Benedictinam ſolam recipiendam.

Vide acta SS. ad diem ii. Apr. in Vita S. Wilfridi Archiepiſcopi Ebor.

L. 3. de geſtis Pont. Angl.

L. 17. p. 919. hiſt. de rebus Angliæ.

Patet autem ex his: quid demum & de altero hujus effato ſentiendum? dum ipſum nomen Canonici, habitumque Canonicum ſuis adjudicat. Sed nobis his inhærere refellendis tanti non eſt, cùm talis aſſertio ſui ipſius refutatio ſit, & ad oculum pateat, quô ea ſint animô ſcripta, quem dudum jam alii ante nos viri Doctiſſimi approbare noluerunt.

Annal. Ben. L. 23. n. 38.

Adducere verò iſta neceſſe fuit, nè nos quis putet ſimiles aſſertiones ex ignorantia aut impotentia refutandi ſiluiſſe, conſultò tamen poſthac easdem diſſimulaturi ſumus, jure eò potiori, quo allegatis noſtris argumentis paſſim aliunde cadent opiniones aliter ſentientium. Nos itaque productis, ùt confidimus, Sufficienter documentis, ex quibus partim continuum diſcrimen inſtituti monaſtici à clericali intelligatur, partim frequentiſſima illa confuſio, ac permixtio Clericorum cum monachis cautâ obſervatione penſetur, ne ſcilicèt ſolâ nominis umbrâ decepti ideò quempiam inter monachos reputemus, quòd tali nomine à ſcriptoribus antiquis veſtiatur, niſi alia evidentia ad id aſſerendum exſtent indicia: ad alteram quæſtionem, diſcrepantiamque deflectimus, quam nobis ſequens adornabit

CAPUT II.

De Notis diſcretivis unius inſtituti votivi ab altero, an & quid eæ in ſpecificandis Ordinibus religioſis Operentur.

COmmemoranda ſunt duobus jam antea locis dicta de iis, quæ religionem aliquam in eſſe ſuæ ſingularitatis conſtituunt, ut hac in re cum Philoſophis loquamur, præcipuè verò illud, quod capite ſecundô prioris partis numerô ſextô advertimus, ad

I. *Præmittuntur quædam fundamenta pro quæſtionis præſentis reſolutione.*

ad ſingularitatem alicujus religionis per ſe & abſolutè loquendo, conſtituendam non aliud requiri, niſi finem particularem, qui eam â reliquis diſtinguat: quod ut Clariùs, firmiùſque habeamus, neceſſariò quoque recolenda ſunt illa, quæ paſſim Philoſophi de differentia ſpecifica in totis moralibus ſolent docere; nam niſi huic doctrinæ innixi, & ſecundùm ſolidæ Philoſophiæ principia hac in re diſſeramus, actum agemus, & ea ipſa, quæ ambigua videntur, nova caligine confundemus. Quia verò nimis extra limites noſtri propropoſiti ſaltaremus, ſi, quæ ſuis ſolent probationibus ſtabiliri aſſertiones â ſcholaſticis conſultò res iſtas tractantibus, nos quoque requiſitis argumentationibus conaremur roborare; hinc conſuetam methodum hiſtoricorum ſequentes, potiùs ſupponimus ea aliunde ſuâ jam authoritate ſuffulta, quæ hìc hypotheticè ſtatuemus, cui tamen vacat, aut libet aſſertorum â nobis, rationes fundatas experiri, adeat noviſſimè editam Philoſophiam Pollinganam â Clariſſimo Domino Euſebio Amorth cum applauſu omnium eruditorum concinnatam. Ex hac igitur

tr. de univerſalibus q. ii. n. 1. & ſeq. item de prædic. q. 1.

Non à partibus, ſimpliciter ſecundùm ſe conſideratis, ſed à merito objectivo habetur diverſitas ſpecifica in totis moralibus.

Obſervo primò: differentiam ſpecificam in moralibus (de toto enim morali iſthic agitur, quæriturque, tum per quid in ſua ſingularitate, & totius per ſe ſubſiſtentis ratione conſtituatur, tum per quid ſpecificè ab aliis ſibi alioquin ſimilibus totis differat?) non deſumi â diverſitate partium etiam eſſentialium, ſed â merito objectivo diſtinctionis moralis, id eſt ab ea diverſitate, quæ ſufficit ad prudenter dijudicandam diverſam claſſem entium, etiamſi non neceſſariò illam conſtituat. Si ergo ſecundùm prudens judicium hominum æſtimetur aliquod totum morale habere partes tam diverſas â partibus alterius, ut ſpecificè judicetur diverſum, tunc vi meriti objectivi differet ſpecificè unum totum morale ab altero.

Secundò: totius alicujus moralis, quod ſimul eſt ſucceſſivum, illæ partes actu conſtituunt eſſentiam, quæ pro illo tempore & circumſtantiis requiruntur ad conſtituendum totum. In rebus phyſicis ſucceſſivis patet veritas hujus aſſerti aliunde: ſic templum aliquod ſuccedentibus multis ſæculis idem æſtimatur, etiamſi ſenſim, & inadvertibiliter hinc inde per reparationes partium, ne unus lapis exiſteret â prima ſui conſtructione applicatus. In totis moralibus autem declaratur exinde, & penè â fortiori, eò quòd plurima dentur talia, quæ licèt ſucceſſu temporum magnas immutationes ſubjerint, eadem tamen exiſtere judicantur: ſic antiquiſſimum habetur Romanum Imperium, quod eſt totum aliquod morale, actione humana corpus in unum coadunatum, quodſi conſiderentur hujus Imperii initia, & conferantur cum ſtatu moderno, præter inſignia Aquilarum Romanarum, & nudum nomen, vix ulla illius antiqui Romani Imperii pars reperietur, attamen ſucceſſio nunquam interrupta adeo conſervavit identitatem eſſentialem, & effectus morales ad hanc identitatem conſequentes, ſcilicet: Jura, obligationes, aliaſque prærogativas, ſaltem aliquas, ſi non omnes, ut idem omninò æſtimetur. Neque autem ob aliqua Jura, prærogativas &c. aut injuriâ ſubtractas, aut alioquin, ſponteque dimiſſas vel abolitas, neque econtra ob novas quaſdam eſſentiæ non contrarientes aſſumptas leges, conſuetudines, mores &c. diverſum atque diſtinctum reputabitur. Ex quo obſervo

Tertiò: in totis moralibus (cùm præcipuè diverſitas ſpecifica deſumatur â merito objectivo) mutationem quarundam partium, aut adjectionem vel demptionem ſucceſſu temporis contingentium,

non

Digitized by Google

non immutare in eſſe ſuo analogico ipſum totum, niſi partium immutatio, adjectio, demptio, talis eſſet, ut ex merito objectivo appareret ſpecifica diverſitas; aut ex parte principii exigentis certas partes ad conſtituendam ſpecificam rationem totius immutarentur eædem partes. Patet id ab inſtantia plurimorum compoſitorum moralium, v. g. in ſacramentis, in conſtructione templorum, in ipſa ſacra Eccleſia Catholica; dicimus enim (& nemo, niſi Hæreticus, negat) Sacramenta Baptiſmi, Ordinis, Matrimonii &c. neutiquam differre ſpecie, à primævæ Eccleſiæ Sacramentis: quamvìs certiſſimum ſit, multas partes eſſentiam non conſtituentes partim fuiſſe abrogatas, partim mutatas, partim abjectas, ita quidem, ut ſi indocti, aut rudis hominis interpellaretur judicium, exempli causâ inter celebrantem Sacrificium miſſæ S. Paulum Apoſtolum, & aliquem noſtri temporis Epiſcopum, crederet, firmiter ſpecie diverſum ſacrificium, quamvìs prudens Arbiter ex merito objectivo nullum aſſereret eſſe ſpecificum diſcrimen. Hæc ſummariter delibare ex dicta Philoſophia Pollingana libuit, quæ etiam Lectoris ſummoperè memoriæ judicioque commendamus, nam ſecundùm iſta principia ſtabunt inconcuſſà, quæ per ambas ſubſequas partes adhuc declarare paramus. His verò ſic poſitis

Certum eſt primò: unum ordinem religioſum diſtingui ab altero: juxta illud Pſalmiſtæ: *aſtitit Regina à dextris tuis circumdata varietate.* Quem textum commentatores explicantes, per *Reginam* intelligunt Eccleſiam aſſiſtentem Regi Cœleſti, per *varietatem* verò, diverſitates ſacrarum religionum, quibus tanquam variegatâ veſte amicta ſummo Principi adſtat decora atque venuſta: hæc verò varietas provenit ex ipſa differentia ſpecifica unius religioſi ſtatûs ab altero, quæ in alio fundari non poteſt, niſi juxta allatas regulas in merito objectivo, vi cujus prudens hominum judicium reperit partes unius religioſi ſtatûs ſic diſcrepantes à partibus alterius inſtituti, ut exinde legitimè inferat inter illa ſpecificum diſcrimen intercedere.

Pſ. 44. 10. Valentia in hunc locum aliique apud Le Blanc.

Certum eſt ſecundò: in religioſo inſtituto, non omnes partes, quas illud complectitur, conſtituere, atque fundare diſtinctionem ſpecificam, ſed tantùm aliquas. Ut verò ſciatur, quænam illæ partes ſint? rurſus recurrendum erit ad meritum objectivum, in quo ſe judicia humana diverſimodè fundare neque ſemper in iiſdem totis moralibus eaſdem pariter partes pro diſcretivis aſſumere ſolent, ſed ſecundùm diverſas circumſtantias, viceſque temporum alias atque alias: liquet id manifeſtè ab inductione, ſic religioſi ùt plurimùm nunc diſcernuntur per veſtem ſeu habitum, unde Clem: Ult: de regul: dicitur: *talis quis ex habitu, quem geſtat, præſumitur, qualis is eſſe, cujus habitum fert, comprobatur.* Quod tamen antiquitùs non fiebat, neque tale diſcrimen per habitum innuebatur, utpotè nullo ordine niſi Clericali, & poſt aliquot ſæcula monachicò unô ſolôque, nec in diverſas ſpecies diſtinctô exiſtente: prætereà antiquitùs monachiſmum à Clericatu ſufficientiſſimè diſcernebat ſolus finis particularis, hinc, qui ſoli, & à populo ſequeſtrati vivebant, quaſi per antonomaſiam mox monachi dicebantur: nam de iſtis Hieronymus: *ſi cupis eſſe quod diceris, monachus, id eſt ſolus, quid facis in urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum.* Cùm verò Clerici ſe ſuccedente tempore reſtringerent ad contemplationis otium, monachi econtra paſſim ad Clericalia officia aſſumerentur, hæc nota diſcretiva à vulgo quamdam ſyncopen paſſa eſt, utpote nimiùm obruta

Vide Mabil. Præf. in annal. Bened. Tom. 1.

Digitized by Google

ruta exercitiô finis particularis Clericorum, ideoque ex merito quidem objectivo aliæ, eæque novæ notæ ad diſcrimen extrinſecum obtinendum aſſumptæ. Verùm, ùt propriam, ac ſolidam doctrinam diſcriminis formandi ſtatuamus, primùm remittentes lectores ad ea, quæ prioris partis Cap. 2. n. 5. ex Pellizario obſervavimus, hæc ultrò tanquam notatu ſummè neceſſaria adjungimus, nimirum: diverſitatem illam, quaſi ſubſtantialem, quâ unus ordo religioſus ratione finis diſtinguitur ab altero, & diverſitatem accidentalem, qua ſolùm modus, circumſtantiæ, ritus &c. eundem tamen finem afficientia diſcrepant, cauſare quoque diverſimodam in ordinibus diſtinctionem. Quia enim Certum eſt, dari imprimis diſcrimen inter ordinem Clericalem, & monaſticum, atque iſtud quidem omnium maximum, ut patet ex ſancto Thoma & ex Suario t. 4. de relig. tr. 9. L. 1 C. 7. n. 6. 7. 8. 9. hinc idem, quia ſe formaliter fundat in diſparitate finis particularis, quem quisque ordo intendit, meritò quaſi ſubſtantiale dicendum erit: deinde datur in ipſo quoque inſtituto tam monaſtico, quàm Clericali aliqua ordinum diſcrepantia, quæ quidem non tanta eſt, quanta prior, quia tamen ob certa media ipſum finem particularem afficientia inter ſe diſtinquuntur, hinc dicenda erit in iis diſtinctio intercedere, ſed accidentalis tantùm, eò, quòd in fine primario particulari non diſcordent. Unde certum eſt, ſicut exempli cauſâ inter Canonicos Regulares, & monachos Benedictinos datur diverſitas quaſi Subſtantialis, ob finem ab utrisque principaliter intentum diverſum, ſic inter eosdem Canonicos, & Theatinos aut Patres Societatis, aut Prædicatorum non niſi accidentalis intercedit, cùm nempe in fine primario vitæ mixtæ omnes conveniant.

opuſc. 34. Concl. 4. contra imp. relig.

At poteſt adhuc quædam tertia diverſitas, imò & quarta aſſignari, eam tamen potiùs accidentalem dicerem, quàm ſubſtantialem, licèt poſteriori modô aſſerat eam reperiri in inſtituto ſocietatis ſæpè cit. Pellizar: rationem mox infra meæ opinionis ſubiiciam: tertiam igitur, quam dixi, diverſitatem reperire erit in inſtitutis illis, quæ conſpiciuntur ex uno certo ac determinato, quaſi ex quodam fonte pullulare, ſicut nos ſuperiùs ex Mabillonio oſtendimus ab ordine Benedictino ſucceſſu temporis emanaſſe Camaldulenſium, Vallumbroſanorum, Carthuſianorum Grandimontenſium inſtituta, quorum omnium vivendi norma in ſubſtantia finis particularis monaſtici convenit, adeoque eadem ſubſtantialiter diſcrepare non poſſunt: prætereà habent eandem regulam, & in multis ritibus, ac obſervantiis, finem particularem afficientibus non minùs concordant, atque hinc majorem inſtituti unitatem præſeferunt, quàm exempli cauſâ, monachi S. Baſilii, aut S. Hieronymi &c. Unde accidentalis hæc varietas dici poterit minor quidem, quàm illa, tanta tamen, quanta ſufficit, ne identicè iidem plures reputentur Ordines. Quartam denique ponit Pelliz: aitque haberi poſſe in una eadémque numerô religione, & eam defacto dari in ſocietate declarat, utpote, cùm hæc in tres gradus eſſentialiter diverſos ſuos alumnos diſtinguat, nempe in Coadutores formatos, in ſcholaſticos, ſeu ſcholares approbatos, & in profeſſos tum trium, tum quatuor votorum: verùm quamvis hanc diverſitatem graduum vir iſte doctiſſimus eſſentialem dicat, cenſeo tamen potiùs accidentalem, eámque inter omnes minimè diſcretivam nuncupandam, eò quòd unitatem ac identitatem inſtituti ob illam ſubordinationem, quam hi gradus in dicta ſocietate adinvicem veluti membra heterogenea in uno eodémque corpore phyſico habent, neu-

Part. 2. C. 2. n. 5.

Digitized by Google

neutiquam diſpeſcant, quamvis ergo ad invicem conſiderati eſſentialiter diſcrepent, ſicut in corpore humano pes à manu, aut capite, attamen *reſpectu* diſcriminis cauſandi in ipſo tali *inſtituto*, cùm certum ſit eadem ſuâ ad invicem diverſitate eſſentiali nihil omnino operari, pariter ob ſolam quampiam diſtinctionem ſubordinationis potiùs accidentalis quàm ſubſtantialis diverſitas videtur eſſe adſtruenda. Verùm, quia totum quæſtionis noſtræ propoſitum ſolùm ad priores tres varietates dirigitur, dum nempe perquiritur: qui inſtitutum aliquod poſſit diſcerni ab alio *quaſi ſubſtantialiter*, id eſt, ſecundùm finem ſuum primarium particularem, ſecundò *accidentaliter*, id eſt, ab iis inſtitutis, quæ dum finem particularem eundem ſortiuntur, diſcordant tamen alioquin in pleriſque mediis atque obſervantiis, ac denique minùs accidentaliter, ita tamen, ut in iiſdem ratio identitatis ob quædam ſaltem media ad diſcrimen certum ponendum ſufficientia tollatur, hinc ſolùm ad has duplices diſcrepantias accuratè perveſtigandas ſuppono.

2\. *Media, & nota unum inſtitutum ab alio ſpecificè ſeu quaſi ſubſtantialiter ſeu accidentaliter diſcernentia, non finem generalem ſed particularem, hùncque non privata ex libertate ſed ex inſtituti exigentia afficiant, neceſſe eſt.*

Certum eſſe tertiò: meritum objectivum, à quo diſcrimen inſtitutorum diſcere ſolemus, non in puro ac libero hominum judicio, ſententiáque conſtitui, ſed ejuſdem præcipuum fundamentum hauriri ex ipſa ratione hujus illiúſve inſtituti, ita quidem, ut, ex hoc primùm ſapienter inveſtigato, demum meritum objectivum oriatur, unde viri docti, atque perſpecti diſcrimen concludunt, atque decernunt. Nunc autem quæritur, in quo propriè hæc ratio firmetur? ad quod repono, dudum ex allata, tum hac præſenti, tum prioris partis Capite 2do doctrina eandem ſtatui in fine utroque, id eſt, tam generali, quàm particulari, inſuper & in mediis, cuicunque inſtituto ſaltem recentiori adjungi ſolitis, ut, ſi ea afficiant finem generalem ex inſtitutione ſeu Eccleſiæ, ſeu fundatoris, operabuntur non niſi tale diſcrimen, quô generaliter inſtitutum religioſum in ſuo eſſe magis minúſque firmetur; econtra ſi illa afficiant finem particularem quaſi ſubſtantialiter, & quidem ex conſtitutione Eccleſiæ, vel Fundatoris, vel authoritatem habentis, tum diſcriminabitur quoque in ſua ſpecie infima diverſitate illa accidentali, de qua locuti ſumus. Ratio verò hujus deſumitur, quia, ut ait, S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 1. *finis eſt potiſſimum in unoquoque: major eſt religionum diverſitas, quæ attenditur ſecundùm diverſos fines; ad quos religiones ordinantur, quàm quæ attenditur, ſecundùm diverſa exercitia.* Hinc juxta Pellizar: & citatum ab ipſo Suarium t. 4. Rel. tr. 9. C. 1. n. 9. unitas ſeu identitas religionis deſumitur ex Convenientia in fine particulari, & mediis eum afficientibus: certum enim eſt, res morales eò magis aut diſtinctionem aut unitatem ex ipſo fine recipere, quò differentiora inter ſe media (præcipua illa, & conſultò ùt ſupponitur, ad hoc illúdve inſtitutum requiſita) eundem finem affecerint: patet igitur, quæcunque in aliquo inſtituto religioſo media adſint, ea eſſe conſideranda, an aſſumpta ſint formaliter & abſolutè ad finem particularem certô modô meliùs aſſequendum, an ad finem generalem? quem intendit ſubſtantia ſtatûs religioſi: ſingularitas enim, ſeu ſpecies infima per illum & per media eidem adjecta, non per hunc neque per media ad hunc immediatè directa in ſua unitate, ac, ut ita dicam, individualitate conſtituitur. Ex quo

Certum eſt quartò: faciIlimè jam viam aperiri inveſtigandi diſcriminis & cauſæ, cur hæc illáve media ac obſervantiæ unum ordinem ab altero diſtinguant, & cur viciſſim alia quamvis adjecta nihil in ejus unitate ſpecifica immutent:

Con-

Digitized by Google

Conſideranda enim eadem ſunt, an eligantur ad afficiendum finem Generalem, an particularem, quodſi illud? apparebit manifeſtè, quæcunque demum illa, identitati inſtituti nihil obſtitura, quod nos inferiùs parte 3. Cap. 4. demonſtraturi ſumus de ſolemnitate votorum, eam nempè, in inſtitutis religioſis nihil planè quoad ſpeciem infimam immutaſſe, ex eo, quòd hæc ſolùm ac unicum immediatè finem generalem afficiat. Atque inde eſt, cur nemo eruditorum neget, monaſteria monachorum Ordinis S. Benedicti tum ante magnum Gregorium quæcunque, tum poſt illum usque ad tempora Innocentii Secundi non pauca, nulli ſolennitati votorum obligata, identica ratione eadem fuiſſe cum illis, quæ dein hanc ipſam dimiſſâ ſimplicitate, receperunt: inde quoque eſt, Canonicos ipſos regulares, etiam ab adverſariis circa annum 1039. exortos aſſerentibus, paſſim concedi, ejusdem ſemper poſtmodùm ſpeciei permanſiſſe, etſi certò conſtet, plus quàm centum annis illos in ſimplicitate votorum perſtitiſſe, & primùm ſolennitatem annô 1140. quô hæc decreta eſt (ſed neque ex tunc omnes) ſuſcepiſſe: hinc denique eſt pariter, regulam in ſpecie infima Ordinis nihil diſcernere, utpote, quòd illa non minùs finem potiùs generalem afficere deprehendatur, quàm particularem, ùt patebit ipſum decretum Innocentii tertii ſcrutanti. Dixi, *potiùs finem generalem quàm particularem*, non enim abnuo, ſuô modô regulam Clericalem etiam fini particulari illigari, verùm non, ut accidentalem illam ejusdem inſtituti v.g. Clericalis diſcrepantiam conſtituat, ſed *ſubſtantialem*, quâ ſcilicet mediante, faciliùs, magiſque diſcerni poſſit ab inſtituto illo, quod diſtinctùm ab illo primarium finem particularem intendit, quale eſt monaſticum. At viciſſim inde quoque eſt, unum ordinem ab altero hoc ipſo diſcerni ſecundô vel tertiô modô, quòd media finem particularem afficientia talia contineat, quibûs in altera neutiquam repertis neceſſariò diſtinctus efficitur: prout id de Ordine Præmonſtratenſium, ac Patrum Prædicatorum ſequenti parte oſtenſuri ſumus.

Hæc ſingula tanquam certa, ſi perpendantur accuratiùs, facilè quemvis ad eam deducent veritatem, ut aſſerere incunctanter poſſit diſcrimen unius inſtituti ab altero; ſi modò prudente judicio inveſtigare noverit, media illa plerumque inſtitutis religioſis adjuncta, an finem generalem afficiant, an particularem, &, quodſi hunc? an vi inſtituti electa, an ſolùm privatâ aliqua libertate ac propenſione in regularem diſciplinam, intereà nihil in præſtituto fine ad cauſandam diſcretionem ſpeciei immutantia.

Quia verò nullus, ne quidem antiquiſſimus Ordo, hôcipſo, ſi in ſpecie infima conſtitutus aſſeratur, aſſignabilis videtur, quin ſuas notas diſcretivas habuerit, quibus diſcriminari poſſit ab omni alio: hinc præſentis quæſtionis Cardo in eo verſatur, ut eas quoque in inſtituto Clericali antiquiſſimo oſtendamus, vi quarum idem non ſolùm ab origine ſua ſpeciem certam, infimámque contraxerit) prout Partis prioris Cap. 2. probare conati ſumus, ùt plurimùm tunc generalioribus argumentis inhærentes) verùm etiam commutatis non rarò his, illisque mediis, inde tamen nullam ſuæ identitatis paſſum ſit detrimentum, atque in diverſam ſpeciem abjerit. Hoc igitur, ut à nobis dilucidè præſtetur, opus erit ad mediorum illorum (quibus diximus ſpeciem infimam decerni) peculiarem enarrationem juxta propoſitum hujus adornandæ partis deſcendere, & conformiter poſitis iſthoc in Capite noſtris principiis diſquirere, media,

notæ-

Digitized by Google

notæque diſcretivæ, quæ & qualiter inſtitutum votivo-Clericale antiquum usque ad ſæculum undecimum affecerint? hísque ſufficienter diſcuſſis demum reſolvere, an per ea ab exordio ſuæ inſtitutionis usque ad præfatum tempus in ſua ſpecie infima inconvulſâ ac identicâ Succeſſione permanſerit? Hoc quidem capite explorabimus magis ſingularia, ſequenti verò de habitu, ſubſequô demum de regula acturi.

3. *Notæ diſcretivæ ſpeciem diverſificare ſolitæ juxta recentiorum DD. opinionem referuntur.*

Ex antiquis ſeu Doctoribus ſeu ſcriptoribus hiſtoricis nullam licet cognoſcere peculiarem enarrationem aut doctrinam, quæ unquam ſtatuiſſet, quibus perquiſitis mediis ac notis haberi in inſtitutis religioſis diſcrimen quoad eorum ſpeciem infimam determinandam valeat? cujus præcipua ratio, mihi quidem, non alia latere videtur, niſi, quòd eorum minimè intererat tales notas diſquirere: cùm diſcrepantia ſe ſe ipſam ſufficienter in pauciſſimis, nempè (velut ex Langio ſuperiùs obſervavimus) ſolis duobus Monachorum & Clericorum ſeu Canonicorum regularium ordinibus perſpicuam redderet, hinc ubi ad Doctrinam D. Thomæ (qui quidem ſuis elucubrationibus longè tardiùs, & jam multiplicatô religionum numerô innotuit) ſolus finis particularis adhuc ſufficienter diſcernebat Canonicos regulares â monachis, ſi fortaſſe ad ſummum addideris veſtem lineam, ut patet ex eodem S. Doctore, multô magis is ipſe id totum præſtabat antiquitùs. Quapropter, dum de inſtituto votivo-Clericali quæſtio vertitur ſæculum undecimum antecedente, id eſt eo tempore, quo certiſſimè præter ſpecies has duas infimas, monachilem, & votivo-Clericalem, ex ſacris Ordinibus (ùt nunc loqui ſolemus) nullus omninò dabatur, facillimè præterire poſſemus media, notaſque illas diſcretivas â recentioribus ad varietatem religionum ſtatuendam prætendi ſolitas: verùm quia horum tractatus inſignem lucem præferet inferiùs parte tertiâ tradendis, eundem iſthic negligere neutiquam oportet. Itaque.

Opuſ. ſup. cit.

Ex recentioribus Leſſius cum Sylveſtro, aliiſque ſequentes adfert notas Inſtituta religioſa quoad ſpeciem infimam, aut ſubſtantialiter (velut ex Pellizario præmiſſum eſt) aut accidentaliter diſcriminantes, hæc ejusdem Leſſii Doctrina: *Diverſitas*, inquit: *Ordinum provenit ex duobus, primò ex particulari fine ſeu functione, ad quem quiſq; Ordo ſpeciatim eſt inſtitutus, ita D. Thomas Q. 188. art. 1.* hanc diverſitatem ſubſtantialem, juxta Pellizarium, dicimus primariam, atque certiſſimam, & de ſe quidem ſufficientem ad Inſtitutum aliquod religioſum in ſua infima ſpecie individuandum, ùt patet tum ex his, quæ in præviis hujus Capitis obſervationibus tradidimus, tum quæ Capite 2. prioris partis declaravimus; hinc datô ordine aliquô peculiari nullâ aliâ notâ niſi unico fine particulari veſtitô, ſufficiet ad ſuam individuationem firmandam, dummodò alii eidem fortè fini particulari intenti ſe per nova media huic fini ſuperaddita, ab illo diſcernant.

De. ſt. Rel. L. 1. C. 41. dub. 2 n. 16. & 17.

Proſequitur dein Leſſius & de his ſic diſcurrit: *ſecundò ex particularibus mediis, & ritibus, quibûs utuntur vel ad vota ſua meliùs ſervanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam. Sic inter Ordines ad contemplationem inſtitutos videmus magnam varietatem in habitu, victu, jejuniis, aliiſq; piis exercitiis, ſimiliter inter Ordines mendicantium. hinc fit, ut diverſæ ſint regulæ, & conſtitutiones religionum, quibûs hæc omnia in particulari præſcribuntur.* Hinc apparet, notas iſtas manifeſtè tales eſſe, quæ religioſum ſtatum non qualitercunque attingunt, ſed ut fini particulari, conſultò & ex inſtituto Fundatoris, adjectæ. Quamvis enim quædam media conſiderari poſ-

poſſint, & cenſeri, quaſi ipſi fini particulari abſolutiùs perficiendo & obtinendo jungantur, ſi tamen ea penſiculatiùs obſerventur, liquebit, aſſumpta fuiſſe, aut præcisè, in quantum conducunt ad finem generalem, aut tanquam media neutiquam ad diſcrimen cauſandum electa. Sic videmus Carthuſianos præcipuè diſcerni ab aliis religioſis perpetuâ Clauſurâ, econtra hæc ipſa non diſcernebat Canonicos regulares Windeſemenſes, de quibus Buſchius in ſuo Chronico L. 1. c. 46, etſi eandem inſtituerent ad normam ipſorum Carthuſianorum, ut idem citatô locô diſſertis verbîs enarrat. Cujus cauſam aſſignare aliam non poſſum, niſi quòd medium iſtud ab utróque inſtituto, diversô aſſumeretur affectu, ab illo quidem, ùt partialiter ſui conſtitutivum, ac fini particulari innexum; ab iſto autem, ùt liberè electum, & quamvìs ſuô modô fini generali expediens, neque tamen ex conſtituto hujus determinati ſtatûs Canonici decretum, atque definitum: unde & legimus, *quòd per conſtitutionem iſtam nemo debuit, ſeu potuit ad id compelli.* Ibid.

Itaque ſi jam notas omnes diſcretivas enumeremus, erunt primò: *finis particularis*, ſecundò: *certi particulares ritus, atq; Cæremoniæ uſurpari ſoliti.* Tertiò: *pia exercitia tum ſpiritum* (ùt ſunt contemplationes, meditationes, colliquia ſpiritualia &c.) *tum corpus* (*nempe caſtigatones per flagella, cilicia, jejunia, groſſum, durúmque veſtitum &c.*) *afficientia.* Quartò: *Certa regula & plerumq; præter hanc certæ conſtitutiones.*

Has notas diſcretivas paſſim in Clericatu antiquo votis adſtricto repertas fuiſſe nunc demonſtrare expedit, ne quid in perveſtiganda veteris hiſtoriæ noſtræ veritate tranſiiſſe videamur ideo, quaſi ſententiæ noſtræ fortiùs adverſarentur, quàm ut â nobis diſſolvi poſſent. Non enim ignoramus, hâc quæſtione dimiſsâ, facilè nos arguendos, id factum, quòd minùs ſufficienter expediti eſſemus, ad ſingulariter easdem commonſtrandas partim illis, qui omnia hæc media, ſeu notas has diſcretivas in priſtino Clero repertas negant, ut ſæculares non votivos exſtitiſſe evincant, partim aliis, qui dum eas admittunt, hôc ipſô adeò volunt eſſe diſcretivas, ut ex genuinis Canonicis ob has ipſas monachos efforment. Utrique ergo parti harum notarum exhibitione ſatisfaciendum.

4. *Quæ & qualiter notæ diſcretivæ olim in votivo Clericatu viguerint, oſtenditur.*

Finem particularem, quem nos vitam mixtam dicimus, in votivis antiquis Clericis viguiſſe teſtimonia patentia proſtant, & quia hæc ex contemplativa atque activa contracta eſt, de illa præcipuè diſcurrendum, cùm de iſta, utpote â Clericis per ſe, & ex inſtituto principaliſſimè intenta, ne dubitari quidem poſſit. Affirmat autem Suarius: *Chriſtum Apoſtolos vocaſſe ad genus vitæ mixtæ*, quemadmodum integram hujus Doctoris ſententiam ſuperiùs Part. 1. C. 1. retulimus: quodſi ad genus vitæ mixtæ, ergo non ad ſolum Eccleſiaſticum miniſterium exercendum, ſed & ad contemplationem tanquam medium vitæ activæ ſummè neceſſarium. Porrò Hieronymus, quamvìs alioquin accurratum monachum inter, & Clericum diſcrimen obſervans, attamen, cùm de præſtituti finis qualitate ad Oceanum Clericum ſermonem ſtatuit, non minùs huic vitæ Contemplativæ curam incumbere, quàm unquam aliàs monacho, docet. *Clericum*, inquit, *ſilentium atque ſolitudo facit.* Duo ſcilicet vitæ contemplativæ cardines, atque columnæ, hinc ut ſuum Nepotianum vir ſanctiſſimus condigna laude extolleret, dixit: *eundem lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam Chriſti feciſſe.* Auguſtinus, cùm ſibi â Valerio prædicandi munùs imponeretur jam Presbytero conſtitu-

t. 3. de rel. L. 3. C. 2. n. 10.

In Epitaph. Nepot.

ſtituto, deprecabatur officium, quod nec dum ſatis ſe in otio contemplationis ſolidaſſet: *debeo*, inquit

Ep. 141.

ſcripturarum omnium medicamenta perſcrutari, & orando, ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tam periculoſa negotia tribuatur, quod ante non feci, quia tempus non habui. Tunc enim ordinatus ſum, cùm de ipſo actionis tempore ad cognoſcendas divinas ſcripturas cogitaremus, & ſic nos diſponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium eſſe poſſit. Et cùm ipſe ſermone posteriori de communi vita Cler. inſinuaſſet, qualiter cum Clericis ſuis viveret, ut ubi deſcripta ſit forma, quam deſiderarent implere, noſſent, ſcilicet in ipſo apoſtolicorum actorum libro: quia in hoc non ſolùm communem qualemcunque vitam legerat, ſed eam quoque, quæ contemplatione ſimul & actione condiebatur, an illâ neglectâ putabimus tantum virum ad hanc unam ſe cum Clericis ſuis obligaſſe, maximè dum de eo diſſertè poſſidius ſcribit, quòd *ſpiritualibus ſuſpenſus & inhærens rebus, vix aliquando ſe ipſum ad iſta temporalia*

in vita C. 24.

ab æternorum cogitatione relaxabat: & erat tanquam illa religioſiſſima Maria typum geſtans ſupernæ Eccleſiæ, de qua ſpiritum eſt: quod ſederet ad pedes Domini &c.

Deinde in Vaſionenſi ſecundo Concilio an. 529. habito ſtatim Canone primo decernitur: *ſecundùm conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque* (Presbyteri) *in domos recipiant,*

Can. 1.

& eos quomodo boni Patres ſpiritualiter nutrientes, pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant, ut ſibi dignos ſucceſſores provideant. Sic ergo Patres hujus Concilii Clericis omnibus vitæ contemplativæ ſtudium à teneris jam annis commendandum curant, ut inde quisque noſſet, activam vitam ſine contemplativa in Clericatu ſubſiſtere non poſſe. Hinc facilè colligimus, dum virorum Sanctorum in Clericatu viventium acta percurrimus, quî fiat, ut ſemper intenſiſſima eorum ſolertia in contemplatione, ſilentio, ſolitudine commendetur. De S. Eulogio vitæ ſcriptor coævus eidémque familiaris ait: quòd *Corduba Civitatis Eccleſiæ miniſterio mancipatus Sancti ac Beatiſſimi Zoili æde deſerviens, & in ejusdem Collegio Clericorum* (non monachorum) *vitam deducens multis Clariſſimis virtutibus floruit &c. & cùm jam annos juventutis attingeret, Diaconii miniſterio fungitur, atque in brevi merito vectus ad ſuperos gradu Presbyterii ſublimatur &c. & hinc cæpit ſe acriori vitæ auſteritate conſtringere &c. Scripturis vacare divinis, & corpus ſuum vigiliis ac jejuniis caſtigare: monaſteria frequentare, cænobia inviſere, regulas fratrum componere, hinc inde cuncta eô modô curare, quô ſi poſſet fieri, utrobique adeſſet, ita Clericatum agens proprium* (vitam ſcilicet activam) *ut regularem ordinem non dimitteret alienum* (nempè vitam contemplativam, quæ, ùt aliàs obſervaveram, communiter nomine monachili veſtiri conſueverat) *ita monachis adhærens, ut Clericus probaretur*.

acta. SS. Bol. 11. Martii.

Similia æquè de S. Eligio legimus qui ad Epiſcopatum Noviomenſem electus ex ſæculari laico & aurifice, *cùm ſe nullô modô ab impoſito munere excutere poſſet, ne in ullo à Catholica regula deviare videretur, non ſe permiſit priùs ſacerdotem conſecrari, quàm ſub Clericatûs normula, aliqua temporis curricula exegiſſet*, nempe, ut contemplationis otium præmitteret negotio Epiſcopali. Paria quoque de S. Amando, Paulo Leonenſi, Lietphardo, aliiſque penè innumeris legenda offeruntur.

in vita apud Sur. 1. Decem. L. 2. n. 2.

Et ſi præter adductum Vaſionenſe concilium, Toletanum quoque ſecundum, & quartum, nec non & Turonenſe ſecundum, inſtituta pro Clericis primùm ab Iſidoro Hiſpal. conſcripta, dein velut excerpta tum à Chrodegango, tum

Iſid. L. offic. 1. C. 2do. & Chrodeg. in reg. Cap. 64. Concil. Aquis: C. 100.

Concilio Aquisgranenſi in ſuam regulam translata perquiramus; ſanè apparebit dudum præceptum fuiſſe, ut Clerici hi doctrinæ, lectionibus, pſalmis, hymnis, Canticis, exercitiò jugi incumbant: tales enim eſſe debent, qui divinis cultibus ſe ſe mancipandos exhibere ſtudent, ſcilicet *ut dudum ſcientiæ operam dantes* (divinæ nempè ac religioſæ) *doctrinæ gratiam populis adminiſtrent:* an non hoc eſt vitam contemplativam activæ jungere, mixtámque ex utraque profiteri?

Verùm ubi nimiâ propemodum induſtriâ pro demonſtranda in Clero vita contemplativa laboramus, opus eſt, ex altera quoque parte cavere, ne eundem ad ipſum planè monachismum ſtrictè talem ablegemus; etenim ex adductis argumentis fuére profectò, qui dicerent, Auguſtinum non minùs, quâm alios complures ſanctos eò, quòd ſe tam intenſè vitæ contemplativæ addicerent, aut monachos exſtitiſſe omnino, aut ſaltem ex iis Clericos evaſiſſe. Huic itaque opinioni ut occurramus, ad poſita principia noſtra reducimur, dum expreſſè docuimus Clericos votivos inſeperabiliter vitam mixtam fuiſſe profeſſos, quamvis, antequam ſe actuali exercitio vitæ activæ exponerent, otio internæ contemplationis (ſed ùt perfecturæ alteram præſtituti finis particularis partem) vacarent: neque hoc paradoxum cuiquam videri debet, cùm juxta Suarium, alióſque viros doctiſſimos pro certo habeamus, Apoſtolos, eorúmque imitatores Clericos ad genus vitæ mixtæ à Christo vocatos, qui tamen & ipſi diſtinctis temporibus jam contemplationi incumbebant, jam prædicationi, ut ex actorum Cap. 10. 14. & 6. v. 4. pateſcit. Ex quo diſſertè Gregorius deducit: quod miniſtrorum Eccleſiæ ſit, *ut quieti contemplantes ſorbeant*, *quod occupati erga proximos loquentes effundant.* Neque hæc vitæ ratio

6. Moral. C. 17.

quemquam Clericum transmutabit in monachum, cùm longè alius ſit finis monachorum, quàm Clericorum, diximus enim jam priori capite ex Hieronymo, *aliam eſſe monachorum cauſam*, *aliam Clericorum*: *Clerici paſcunt Oves*, *monachi paſcuntur.*

Superiùs Cap. 1. n, 2.

Quodſi jam quæras, quî tantò inter monachos, Clericóſque aſſertò finis particularis diſcrimine, à nobis tamen adeò impunè ſæpiùs per hanc Exegeſim concedatur, Clericos, non ſolùm monachos dici poſſe, ſed & inſtituto ſuo adeò firmiter junxiſſe monachismum, ut ideò vix à doctiſſimis indagari poſſit veterum Clericorum & monachorum diſcrimen. Facilè repono ſic obiicienti, minùs eum fortè penetraſſe, quæ de monachismo Clericatui juncto notavimus, monachismum enim ſumi dupliciter perſpicuum eſt: latiùs nimirùm, prout cujuscunque generis religioſum denotat, ùt terminis docet Peregra, Felinus. Marius Antonin. Dominicus Tuſchus, Azarius &c. *& ſtrictè*, nempè ſecundùm propriam monachilis profeſſionis eſſentiam, ſecundùm quam ſolum indigitat inſtitutum vitæ purè contemplativæ, & ex ſe excluſivæ omnino vitæ activæ. Quidquid igitur ſeu hactenùs de monachismo Clericis convenire aſſeruimus, ſeu aſſeremus imposterum, non alio ſenſu, niſi latiori intelligendum volumus: prout ſcilicet non ſolùm juxta mox allegatos Authores, ipſúmque juris Canonici ſenſum, ùt argumentatur cit. Peregra ex Cap. quod Dei timorem: ſed & antiquiſſimorum ſcriptorum loquendi uſum, monachismus ſolam denotat religioſorum votorum ſubſtantiam. Hoc verò modo tantò plus abeſt, ut abnuamus, & Apoſtolos & eorum Succeſſores, Auguſtinum nempe (& quoscunque demum in Clericatu votivè viventes legeris) monachos dici poſſe, quantò evidentiùs noſtra teſtimonia dudum adducta

Et habetur C. alia 16. q. 1. ubi Gratianus notat. C. 1. placuit. monachorum converſationem ab omnibus debere eſſe diſcretam.

Peregra Elucid. L. 2. Elucid. 20. n 1364. Felinus in Cap. non dubium de ſent. Ex. com. n. 2. Mar. Anton. var. reſol. L. 1. reſol. 11. Caſu 63. Tuſchus t. 5. Lit. M. Concl. 311. nu. 4. Azar. Inſtit. moral. p. 1. L. 12. Ca. 19. q. 10.

Digitized by Google

ducta declarant votivos Clericos in ſubſtantia ſtatûs religioſi ſemper cum monachis conveniſſe: at, an ex hac noſtra conceſſione unquam deduci poſſit, Clericos ſucceſſu temporis alios à prioribus fuiſſe effectos in ſua ſpecie infima? vehementer addubito: etſi enim diſſentire nequeamus, ipſos eoſdem Clericos ſæculô præcipuè ſeptimô, ac octavô per regulam Chrodegangi multos monaſticos ritus, mediáque ex monaſtica regula S. Benedicti hauſiſſe, & ad ſuam vivendi normam tranſtuliſſe; neque tamen ideò admittemus, dum fortaſſe ob ſtrictiorem hunc diſciplinæ modum à vulgo & à ſcriptoribus ultrà, quàm hactenùs ob ſolius ſubſtantiæ religioſæ paritatem, monachi dicerentur, etiam monachiſmum plùs quàm antea ſibi adjunxiſſe: nam, juxta doctrinam n. 2. hujus Cap. à nobis traditam, habemus, ex merito objectivo nunquam de alicujus inſtituti ſpecie infima, ſolis mediis eidem adjunctis conſideratis, judicari ſufficienter poſſe, niſi ſimul perpendantur cum reſpectu, quem *finem*, & *qualiter* eundem afficiant: cui ultrò pro ampliori dilucidatione deſervire poteſt, quod Scipio Lancellotus Ex S. Thoma apud Tamburinium eruditè obſervat, ſic ſcribens: *Identitas Votorum non facit diverſas religiones eſſe unam ſolùm, ſecundùm doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 188. art. 2. ubi inquit, quod tria eſſentialia vota religionis pertinent ad exercitium religionis, ſicut quædam principalia, ad quæ omnia alia reducuntur; ad obſervandum autem unumquodque eorum, diverſimodè aliquis ſe diſponere poteſt, puta, ad votum continentiæ ſervandum, poteſt aliquis ſe diſponere per loci ſolitudinem, per abſtinentiam, per mutuam ſocietatem, & per alia hujusmodi; ſubdens: & ſecundùm hoc patet, quòd communitas eſſentialium votorum compatitur diverſitatem religionis, tum propter diverſas diſpoſitiones, tum propter diverſos fines &c.* quô obſervo, verum eſſe, quod ſuperiùs dictum eſt, finem ſcilicet generalem, quibuscunque mediis, & diſpoſitionibus ordinetur, non effecturum aliquam diverſitatem inſtituti, niſi eadem ſimul ordinentur ad finem particularem: nam etſi ex: Ca. Solitudo, abſtinentia, & ſimilia eligantur ad vota meliùs ſervanda, aut omnia, aut aliquod eorum, ad hoc, ut inde certa ſpecies religionis conſtituatur, neceſſariò ejusdem finem particularem ſubſtantialiter, id eſt, in eſſe talis ſpeciei formandæ conſtituere debebunt, ut ſcilicet per hæc media, vota religioſa conſerventur, quod ſi non fieret, ſpecies infima ac certa ob talia media aſſumpta dici non poſſet: ideò inquit S. Doctor, quòd *diverſitatem religionis communitas eſſentialium votorum compatitur, tum propter diverſas diſpoſitiones, tum propter diverſos fines.* Id eſt ſimul propter utrumque. Hinc inſuper incidenter hic noto (quia parte ſequenti amplior hac de re occurret diſcurrendi) ùt jam diximus (occaſio) ſolennitatem votorum, quæ religioſo inſtituto generaliter primò per Innocentium ſecundum adjuncta eſt in Conc. Lat. an. 1140. vel circa celebrato, non poſſe ullo modo inter notas diſcretivas Ordinum religioſorum numerari: utpote, quòd ea imprimis non adſit tanquam medium aliquod diverſificans unum inſtitutum ab altero. Secundò: quia generaliter loquendo, non ordinatur ſubſtantialiter ad diverſum finem, cùm per ſummum Pontificem omnibus religioſis æquali Decreto, & planè ſine ullo reſpectu ad ullius inſtituti religioſi finem particularem, ſed ſolùm ad ſubſtantiam religionis firmiùs conſervandam fuerit conſtituta; ùt patet ex Cap. ut Lex. 27. q. 1, & ex S, Th. 2. 2. q. 88. art. 7. hinc potiùs dicendum foret, ſtatum religioſum, *ſimpliciter talem*, per aſſumptam ſolennitatem ab una ſpecie ad aliam tranſiiſſe, quod tamen

S.Th. 22. q. 188. art. 1. Tambur. t. 1. de Jure Abb. Diſp. 22. q. 1. n. 141.

men nemo adhuc, ut aſſereret, ſomniavit. Neque juvat inſtantia à Patribus Societatis, qui ob diverſam votorum qualitatem in ſuo inſtituto diverſos gradus conſtituunt, etenim præter ſuperiùs obſervata dico, hanc diverſitatem ideo fieri, quòd ex conſtituto ſocietatis, & ex fine particulari, hi diverſi gradus aſſumpti ſint, unde iſta diverſitas qualitatis votorum jam ipſum finem tanquam diverſum medium afficit, atque hinc meritò etiam ipſum inſtitutum diſcriminat.

Ex hac ergo adjecta obſervatione & confirmatione ſuperiùs dictorum liquet apertè, quid demum omnes monaſtici ritus, ac ordinationes à Clericis ac Canonicis aſſumpti effecerint ad monachiſmi commixtionem? ne quidquam nimirum: utpote, quòd ea neutiquam ad finem particularem, aut adæquatè, aut partialiter conſtituendum ordinarentur, verùm eligerentur tantummodo in ſubſidium, ac liberum quoddam exercitium, quô uterque finis tam generalis, quàm particularis cautiùs obſervari poſſet: neque hic modus unquam aſſerendus eſt ſufficiens ad Diſcrimen aliquod in quopiam inſtituto ponendum, alioquin ſequeretur, quòd, cùm per regulam S. Benedicti diſſertè præſcriptum ſit, ut à Carnibus more ſolito omnes abſtineant, Cap. 36. ut veſtiti dormiant, & aut in uno loco omnes, aut deni & viceni cùm ſenioribus, hoc eſt non in ſeparatis Cellis. Cap. 22. aut opere manuum quotidiano occupentur. Cap. 48. & hæc propè in toto ordine (ſi reformatos excipias) ſublata ſint, ſequeretur inquam, totum hunc Ordinem à priſtina ſpecie diſcretum, quod nemo dicet, ratione per ſe ipſam patente, quia hæc pluráque alia, *ſubſtantialiter* & *principaliter* finem particularem inſtituti Benedictini non afficiunt. Et hæc Cauſa in omnibus inſtitutis manifeſtabit luculenter, quid demum illud ſit, quod velut nota diſcretiva, vel ſolùm tanquam medium aliquod ad ſubſtantiam inſtituti non expetitum, id ipſum afficiat. Negari enim non poteſt, omnibus votivis Clericis, etiam illis, quos doctior mundus univerſus inter genuinos & puros reputat, certos ritus, obſervantias, ac diſpoſitiones monaſticas in uſu eſſe; neque tamen unquam ideò monachi cenſentur: non alia haud dubiè de cauſa, niſi quòd omnia iſta media ſubſtantiam finis particularis non conſtituant, neque ad diſcrimen & modificationem ſui inſtituti ſint recepta.

Deinde patulum eſt à ſæculo præcipuè duodecimo activam vitam, ſeu Eccleſiaſticam Sacramentorum adminiſtrationem monachis Benedictinis conceſſam nihil planè in eorum inſtituto immutaſſe, ſed ejusdem ſpeciei infimæ perduraſſe, quod antea: quamvis exinde hanc vitam tanta cura æmulari conarentur, ut ipſi Epiſcopi adverſus hunc monachorum Zelum proteſtarentur in publico Romano Concilio an. 1122. celebrato: *decidit*, inquiebant: *pudor, Canonicorum honeſtas oblitterata eſt, Clericorum religio corruit: dum monachi contempto cæleſti deſiderio jura Epiſcoporum inſatiabiliter ambiunt, & omnes quæ ſua ſunt, quærunt, & qui mundum cum concupiſcentiis reliquerunt, his, quæ mundi ſunt, inhiare non deſinunt, & quibus per S. Benedictum ultro quieſcendi locus offertur, illi ad Epiſcoporum Jura rapienda diu, noctuq; occupantur.* Non ignorabant Epiſcopi huic concilio aſſidentes, jam à Siricio Papa conceſſum fuiſſe, *monachos. quos morum gravitas, & vita ac fidei inſtitutio Sancta commendat, Clericorum officio adgregari.* At dum deprehenderant miniſteria, officiaque Clericalia ſenſim à monachis tanquam ex jure appeti, obteſtantur, negantque quacunque etiam admittente authoritate, exinde Clericatum in jus inſtituti monaſtici vocari

Concil. Rom. ſub Calixto apud Harduin.

Ep. 1. C. 13.

Digitized by Google

Can. 46. vocari poſſe. Unde in Concilio Pariſienſi unanimiter Epiſcopi conclamant, *quia Canonica auctoritas docet, monachos quietem debere deligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio & orationi in locis, in quibus renuntiaverunt, ſedulò permanentes, ut nec Eccleſiaſticis, nec ſæcularibus communicent*. Quandocunque ergo vita activa ſucceſſu temporis monachis communis fieret, ac familiaris, neutiquam uſque ad hodiernum diem apud viros doctos efficere potuit, ut crederentur ſpeciem per hoc diſtinctam contraxiſſe: ſanè non alia iterum ex cauſa, niſi quòd eadem affectata non ſit ad finem ſuum particularem quomodocunque conſtituendum, aut complendum. Poſſent adhuc inſtantiæ ſimiles complures adferri, ſed ſpe freti, fore, ut adducta exempla cuivis erudito ſufficiant, ad ulteriora progredimur,

Demonſtramuſque vitam contemplativam activæ vitæ innexam, prout eadem indiviſibiliter ſecundùm intentum finem (non præciſè ſecundùm exercitium) à tempore Apoſtolorum ſemper intendebatur, nihil inde cùm fine particulari monachorum commune Clericatui adjeciſſe: quinimò potiùs dicendum foret, monachos Clericis ſuum finem, ſcilicet contemplationem reddere in acceptis. Quodſi enim tempore Apoſtolorum, ùt diſſertè Chryſoſtomus ait, *ne ullum quidem erat monachi veſtigium*, & id ipſum tanquam rem confectam eſſe exiſtiment complures recentiores Authores, Pagius in Crit. Bar. ad an. 318. n. 14. Holſtein. in præf. ad reg. Vet. Monach. acta SS. in vita S. Pachomii 14. Maii profectò admittendum omnimodis erat, eam vivendi normam, ſcilicet quæ contemplationem reſpicit, quámque ſibi pro adæquato fine monachi æmulandam aſſumpſerant, ab Apoſtolis eorúmque Succeſſoribus Clericis tranſumpſiſſe. Unde nunquam dici poteſt monachiſmum ſtrictô modô ſumptum Clericatui per ſubſequos Clericos vel canonicos adjectum, ſed vitam mixtam, ſicut Clericatui ab origine adhærentem, ſic ſemper inviolabiliter in votivè viventibus Clericis perduraſſe.

hom. 15. in C. 1. Epiſt. ad Heb.

Hinc quoque reſolves: S. Euſebius qualiter, dum ab Ambroſio dicitur *inſtituta monachorum cum diſciplina Eccleſiæ junxiſſe*, non tamen monacho-Clericos, ſed iſtos (ſi nempè ſtrictè loquamur) puros, ac genuinos inſtituerit, ideo dictos monachorum inſtituta tenuiſſe, quòd amplecterentur ſtudium abſtinentiæ, normam integritatis, & intra urbem ſe congruis temporibus abdicarent uſu urbis ac converſatione: nimirum omnia iſta exegit Epiſcopus à ſuis Clericis, non tanquam ad ſubſtantiam finis præſtituti particularis complendam, ſed tanquam media qualitercunque conducentia ad eundem, aut ſi mavis dicere ad generalem feciliùs exſequendum, prout ſuperiùs de Windeſemenſibus locuti ſumus.

Alteram diſcriminis notam certi particulares ritus, ac cæremoniæ uſurpari ſoliti conſtituere dicuntur, hos habuiſſe ab antiquiſſimo more votivos Clericos non facilè quis diſſentiet, qui acta iterum Sanctorum perlegerit: Petrus Cellenſis vir piiſſimus, & religioſiſſimus primùm Abbas Treviris, dein & San-Remigianus ac demum Epiſcopus Comotenſis circa annum 1180. tractatum de diſciplina Clauſtrali conſcribens tam ſui inſtituti monaſtici, quàm noſtri Canonici diſcrimen, paritatémque conſtituens, ſimul dictas mox notas diſcretivas memorat ſequentibûs verbis: *inflectamus*, inquit *ſtylum ad noſtros ſpeciales eruditores, D. Benedictum, & S. Auguſtinum. Alter Abbas, & monachus, alter Epiſcopus, & Canonicus, uterque Sanctus, uterque Dominici gregis Doctor, & Ductor egregius. Convenit in quibusdam noſtra & veſtra Clauſtralis Diſciplina, differt in quibusdam, ſunt*

ſunt enim quædam quaſi ſubſtantialia in religione, quædam accidentalia. Subſtantiale eſt religioni, ſine quo religio non eſt religio, accidentale, quod adeſt & abeſt pro loco, pro tempore, pro cauſa, pro perſona, pro cæteris circumſtantiis præter religionis corruptionem. Sunt autem ſubſtantiva religionis ſilentium, de quo dicitur: ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus verò ad loquendum, & tardus ad iram, item lectio, de qua dicitur: dum venio: attende lectioni: item peccati confeſſio, de quadicitur: Confitemini Domino, quoniam bonus, & omnia in confeſſione lavantur. Unde dixi: confitebor, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Item oratio: de qua dicitur, ſi quid petieritis Patrem &c. & Cap. 3. *vincula,* inquit: *religionis ſtatuta ſunt regularia: verbi gratiâ ſilentium, jejunium, recluſio Clauſtralis, inceſſus in nullo notabilis, compaſſio, & dilectio fraterna, paterna reverentia, lectio & oratio aſſidua, recordatio præteritorum malorum: timor mortis, ipſius purgatorii, ignis æterni.* Habes primùm ex hoc Petri diſcurſu firmatam, quam mox tradidimus, de diſcrimine Ordinum noſtram obſervationem: inter ſubſtantialia Religionis Petrus numerat, *ſilenlentium, lectionem, jejunium, recluſionem Clauſtralem, orationem &c.* ut inde innueret, ſicut hæc communiter loquendo omnis religionis, ſeu ordinis finem generalem afficiunt, ita ipſa, quamvis certa per ſe particularia media eſſe poſſint, nullum tamen, ſi immediatè generalis finis cauſâ recipiantur, diſcrimen conſtituent: nam, ut exempli cauſâ loquamur, ſilentium ſuô modô ab omnibus religionibus expetitur, nullàmque ab altera diſtinguit, attamen poteſt eſſe nota diſcretiva, talis enim pro certo eſt, unà cum quibusdam aliis apud Carthuſianos: quia ſcilicet non ſolùm acceptatum eſt in ſubſidium finis generalis meliùs obſervandi, ſed & ùt conſtitutivum, ac diſcretivum finis particularis: nihil hac demonſtratione ad confirmationem ſuperjùs dictorum eſſe poſſe opinor evidentius.

Hæ verò notæ diſcretivæ à Cellenſi adductæ, ſicut ſæculô duodecimô eodem teſtante ſolam ſubſtantiam religionis comitabantur, neutiquam autem diſcrimen finis particularis; ſic quamvis nihil referat, an, aut quando in inſtituto votivo Clericali darentur, attamen in eo etiam antiquiſſimis temporibûs uſui fuiſſe, veterum teſtimonia docent. De S. Auguſtino teſtatur Poſſidius lectionem menſalem quemadmodum in bene formatis monaſteriis tam monachicis, quàm Clericalibus hodiedum fieri ſolet, ſemper eum adhibuiſſe: *in ipſâ menſa* (verba ſunt poſſidii) *magis lectionem vel Diſputationem, quàm epulationem potationémque diligebat.* Neque defuêre certæ ordinatæque pro commiſſis defectibus, ac noxis mulctæ atque caſtigationes: nam *ne quiſquam facili privatione*, inquit iterum Poſſidius, *ad perjurium decidiſſet*, conſtituit, quòd ſi quis *prolapſus fuiſſet; unam de ſtatutis; perdebat potionem, numerus enim erat ſuis ſecum commorantibus & conviventibus poculorum præfixus.* Silentium & Clauſtralis cuſtodia ipſo Auguſtini tempore adeò Clericis erat præſcripta, ut Hieronymus teſtetur: *Clericum ſilentium facere atque ſolitudinem.* Hinc S. quoque Cæſarius hanc ipſam diſciplinam dudum receptam facilè in ſuum Cathedrale Collegium induxit: narrat enim Cyprianus vitæ ejus Scriptor, quòd *ad prandium, & ad cænam menſa ſuæ ſine ceſſatione quotidie legebatur, ut uterque interior, exteriórque homo ſatiatus refectione duplici lætaretur.* Preces pariter divinas ſtatutis ritibûs ſic celebrabat cum Clericis ſuis, ut hunc in finem certa quoque officia, ſicut regularibus mos eſt, decernerentur. Meſſianus enim ipſius viri Sancti Diaconus de ſe ipſo ait: quòd *ad judicium delectus ſit,*

Digitized by Google

ſit, curam inter reliqua etiam de nocturnis horis habere: quia verò omnibus rebus S. vir ſemper modum voluit Cuſtodire, præcipuos ad nocturnos vigilantiſſimè obſervabat &c. Erat igitur Meſſianus Fratrum ad preces matutinas excitator, non alio ritu, quàm multis in monaſteriis Clericalibus adhuc noſtra ætate laudabiliſſimè conſuetum eſt, ut per religioſos fiat vigiliæ matutinæ intimatio: prætereà erant in hoc cathedrali, ac Clericali Arelatenſi Cœnobio ſolitæ nocturnæ preces Canonicæ, ac demum alia quamplurima univerſim diſciplinæ regulari conducentia, non tam à Cæſario quàm ab ejus deceſſoribus Sanctiſſimis Honorato, atque Hilario introducta, quod non obſcurè inſinuat vitæ Hilarii biographus apud Bollandiſtas, ita ſcribens: *cùm primùm ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſe ipſo primùm monſtravit, quemadmodum congregatio mundum contemneret, corpus deſpiceret, & vitia ſuperaret, fatigaretur laboribus, manuum quoque operibus continuis vexaretur, ſanctis paginis inhæret, jejuniis & vigiliis ſtudium commodaret, unius tegmine tunicæ contentus æſtatis ardorem & Hiemis rigores toleraret, iter pedibus conficeret &c.* Quid ſingularium rituum ac cæremoniarum ad vitæ clauſtralis perfectionem ampliùs expetere poſſis etiam noſtris temporibus? quàm hoc modô Hilarius Clericos ſuos informaverit, *Clericos*, inquam, ſuos, non *monachos*; quos in lerinenſi inſula reliquerat cùm ad Epiſcopatum aſſumeretur: neque poteſt congregatio iſta alia fuiſſe aut intelligi, niſi quam in Cathedrali ſua Eccleſia ex Clericis collectam, regendámque ſuſcepit, ùt patebit vitæ contextum conferenti, atque hinc haud Dubiè factum, ut ſuaviſſimus diſciplinæ Clericalis hic odor in plures poſteros diffuſus Eccleſiæ Arelatenſis Pontifices, multis ſæculis perduraret, ac demum tam facili negotiô eadem Auguſtinianam reformationem ſub Rajambaldo 42. Archiepiſcopo Arelatenſi circa annum 1064. acceptaret, ùt diſſertis verbis in ſua Gallia Chriſtiana docent Sammarthani, ajúntque ſe habere præ manibus ſtatuta (quæ utinam inter inſtrumenta ad Calcem adjecta produxiſſent) fortè à Bernardo primô, qui ab anno 1129. usque ad 1137. præſedit, B. Archiepiſcopo Arelatenſi & P. Epiſcopo Avennionenſi &c. facta. *Clerus omnis*, inquiunt, *majoris Eccleſiæ, vitam regularem Canonicorum, qui ſub regula S. Auguſtini militant, olim amplexus fuerat, ſed hoc jugum excuſſêrunt Canonici anno 1484.*

T. 2. Maij ad 5. Maij C. 1. n. 10.

T. 1. Gall. Chr. in Archiep. Arelat: in Rajambald §. Col 555. §. 3. & Col. 5.9.

Non poteſt, inquam, congregatio iſta alia fuiſſe, aut intelligi, niſi Clericalis: cùm exploratum ſit, communiter in Cathedralibus Eccleſiis Clericos formaliter & ex natura tales extitiſſe, non monachos ad jus Cathedrale ac Clericale tranſlatos. Et quia de jûre communi Cathedralitas Clericis obſolutè competit, non monachis, niſi expreſſè de aliqua Eccleſia reperiamus Cathedralem prærogativam iſtis fuiſſe datam, ſtandum ſemper erit pro jure Communi Clericorum; cùm monachis non Clericis incumbat ſui inſtituti exceptio ad hanc prærogativam obtinendam, *exceptio verò ubi non reperitur poſita, non eſt à regula recedendum.* Macer in 3. §. ult. ff. de prævaricat: vulgare verò eſt, ac notiſſimum, monachis per ſe & jure communi nunquam competiiſſe regimen, & poſſeſſionem Cathedralium Eccleſiarum, ùt patet ex Cap. 1. de Capel. Monach. quæ regula, ſi unquam, certè ſæculo 4to & 5to uſum ſuum obtinuit, adeo, ut ſpecialis ſemper diſpenſatio requireretur in monachis ad Clericatum extra Clauſtra ſua promovendis, quin ſæculo adhuc undecimo Parochias Cœnobiis monachorum incorporatas, legimus non ab ipſis, ſed à Clericis fuiſſe proviſas, ùt patet exemplis compluribus. Sic monachi in monte tum-

5. *Monachis nullum jus admittevatur ad regendas Eccleſias Cathedrales & Parochiales, at omnimodè Clericis votivis, malè à quibusdam, ob ſimilem ritum vivendi, putatis monachis.*

Digitized by Google

tumbæ ſuo Cœnobio adjunctum habebant clauſtrum Clericorum, quibus cura demandata eſt animarum, teſtantibus id litteris donationum Richardi Nortmanorum Ducis apud Labbæum. Ex Eccleſia Magdeburgenſi, dum in Cathedralem elevaretur, emigrandum monachis fuerat, ex ſui inſtituti ratione ſæculo Decimo: ùt narrat Chroniſta Francoſaxonicus apud Brow. jam libro præcedenti relatus. Denique ut rem pauciſſimis conficiamus ſæculi Octavi Concilium Bavaricum §. *regnante in perpetuum &c.* diſſertè dicit: *nullis comprobari quiviſſe teſtimoniis, ut monachis Parochiæ commendari deberent, vel publica Baptiſmatis obſequia, niſi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent, commorandi negotiô &c.* unde in eodem Concilo §. *titulus*: habetur: *de eo, quod Epiſcopi juxta Canones & Abbates monaſteriorum juxta regulam viverent, cum ſuis monachis hi: illi autem cum ſuarum Cathedrarum Canonicis.* Antonomaſticè ſanè inſinuando Cathedralem Eccleſiam non monachis, ſed Canonicis Clericis eſſe propriam. Ex quo non modicè mirari ſubit authorem veteris, & novæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſeruiſſe, præfatis quarto & quinto Sæculis non ſolùm nullam Clericorum in Epiſcopalibus ſedibus communitatem extitiſſe, verùm ſi quæ etiam extiterint, ſodalitium illud fuiſſe monachorum, etiam Cleri functionibus addictum. Nam, præterquam quòd mox allegata & prioris libri Caput Sextum hanc ſententiam ſufficienter convellant, illud inſuper ex S. Epiphanii vitæ Scriptore aſſumpto argumento ne dicam, commento (nam vita illa, ex qua vir doctiſſimus hanc Pericopen accepit, apud Surium exſtans, cujus fidei auctoritatiſque ſit? quæratur ex Bollandiſtis 12. Maij vit. S. Epiphanii Cap. 157.) ideo in Epiſcopali ejusdem S. viri ſede monachos, non Clericos extitiſſe, quòd hic author dicat *in Epiſcopatu illo monachos omnes fuiſſe octoginta duos;* ne in minimo roboratur. Lubens, etenim aſſentior in Epiſcopatu Salamino ſeu Conſtantienſi monachos octoginta conſtitiſſe, utpote quòd ab Epiphanio æquali fervore potuerant monaſteria in Cypro (ubi Epiſcopus præerat) quàm antea in natali ſolo Eleutropoli conſtrui: at neutiquam, illa verba, *eramus in Epiſcopatu* (Conſtantenſi ſcilicet ſeu ſalamino) *monachi octoginta*, plus arguunt, ideó in Cathedrali Eccleſia monachos extitiſſe, quàm ſi inferrem, eòquòd in Epiſcopatu Pariſienſi v. g. monachi degant plures quàm 801. Cathedralem quòque ejusdem ab ipſis monachis inhabitari. Cæterùm neque ex Epiphanii locis haberi poteſt evidentia illa, quam idem author prætendit, quemadmodum illud eſt. dum ait: *nil eum de communitate Clericorum ſcripſiſſe;* nam in compendiaria doctrina de fide Catholica poſt hæreſim 80. relata, ubi diverſorum Eccleſiæ ſtatuum meminit, ſic profectò jam de hoc, jam de illo diſcurrit, ut, quæ ſæpedictus Author, in monachorum favorem contrahit, æquo jure poſſint & de Clericis intelligi, explicans enim ritus varios S. Eccleſiæ, normáſque vivendi fidelium, jam de Baptiſmo diſſerit, jam de defunctorum memoria, jam de diverſis orandi temporibus hinc inde conſuetis, exin ſubiiciens inquit, *quidam verò ex ſolitariam vitam degentibus in ipſa Eccleſia habitant in civitatibus: aliqui verò in monaſteriis deſident, & procul ſecedunt.* Sed hæc de puris monachis intelligi non poſſunt, quin æquè Clericis accommodentur, dum per ſolitariam vitam non illam ſe intelligere anachoreticam, ſed ſolùm virginitate decoram antea inſinuaverat, dicens: *ſequitur autem ad eandem virginitatem, ſolitudo, apud pleroſque utriusque ſexus ſolitariam vitam degentes.* Sed quæ iſta ſit ſolitaria vita, nimirum non eremitica, non à turbis ſimpliciter remo.

Bib. t. 1. p. 348. anno 1022.

Habetur apud Binium.

Thomaſſ. t. 1. L. 364. §. 5. 6. 7. p. 621.

S. Epiph. contra hæreſ. L. 3. t. 2. p. 261.

Digitized by Google

remota, verùm à ſolo thoro & ſocietate conjugali libera, mox inferiùs clarè explicat, *vertex*, inquit, *horum omnium aut Mater, ut ita dicam, genitrix eſt Sanctum ſacerdotium ex virginibus quidem ùt plurimùm procedens, ſi verò non ex Virginibus, at ex ſolitariam vitam degentibus. Si verò non ſuffecerint ad miniſterium ad ſolitariam vitam degentibus, de his, qui continent à propriis uxoribus, aut ab unis nuptiis viduitatem ſervantibus.* Nil hac explicatione pro re noſtra apertius, ut dicamus Epiphanium confuſim, mixtímque ſic de monachis, Clericíſque genuinis fuiſſe locutum, ut hos quôdam modô inter illos, illos autem inter iſtos reſpiceret, ad ſimilitudinem S. Auguſtini, qui Ep. 81. ad Eudoxium Presbyterum, ſic vult Clericorum mores cum monaſticis temperare, ut quamvìs nunquam ambos tanquam ſub ejuſdem inſtituti ratione confunderet, ſecurè tamen ediceret: *unum corpus ſub uno capite ſumus, ut vos* (Monachos alloquitur) *in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſi ſimus.* Præterquam, quòd per monachos iſtos intelligat tales, quales nos ſuperiùs ex Zachæo deſcripſimus: qui locus multùm præſentem quæſtionem illuſtrat. Nil itaque ex Epiphanio evinci poteſt, quod pro monachis Cathedralibus pugnaret, tum nec in oriente, quamvìs monachiſmo ad Clericatum recipiendo liberaliori, minimè verò in Occidente aſſumi conſuetis. Quidquid igitur de ritu regulari vivendi Cæſarii, Honoratíque temporibus recepto legimus, Clericis, non monachis acceptum referimus, quamvìs fortè operâ Lerinenſium illis ad tam Sanctam Diſciplinam æmulandam allectis: maximè cùm ambos præfatos Epiſcopos inibi ſciamus ſuæ Sanctitatis fundamenta jeciſſe. S. Euſebii ſolertiâ primùm monaſticæ diſciplinæ mores ſuaviter influxiſſe in Clericos Vercellenſes teſtatur Ambroſius, cujus tamen verba, quàm incongruè aptentur monachis, tanquam Clericali miniſterio per ipſum deputatis, jam aliàs declaravimus.

6\. Sæculis autem ſequentibus magis ſemper magiſque in Eccleſiis tam Cathedralibus, quàm collegiatis Clericorum, invaluêre ſimiles ritus adeò exactè cuſtoditi, ut tranſgreſſores etiam publicis mulctis plecterentur. Id profectò non ſemel ſed ſæpiùs cautum legimus in regula Chrodegangi: quantumque ipſi Principes cuperent Clericos intra clauſtra in ſilentio, ſtudioque divinarum litterarum, aſſiduitate Orationum, ac deniqúe ſevocatione Sæcularium converſationum (niſi inſtituti ratione exigente) contineri, ſint in Teſtimonium litteræ Fundationis ac donationis à Carolo Calvo ſæculô nonô datæ pro Compendienſi Clericorum centum à ſe conſtitutorum monaſterio, in quibus ſic legitur: *ſimiliter etiam totius ſilentii, & quietudinis Canonicæ ibi morem obſervandum, & ut à nullo exteriori hoſpite violetur confirmamus. Sicut in eorum præcepto dicitur &c.*

Ipſi Principes ac fundatores Clericalium monaſteriorum prætendunt in Clericis, ea inhabitantibus, cuſtodiam clauſtralem, & reliquas notas à ſæculariſmo eos diſcernentes, non tamen confundentes cum monachiſmo.

Apud Mabil. Annal. Ben.

Ex Moſomenſi Chronico quoque à ſcriptore ſæculum undecimum necdum excedente congeſto diſcitur, quàm accuratis præſcriptionibus, ritibúſque regularibus Eccleſia Cathedralis Remenſis ſub Adalberone Archiepiſcopo circa annnm d. 75. fuerit ordinata, hæc ejuſdem verba: *ad Remenſeam ſuæ ſedis Canonicam intendens animum, quales invenerit, quales reddiderit, quàm ruſticos* (intellige humiles, ſeu ſubmiſſos:) *& pauperes, ac ſingulariter ſuis domibus vivere conſuetos, quàm religioſos & divites, ornatiſſimos, cùm Clauſtraliter vivere docuerit, & monendo inſtituerit &c non eſt meum dicere, cùm ſitus Remenſis Clauſtri ſatis iſta prædicet, communis etiam adhuc menſa fratrum id ipſum teſtetur, & vix præ magnitudine & nobilitate, quæ tunc fuerat, pauca veſtigia illius rigidi, & Canonici Ordinis hodièque ſubſiſtant.*

Spicil. t. 2. fol. 571.

quod ſi ita eſt, ut Sæculo undecimo vix veſtigia illius rigidi Ordinis ſub Adalberone uſitati ſubſiſterent, certè in æmulationem proponi is potuit facilè cujusque penè monaſtici inſtituti: Sæculi enim adhuc duodecimi fine multas in illa Eccleſia laudabat Stephanus Tornacenſis prioris regularitatis conſervatas reliquias, quòd *perſeveraret cum Apoſtolis in Communione panis, & oratione, & in ſociali communione, & ex reliquiis regularium inſtitutionum loca ſibi duo retinuerit, Canaculum refectionis, & domum ſomni, in altero caſtigatam ſequendo abſtinentiam, in altero candidatam continentiam obſervando,* Et tamen tunc hæc ipſa Eccleſia jam jugum votivæ vitæ excuſſerat: quodſi hæ reliquiæ obſervabantur à Canonicis Sæcularibus, quâles putamus anteà apud eos regularitatis ritus ceræmoniáſque exſtitiſſe, dum adhuc votiva exiſteret ſub piiſſimo, Zeloſiſſimóque Adalberone?

Ad Rodulph. Ep. 160.

Neque verò & illud diſſimulandum, quòd cùm ſæculo undecimo ineunte necdum alia Leodii niſi Aquiſgranenſis floreret regula, tanta diſciplinæ reſtrictio inter monaſticos (ut ita dicam) ritus cohiberet Leodienſes Cathedrales Canonicos, ut Wazo ibidem Decanus vir doctiſſimus æquè ac religioſus Scribens Præpoſito Joanni ſecurus diceret: *diſtat inter Clericum & Canonicum, quòd non Clerico, ſed Canonico debetur Clauſtrum, omnis enim Canonicus Clericus: ſed non convertitur. Ex Canonico autem non ex Clerico, regulariter conſtituitur Præpoſitus, & ideò neceſſe eſt, ſi Præpoſitus es, in Choro, in Refectorio, in Dormitorio, niſi per licentiam, ſis aſſiduus &c.* Hi ergò regulares ritus Chori, Refectorii, Dormitorii, iſtæ in quovis horum locorum præſcriptæ obſervantiæ, adeo afficiebant Canonicum, ut, ne ſimplex Clericus (qualis tunc temporis ſæcularis habebatur) crederetur, ſed Canonicus, id eſt, Clericus regularis, iisdem obtemperare ad amuſſim teneretur.

In Eccleſia quoque Atrebatenſi, quæ Clauſtralium rituum obſervantia viguerit? ex ipſo ejusdem præſcripto ordine, quem nos vulgari vocabulo conſtitutiones aut ſtatuta nuncupamus, manifeſtè elucet. *Ad primam*, inquit idem ordo, *omnis Clerus conveniat, deinde exeant ab Eccleſia cum ſilentio, & reſideant in Capitulo, ubi Sacra legatur lectio ab hebdomadario, qui primâ feriâ hebdomadam ad legendum ſuſceperat, de ipſa verò lectione, & de converſatone Clericorum à Prælatis ibi tractandum eſt; & quidquid fratres illa die agere debent, & quam obedientiam unusquisq; facere debeat, ibi injungere oportet. Omni ſexta feria jejunandum eſt, & horâ octavâ publica miſſa cantanda, niſi fortè fuerit æſtus, ut hora quinta reficiatur. Poſtquam verò de refectorio exierint, infra Clauſtra remaneant, ibique cum ſilentio aut legant, aut in dormitorio quieſcant usq; hora octava: cantatô verò officiô horæ nonæ, ſinguli ad deputata exeant officia: quidam ad legendum, quidam ad cantandum, ſeu ad Scribendum, quidam verò ad opera manuum exercenda; reliqui verò in Eccleſia infirmi & ſenes ramaneant, & pſalmos decantent &c.*

Vide Miſcellan Pithæi. 369.

Alii adhuc magis (ùt nunc vulgus loquitur) monaſtici ritus obſervati leguntur in regula Aquiſgranenſi: *pro admiſſis*, inquit Canon, *veniam poſtulent, & ſilentium pro qualitate admiſſi ſuſcipiant - - - - nullus foras niſi per licentiam egrediatur.* Innocentius quoque tertius teſtatur eos, de quibus ſupra egimus, Remenſes Canonicos tantâ ſubmiſſione culparum ſuarum confeſſionem facere, veniamque ſumere debuiſſe, *ut ſi falſò etiam alicujus levitatis aliquis argueretur Canonicus, non priùs ſe præſumeret excuſare, quàm flexis coram Decano & Capitulo genibus, & terrâ deoſculatâ veniam humiliter poſtulaſſet.* Neque ipſæ quoque publicæ defuêre diſciplinæ corporales in emendatio- C. 123.

Digitized by Google

dationem culparum, ſæculô jam Nonô in hac ipſa Eccleſia ſolitæ, prout de his in indiculo Ebbonis legitur. Dum ſcilicet Præpoſitus *omnes negligentias omnium publicè deprehenſas in Capitulo, omnium Fratrum judiciô, puniebat, his tribus modis, id eſt, aut carcere, aut ſeparatione, ſive in omnium verberum diverſitate.* Unde non mirum, Regulares hos Canonicos, quamvis Clericos attamen ipſo monachili nomine jam longis abhinc ſæculis fuiſſe ſignatos. Nam dum vetus planè ſcriptor & Chroniſta Fiscanenſis Cænobii ſiti in Diæceſi Rhotomagenſi notaſſet, illud ad Sæculi decimi medium reparatum fuiſſe à Richardo primo Duce Normanniæ, & eodem hoc Duce teſte monaſticarum facultatum ubertatis affluentiâ repletum, non dubitat doctiſſimus Arturus du Monſtier hæc verba adjungere: *per monaſticas facultates*, inquit, *intelligit Dux, neceſſarias ad vitam Canonicorum, qui olim vitam monachorum aliquô modô imitabantur: Quantum verò attinet* (ſcribit idem Arturus) *ad Canonicos Regulares ibidem ab ipſo duce Richardo collocatos; alii quoque fatentur.* Quos in margine citat, Menardum Benedictinum ad 17. Decemb. & Chronicam Chronicarum Part. 2, fol. 20. in Richardo primo.

Ad Calcem Flodoardi relatus de miniſtr. Eccl. Rem.

Neuſtria pia de Fiscanno f. 206. & 208.

7. *Oſtenditur preſſiùs omnes ritus qualitercunque monaſticos à Canonicis obſervatos, notam nullam eis monachiſmi aſperſiſſe.*

Verùm quidquid de his ritibus à Canonicis obſervari ſolitis diſſeruimus, nihil fuit tamen eorum, quod eis monachiſmum ſtrictè talem (& prout Clericatui, ſecundùm Magnum Gregorium, oppoſitum) affingeret, nam adhuc vel in ipſis his conſuetudinibus, ad nervum religionis conſervandum aſſumptis, eminebat ſemper quædam à monaſticis diverſitas, hinc ſæculô jam ſextô concilium Bracarenſe ſecundum: *placuit*, inquit: *omnibus communi conſenſu, ut unus atque idem pſallendi Ordo in matutinis vel veſpertinis officiis teneatur, & non diverſæ ac privatæ, neque monaſteriorum* (fortè monachorum) *conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ.* Hinc quoque Galtherus Magelonenſis Epiſcopus D. Norbertum redarguit, tanquam inſtituto Canonico injurium, quòd in formando Divino officio ritui ſe accomodaret monachorum, *ſi enim*, inquit: *Canonici vocamur, & Canonicam vitam profeſſi ſumus, Canones à Romana Eccleſia matre noſtra nobis datos, à quibus etiam vocabulum ſumpſimus, amplecti præ omnibus, & præcipuè in Eccleſiæ officio imitari debemus.*

an 563. habitum.

APud. Rodulph. Tungr: de Canon obſervat. propoſ. 7.

Ex quo Galteri contextu ultrò obſervandum occurrit, ceræmonias illas, ritúſque à Canonicis jam olim, aut etiam ſubſequis obſervatos temporibûs, fuiſſe aſſumptos, non, ut per eos ſe monaſtico ritui æquarent, ſed ut ſuam firmiùs ſolidarent regularem vitam, ad quam iſti præprimis conducerent: & improvidum eſſet illud judicium, decernens, ideo exempli causâ Clericale aliquod inſtitutum in monaſticum dilabi, quòd hujus quoſdam ritus ac conſuetudines recipiat: profectò enim nullum hoc modo his temporibus regulare ſimul Clericaléque daretur, ùt conſideranti patebit. Longè igitur aliud eſt, inſtitutum aliquod ritibus his vel illis ea neceſſitate arctari, ut ſine illis hoc ipſo à ſubſtantia finis ſui particularis deflectat, aliud, eosdem obſervare, ſolùm ea de cauſa, ut ſe à lubricitate irrepentis alioquin de facili laxitatis præmuniat: illud in monachiſmo requiritur, hoc expetitur in Clericatu, quod, quia jam aliàs probavimus, ulteriori confirmatione non indiget.

Dum autem ſat dilucidè oſtendimus, easdem notas diſcretivas ipſo in Canonico Clericali Ordine priſtinis jam ſæculis viguiſſe, quas ad conſtituendum particulare & ſingulare inſtitutum etiam noſtris temporibus adeo religionum diverſitate adauctâ, atque hinc, velut ſuperiùs obſervavimus, vel maximè amplioribus ſingularitatis ſignis

8. *diverſi enarrati ritus nihil in ſpecie infima priſtina Clericatûs immutantes argumentum æquale ſuppetunt, vel modernis Canonicis regularibus ratiocinandi.*

nis, indiciiſque veſtiendum depoſcunt ex merito objectivo Scriptores & Doctores, nolim tamen, ut quiſquam ex his inferat, illa ideo à nobis adducta, ut aut exinde Specificum diſcrimen, tanquam neceſſarium quoddam in eſſe ſingularitatis conſtitutivum obtineamus, aut ſi hæ ante introductam illam magnam reformationem Canonici ordinis per regulam Auguſtinianam in eodem non valuiſſent, ſpecifica diverſitas inter hunc ipſum arguenda foret: imprimis enim, quemadmodum advertimus, has Ceræmonias ritúſque liberè ſolùm, & nequaquam ex inſtituti ratione aſſumptos, certum eſt ad diſcrepantiam illius formandam nihil poſſe operari; velut quotidie penè in Collegiis Canonicorum æquè ac in Cænobiis monachorum diſcimus, ſtatuta & ordinationes ſæpè ſæpiùs mirum in modum mutata nil penitus effeciſſe, quò minùs ſemper eadem religio permanere cenſeretur, niſi demum eadem ad ſubſtantiam finis particularis conſtituendam eligerentur; ſicut id contigiſſe videtur in ordine quidem Canonico cum Præmonſtratenſibus. Prædicatoribus S. Dominici aliíſque, qui poſtquam certos ritus fini ſuo particulari ſubſtantiales eſſe voluerunt, etiam novum ſibi ac diſtinctum ordinem ſummorum Pontificum oraculô promeruerunt, quod ſanè nemo de Canonicis (ut eos nunc vulgus nominat) Auguſtinianis aſſerere prudenter poterit ex ſimilis authoritatis ratione: atque hac de cauſa ipſi quoque eruditiſſimi Eccleſiæ Catholicæ vertices ex merito objectivo arguere nunquam voluerunt, Sæculorum ſubſequorum Canonicos ideo mox novam ſpeciem conſtituiſſe, quòd ritus quoſdam priſtinis temporibus fortaſſe necdum receptos ſibi liberè ſervandos elegerint, aut quòd his apud antiquos Canonicos non conſuetis, & necdum inductis, eo ipſo iidem veteres Canonici Clericivè non poſſent aliter cenſeri, niſi quandam ſolam (ſine notis diſcretivis certæ ſingularitatis, ordinis, Religionísve ideam ac genus aliquod præſetuliſſe, ſicut enim in antiquis religionibus generaliter unicus finis particularis ſuffecerat ad eundem in certa ſpecie ſtabiliendum, quamvìs dein multis diverſíſque ritibus in alias ſenſim ſpecies inferiores diſcretum: ſic ad conſtituendum ordinem Canonicum eò certiùs firmiúſque in certa ſpecie ſufficiens fuit determinatio per finem particularem (qui eſt vita mixta) quò apertiùs conſtat, Clericale inſtitutum nunquam poſſe ad eas ſingularitates rituum ac ceræmoniarum (quibus monachiſmus vi ſuæ propriæ originis abundat) coarctari.

Igitur, quòd tamen has notas etiam anterioribus ſæculis viguiſſe in ordine Canonico monſtraverimus, conſultò id factum eſt, ut appareat, ſicut inter prioris ævi Canonicos nullum exſtat ſpecificum diſcrimen, quamvìs ab aliquibus prænotati ritus ceræmoniæ &c. obſervati ſint, minimè tamen ab aliis: & ſicut inter Clericos ipſos naſcentis Eccleſiæ uſque ad ſæcula longè conſequentia diverſitas admittitur nulla: ſic ex iiſdem argumentis legitimè inferatur, nullam quoque inter præfatos omnes ac ſæculum undecimum ſubſequentes Canonicos allegari diſcrepantiam poſſe. Sed his jam abundè deductis ad alteram quæſtionis partem digrediendum.

CA-

CAPUT III.

De Veſtitu Veterum uſque ad ſæculum undecimum Clericorum ac Canonicorum, quantum ad ſpecificandum inſtitutum conducat, diſquiritur atque reſolvitur.

I. *Status quæſtionis, ratio, ac partitio ejuſdem.*

MUlta paſſim de veſtitu Sacratarum Deo perſonarum ſcribendi præcipuè Sacrorum Canonum explanatoribus nec minùs & accuratioribus hiſtoricis anſam ſuppeditarunt immodicæ de eodem, & quæ inde conſequuntur, quæſtiones moveri ſolitæ; eoquòd complures quóque Canones in corpore juris exſtent, ex conſtituto de veſtitu tam Clericorum, quàm Monachorum definiti, ùt eſt inter alios ille Clement. ult. de vit. & honeſtate Cleric., in quo varia veſtium genera in Clericis graviter reprehenduntur. Et ille, in quo decernitur: habitum non facere monachum, ſed profeſſionem regularem, Cap. conſuluit 4. Qui Cleric. vel vov. ac deniquè ille C. Si Judex de ſent. excommun. in 6. dum dicitur, quòd talis quis ex habitu, quem geſtat, præſumitur, qualis is eſſe, cujus habitum fert, comprobatur. Quibûs collatis meritò deducitur, quòd quamvis monachum habitus non faciat, talem tamen eſſe probet; & licèt primariò certus habitus in monaſtico tantummodò prætendatur inſtituto, attamen non minùs Clericis quòque talem aſſignari, per quem ipſo conſpectu à ſæcularibus diſcernantur, colligitur ex Cap. ſine 21. Q. 4. Unde diſceptari non poteſt, noſtris temporibus certa ac definita veſtimenta ea cautione tum Clericis, tum monachis eſſe præſcripta, ut ſui inſtituti nota ſint certa & diſcrimen, velut id ipſum priori Capite ex Leſſio annotavimus, Quamvis verò complura nobis, neque extra metam noſtri propoſiti facientia, eſſent, quæ de habitu tam Clericali, quàm monaſtico diſcutere poſſemus, ne tamen deſideratæ brevitatis limites excedamus, de ſolo veſtitu Clericorum ac Canonicorum antiquorum quæſtionem agitabimus, ut exinde ſemper ampliori meſſe colligamus notas diſcretivas in inſtituto Clericali antiquiſſimis temporibus reperiendas, quibus illud ſua in ſingularitate & analogâ perſeverantia firmatum ſubſtitit. hanc verò quæſtionem, ut ſolidè explanemus ac reſolvamus: inquiremus *primò:* habitûs Clericalis certi ac determinati antiquitatem, *ſecundò*, ejuſdem diſcretivam ſtatuemus qualitatem. *tertiò* demum ex allegatis reſolvemus, quid univerſim contulerit idem ad ſpecificandum & diſcernendum ipſum inſtitutum votivo-Clericale ab alio ſeu monaſtico, ſeu quod nunc Sæculare, id eſt, à votis liberum edicimus, ídque uſquè ad undecimi ſæculi tempora.

Primis quatuor Sæculis apud eruditos penè indubitatum eſt modicam religioſos inter atque ſæculares perſonas veſtium diſcrepantiam interceſiſſe, ſi ſacra altaris miniſteria fortaſsè excipiamus, nam in his quoque non omnes diſcretis veſtibus uſos fuiſſe, docet Valafridus Strabo ùt eſt apud Baron. an. 260. n. 6. ait enim: *Primis temporibus communi indumento veſtiti, miſſas agebant: veſtésque per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ ſunt ornatum.* Apud quosdam tamen uſum veſtium cæterarum in ſacris fuiſſe, nemo facilè negabit ritus antiquos revolvens; neque pro hac tanquam explorata veritate opus eſt adducendìs teſtimoniìs, præterquam quòd ad præſentem quæſtionem uſus ſacrarum veſtium demonſtratus ne quidquam conferre poſſit diſſolvendam, utpote iis non tam requiſitis ad ſtatûs Eccleſiaſtici habendum diſcrimen, quàm ad decorem divinarum actionum augendum,

dum, & myſteriorum in eis ſignificandorum rationem. Totum, quod in hac quæſtione prætenditur, eſt, ut demonſtremus, ſæculis prioribus, & præcipuè ad usque tempora Concilii fortè Agathenſis anno 506. celebratum, an, vel quibus veſtibus ſe diſcreverint pro communi uſu Clerici à Laicis, monachiſve? & ſi earum nulla dabatur obſervantia, utrùm hæc ipſa poſterioribus temporibus aſſumpta quandam diverſitatem induxerit inter Clericos ipſos votis adſtrictos, & ab his liberos, qualis nunc extra omnem ambiguitatem exiſtit, imò exſtiterat jam ſæculo undecimo ab eo tempore, quo Canonici Auguſtiniani audire cœperunt; quæ diverſitas ſcrupulum urgere poteſt, an non nova, hoc tempore, veſtium in Clero diſcretio judicium jure meritò dare poſſit novi quóque inſtituti.

2. Clericorum veſtitus à primis Eccleſiæ temporibus Semper à vulgo diſcretus probatur.

Quandoquidem primis quatuor Sæculis quoad formam veſtimentorum communium modicum interceſſerit inter Laicos, Clericóſque diſcrimen, tale tamen ſemper inter utrúmque hunc ſtatum viguiſſe, quo ſufficienter diſcernerentur ab invicem, & quô ſuô modô ſpecies Clericalis denotaretur, aſſerendum abſolutè cenſeo. Id cumprimis perſuadet notabilis illa obſervata reverentia in Clerum, quâ dudum ab omni vulgo Chriſtiano ſuſpiciebatur: ac prætereà caſus, eventúſpue complures, è quibus quaſi evidenter inferendum videtur, aliquâ illum & quidem ſufficienter notabili veſtimentorum ſpecie à ſæcularium veſtiendi modo diſtincta uſum fuiſſe. Imprimis námque illa jam primis Sæculis ingens diſcretio, autoritas, ac prærogativa, quæ Clericatum quaſi ab incunabulis amplexabantur, & indies in eo augebantur, neceſſitabant Clerum ad quandam exhibendam etiam exteriorem notam ſui inſtituti, nam ſi præcipuè apud Romanos mos ille diſcrepantium veſtimentorum adeò ab antiquo invectus erat, ut aliô uterentur milites, aliô conſules, aliô Philoſophi, aliô pullati, aliô cives, aliô pueri ad 17. usque annum, aliô adoleſcentes &c. de quibus multa Macrobius, Gellius, Roſinus, Propertius, aliíque, & hæc omnia ex legis præſcripto, quis dubitet, & id ipſum Clericos, inter Romanos degentes, & eorum mores utcúnque ſequentes feciſſe? Imò ſi Salvatorem noſtrum novimus diſtinctâ veſte amictum, certè ſimilem veſtiendi normam jam ipſos ſibi Apoſtolos ſuô modô aſſumpſiſſe, nemo facilè negaverit, & cùm apud Judæos Sacerdotes Domini etiam extra tabernaculum, & in communi converſatione Ephod lineo induti ſe diſtinguebant à vulgo, cur id factum negemus in novi teſtamenti miniſtris? De Eſſenis notum eſt, quid Porphyrius ſcripſerit: *ſi quis*, inquit, *hanc ſectam amplecti velit, non ſtatim admittitur, ſed foris exſpectare per annum debet, ſub eadem diæta, prorrectâ ipſi dolabellâ, Ligone, Zonâ, & albo habitu*, & profitetur idem Porphyrius cum Philone, Eſſenos uſum candidarum veſtium ſibi habuiſſe proprium. Quòd ſi diſtrictiùs horum Eſſenorum inſtitutum inquiramus, apparebit, eosdem ipſos ſelectiores ex gente Judæorum fuiſſe, converſos nimirum non ſolùm ad fidem veram, ſed & inter Clericos deputatos, ùt notat Photius. & Valeſius in notis ad Euſebium clarè demonſtrat (ùt alibi diximus) hîs Eſſenis non alios niſi Aſcetas intelligi, de quibus Euſebius ſcribit, cujus verba græca in latinum Ruffinus transferens, eodem Valeſio teſte, rectè tam de Clericis, quàm de Aſcetis interpretatus eſt: fuiſſe nempè ideò dictos aſcetas, quòd ſtrictius quoddam vitæ genus profiterentur, quamvis monachi non eſſent. quos ſimpliciter negat à S. Marco eſſe inſtitutos. Hos ergo omnes facilè ex dictis colligimus proprio habitu & à

Vide Sigonium L. 5. de perſonis ſacr. Cap. 3.

L. 4. de abſtinent.

in Biblioth. Cad. 103

Vide Criticam Pag. ad ann. Chr. 62.

Digitized by Google

& à plebe diſtincto uſos fuiſſe; & ad quos, quæſo, illa Clementis Alexandrini ſæculi ſecundi Scriptoris inſtructio? certè non ad alios, quàm Clericos ſuos Alexandrinos, cùm inquit: *Pædagogus noſter* (Chriſtus) *concedit nobis uti veſte vili, colore, albâ, ne arte in varios diſperſâ colores vanitatem inducat. Et ſanè ſicut militi, nautæ, & profectò ſua cuique ſtola eſt propria, ſic & viro ſtudioſo temperantiæ veſtis eſſe debet ſimplex .... pacificis itáque & illuminatis album convenit; morésque noſtros qualitas veſtium oſtendere debet:* Hanc albam veſtem (de qua Clemens) Clericis antiquiſſimam fuiſſe, multi Scriptores obſervaverunt, ùt notat Laurentius Lantmeterus: & ante ipſum Honorius Auguſtodunenſis L. 1. C. 232. Gemmæ animæ. Cùm etenim paſſim hic color ex lege Civili, Liberorum ac honoratiorum eſſet, ex lege verò Eccleſiaſtica noviter ad fidem converſorum, meritò eundem ſibi Clerus aſſumpſit, qui & libertatis inde Eccleſiaſticæ ſpecimen & innocentiæ vitæque illibatæ profeſſionem indicaret. Certè, cùm nihil penè ſolemnius in more apud antiquos haberetur, quàm ſtatus qualeſcúnque habitu æquè ac Colore diſtinguere, mirandum vehementer, quòd rectè tunc ſtatui inter fideles celeberrimo & ſummæ venerationis, Clericatui nimirum eum denegare quis poſſit, ut ipſum tam obvio ac triviali Laicorum more inceſſiſſe dicat, dum etiam laicis catechumenis ſpecialem admittere cogimur, & dum eâ prærogativâ omnes in Clero conſtitutos eminuiſſe apud Chriſtianum populum ſcimus, ut nunquam non tanquam Dei miniſtros ſummô honore ſeu ſacris actu intentos, ſeu alioquin obvios honorarent, atque ſuſpicerent; prout hac de re vetuſtiſſima teſtimonia proſtant, quô enim modô aut indiciô aliô, fortuitò occurrentes dignoſci potuiſſent, ſi eos à plebe nihil aliud niſi ſolus modeſtior inceſſus ac veſtitus, neque hujus certa forma, colórque diſcreviſſet? cùm certum ſit, laicos quoque complures, imò propè omnes Chriſtiano nomine inſignitos ſpeciali quadam modeſtiâ ac morum gravitate gentilibus, Paganíſque vel ideo venerationi fuiſſe atque amori: velut Tertullianus in ſuo libro adverſus gentes ſcripto edixit.

Lib. 3. Pædag. C. 11.

L. de veteri Cler. habitu.

3. Hinc eſt, quòd, dum in actis Paſſionis S. Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis an. 260. martyrio coronati hæc leguntur. *Et ita idem Cyprianus in agrum ſexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno Birro expoliavit, & genu in terram deflexit, & in orationem ſe Domino proſtravit. Et cùm ſe Dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit; & cæpit ſpiculatorem ſuſtinere.* Hinc, inquam, eſt, quòd memorata hæc, *Lacernum*, *Birrum*, *Dalmatica*, & *linea*, veſtimenta non alia credi poſſint, quàm, quæ tum pro communi ſeu diurno habitu Clericis cum Epiſcopis erant propria, & à vulgo eos diſtinguebant, prout id obſervavit antiquiſſimus ſæculi quinti Scriptor Severus ſulpitius. Dalmatica enim propria erat veſtis Clericis, imò Epiſcopalis, erátque candida cum clavis purpureis, ut habetur apud Cangium hoc verbo. Quòdſi verò ea indutus tunc eſt Cyprianus, cùm ad martyrium duceretur, ſignum eſt, Dalmaticâ uſum fuiſſe etiam extra ſacra, nam, ùt habetur in ejus vita, quòd non ad altare operans, aut actu divina perficiens myſteria, *ſed in horto ſuo exſtiterit*, cùm à ſubmiſſis ſatellitibus comprehenſus Judici altera die extraderetur. Neque moris erat, ut ſe veſtibus ad ſacrificium & divina myſteria operanda deſtinatis, aliàs & extra illa veſtirent, quod etſi factum fuiſſet, noſtram opinionem hæc non ſubverterent, ſed ſtabilirent.

Linea ſeu Camiſia Clericalis ſtatûs Characteriſtica nota. apud Surium die 14. Sept. æſtimata ſunt hæc acta antiquiſſima, quia ad verbum ab Auguſtino in ſermone de S. Cypriano quædam citantur.

L. 1. Dialog. C. 14.

Denique lineam illam, in qua ictum carnificis Sanctus Martyr ex-

cepit, tam certò pro habitu Clericali quotidiano Baronius habet, vir ſanè doctiſſimus, & harum rerum expertiſſimus, ut dicat, neminem ſe putare, *tam obtuſo ingenio futurum, ut (cùm acta dicant, Cyprianum exutum Byrro atq; tunica remanſiſſe in linea) exiſtimet de linea interula intelligendum, quæ ſuper nudum indui conſuevit, non enim*, inquit, *decebat Sacerdotalem decorem, Cyprianum ad interulam usq; denudari, cùm præſertim ad hoc non cogeret magiſtratus &c.* Unde pro indubitato habet, hanc lineam, illam ipſam veſtem eſſe, quâ Clerici ſupra veſtem uſualem ſeu togam in ſignum ſui inſtituti ſe operiebant, hoc eſt ipſam Eccleſiaſticam ſeu Clericalem Camiſiam. Deniq́ue ex Salviano diſcimus ſuo tempore (ſeu ſæculô quintô mediô) Clerum veſtibûs ſe diſtinxiſſe à vulgo, unde Eccleſiam alloquens ait: *Illud durius ac moleſtius, quòd quidam, ùt arbitror, filiorum tuorum ſub religionis titulo à religione diſſentiunt, & habitu magìs Sæculum reliquêre, quàm ſenſu.* Quæ poſtrema verba obſervans Baluzius in notis ad hunc locum ait: *hinç patet, eos, qui Sæculum relinquebant, Clericos, videlicet & monachos, & ſanctimoniales, habuiſſe veſtes diverſas à veſtitu cæterorum hominum, ut etiam hoc agendi modô probarent, renuntiaſſe ſe propriis, & oblectamentis ſæculi.*

Baron. ad an. 261. n. 40.

L. 4. contra Avar.

Vide Cang. verbo Camiſia.

De illa verò Camiſia Clericali Willelmus Brito in vocabulario M.S. ait, quod ipſa *totum corpus operuerit, & ita ſtrictis manicis adhærebat corpori, ut nulla eſſet ruga, & deſcendebat usq; ad pedes, unde Poderis gracè id eſt talaris.* Quâ etiam veſte Chriſtus apparuiſſe dicitur Apoc. 1. v. 13.

4. *De veſtis Clericalis in uſu corporali qualitate nihil certi definitur.*

Cæterùm de qualitate habitûs à Clericis geſtari interdiu ſoliti ſeu qui eſt ſimpliciter ad corporis obtegendi uſum, diſtrictè definire nil poſſumus: neq́ue monumenta exſtant, an toga communis, ac quotidiana albi, Violacei, an deniq́ue Pulli, vel nigri coloris exſtiterit. Desnojus noſter pro albo ſeu candido adductis authoritatibûs certat; ſunt quidam minoris tamen ponderis argumenta habentes, qui Nigrum, alii qui Violaceum propugnant. Quid nos hac in re potiùs ſentiamus, fortaſſe alia magìs commoda ſuppeditabit occaſio: iſthìc obſervaſſe ſufficiet, Clerum ſemper eo veſtitu fuiſſe amictum, quô ſui inſtituti rationem in aprico oſtenderet, ut fideles noſſent obviantem ſibi revereri ſaltem in majoribus conſtitutum, ab eoq́ue ſpirituale (ſi opus eſſet) ſubſidium depoſcere; gentiles autem, & à fide alieni eum ipſum quâ datâ occaſione (ſi ad converſionem divino nutu accenderentur) pro fidei ſibi manifeſtanda veritate interpellare; demum ſuccedentibûs temporibûs aut in monachiſmo, aut in alio religioſo inſtituto, prudentium judiciô diſcrimen facere.

Quia verò diſcrepantia hæc, abunde denotari lineâ illâ ſeu Camiſiâ poſſe videtur, cui propriè album (Clericatui congruum) Colorem vindicamus, non multum intereſt, de colore quoq́ue alterius veſtimenti diſquirere, nam licèt nobis non improbabile videatur, Authores hujus candorem aſſerentes non ſolùm Camiſiam. verùm etiam togam talarem Camiſiæ interiorem intellexiſſe; cùm tamen legamus, tempore primævæ Eccleſiæ, & ſubinde S. Hieronymi, colorem quoq́ue nigrum, caſtaneum, atque Violaceum in uſu fuiſſe, id univerſim obſervamus, qualiſcúnque coloris veſtitum habuerint (ſingulari tamen modeſtia conſpicuum) Clerici, Clericalem illam ſeu ſuperiorem camiſiam ſemper fuiſſe lineam atque candentem, & verè ſui inſtituti notam Characteriſticam:

5. *Oppoſita adverſus noſtram ſententiam diſſolvuntur.*

Quod porrò veſtitum iſtum ſimpliciter Cleri diſcretivum ab alterius ſtatûs hominibus attinet, non ignoro adductis pro eo rationibus, oppu-

opponi aliqua non contemnenda argumenta, quæ ideò diſcutienda atque diſſolvenda ſubjicimus: quorum præcipuum, &, ùt cuidam viro Doctiſſimo videtur, *invictiſſimum, à quo nullum effugium eſſe poſſit*, adſtruitur reſcriptum Cœleſtini Pap. de anno 428. ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis Provinciæ: in quo ſummus hic Eccleſiæ Præſul ſequentia ediſſerit. *didicimus*, inquit, *quosdam Domini ſacerdotes, ſuperſtitioſo potiùs cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati. amicti pallio & lumbis præcincti, credunt ſe ſcripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per litteram completuros. Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur, cur non fiunt pariter, quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unacum baculo teneantur --- diſcernendi à plebe, vel cæteris ſumus doctrinâ, non veſte, mentis puritate, non cultu. Quibûs verbîs* infert vir doctiſſimus, *palàm fit nec Coma, nec veſte Clericos à laiicis diſcretos fuiſſe.* Illam deniq́ue conſuetudinem deteſtatur Pontifex non tantùm ùt ſuperſtitionis quidpiam redolentem, ſed ùt prioribus Epiſcopis, ſanctiſſimíſque Patribus contumelioſam. *Unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorúmque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? &c. nam ſi incipiamus ſtudere novitati, traditum nobis à Patribus Ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus.*

Vide Thomaſſ. diſcip. vet. & nov. p. 1. L. 2. C. 43. n. 1. & ſeq.

Verùm pace tanti viri licebit eminentiſſimi Cardinalis Baronii de hac Epiſtola ſenſum mentémque pertexere, manifeſtè declarantem, Cœleſtinum his ſuis litteris nullàtenus æqualem, & promiſcuum cum vulgo habitum Clericorum præcepiſſe, ſed reprobaſſe illum, quem quidam Clerici novâ arte, novôque more, hactenùs planè inſolitô à monachis emendicando aſciverant, voluiſſe igitur, ut eum, quem hactenùs ſibi veſtitum præſcriptum ab Eccleſia habuerant, ſine novis adinventionibus, Clerum minùs decentibus, conſervent. ſic verò Baronius: *quod ad ſtatum*, inquit, *pertinet Eccleſiarum Galliæ, Narbonenſis ſcilicet & Viennenſis turbatum illum fuiſſe ab innovatoribus, ex litteris Cæleſtini ad Epiſcopos, qui illis præerant, datis hoc anno, menſe Julii, poteſt intelligi: emerſiſſe nimirum Novatores quosdam, qui in veſtitu Clericorum novum uſum inducerent, nempe: ut incederent palliati, præcincti renibus: eòquòd Dominus in Evangelio ſuos admonuiſſet dicens: ſint lumbi veſtri præcincti &c. Reprehendit igitur hos Cæleſtinus, vetuitque ne novus atq; diverſus ab eo, qui hactenùs uſui fuit, induceretur Clericorum habitus, ſed illum, quem à majoribus accepiſſent, retinerent, nec à peregrinis Clericis peregrinum acciperent uſum veſtium, quòd præſtaret, moribûs magìs, quàm indumentîs ſacerdotalem præſeferre decorem.* Hæc Baronius, quô nihil apertius, quàm Clericos habuiſſe quidem proprium, diſcretúmque à vulgo veſtitum, at culpatos in eo fuiſſe, quòd quandam quaſi ſuperſtitionem in veſtibus ponerent, totámque crederent, in nova & inſolita hactenus forma earum, ſtatuendam eſſe Sacerdotii Sanctitatem.

Baron. ad an. 428. n. 17.

Verùm ne quoad hanc Epiſtolam, id quod præcipuum eſt, omiſiſſe videamur, dum conſultò eam, prout à præfato Scriptore refertur, produximus; præſtat, ut genuinam adducamus, relatam tom. 2. Concil. Labbæi hîs verbîs: *Didicimus quosdam Domini Sacerdotes, ſuperſtitioſo potiùs Cultui inſervire, quàm mentis, vel fidei puritati. Sed non mirum, ſi contra Eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſia non creverunt, ſed aliò venientes itinere ſecum hac in Eccleſiam, quæ in alia converſatione habuerant, intulerunt. Amicti palliô, & lumbos præcincti credunt ſe ſcripturæ fidem non per Spiritum, ſed per litteram completuros: nam ſi ad hoc*

Digitized by Google

hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur: cur non fiunt pariter, quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus, unà cum baculo teneantur? habeant iſtum forſitan cultum, morem potiùs quàm rationem ſequentes, qui in remotioribus habitant locis, & procul à cæteris degunt, unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorúmque Pontificum in alterum habitum (N.B.) conſuetudo vertatur. Diſcernendi à plebe &c. Ex his genuinè relatis facilè apparet Cœleſtini mens, atque judicium, Culpantis in Clero habitum monachilem inconvenienter affectatum; neque ullô modô declarantis, Clerum indiſcriminatum à vulgo veſtitum geſtaſſe, ubi enim ait Pontifex: *diſcernendi à plebe ſumus, doctrina non veſte*, accomodè hæc verba accipienda ſunt, non excluſivè, quaſi nimirum diſcrimen per veſtitum faciendum ipſe inhibeat: ſed cùm veſtis nihil conferat ad virtutem, & ad ſummum connotativum quoddam ejus ſit extrinſecum, hinc docet diſcrimen intrinſecum, & certiſſimum illud ſolùm ac unicum eſſe, quod in operatione virtutum ponitur, quâ debemus diſcerni â plebe, non ſolâ atque unicâ veſtium diverſitate: unde Paulus cùm per gratiam juſtificari nos docet, ait: *Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Videtur quaſi operum prærogativam deſtruere, dum fidei neceſſitatem exaltat, verùm nil minùs quàm iſtud: vult autem dicere, nihil eſſe opera noſtra ſine fide & gratia, ſed ùt inquit Jacobus Ap. *Fidem cooperari operibus, & viciſſim fidem ex operibus conſummari.* Hinc & Cœleſtinus non abſolutè iis verbîs, *diſcernendi ſumus à plebe doctrina non veſte*, reprobat veſtitum diſtinctum, ſed eum, qui hominem inanem, & ſolùm inanis gloriæ Cupidum oſtentat. Alioquin hoc Cœleſtini decretum adhuc teneret, ſicut obligat in noſtro ſenſu, nam non

Ad Rom. 3. 28.

Cap. 2. V. 22.

eſt major ratio, ut etiam nunc nos, quotcúnque religioſi ſumus, diſcernamur moribus & doctrina non veſtibus. patet igitur hunc Cœleſtini locum accommodè ſumendum eſſe, ut planus non retortus ac inſolitus ex eo ſenſus reſultet. ſicut verò ex eo ſic ſumpto liquet plus erui non poſſe, niſi reprehenſum veſtitum affectatum contra communem Clericorum morem, ita reliquæ omnes ab adverſa parte oppoſitæ rationes in iſtud Hypomnema coincidunt. quapropter difficilis ac planè coacta illa interpretatio eſt, quâ habitum S. Germani, quem vitæ illius Scrptor *habitum religionis* diſtinctis verbis nuncupavit, citatus â nobis ſuperiùs vir eruditiſſimus non alium fuiſſe ait, quàm *modeſtiorem veſtitum:* aut enim modeſtior hic habitus, is erat, quô ſe Clerici diverſitate coloris ac formæ diſcernebant à Sæcularibus, & intentum habemus: aut fuerat ille, quô ſolus veſtium luxus ac ſplendor arcebatur, quòd ſi iſtud, inaniter certè Biographus S. Germani hæc verba inſeruiſſet, dum ait: *S. Amator glomeratâ ſecum turbâ Clericorum atq; nobilium injiciens manus, Germanum apprehendit, & invocato nomine Domini Cæſariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis ſæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit.* Profectò ad litteram iſta perlegens, neſcio, an aliter, niſi de veſte Clericis propria intelliget, neque licebit tam facilè ad monachiſmum effugere, quem ideo ſuſcepiſſe S. Germanus putatur â contrarium ſentiente Authore prædicto; quòd ad hanc opinionem concurrerit Alfordus in Annal. Britan. Eccl. ad ann. 429. aſſerens virum ſanctum monachum fuiſſe. Verùm hanc eruditè refutatam novimus in actis SS. Bollandianis, ubi in iſtam S. Germani Commentata ait: *Satis ex textu patet, habitum religionis hic illum appellari, qui opponebatur ſæcularibus ornamentis, quique aſſumebatur*

Apud Sur. 31. Jul. n. 4. ad fin.

Act.SS Bolland.ad eundem diem in Comment. præv. §. 5. n. 52.

Digitized by Google

tur ab iis, qui religioni, hoc eſt, Cultui Dei, ſe totos mancipabant, quales erant Clerici quicúnq;. certè monachos Antiſſiodori illos primùm vidit, quos creatus aliquamdiu Antiſtes Germanus -- -- inſtituit, cujus ergò Cœnobii monachum illum Antiſſiodori tum conſecraſſet S. Amator, ſi nullum erat? quô teſtimoniô egregiè noſtra de habitu Clericali ſtabilitur aſſertio.

6. Veſtis lineæ qualis forma ac cultus? & quàm conſtanter á votivis Clericis geſtata in ſignum ſuæ profeſſionis.

His verò, de diſcrimine habitûs Clericalis (primis ſæculis geſtari ſoliti) præmiſsis, atque firmatis, longè expeditior illa eſt quæſtio, quisnam propriè veſtis illius cultus fuerit atque forma, quâ ſe diſcriminabant Clerici, tam à vulgo ſæculari, quàm ab ipſis quibuscunque monachis: jam enim ſuperiùs attigimus, diximúsque, eam non aliam fuiſſe, niſi veſtem lineam, ſeu ùt antiquitùs communiter nuncupant, *Camiſiam*, olim Poderis dictam, ùt notat Iſidorus:

L. 19. Orig. Ca. 21.

Poderis, inquit, *eſt tunica ſacerdotalis linea, corpori aſtricta, usque ad pedes deſcendens, unde & nuncupatur: ποδας enim græcè pedes dicunt, hæc vulgò Camiſia vocatur.* Hâc ſemper tanquam Clericalis ſeu ſacerdotalis inſtituti propriô indiciô veſteque uſuali ad labores Evangelicos proceſſiſſe interdiu veſtitos etiam ipſos Apoſtolos, diſcimus à S. Jacobo fratre Domini; de quo Euſebius teſtatur ex Egeſippo:

L. 2. hiſt. c. 23.

ſyndonem ſeu lineam ſuper alias veſtes eum portaſſe, unde concludi non ambiguè poteſt eâdem hâc lineâ ſeu Camiſiâ neque alios Apoſtolos caruiſſe, quamvìs nihil diſſertè veteres Scriptores commemorent. Si enim ſola illa fas eſſet credere, quæ expreſsè ſcripta ſunt, ubi quæſo fides noſtra exularet? Neque prodeſt ad Siricii Papæ (officia omnia & gradus Clericatûs deſcribentis at veſtis formam altè ſilentis) authoritatem recurrere, quòd ſi enim hoc ſilentium probaret quidpiam, ſequeretur, usque ad hodiernum diem Clerum ſæcularem à vulgo Laicali non diſtingui habitu, cùm nulla uſpiam legatur certa veſtimentorum forma iis præſcripta, ſaltem quoad colorem.

Tempore S. Hieronymi, id eſt, & S. Auguſtini, Clericos pro uſuali & ſtatûs ſui notoria veſte, lineâ externâ ſeu Camiſiâ veſtitos fuiſſe, ex ejusdem prioris S. Doctoris effato liquet, dicentis: *Non absque* Ep. 48.
amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere laudabile eſt. Scilicet, ùt videtur, deponebant quidam Clerici in ſpeciem aſſumptæ voluntariæ ſeu potiùs oſtentatæ paupertatis Camiſiam, aliàs ex præſcripto ſui inſtituti portari ſolitam, ſicque ſe quaſi monachos ſimulabant, in quos diximus Cæleſtinum Papam invectum fuiſſe; hos quoque Hieronymus arguit, exprobrátque dicens: neutiquam laudabile eſſe Clericis, ſine linea ſua Camiſia procedere, & ſe tales velle oſtendere, quales nec eſſent, nec eſſe poſſent: ſed id laude dignum, ſi pretioſam, fimbriatam, & ad pompam ſæculi decoram Camiſiam non haberent. Dixi Clericos monachorum ſchema, aut æmulatos nonnunquam fuiſſe, aut ſimulaſſe, quod nemo à me exiſtimet inſolidè dictum, Clericos enim ſæpiùs, neſcio, quo ſpiritu ductos veſtes monachiles affectaſſe, teſtimonia exſtant certiſſima, unum ſufficiat in re notiſſima produxiſſe Concilii Aquisgr. Cap. 15. *Reprehenſibilem*, inquit hic Canon, *apud pleróſque Canonicos inoleviſſe comperimus uſum, eò quòd contra morem Eccleſiaſticum cucullas, quibûs ſolis monachis utendum eſt, induant &c.* Quod apud pleróſque jam Canonicos inoleviſſe reperit Concilium ſæculi noni initiô, id à multis actitatum, jam notavimus tempore Cæleſtini Papæ, quidni & Auguſtini atque Hieronymi? Quò etiam reſpicit illud, quod priori capite 2. de monachis obſervavimus; hi enim dum in Clericatûs Ordinem aſſumebantur, ùt poterant auſterioris di-

diſciplinæ rationem retinebant, & dum Clericalibus indumentis ſe veſtire jam oportebat, formam quampiam monaſtici habitûs retinere quidam, ſeu ob monachiſmi ſemel aſſumpti amorem, ſeu ob cujusdam humilitatis ac paupertatis oſtentandæ, vel etiam in re conſervandæ ſpecimen malebant, velut id de S. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi ex Monacho prodit ejus vitæ ſcriptor.

Ferrand. in vita Fulgent. C. 29.

Verùm & S. Auguſtinum cum ſuis Clericis hâc Camiſiâ, ſeu tunicâ lineâ Birroque formam à laicali diſtinctam habente ad apertum diſcrimen uſum fuiſſe, dubitare non ſinit ejus de utraque hac veſte ſermo, ubi inquit: *Nemo det Byrrum vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in Commune &c.* Birrum iſtud non aliud erat, niſi pallium, quô extra domos publicè amicti antiquitùs incedere ſolebant Clerici, in hoc diſcretum à Birro Laicorum, quòd non adeò rigeret, nec coloris venuſtate fulgeret. Tunica autem linea, ipſa erat Camiſia, propria veſtis diſcretiva Clericorum: planè enim inutiliter locutus videretur ſanctus Doctor, ſi per lineam tunicam, interulam, ſeu, ùt nos vulgò nominamus, induſium intellexiſſet, ut à veſte extima & ſuprema, quæ eſt Birrum, mox deſcendiſſet ad intimam, quæ eſt interula. Patetque ex toto contextu, eum de veſtibus apparentibus & exterioribus diſcurrere, ſic enim inquit: *De communi accipiam mihi ipſi, cùm ſciam me commune habere velle, quidquid habeo. Nolo talia offerat ſanctitas veſtra, quibûs quaſi ego ſolus decentiùs utar. Offeratur mihi verbi gratiâ, Birrum pretioſum, fortè decet Epiſcopum, quamvìs non deceat Auguſtinum - - - - - - talem debebo habere* (veſtem) *qualem poſſum, - - - - qualem poteſt habere Presbyter: qualem poteſt habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere; quia in commune accipio &c.* Quid enim interula ad Presbyterum, Diaconum, aut Subdiaconum, cùm interula omnibus, non ſolis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis ſit ſolita. Adeóque ſi de veſte interna ſermo fuiſſet, mediocrem ſtatum vulgi aut ſui, cùm in ſæculo adhuc erat potiùs, quàm altiores Clericatûs Ordines in exemplum adduxiſſet, prout id de pretioſis veſtibus obſervat. Infero autem ex his, ſæculô etiam quintô lineam Clericis conſuetam, diſcretivam à ſæculari æquè ac monaſtico inſtituto fuiſſe: à monaſtico inquam, utpote quibus uſus lineæ veſtis non ſolùm interior, ſed exterior quoque dudum interdictus fuit: hinc illud Zachariæ Papæ ad conſulta Pipini Regis effatum: *Monachi laneô indumentô juxta normam & regulam monaſticæ diſciplinæ, atque traditionem SS. probabilium Patrum ſine intermiſſione utantur.*

7.

Etiam medio ævo ac deinceps veſtis linea Clericis ad quotidianum uſum.

Quò verò ampliùs ad propriora nobis ſæcula devenimus, eò potiora documenta ſuppetunt univerſim declarantia hanc veſtem lineam diſcretivam & propriam Clero fuiſſe, mutatâ tamen non rarò nomenclaturâ illius, nam, cùm antea Camiſia, ùt vidimus, vel tunica linea diceretur, ſubſequo tempore jam *Alba*, jam *orarium*, jam *ſtola* audiit. Sic de *Alba* Cangius (hoc verbo) *Alba*, inquit: *Papia, veſtis ſacerdotalis linea & ſtricta, quæ Camiſia dicitur, & Poderis & talaris ſubucula.* Unde Amalarius, qui initiô vixit Noni Sæculi, L. de Offic. divin. *poſtea*, inquit: *Camiſiam induimus, quam albam vocamus.* Quæ quidem *Alba* proprio nomine illa eſt, quam ſacerdos ſacra operaturus induit, verùm per hanc quóque, Camiſiam quotidiano uſu receptam intelligi conſueviſſe, ex Leone quarto diſcimus, eôdem nonô ſæculô præſidente: *Nullus*, ait Pontifex: *in albâ, qua in uſu ſuo utitur, præſumat Miſſas cantare.* Nec minùs ex Riculpho Epiſcopo Sueſſionenſi, qui conſtit. 7. dicit; *Omnimodis pro-*

L. de cura paſtorali.

Statuta Riculphi anno 889. edita.

prohibemus, ut nemo illâ Albâ utatur in ſacris myſteriis, quâ in quotidiano vel exteriori uſu induitur. Ex quibus geminis teſtimoniis clarè eruitur, ſæculô nonô Clerum paſſim lineâ pro quotidiano externo veſtimento uſum fuiſſe. Orarium quoque ipſa eadem Camiſia dicebatur, ſed antiquioribûs temporibûs ac vix Sæculum quintum excedentibûs; id legitur in prologo ad vitam S. Donati Epiſcopi ex Anaſtaſii Bibliothec: verſione: *adproximans autem fonti homo DEI, factâ oratione Orarium ſuum plicans, in circulo poſuit in terra, ipſéque rediit ad turbas, dixitque puero ſuo, accipe ſtolam &c.* Hoc verò *orarium* ipſam fuiſſe camiſiam colligi datur ex ſenſu Honorii Auguſtod: & Hugonis noſtri dicentis: *apud antiquos non orarium dicebatur ſtola, ſed Alba.* Verùm an id adhuc Sæculô nonô uſitatum fuerit, quô Orarium ùt plurimùm jam idem ac ſtola erat, vehementer addubito: eóque tempore potiùs crediderim *ſtolæ* nomen non raró lineæ veſti tanquam Clericorum ac præcipuè Sacerdotum inſigni fuiſſe attributum. Certè id opinari facit, quòd tum ſtola plerumque ex lino eſſet, nam per Capitulare Ludovici Pii eôdem ſæpè dictô nonô ſæculô præcipitur *ut Sacerdotes ſtolas portent propter ſignum caſtitatis, ſicut decretum eſt.* Per hanc ſtolam non videtur aliud intelligi, niſi linea veſtis, quæ tum in Germania aliquantò aliter, & fortè in ſimilitudinem ſtolæ aut modernorum (ùt dicimus) Sarrocciorum confecta fuerit in Commodiorem uſum proficiſcentium. Ex quo linô quidem eandem conſtitiſſe docemur à Witichindo Corbejenſi monacho, dum de Archipræſule Moguntino Ottoni neoelecto Regi obviàm procedente verba facit, ſic ſcribente. *Quô præcedente, Pontifex obvius lævâ ſuâ dexteram tangit Regis, ſuâque dexterâ lituum geſtans, lineâ indutus ſtolâ, planetâque, infulatus, progreſſúsque in medium usque fori ſubſiſtit &c.* Lineâ, inquam, indutus ſtolâ, quod eſt per Hyperbaton dictum (quo tropo paſſim & vix non ſemper utitur Witichindus, ùt legenti patebit) non verò, *lineâ indutus, ſtolâ, planetâque infulatus.* Prout in collationibus Tenzeli apud Leibnizium habetur. Præterquam enim, quòd valde coacta ſit lectio, ut dicatur Archiepiſcopus ſtolâ & planetâ infulari, inſuper certum eſt, illam interpunctionem non eſſe Authoris, utpote cùm eâdem necdum Scriptores uterentur. Denique hâc ipſe, quâ nos, lectione utitur Serarius ex Trithemio, niſi in hoc deflectens, quòd legat, *planetâque infulatus.* Lineâ igitur ſtolâ indutus eſt Hildibertus in ſignum ſui per Archiepiſcopatum aſſumpti Clericatûs, neque ſtolæ nomine propriè videtur Sæculô nonô decimôque veniſſe eam veſtem ſacram, quam nunc taliter appellamus, nam in ordine Romano (qui Mabillonio circa ea Sæcula ſcriptus videtur, certè non antea) ſtola orarium nominatur; ſic enim ibidem. *Subdiaconi Regionarii ſecundùm ordinem ſuum accipiunt ad induendum Pontificem ipſa veſtimenta, alius lineam, alius ambiologium, id eſt amictum, quod dicitur humerale, alius lineam Dalmaticam, quam dicimus Albam, alius cingulum, alius Dalmaticam, alius Orarium, alius Planetam &c.* At non multùm conflixero cum eo, qui probare conatus fuerit, tunc quoque ſtolæ vocabulum torqui illi ſacræ à Collo ſacerdotis pendulæ, neque ex lino ſed ex ſerico compoſitæ, fuiſſe datum; cùm non vacet, huic diſceptationi inhærere, nobíſque ſatis ſit demonſtraſſe, ſtolam eodem tempore lineam fuiſſe, adeoque ab orario diſtinctam: hoc verò nomen appropriatum eſſe torqui illi, quam nunc ſtolam dicimus, patet ex Ruperto Tuit: & Alcuino. vide Pereyram Elucid. Sac. Theol. L. 2. Elucid. 8. Sectione 3. n. 855.

Profectò iisdem temporibûs & qui-

Marginal notes: Muſæ: Ital. Mabil. t. 1. p. 2. p. 85. — Hon. L. 1 C. 114. Hugo Vict. L. 1. de Sacram. C. 84. — L. 6. Cap. 169. — L. 2. Annal. p. 642. edit. Meibomii. — T. 1. ſcript. rerum Brunſuicen. p. 215. — Rerum Mogunt. L. 4. p. 425. — Mus. Ital. tom. 2. p. 54.

Digitized by Google

quidem præcipuè ad medium decimi Sæculi ideò linei dicebantur Canonici nempè à veſte linea, quâ interdiu uti tenebantur, ſic de Salomone Epiſ. Conſtantienſi & Grimaldo, qui Abbas erat S. Galli, ſimulque Canonicus, & veſte hac ingrediebaturClauſtrum monachorum, narrat Ekkehardus Junior, *locum autem*, inquit: *noſtrum ſibi præ omnibus habitum ſubinde adiit* (Salomon nimirum tum temporis æquè Canonicus) *Clauſtrúmque ille, quia potens erat, absque Duce, & quod magnæ confuſionis tunc erat, cum lineis veſtibus diætim introiit, ſurgunt inde ab æmulis illius murmuraria &c. & ille, Eja inquit, hæc utique titulo & Ratpertus* (monachi hi erant Salomoni ob talem ingreſſum infenſi) *vel alii invidi more ſuô poſuerant, nonne quæſo, & Abbas veſter* (Grimualdus ſcilicet Canonicus) *lineus Clauſtrum tot annis ingreditur? &c.* En Salomonem lineîs veſtibûs diætim incedentem, & Grimaldum planè antonomaſticè, vocatum *Abbatem lineum*, hoc eſt, Canonicum: ex quibus igitur dilucidè apparet, Clericis usque ad ſæculum decimum veſtem lineam propriam fuiſſe, & ſui Clericatûs certam, firmámque notam. De ſæculo undecimo, quô jam oppidò refloruit Auguſtiniana obſervantia ſequenti parte, quæ expediunt, diſſeremus.

L. de Caſ. mon. S. Galli C. 1. edit. Goldaſt. f. 12. & 13.

8. *Hæc veſtis linea qualiter diſcretiva Inſtituti votivo Clericalis?*

Verùm nunc demum eò quæſtio noſtra devolvitur, ut quantùm hactenus de linea veſte per priora decem Sæcula, Clericis Canonicisque propriâ demonſtrata conferre poſſint ad ipſius inſtituti votivo-Clericalis diſcrimen tam à monaſtico, quàm ab eo, quòd à votis liberum eſt, ſivè â Clericali ſæculari, declaremus. Huc enim niſi totus hactenùs elucubratus diſcurſus noſter contenderit, vacuè, ac inaniter cunctis (pro linea veſte Clericis aſſerenda) argumentis afferendis inſudavimus. Utpote neque propoſito congruis, neque modo. Repono igitur, hanc veſtem lineam tantum contuliſſe ad diſcernendum inſtitutum votivo Clericale tam ab ipſo monaſtico, quàm ab Eccleſiaſtico ſive Clericali ſæculari, quàm quòd maximè: & à primo quidem, res ex recenſitis ùt plurimùm jam aliundè teſtimoniis liquet, quorum qui ampliora petit in tertia parte reperiet; à ſecundo verò, oſtendo ſequentibus.

Ex adductis parte anteriori, vidimus, & ùt nullus ambigo, ad oculum perſpeximus primum Eccleſiæ naſcentis cætum Clericalem ex Apoſtolis aliíſque Domini Diſcipulis collectum, nullô exceptô, fuiſſe votivæ, &c, ùt nunc dicimus, religioſæ vitæ illigatum, nullô, inquam exceptô, neque enim teſtimonia Patrum, ipſæque rationes allatæ pro aliquibus tantummodò certant excluſis reliquis, ſed ſicut omnium unus erat inſtituti ſui finis & functio, ſic una & æqualis omnes obligatio ſtrinxit vivendi, hôc verô tam firmiter quàm indubitatè manente, cùm ſubſequo tempore (graviſſimîs tyrannorum perſecutionibûs communem vitam plurimis in locis fidelium tantùm non omninò ſuffocantibûs) hinc inde Clerici diſperſi à conſortio Charitatis, quamvìs quidem aliquanti per menſurnas illas, de quibus Cyprianus, & ſportulas certis temporibûs ab Eccleſia Matrice extraditas ſuſtentarentur, alii tamen impedimentis compluribûs intercurrentibûs neceſſariò ſibi ipſis alimenta procurare ſuâ induſtriâ cogerentur, præcipuè ubi multis in locis ardor ille communis Charitatis inter Laicos fideles defecerat, ut quorum aliàs intererat, Chriſti ſuſtentare miniſtros, juxta illud Apoſtoli: *Si nos vobis Spiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos Carnalia veſtra metamus:* Jam non quæ Chriſti, ſed ſua, quærentes negligerent quoque curam ſervorum ejus: ex hoc neceſſe conſequebatur, paupertatem votivam, quæ primitùs ſub quadam obligatione omnes Eccleſiaſticos continuit,

1. Cor. 9. 11.

nuit, dein ſolùm liberè ſe eidem ſubmittentes collegiſſe. Nihil nos hiſce hiſtoricæ veritati infeſtum, aut Illuſtriſſimo ſtatui Clerico-ſæculari injurioſum aſſerere præſumimus, neque enim aliter ſenſêre potiores, qui vel ex ipſo hoc Clariſſimo cætu viri hac de re ſcripſêre doctiſſimi. Bardius in ſelectionibus ſuis teſtis hìc nobis eſto: ſic ſcribens (ea, quæ ad rem noſtram faciunt, proferemus reliquis intermiſsis) *tria ſunt diſtinguenda Eccleſiæ tempora. Primum primitivæ Eccleſiæ tempore Apoſtolorum, quô omnes fideles vivebant in Communi: ſecundum, quô laici cæperunt bona propria poſſidere, & modus vivendi in communi remanſit ſolùm apud Clericos. Et hoc tempore commonita fuit diſtributio in quatuor partes. Tertium tempus eſt, quô cæperunt Clerici bona propria poſſidere, Eccleſiæ dotari - - - item pro Clericis & miniſtris erecti fuerunt tituli beneficiales, & præbendæ, & hoc tempore diſpoſitum fuit, ut Clerici poſſint licitè vivere redditibus Eccleſiæ & ſuis hæredibus, bona patrimonalia relinquere.* Jungamus Bardio eminentiſſimum Cardinalem de Fleuri Lib. de moribus Cler, p. 24. Sic diſcurrentem illis temporibus *commorabantur*, inquit: *in una domo, comedebant in uno refectorio, quantum erat poſſibile, ſaltem nihil poſſidebant proprium, & vivebant de eo, quod Eccleſia illis ſubminiſtrabat; hæc magna erat familia, cujus pater erat Epiſcopus, tales erant Clerici S. Euſebii Vercellenſis, S. Martini, S. Auguſtini, & vocabantur Clerici regulares ſeu Canonici, ad diſtinctionem eorum, qui non tam exactè vivebant ſecundùm Canones.* Hoc eſt, qui votivam illam paupertatem non tam exactè Secundùm altiorem gradum colebant, alebántque ſe ùt plurimùm de propria ſubſtantia, ut Eccleſiæ, cui deſerviebant, inopiam ſublevarent, prout id D. Ambroſius, & Julianus Pomerius notavit. Quô verò tempore in ipſas Cathedrales Eccleſias mos hic inductus ſit, non eſt facilè divinare, certè uſitatum jam fuiſſe ante Auguſtini tempora ex adductis parte prima enarrationibus colligitur. Jacobus Tavellus, de Adrico Archiepiſcopo ſenonenſi, tempore Ludovici Pii, hoc eſt, nonô ſæculô florente ſcribens ait: *tunc collegia Canonicorum, ex Epiſcoporum manu & poteſtate, in libertatem ſe aſſerere, & vindicare cæperunt: atque plurimùm Canonicorum menſa & Epiſcopalis diſcreta eſt, partitióque bonorum inter illos facta.* Quod intelligendum de majori libertate in colenda votiva paupertate in ipſa Clericorum *monaſteria* invectâ, nam proprietatem apud Clerum exterum in villis, pagis, ac locis ſeparatis à Communitatibus Clauſtralibus habitantem longè antea ſolitam fuiſſe manifeſtum eſt. Igitur Ordinatiorem viciſſitudinum Clericalis inſtituti Chronologiam, omnium verè melioris notæ Scriptorum ſenſui concordantem, dubito, an quis formaverit, niſi quam Bardius, Felix, Poteſtatius, Panormitanus alíique celeberrimi Authores ſtatuerunt. Quâ ſtante, per ſe ſe deducitur, veſtem lineam Clericis votivis ex origine ſuâ propriam fuiſſe; cùm alii niſi votivi non eſſent. Propria verò fuit, quòd ea inſtituti ſui ac profeſſionis eſſet myſtica nota, atque continua cohortatrix, velut id demonſtrarunt complures de veſte hac linea moraliſantes Scriptores. de quo videndus Lyranus in Apoc. 19. 15. Gloſſa in Clement. 1. Buſchius noſter in Chron. L. 1. C. 23. alíique. Prætereà per eam illius haberetur ab omni alio ordine diſcrimen; hinc illa Concilii Aquisgranenſis Can. 125. obſervatio (jam quoad partem priorem ſuperiùs prolata, quâ monachorum cuculla Canonicis induenda vetatur) ſequentia ſubiicit: *habitus namque ſingulorum ordinum idcircò in Eccleſia ab invicem diſcreti ſunt, ut hìs viſis, cujus propoſiti ſit geſtans vel in qua profeſſione Deo militet, liquidò cognoſcatur.*

In ſelection. L. 4. qu. 10. Sect. 1. 2. N. 1298

9.

Secu'is recentioribus à Clericis quoque non votivis cur geſtata?

Primò ob Jus Clericale.

Ex his verò non difficulter reſpondebimus percontanti, quî fieri poſſit, ut veſtem lineam Clericalis votivi inſtituti diſcretivam adſtruamus? cùm certum ſit, eandem omnibus paſſim Clericis ævo poſteriori indiſcriminatim fuiſſe præſcriptam, ſeu votivi illi eſſent, ſeu à votis liberi, nam quotquot teſtimonia hactenùs adducta ſunt, aut adduci adhuc poſſunt usque ad Concilium fortè Budenſe annô 1279. celebratum (quô decernitur linea veſtis propria Canonicorum Regularium, hoc eſt, Clericorum votivorum eſſe) generaliter veſtem lineam Clericis adſtruunt, ſeu votivi illi ſint, ſeu non ſint. Cùm itáque (ut veſtis linea ſit generale diſtinctivum Clerici regularis) requiratur, nunquam eam Clericis quoque ſæcularibus fuiſſe communem, hoc autem evinci nullis teſtibus poſſit, ſanè quoque inter diſcretiva ſaltem prioribus ſæculis veſtis linea inſtituti votivo-Clericalis collocari nequibit. Occurro enim ſic aut quærenti, aut objicienti: nihil obſtare aſſerto noſtro, quòd veſtis illa linea, ſæcularibus quoque Clericis in uſu fuerit, penſandæ ſiquidem ſunt circumſtantiæ, cauſæque hujus conſuetudinis, diximus namque Clericos votivos ſenſim ad ſtatum illum à votis liberum deveniſſe, unde mirum non eſt, quædam adhuc iſtis priſtinæ ſuæ converſationis indicia, qualitatéſque remanſiſſe, & quæ antea Clericis univerſim ſuæ profeſſionis Nota erat, exinde ſaltem indicium perſtitiſſe inſtituti Clericalis, ſicut Hieronymô teſte Clerico vi hujus nominis propria eſt terrenarum rerum abdicatio, & vita votiva, adeóque vox propriè per ſe diſcretiva hominis Deo per vota ſacrati, ùt ex Salviano aliiſque Doctoribus Cap. 1. probavimus: & tamen, cùm relaxaretur Ordo voventium, utrique, id eſt, tam his quàm à votis liberis remanſit nomen Clericorum, ex quo Illuſtriſſimus Cardinalis Cicada: *Clerici*, inquit, *omnes originaliter vivebant ſecundùm vitam regularem; cùm inciperent vitam hujusmodi relaxare, inſtituti ſunt Canonici Regulares per Auguſtinum juxta priorem vitam; ad retinendum illius ſymbolum: Clerici verò qui non ſervabant regulam, vocati ſunt ſæculares, quaſi participantes de regulari quoad Ordinem, & de ſæculari quoad vitam: ùt dicit Gloſſa in Cap. licet de corrigendis, in verſu: ſæculares de Off. ordinand. &c.* Apud Tambur. de jure Abbat. in relat. ad Pium 4. PP. §. 3. Hæc Eminentiſſimus. Ex quo apparet Clericum duas rés complecti, velut S. Auguſtinus enuntiat: *Duas res profeſſum eſſe, ſanctitatem & Clericatum. Sanctitatem* quoad vitam regularem, & ſecundùm hanc ex natura vocis dicitur Clericus, ex mente Hieronymi aliorumque à nobis citatorum SS. Patrum. Clericatum verò jure Ordinis ſeu officii, & ſecundùm hanc dici quóque Clericus poteſt, ac debet: licèt enim non ſit pars Domini jure expropriationis, eſt tamen pars ejus jure miniſterii, quô ipſi dicatus eſt. Initiô ergo fundati Clericalis inſtituti, ſicut Clericum diſcernebat veſtis ſeu habitus, ſic diſcernebat & nomen, diuque erat, quòd promiſcuè adhuc tam voventes, quàm non votivi dicerentur ſimpliciter Clerici, etſi hæc vox primùm propriè diſcretiva eſſet Clerici votivi, non ſolùm, quòd tunc ſæcularis Clericus non daretur, ſed quòd per ſe & ex natura ſua hominem in miniſterium divinum per expropriationem ſacratum notaret: cùm verò multiplicarentur indies Clerici non votivi, ſæculô circiter ſextô, ſaltem in Occidente (priùs tamen adhuc in Oriente, ùt patet ex Baſilio, & nos inferiùs de hoc complura, ubi agemus de voce iſta) *Canonici* nuncupari cœperunt: quæ nomenclatura non minùs ex natura ſua regularem & expropriatum Clericum ſignat, ſed, cùm etiam *Canonici* reſilirent ab inſtituto Majorum, & tranſirent

in

Digitized by Google

in libertatem proprietatis, iterum iiſdem nova nomenclatura acceſſit per interpretationem vocis Græcæ, quâ *Canonicus* ſimul dictus eſt *Regularis*. Velut hæc omnia inferiùs clariùs referentur. Igitur obſervamus, ſicut in moralibus totis una pars, aut una circumſtantia non variat totum, quamvìs cum reliquis illud conſtituat, ſic iſtud quoque attendimus in diſcretivis notis inſtituti Canonici, præcipuè ſecundùm temporum ſuccedentium vices conſiderati: ùt licèt v. g. hæ voces *Clericus*, *Canonicus*, *Regularis*, per ſe ſe eſſent notæ diſcretivæ ipſam rem inſtituti deſignantes, ita quidem, ut cùm primùm ſola eſſet vox Clericus, exinde huic voci adjuncta altera Canonicus, ac demum adjecta tertia ſit *Regularis*: ſic in veſtitu ſemper erat Camiſia, ſed dum eâdem ſæculares quóque id eſt à votis liberi Clerici, ac Canonici veſtiri pergerent, non officiebat votivis, quò minùs hæc eſſet propriè diſcretiva cum reliquis ſuo inſtituto propriis conſtitutis. Quod magis adhuc exinde probatur, nam cùm certum ſit hâc veſte lineâ uſos fuiſſe Clericos ac Canonicos plurimos, ne dicam omnes tam votivos quàm liberos, poſtquam demum facta eſt in hoc genere ab Eccleſiæ Præſulibus nova quædam modificatio, manſit veſtis linea tanquam propria & diſcretiva ipſis Canonicis Regularibus, & prohibitum eſt ſæcularibus eandem in quotidianum veſtitum aſſumere, tanquam habitum ſolis Canonicis votivis proprium, ùt habet Gloſſa in Clement. 1. in verbo: habitus. de electione. Solis, inquam, Canonicis votivis proprium; Quòd enim illam portantibus Clericis vel Canonicis à voto liberis tam diu admiſerint Eccleſiæ noſtræ proceres, ex duplici capite ortum videtur:

Primò, quòd eſſet linea veſtis non ſolùm diſcretiva Inſtituti Votivo-Clericalis, ſed etiam requiſita ad miniſterium Altaris, & ad ipſa Sacramenta adminiſtranda: Cùm verò prioribûs ſæculìs paſſim Canon ille ſeu ſtatutum Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi obſervaretur, quô dicitur: *Ut Presbyteri ſine ſacro Chriſmate, & oleo benedicto, & ſalubri Euchariſtia alicubi non proficiſcantur, ſed ubicunque vel fortuito requiſiti fuerint, ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati in reddendo debito.* Sicut notum eſt, ab antiquo decretum fuiſſe, ut Sacramenta ſine linea non adminiſtrentur, ſic facilè apparet eoſdem Presbyteros hac quoque veſte amictos proceſſiſſe. Spicil. T. 1. f. 508.

Secundò: tum ex hactenùs dictis, tum ex dicendis conſtat usque ad Innocentii tertii tempora inter ipſos Canonicos regulares ac Sæculares tam difficilem non raró intercesſiſſe diſcrepantiam, ut quandóque faciliùs ovum ab ovo quàm ſæcularem Canonicum diſcernere liceret à regulari, maximè tali, qui necdum novæ illi Sæculô undecimô efflореſcenti reformationi Auguſtinianæ Regulæ ſe ſubjeciſſent. Nam quòd diù & usque ad prædicti Innocentii tempora, multa exiſterent Canonicorum monaſteria, Regulæ Aquisgranenſi addicta, qui quamvìs inter regulares adhuc haberentur, minùs tamen ad comparationem aliorum reformatorum regulariter viverent, res eſt certa: hinc quóque Canonici reformati quandam quaſi religioſam averſionem concipiebant à libertate aliorum, tunc ſub regula Aquisgranenſi, ùt plurimùm jam depravata, nimis liberè viventium, & nil penè niſi ſolum Ordinis veſtitum prætendentium. Certè hanc noſtram opinionem facilè eſſet argumentô ad hominem demonſtrare, cùm non multum operis nobis inſumendum eſſet, modernis adhuc temporibûs ingentem inter ejuſdem inſtituti ac ſpeciei religioſos diſcrepantiam atque diſconvenientiam reperire, ita

2do. quòd quidam viverent, ut vix ſciretur, an regulares an ſæculares eſſent? prout ex Navarro mox.

Digitized by Google

ita quidem, ut unum cœtum cum altero in obſervantia regulari conferenti vix ac ne vix umbra quandóque æqualitatis occurreret: talem videtur Navarrus noſter in ſuis conſiliis Regul. ſuo tempore exiſtentem indicaſſe, dum ait: *A ſummo Pontifice collatus fuit Canonicatus cujusdam Eccleſiæ Cathedralis ſub regula S. Auguſtini, cujus Eccleſiæ Canonici, licèt Regulares dicantur, nullam tamen emittant profeſſionem; qui Canonici in Civitate, in qua Canonicatum obtinent, aſſiduè gerunt quoddam Scapularium, quod dicitur Rochettus &c. Neque apud dictos Canonicos aliqua regularis obſervantia viget; quin imò plures ex dictis Canonicis, qui ſacris Ordinibus initiati non ſunt, uxores abſque diſpenſatione Apoſtolica dimiſſo Canonicatu, & dicto ſcapulario duxerunt.* Cùmque quæreretur ex Viro Clariſſimo Navarro, an hi Regulares cenſendi ſint? reſolvit idem, dixitque: quòd *prædicta Eccleſia Cathedralis videtur eſſe Regularis, quales fuerunt olim ferè omnes Eccleſiæ Cathedrales Galliarum &c.* Quodſi ergo talis Eccleſiæ Canonici noſtris temporibûs à diſciplina penitùs quaſi relaxati, adhuc tamen lineam veſtem portabant, & inter Regulares (quamvìs à ſtrictè talibus longè remoti) cenſebantur, poteſt ſanè de illis prioris ævi Canonicis idipſum dici. Et quodſi noſtris temporibus, ſæpiùs uſus veſtium adeò alternatus reperitur, & earum quidem, quæ re ipſa atque indubitanter diſcretivæ ac determinativæ inſtituti certi cujusdam adhuctum habentur, ut talibus in uſu ſint, quibus nunquam competebant (qui nôrunt, intelligunt) multò magìs hoc de illis æſtimari valet temporibus, utpote, quòd hæc veſtis linea portaretur à Clericis tum quidem ſæcularibus, ſed tamen Clericis, quorum lineam interdiu etiam portare olim proprium erat. Quidquid ergo libuerit, aſſumatur, ſeu ſcilicet dicatur à ſæcularibus Canonicis lineam uſurpatam fuiſſe; dicemus, id diſcretivæ notæ in veſte linea Clericorum votivorum ſtatutæ non obeſſe: nam etſi illa ſæcularium Clericorum fuerat ſimilis alteri tanquam diſcretivæ Ordinis Canonicorum, tamen deficiente correlativo (cùm non in hac ſola veſte excluſivè totum abſolutè diſcrimen ponamus) deficiet ipſa etiam, ad quam primò inſtituta eſt ſignificatio ac denominatio L. filio §. Matri ff. de adimend. leg. Barboſ. Axiomat. 61. n. 2. quia enim neque habitus neque tunica linea aut Camiſia ſeu Rochethum facit Canonicum, ſed talem eſſe notat, ſic, qui talis non eſt, eâ tamen utitur, ideo jus notæ diſcretivæ, ſi ſuo Correlativo adhæreat, auferre non poteſt. Seu aſſeratur Canonicos illos fuiſſe inter regulares, & tunc aſſertionem noſtram â fortiori tuebimur. Quamvìs ambigi non poſſit, ſæculo undecimo Canonicos quosdam etiam in Communi conſortio viventes dictos fuiſſe ſæculares, an autem ea de cauſa, quòd verè ſæculares eſſent, & ab omni religionis jugo liberi? an ſolùm ex comparatione ad tunc reformatos per regulam S. Auguſtini? quæſtio eſt, non exilis momenti; & ſi meam opinionem aperiam, profectò potiùs ſecundum credidero, quam primum, ratio, quâ ad hoc inclinor inter alias, duplex eſt. Primò: quòd meminerim, me quoque monachos legiſſe ſæculares, qui tamen in re plenè à votis liberi non eſſent. Et quidem exſtat hiſtoria Sæculo 12. ſcripta de monaſterio Tornacenſi S. Martini, de quo nos fusè in deſcriptione noſtrorum Collegiorum. Eſt illa compillata ab Herimanno ejusdem loci Abbate: hic, ſicut Canonicos *ſæculares*, ſic nominat & monachos *ſæculares*. De illis ad Odonem, ut ei inſtituti Canonici commutationem in monachile perſuadeat: *juxta urbem*, inquit: *habitatis, & facilè fratres veſtri Juniores à ſæcularibus Clericis* ſe-

T. 1. L. 3. de Reg. conſil. 43.

Vide Ceremon. Epiſ. L. 1. c. 1. & C. Clerici 15. S. Pontifices autem. ubi reperies, quibusnam competat Rochettis veſtiri.

Spicil. t. 2. p. 899.

ſociis ſuis decepti ad ſæculum reducentur, quia unus idémque veſter, & ipſorum eſt habitus; ſi autem monachi eſſetis, poſteà nullum de veſtris tentarent reducere, quoniam cùm monachorum niger ſit habitus, Clericorum verò Candidus, tanto honori Clerici habent habitum monachorum, ut quem ſemel viderint monachum, nunquam deinceps dignentur habere ſocium. Ergò ex his inferendum Canonicos Tornacenſes (de quibus Herimannus loquitur) fuiſſe ſæculares. Verùm idem de monachis dicit: quòd, *cùm Odo nihil de Eccleſiaſticis redditibus vellet habere, dicens: talia non à monachis, ſed ſolummodo à Clericis debere poſſideri -- poſteà cognovit à monachis juxta urbem habitantibus, quos populares ſive ſæculares quidam nominent, non ex toto inſtituta poſſe ſervari.* Imò Ordricus Vitalis in ſua hiſtoria Eccleſ. conqueritur. *Albos, Griſeóſve* (Ciſtercienſes ſcilicet) *quaſi invidioſè ac injurioſè monachis nigris hoc nomen impoſuiſſe: qui* inquit, *alios monachos ſæculares vocitant.* Et hôc quidem modô monachi *ſæculares* dicebantur, non quòd à votis reſiliſſent monaſticis, ſed vel, quòd inter Sæcularium turmas paſſim converſationem haberent, neque ſe, ùt aliàs ex inſtituto antiquo congruerat, detinerent abſtractos in ſolitudine. Vel, quòd reſpectu ſtrictiorum monachorum, remiſſè ac liberè viverent. Quæ cauſa eadem tum eſſe potuit, imò (ùt mihi quidem videtur) fuit, ut eô ipsô tempore (ſæculô nimirum undecimô) Clerici Canonicíve ſæculares nuncupari ſolerent; non quòd in re à votis expediti viverent, ſed quòd reſpectu reformatorum laxiores utcunque eſſent, atque liberiores. Ut enim tam liberè, & non potiùs cavillando ſæculô undecimô, ac antea, hoc nomen ſæculare impactum ſit Canonicis, viderint, quâ ratione (qui id negant) explicent Petrum Cluniacenſem dubitantem *an Canonici dici poſſent ſæculares,* aut Adamum Præmonſtratenſem ſæculi duodecimi ſcriptorem pariter exſibilantem, *ſi Canonici, quomodo Sæculares? ſi verò ſæculares, quomodo Canonici?* & profectò: cùm Petrus Damianus ad Canonicos generaliter ſcriberet, ùt amplecterentur inſtituta priſtina Apoſtolicæ expropriationis, à quibus plurimùm receſſerant, ſuffulti prætextu Aquiſgranenſis regulæ, aut malè ab illis intellectæ, aut per quoſdam interpellatæ, ac decurtatæ; totâ illâ Epiſtolâ manifeſtè inſinuat, nomen ſæcularitatis Canonicis neutiquam ex conſtituto conveniſſe, ſicut nec ipſa proprietas, illa ſcilicet, quæ ipſos à ſpecie votivorum Canonicorum abſolutè jam (ùt nunc eſt) ſecerneret, ſed res tota tum, id eſt, ſæculô undecimô, atque duodecimô, adhuc in ſcirpo erat, imò quodammodo averſabantur plurimi, ut nomen ſeu vox ſæcularis adderetur nomini *Canonicus. Volunt ſiquidem,* inquit Petrus Dami: *Canonicum, hoc eſt, regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere.* Atque ut ſe magis tuerentur, teſte eodem Damiano, obtendebant regulam Aquiſgranenſem: quodſi enim jam conclamata fuiſſet jure Eccleſiæ hæc diſcretio ſæcularium & regularium Canonicorum, certè eam præprimis objeciſſent Damiano, quaſi non obſtante ſuâ regularitate, liceret iis vi hujus regulæ proprium poſſidere; fortè & ſe per hanc ipſam exculpabant ad aliquem eúmque infimum laxiſſimúmque ex quatuor paupertatis gradibus ſuperiùs à nobis relatis. Adeoque à primo ad ultimum deveniendo: nam de his Nominibus infrà recurret amplior diſquiſitio, ex hac voce *ſæcularis*, quæ Canonicis in ſocietate viventibus aliquando ſæculô undecimô aut duodecimô, imò & antea attribuebatur, aliud, plúſque argui vix, ac ne vix poteſt, niſi laxata diſciplina, quæ teſte citato Navarro ſpeciem inſtituti non mutat, ſed reformationem expoſcit. At quæ hìc de Ca-

Ibid. p. 910. Col. 1 paulò ante N. 61.

L. 8. ad ann. 1090. t. 716.

L. 1. Epiſt. 34.

Serm. 3. de Ord.

Digitized by Google

Canonicis in Commune viventibus obſervamus, non ideo volumus ad univerſum ejus temporis Clerum eſſe extendenda. Cavemus enim cum eodem Damiano dicente: *Sancti viri* (Auguſtini nimirum vel potiùs Hieronymi) *verbis evidenter oſtenditur, quia Clericus, qui pecuniam poſſidet, ipſe Chriſti poſſeſſio vel hæreditas eſſe vel Deum hæreditate poſſidere non poteſt. Quod tamen non de Clericis omnibus dicimus, ſed de his ſpecialiter, qui Canonico cenſentur nomine, & vivunt in Congregatione.* Nam eò & jam prævio longè tempore ſicut Clericos exſtitiſſe proprietati addictos, ac nunquam in communitate viventes aut Canonici nomine inſignitos, novimus, ſic hos inter votivos nequaquam recenſemus. Neque credimus iſtos veſtem illam lineam, de qua nobis ſermo eſt, tam ſedulò ad communem & quotidianum veſtitum applicuiſſe, ſed ſolùm cum ſacris operarentur, quod ipſum & monachis, Ordine Clericali honoratis, in uſu erat; ſed quæ veſtis linea, non erat niſi alba, vel ſuperpelliceum, diſtinctum planè ab uſuali ac diſcriminativo Clericorum votivorum: Quò reſpicere videntur duo illa decreta, primò: uſuali ſeu diurna ac diſcretiva veſte lineâ uti non debere monachos juxta Con. Gallic. Secundò: aliam fuiſſe veſtem lineam, quam uſurpare oportebat in Sacris, aliam, quam per diem & extra Eccleſiam: ùt habet: Can. 7. Capitul: Riculphi Sueſſion: jam ſuper relatus. Illam ergà impunè induebant quicunque Clerici in ſacris conſtituti, ſecùs iſtam.

L. 1 Ep 6. ad Aex. Pap.

Conc. Gallic. t. 1. Conc. p. 363. Can. qui additur ad conſulta Pipini per Zachar. P.P.

Ex his demum ſummariè collatis colliget quicunque eruditus Lector, jure à nobis ſtatui, præter alias notas diſcretivas, quæ ſcilicet ſunt: Finis particularis, qui eſt vita mixta, Fundatores, certa vivendi norma, ac demum Succeſſio non interrupta (de quibus omnibus luculentiùs agendi occaſionem nobis pars tertia ſuppeditabit) *ipſam etiam eſſe veſtem lineam*, quæ Clerici Votivi Sicut certa ac Characteriſtica nota à primis Eccleſiæ Sæculis exſtitit, ſic eundem hodiedum per analogam ſucceſſionem talem eſſe demonſtrat: Verùm quia à modernis Doctoribus inter ſæpedictas diſcretivas inſtitutorum religioſorum notas regula quoque certa ſtatuenda contenditur, hinc de eadem ſequenti in Capite peculiarem quæſtionem ordinamus.

CAPUT IV.

Quid? qualiſve Regula apud Prioris Ævi Clericos Canonicos?

MAgnam illa Magni Gregorii verba attentionem merentur, quibùs ait: *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire, & in monachica regula ordinatè perſiſtere, ut ipſe monaſterii diſtrictionem teneat, qui quotidie in obſequio Eccleſiaſtico cogitur permanere.* Sic enim cogitabat vir Sanctus, Nihil adeò Religioſo homini expedire, niſi, ut præfixam ſibi regulam habeat, cui obſequatur, inſuper gratis regulam aliquam præſcribi, ſi aut pauca eorum, quæ continet, obſerventur, aut nulla. Noverat porrò Gregorius D. Benedicti regulam, quam ipſe tantâ veneratione præ reliquis tunc in monachiſmo florentibus complexus eſt, ut unam illam doctiſſimis ſuis commentationibùs illuſtrare dignaretur; noverat inquam, hanc ipſam ex intimis (ut ita dicam) viſceribus; atque hinc, quaſi per Oraculum loquens, profeſſus eſt, eam Eccleſiaſticis obſequiis implexo convenire non poſſe, maluítque idem (quemcunque ad Clericale officium ex monachis aut neceſſitas provocavit, aut meritum) ab monachiſmo abſolvere potiùs, novis aliíſque adſtringendum legibus, ſtatui adepto accommodis, quàm negotiis Clericalibus addicere, regulæ adhuc monachili obligatum, pro-

Ep 1. ad Joan. Ravenn.

I. Regula ſoli inſtituto monaſtico videtur congruere.

prout Clariſſima ejus verba teſtantur. Quære enim & perquire ſingula ſeptuaginta tria ſanctiſſimi legiſlatoris, ac monachorum nunc maximè egregiéque florentium, facilè Patriarchæ, Divi, inquam, Benedicti regulæ Capita, & potiora reperies ad litteram non niſi obſervanda ab iis, qui, à ſollicitudine alienæ ſalutis remoti, ſibi ipſis intra Clauſtra, ſolíque Deo ac confratribus ſuis cogniti, mundo ignoti, ad virtutum ſtimulum ſedulò acuendum exiſtunt. Ut hinc inter Heteroclitos ſenſus ille habendus ſit, qui monachiſmo Clericatum ex eſſentia proprium vindicaturus, in D. Benedicti regula eundem (ideo, quòd ſacerdotum, Clericorumvè ſuſcipiendorum licentiam tribuat) vi inſtituti præſcriptum adſtruit, quaſi idem ſit Clericatum præcipere, & Clericis monachiſmum eligentibus non negare. Verùm, cùm hæc de regula diſſerimus, ad aliam nos enodandam difficultatem deducunt: videtur namque regulâ ex hoc Divi Gregorii aſſerto, id ſibi adſciviſſe, ut nomen ipſum quaſi in monachatûs ſignificationem tranſierit. Sæculô id octavô & nonô penè extra dubium eſſe, comprobant Conciliorum effata, quibus regularis vita idem, ac monaſtica erat; ùt in Capitulari Aquiſgran. C. 73. patet, dum monachi regulariter vivere jubentur, Canonici verò Canonicè. Quòdſi autem adeò regula concatenata eſt monachiſmo quid de Clericatu dicemus? cui aut regula omnis abneganda eſt, aut, cum ipſa novi inſtituti ratio monachiſmum ſcilicet cum Clericatu copulantis aſſerenda: quod profectò quidam ſcriptores fa um crediderunt, cùm affirmarent, inſtitutum Canonicorum regularium à tempore Chrodegangi Metenſis Epiſcopi, aut Aquiſgranenſis Concilii ſua obtinuiſſe initia, quia tum primùm leguntur Clerici, ſeu Canonici regulâ certâ conſtricti: alii econtra, cùm regulam hanc minùs ſufficientem opinarentur ob admiſſam (ùt ajunt) proprietatem, ut Clericos intra religioſi inſtituti ſpeciem coarctarent, ad ſæculum undecimum duodecimúmque recurrerunt, tum demum Epocham neo-exorientium Canonicorum regularium ſtatuentes, quo tempore certa, religioſa, ac (ſi ſuperis ita placet) monaſtica eis regula creditur præfinita, *quæ veluti anima & forma eſt Ordinis cujuscunque.* Ut adeò ſine hac ſpecialitas alicujus inſtituti adſtrui non poſſit, hinc nec Canonicorum; qui, quamvìs ante ſæculum duodecimum undecimúmve regulares aut regulariter viventes dicerentur, non tamen religioſi (propriè talis) inſtituti ſpeciem haberent, utpote quòd, *licèt vitam aliquam Communem in Clauſtro ſeu monaſterio ſervarent, ad nullam tamen bonorum abdicationem obligarentur.* Hæc ſunt, quæ nos præcipuè ad præſentis Capitis inſtituendam quæſtionem impulerunt; quam, ut planè, ac dilucidè ordinemus.

Pro hac ſententia qui certant, in ſubſidium citant Hugon.: Metellum can. Reg. Epiſt. 41. in M. SS. Cod. Jacob. firm.

Vide tract. Prælim. Chronol. Jeros. in act. SS tom 3. Maii præfixum pare-rus. 5. n. 119.

Vide eadem acta SS. tom. 1. Jul. in vita S. Raymundi Comment. prævio § 2.

Primò omnium ſcrutabimur regulæ neceſſitatem ad conſtituendam ſpeciem infimam Ordinis religioſi maximè votivo-Clericalis; an ſcilicet ipſa per ſe abſolutè ſpecificet inſtitutum unum ab altero? nam in complexo aliarum notarum diſcretivarum eandem poſſe ad ſpecificandum inſtitutum ſaltem ſubalternè conferre, nemo negaverit. Secundò, ſi quæ regula apud veteres Canonicos, Clericóſve, quænam illa? Tertiò: unde, aut cur Nomen regularitatis ante ſæculum undecimum Canonicis aſſertum?

Status præſentis Quæſtionis explicatur.

Vix dum Monaſtici inſtituti quædam præluxerunt initia, jam cum illis ipſa regula tanquam ejusdem (ùt ſuperiùs allegatum eſt) anima ac forma enaſci videbatur; qui enim illius originem Pachomii temporibus affigunt, allegare & regulam potuerunt ab Angelo huic beato Viro pro fratribus in unum à ſe collectis traditam, quam

mox

Digitized by Google

mox & aliæ, eæque plurimæ monachis dirigendis à ſanctis Viris conſcriptæ exceperunt, ùt erant S. Baſilii, Columbani, Iſidori, Fructuoſi, Benedicti &c. ut igitur ambigi haud poſſit, ipſum cum ſui origine etiam in certa quadam religionis ſpecie ac ſingularitate fuiſſe firmatum, neminique (regulam tam ſedulò pro ſtatu religioſo depoſcenti) cauſam dari, eidem ab incunabulis requiſitam abnegandi ſingularitatem. Aſt aliud occurrere in ſtatu Clericali apparet, cui, quamvìs illam contentioſiſſimo annìſu vindicare conati ſimus, nihil egiſſe videbimur, niſi hanc quóque notam diſcretivam, & adeò expetitam inſtituti religioſi formam animamque adſtruamus in Clericatu dudum exſtitiſſe. Inveſtigemus itáque, an tanta ſit ejusdem, ùt prætenditur, regulæ neceſſitas? ac inde legitimam illationem noſtram ſubjiciamus.

2. *Quæ regulæ neceſſitas ad ſpecificandum religioſum inſtitutum.*

Porrò obſervandum cumprimis eſt, dupliciter regulam conſiderari poſſe, Primò: ſtrictiùs aliquandò, & ſecundùm recentioris ævi loquendi modum in religionibus uſitatum, quô per regulam intelligimus certam vivendi normam ab aliquo ſancto Fundatore pro determinata primùm ſacrarum DEO Perſonarum ſocietate conſcriptam, cujusmodi communiter receptæ, & ab Eccleſia approbatæ vigent SS. Baſilii, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci, item Conſtitutiones Carthuſianorum, Societatis JESU, Barnabitarum, Theatinorum, & olim longè plures dabantur, ùt ſuprà attigimus. Secundò: generaliùs regula dicitur, quæcunque præſcripta vivendi norma; atque ſic totum jus Canonicum dicitur regula, quia ipſum verè dirigit ac regulat hominem ad actus honeſtos. Pereyra Elucid. L. 1. Eluc. 5. ſect. 2. n. 83.

Ut inſtitutum aliquod religioſum habeatur ſine omni regula, tam ſecundùm primam, quàm alteram à nobis allatam acceptionem, non eſt poſſibile: cùm enim ſtatus religioſus ſit *fidelium ad perfectionem tendentium editis votis ſtabilis in communi vivendi modus* ùt ait Layman. Theol. mor. L. 4. tr. 5. C. 1. n. 1. hic ſtabilis ſub tribus votis maximè ſub voto obedientiæ vivendi modus haberi non poteſt ſine omni regula ſeu præſcripta norma vivendi, ùt per ſe patet. Quòd ſi quæratur: an ad *ſubſtantiam* inſtituti alicujus religioſi neceſſaria ſit regula primô modô accepta? reponit Leſſius, *abſolutè loquendo ad eam non requiri:* ratio eſt, quia divina mandata, ipſaque vota ſufficiunt, ut ducant hominem ad perfectionem; neque in hoc videtur aliqua hærere difficultas. Secundô tamen modô ſumptam omninò expeti, ex ipſa mox allata ratione deducitur. Cardo nunc rei in eo eſt, an neque ad conſtituendam alicujus inſtituti religioſi *ſingularitatem* exigatur hæc primô modô accepta, & intellecta regula? ad quod pariter dico, nullô modô requiri, maximè in inſtitutis antiquis; hoc ut aſſeram, præcipuè me movet, quòd eadem regula nec ſufficiens ſit ad inſtitutum ſeu ordinem aliquem religioſum per ſe determinandum ac ſpecificandum ex modernis, & fundatis à tempore Concilii Lateranenſis, in quo primùm ſub Innocentio tertio decretum eſt, ne aliquis Ordo religioſus impoſterum ſit ſine regula ex approbatis. Aſſertum hoc patet manifeſtè ab inductione: ſic regula S. Benedicti, ne quidem per ſe ad ſpeciem monachilem determinat, quod enim ſolùm percipiam hoc, vel illud Cænobium vivere ſub regula S. Benedicti, nequeo inferre, ergò ſunt in eo monachi? quia poſſunt eſſe Equites religioſi, ùt ſunt S. Juliani de Pereyro, quibus licet matrimonium inire; nec non & Equites Alcantaræ, aliique multi qui regulam habent S. Benedicti, nec quisquam eos ſub monachis computat. Idem concipe de regula

Confer. Leſſi L. 2. C. 41. Dub. 1. n. 2. Navar. Comment. 1. de Reg. tom 2. n. 24.

S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 1. aliique Leſſius cit. n. 9.

Vide tambur de jure Abbt. t. 2. diſp. 24. q. 5.

gula S. Auguſtini, quam ſibi præfixam habent Canonici regulares quicunque, Eremitæ non minùs. Item SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Barnabitæ, Equites S. Lazari, S. Sepulchri melitenſes, S. Jacobi, Fratres Miſericordiæ, S. Hieron. de Feſulis, aliíque plures, quàm ſexaginta ordines ſpecie à ſe invicem diſcreti. Quorum aliqui mendicantium, aliqui monachorum, aliqui Clericorum ſpecimen retinent, & nullatenùs per regulam ad particulare aliquod inſtitutum arcentur, imò notum eſt, hodiedum diſceptari, an regula S. Auguſtini Clericis, an monachis, an ſimpliciter fæminis ſit ſcripta? quodſi regula ſibi adeo annexam haberet notam characteriſticam, qua ſaltem ſpeciem inſtituti determinaret, hæc difficultas per ipſam aliunde tolleretur. Præterea, ſi regula eſſet talis nota diſcretiva, ſequeretur ante ſuſceptam regulam nullum dari Ordinem in particulari religioſum, quod tamen dici non poteſt de Ordinibus ante Concilium illud Lateranenſe, & decretum Innocentii emanatum an. 1215.. Quô definitur, ut, qui voluerint religioſam domum de novo fundare, regulam & inſtitutionem accipiant de approbatis: nam ante hoc concilium liberum erat fundatoribus ſuos religioſos quacunque conſtitutione Sanctæ ſuæ intentioni conformi regere ſine ulla ſpeciali regula; imò olim ſic regebantur. unde Proſper Stellartius cum monaſteriis à S. Auguſtino fundatis negaret aliquam regulam fuiſſe præſcriptam, ſic proſequitur *nec hoc*, inquit, *abſurdum eſt, quâ namque regulâ olim in Ægypto & Palæſtina Cænobitæ ſimul & Eremitæ fuerunt uſi ſub Antonio & Hilarione, quibus legibus ſubditi Turonenſes ſub Martino &c.? nullâne viris tam regularibus regula? nulla quod legatur, præter Evangelium vel apoſtolicos actus.* Hæc ille; in iſto quidem ſapienter. cui non minùs aſſentitur Leo Allatius in præf. ad Codicem regula-

Liber Fund. Relig.

Præf. in tom. 1. n. 18.

rum C. 3. & ex eo Mabillio in ſuis Annal. hócque apud antiquos factum, usque ad præfata Innocentii tempora. Erant jam plures ſpecie diſtincti Ordines, neque tamen ad hanc ſpeciem determinandam tanquam ex merito objectivo prætendebatur certa regula, ſed *norma modúsque vivendi*, qui affigebatur, *fini particulari* cujúsque Ordinis. prætereà *fundator ipſe*, cui in acceptis referebatur inſtitutio. ultrò etiam, tanquam externa nota (ùt ex Conc. Aquisgran. ſuperiùs obſervavimus:) *ipſa veſtis diſcrepantia.* Ac denique non raró locorum & regionum diverſitas, hinc Author Diſcip. Eccleſ. de orientalibus monachis in hoc puncto diſcurrens *Alios* inquit: *ab aliis diſcretos fuiſſe ſolâ regionum, & provinciarum Diſcrepantiâ; & Exarchos, ſeu generales præpoſitos fuiſſe, non qui unius regulæ ſectatoribus, ſed qui unius urbis, aut Provinciæ monaſteriis præficerentur, qualiscunque demum ibi obſervaretur regula Antonii, Pachomii, Baſiliíque.* Et unde Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Carthuſiani &c. niſi à locorum differentia Sui inſtituti nomina acceperunt? nihil certè in his diſtinctio operata videtur regularum. Carthuſianorum Origo anno 1086. affigitur, nullâ hi regulâ ſecernebantur, usque ad Guigonem quintum ſui Ordinis Priorem, & ad 50. annum ſuæ fundationis, id eſt, annum 1136. qui eis proprias conſtitutiones primus præſcripſit, unde antea ad ſui directionem non habebant ſtatuta alia, niſi ritus, & conſuetudines uſu receptas absque Scripto, ùt diſſertè obſervat in ſuis annal. Mabillio; non tamen exinde minùs, aut certam ſpeciem religionis diſtinctam ab aliis, aut verum Ordinem religioſum conſtituere credebantur.

7.

Thomaſſ. P. 1. L. 3. C. 24. n. 9.

L. 4. n. 41.

Denique cùm regula, ùt diximus, ex communi Doctorum, non ſit de ſubſtantia ſtatûs religioſi, ſolúmque de jure Pontificio ante annos 522. id eſt, anno 1215. præ-

cepta, certum eſt, potuiſſe exſtare aliquod religioſum inſtitutum in ſingularitate, ſine ullo reſpectu ad regulam: inſuper negari non poteſt, actu à Summo Pontifice plures certos, ac regulares Ordines de novo inſtituendos admitti poſſe, absque eo, quòd ullam regulam habeant, exceptis præceptis divinis & Evangelicis Conſiliis, diſcernentur autem absque alia regula abundè ex ſuo ſingulari modo vivendi à Fundatore præſcripto: ſic exempli causâ, etſi Patres Prædicatores nec regulam S. Auguſtini haberent, nec aliam, cui ſubderentur, attamen ſufficienter in ſua ſingulari ſpecie Ordinis firmarentur ſolius inſtituti à S. Dominico præſcripti ratione. Quid plura? Si quæ Congregatio nullâ ſpeciali regulâ arctaretur, ſed ſolis quibûsdam ſtatutis, quæ ſi etiam regulæ prærogativâ honores, id demum efficies, ut qualibuscunque conſtitutionibus, adeoque vel maximè Canonibus Conciliorum, ac SS. Patrum jus regulæ noménque condebitum fiat, quod nobis ſufficere paulò poſt declarabimus. Atque ex his omnibus patet, dum regulam animam dicimus, formámque Ordinis cujuscunque, nunquam id affirmamus de regula primô, ſed ſecundô modô ſumpta, ubi enim nulla eſt vivendi præſcripta norma, ibi non religioſus Ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

3\. *Regula primò modò à nobis explicata non requiritur ad ſpeciem infimam inſtituti votivo-Clericalis conſtituendam.*

Hæc autem generaliter de omni religioſo Ordine dicenda erant, ut planiori ac tutiori via ad ipſum (de quo nobis cauſa eſt) inſtitutum votivo-Clericale dirigeremur; quàm præcipuè enim jam quæſtio illa ſe ſe ipſam retegat, quidnam ſcilicet regula ad inſtitutum votivo-Clericale conſtituendum in ſua ſingularitate contulerit, oppidò liquet, tantum nimirum, quantum ad aliud quodcunque, ſeu de regulâ primô ſeu Secundô modô conſiderata inquiras. Quamvis quidem id nunquam omittendum exiſtimem, certiſſimum eſſe, monaſticum ſtatum longè majori neceſſitate regulæ innexum adſtrictúmque eſſe, ſeu ſubſtantiam ejus attendas, ſeu circumſtantias, quàm Clericalem: ídque præcipuè, cùm per ſe ex natura, ſua & fine particulari unam ſolámque intendat vitam contemplativam, unde S. Theodorus ſtudita: *Confiteor*, inquit, *monaſticum ſtatum ſublimem eſſe, & excelſum & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſoluta vitæ perfectione, tunc nimirum, ſi ex Divini magnique Baſilii aſceticorum legibus plenè exigatur, & non dimidiata ex parte.* Exiſtimabat ſanè Vir ſanctus: *monachiſmum* ex ipſius Baſilii mente: *monachorumq; vitæ rationem unum ſibi tantummodò propoſitum habere, animæ ſalutem, & quidquid prodeſſe ad eum finem poteſt, jam tanquam DEI mandatum cum timore obſervandum.* Atque hinc nihil ad hujus propoſiti, finisque executionem efficaciùs conferre poſſe, quàm accuratam, & ex omni genere abſolutam regulam, qua ſingulæ actiones monachi perſpicuè ordinarentur, nec temporis momentum, circumſtantiáve decurreret, cui non certa vivendi norma eſſet præſcripta; & ſiquæ vel ex parte negligeretur, jam ea ipſa actio à recto monachili tramite deviaret: (ùt ipſe Sanctus in proœmio ſuo inſinuat) quòd regulas fuſiùs diſputatas per tot quæſtiones extenderit, nè ſcilicet *quidquam eorum omninò, quæ à DEO juſſa ſunt, effugeret.* Additque ultrò ſæpiùs cauſam, nempe: quòd *quietam monachi & vacuam negotiis vitam, tanquam ad conſervanda Evangelii dogmata adjutricem* his legibûs omninò communire oporteat, atque ad perfectionem promovere: quare ſummoperè ad vitam hanc quietam negotiisque vacuam, id eſt, contemplativam experti certam, ac in quarumvis circumſtantiarum præſcriptiones diſpertitam regulam, nemo non videt.

in vita S. Theod. C. 26.

De Inſtit. Monach. Ser. 1.

Baſil. in proœm. Regul. fuſiùs diſp.

At

At longè abeſt, ut talis quoque prætendi valeat in ſtatu Votivo-Clericali vitam activam æquè, imò ſæpè ſæpiùs effectivè & practicè principaliùs intendente quàm contemplativam: cùm enim hic præcipuè inſtitutus ſit ad ſalutem proximi ſupernaturalem, id eſt, animæ omnimodis curandam, certè vita contemplativa activæ ſæpiùs poſtponenda occurrit, quod in monachorum inſtituto nunquam exigitur; utpotè quorum primarius finis eſt ſuæ, non alienæ ſaluti incumbere. Hinc quóque frequentiſſimè legimus monachos ad Presbyteratum, aut Epiſcopatum expetitos non ſolùm jure inſtituti ſui hos honores, dicam potiùs, an labores (de priſtinis enim temporibus agimus) renuiſſe, verùm, nec ad eos à quibuscunque Superioribus cogi potuiſſe: at in Clerum ſemel ſuſcepti poterant ad altiores Clericatûs gradus ſuſcipiendos abſolutè adſtringi; unde Can. 19. Concilii Avenionenſis dicitur: *Jubemus tam Præpoſitos, quàm alios Clericos ad exhortationem vel ad mandatum ſui Epiſcopi, ſine difficultate qualibet ad ſacros Ordines promoveri.* Cùm itaque adeò Clericatum ipſæ actiones ſacræ, ac Evangelicæ complectantur, ut iisdem præcipuè primis Eccleſiæ temporibûs diu penè noctúque intendendum eſſet, quænam, quæſo, regula votivis Clericis imponi potuiſſet, ſingularibûs præceptionibûs ad normam ſcilicet monachilem digeſta, ſimúlque ab ipſis obſervabilis? profectò nulla; ſed, an ne ideò continuò aut à religioſo inſtituto, aut à ſpecie ejusdem ſingulari alieni? minimè profectò omnium: ſi enim efficaciſſimis argumentis monſtravimus, ad utrumque ne hodierno quidem ævo abſolutè ſalvôque ſummæ Sedis decretô, talem regulam primô modô ſumptam exigi, multò minùs id evenit, factúmque eſt ſæculis prioribûs, idque incolumi omni jure, ſubſtantia atque ſingularitate Votivo-Clericalis inſtituti.

4. *Canones Eccleſiaſtici vera ac propria Clericorum votivorum regula.*

Quodſi jam ad eam, quam ſecundô locô deſcripſimus, regulam ſimúlque ad ſecundam in hoc capite propoſitæ quæſtionis partem progrediamur; illam neceſſariam fuiſſe, ſemperque Clericis conſtitutam, res ipſa demonſtrat. Erant autem, regula iſta Clericis præſcripta, Canones ipſi quaſi cum inſtituto Clericali enati, porrò veræ quidem, ac genuinæ regulæ prærogativâ æquiſſimè donati, ùt ex ipſa voce hac Græca docemur, Canon enim nativâ ac ſolidiſſimâ omnium interpretatione propriè regulam ſonat, & quodcunque demum aliud ex hac voce extorſeris ſignificatum, jam remotius illud erit, minùsque proprium, atque ut ſic dicam metaphoricum: ſed quia nos hanc vocem inferiùs tractaturi & explicaturi ſumus, plura de ea hìc diſſerere abſtinemus. Quamvis autem Canones Eccleſiaſtici ſeveriori ſenſu ſub voce regulæ primô modô ſumptæ plenè accipi non poſſint, habent tamen omnes qualitates quocunque modo ad inſtitutum aliquod religioſum ſimul atque ſpeciale deſignandum: quantùm enim hi omnium trium conſiliorum Clericis obſervandorum modum rationémque inculcent, per totam hanc Exegeſim ſparſim, ſimúlque abundè Lector eruditus intuetur. Inſuper plurima iidem Canones ad inſtruendos mores, ad implantandas virtutes ſtatui Clericali congruas, ad extirpanda vitia, & quidquid demum religioſæ obtinendæ perfectioni conducere poteſt, latiſſimè exhibent, etſi ſemper, loco, tempori, ac perſonis accommodatè, nec non generalibûs potiſſimùm præceptionibûs; præcipuè, ùt ſæpè notavimus, priſtinis ſæculis, quibûs Clerici non poterant ad ſingulares atque dietim diſpertitas obſervationes obligari, eò, quòd qualicunque demum ſpirituali otio ſaltem ſtabili ac conſtanti

ſtanti (quod poſſet monaſtico ritui conformes normas, legéſque admittere) rariſſimè potirentur: oportebat igitur ſecundùm temporum exigentias atque locorum, non raró eoſdem immutare, alios aliis ſubſtituere, inſuper nec quôvis emiſsô (vel in hoc vel illo Concilio) Canone omnes Eccleſiæ Clericos æquali debitô arctare, ſed ſemper cum reſpectu, ùt diximus, occurrentium circumſtantiarum: neque tamen hi Eccleſiaſtici Canones minùs ideò tanquam Clericorum regula habebantur. Certè ut cum reſpectu ad monachos de ſola regula S. Benedicti loquamur, multa in ea præſcripta, apud quosdam abolita ſunt, exempli causâ: illa perpetua à carnibus abſtinentia, illi operoſi labores manuales, illud anguſtiſſimæ paupertatis ſtudium, de quo ex Herimanno ſuperiùs didicimus Odonem id æmulari ad litteram volentem à monachis juxta urbem habitantibus didiciſſe, *non ex toto antiquorum inſtituta poſſe ſervari.*

5. *Regula ſub modó etiam particularis olim apud Canonicos in uſu.* Porrò ne penitùs videamur regulæ qualemcúnque neceſſitatem ad ſpecificandum ſuô modô inſtitutum votivo-Clericale rejeciſſe, hanc viam ineundam amplectimur, eandem per Canonum collectionem ſic poſſe intelligi, ut illis regerentur Clerici, ſicut ſuâ ſpeciali regulâ regebantur monachi, hoc tamen interpoſito moderamine, ut multi Canones potiùs locales (ſi eos excipias, qui generaliter, & univerſali jure ferebantur) Clericos, quàm totum per omnem Eccleſiam diffuſum corpus reſpicerent, Hincque penè de iis uſque ad ſæculum duodecimum, aut, ſi ſtrictiùs loqui malis, initium decimi tertii dicere poſſes, quod de monachis Caſſianus: *Tot propemodum typi ac regulæ erant, quot cellæ ac monaſteria, aliiſque pro regula erat Abbatis voluntas, aliis modus vivendi majorum uſu ac traditione confirmatus, pleriſque leges ſcriptæ &c.* Sic, inquam, ſe fermè res habebat cum Clericis, quot Eccleſiæ Cathedrales, ac Clericorum congregationes ſub diverſis Epiſcopis viventes, tot quaſi ritus alii, & alii habebantur inſtituendæ optimis ac vocationi Clericali condignis moribus vitæ, quoſdam ſola dirigebat Prælatorum dietim manifeſtata voluntas, alios â magìs induſtriis Epiſcopis ſcriptô tradita ſtatuta, ſeu Canones, quorum hodiedum in complurium Cathedralium Eccleſiarum Scriniis non pauca antiquiſſima monumenta latere ſatis didicimus, qualia ſunt teſte Sirmondo in Veſontionenſi, in Arelatenſi juxta Sammarthanos, in Salisburgenſi juxta Gewoldum &c. Sola tamen, quæ omnibus reliquis privatis conſtitutionibus palmam præripuiſſe videntur, ſunt Regula S. Chrodegangi ſuis tradita Metenſibus, circa annum 755. Capitularia, aliàs liber Canonicus dictus Caroli M. in Aquisgranenſi Conc. an. 802. editus, & dein regula Aquisgranenſis præſcripta anno 816. omnibus Germaniæ Canonicis. Verùm non omittam hìc quóque meminiſſe regulæ glorioſæ â Sanctiſſimo Auguſtino primùm ſuis Hypponenſibus conſignatæ, inde verò mirô ingenitæ ſibi virtutis odore per omnem occidentem diffusô certatim aſſumptæ, tantíque æſtimatæ, ut (cùm antea hinc, illinc â Canonicis, ſocietatibúſque Clericalibus, ſpontaneâ aſſumeretur pietate, ne, quod in parvo codice integrum Clericalis vitæ ſpeculum poſſent reperire, & quotidie facili lectione mandare memoriæ, cogerentur aut in ampliſſimis Canonum decretis per integrum corpus Juris, Conciliorúmque vaſta volumina deductis, aut in regula quóque Chrodegangi vel Aquisgranenſis Concilii, longè utrinque dilatatâ tædiosô imò & oblivioni obnoxiô conatu perquirere) ut inquam poſtmodum Pontificô oraculô, omnibus votivæ

L. 2. Inſtit. C. 2.

Apo-

Apoſtolicæ inſtitutioni adhærentibus Clericis obſervanda demandaretur.

Usque ad illam ergò Lateranenſis Concilii, & lati in eo certarum regularum cuique inſtituto religioſo præfixarum Decreti Epocham, id eſt, úsque ad ſæculi decimi tertii annum 1215. ſicut cuíque diſtincto ac ſingulari religioſo ordini (ſolùm permanente præſcriptô fine particulari principaliter diſcretivo ejus â quocúnque alio, cæteriſque notis Characteriſticis, ſuo in vigore immobiliter perſiſtentibûs) liberum erat, ſalvâ incurrendæ levitatis ac inconſtantiæ notâ aliam, aliámve regulam aſſumere, ùt ex hactenùs allatis argumentis elucet, ſic pariter certum eſt, regulam ad ſpecificandum tale quodcúnque inſtitutum nihil unquam conferre potuiſſe.

Mabill. in Annal. Ben. præf. tom. 1. n. 20.

Proderit hìc Annalium Benedict. Authorem attendere, multum luminis præſenti noſtræ diſſertationi ſuppeditantem ex Thomaſſino â ſe citato, ſícque diſſerentem: *Eandem ſententiam latè propugnat Thomaſſinus, censétque nullas fuiſſe ante Cluniacenſem, monachorum congregationes, quæ unum ab aliis corpus conflarent, & ſingulari alicui regulæ ſe profiterentur addictas: ſed ſub uno generali monachorum ordine ſingula ſibi ſeorſim conſtituiſſe monaſteria, ab aliis haud pendentia, qui ita ſuam ſinguli regulam amplexabantur, alias non excluderent, ſed multas ſimul, aut omnes complecterentur. Et certè quisquis vetera monachorum inſtituta & acta ſincerè, accuratè & absq; ullo præjudicio revolverit, in eandem ſententiam conveniat, neceſſe eſt.* Hæc præcitatus Author. Itaque juxta hanc, úsque ad Cluniacenſium ortum id eſt ad an. 910. aut ſecundùm Sigeberti Gembl. Chronicon. 912. nulla regula monachos diſcernebat, eò, quòd ſe nulli ſingulari profiterentur addictos, & tamen omnium hiſtoricorum teſtimoniô Ordo S. Benedicti non eo tempore, quo ſpecialiter Ludovico Pio adnitente Benedictus Anianenſis Abbas neceſſitatem induxit monachis ſe regulæ S. Benedicti ſubjicere, amiſsâ illâ cujuscúnque amplexandæ alterius regulæ ex tunc libertate: dum annô 811. in Concilio Gallicano decretum eſt Can. 13., ut ſecundùm Doctrinam Sacræ Regulæ Benedicti Abbatis poſthac cum monachis viverent, quantam humana permittit fragilitas: Et in Concilio Remenſi eodem anno: non, inquam, hoc tempore Ordo Benedictinus ſuum auſpicium obtinuit, ſed ut communi calculo ſubſcribitur ſæculi ſexti initiô. Ergo originem hujus Sacerrimi ac celeberrimi Ordinis gratis aliqui venantur â regula, ſed ea prudentiùs ſumitur ab ipſo Authore. Prout ex mox allata Annaliſtæ Benedictini Doctrina manifeſtè eruitur. Quòdſi verò id de monachis legitimè aſſeritur, cur negetur de Clericis, â quibus longè minùs talis requiri poteſt certæ deſtinatæque regulæ ſubjectio: vixêre illi â primis ſui inſtituti annis ſub regula, ſed ea, quam communi vocabulo dicunt *SS. Patrum Decreta*, aut *Eccleſiaſticam regulam* aut *Canonicam regulam*, aut deníque ipſos *Sacros Canones*, & vixêre eô fermè modô ſub tali regula SS. Patrum, quô monachi ſub ſua nimirum; ut nulli, ſingulari adeò ſe profiterentur addictos, & ita ſuos ſinguli in ſocietate viventes Clerici Canones amplexabantur, ut alios non excluderent, ſed multos ſimul, aut quandóque etiam omnes ad rem facientes, velut id in Aquisgranenſi regula apparet. Cur ergo alligabimus ſpecialis inſtituti votivo-Clericalis Originem ad editum longìs poſt temporibûs â ſummis Pontificibus decretum obſervandæ & amplexandæ regulæ, & non potiùs ad ipſos Apoſtolicos ejuſdem Fundatores, ſi hoc non dubitamus

In vita S. Furſei 16. Jan. apud Bol. item in vita S Gaudent. C. 1. ib in vita S. Ubaldi in append. ad menſ. Maj. tom. ult. ejusdem Menſ.

tamus attribuere ſtatui monachilis? Exſtant de illo non minùs, quàm de iſto evidentia argumenta ſolis lippis oculis obſcura, átque præoccupato intellectui inimica.

6. *Aliquot veterum regularum typus.* Cæterùm non defuêre tamen jam antiquis & undecimum Sæculum longè præcedentibus temporibûs Regulæ adhuc aliæ præter illam Chrodegangi, atque Aquisgranenſem, cui ſe in vita & moribus efformandis Clerici in communi viventes ſubmittebant. Erat regula S. Sylveſtri, S. Urbani, S. Hieronymi, S. Iſidori, S. Gregorii, SS. Pauli & Stephani, S. Auguſtini, & utinam hæ omnes ac ſingulæ ſic contextu ſuo notæ eſſent, ùt ſunt nomine. Regulam S. Sylveſtri, & Urbani, frequenter â Canonicis regularibus tam ante, quàm poſt undecimum Sæculum obſervatam fuiſſe, reperimus. Quemadmodum Añal. Benedictinus rerum antiquarum ſeduliſſimus Scrutator obſervat ex occaſione monaſterii Virginum S. Stephani apud Nivernum, quod penè collapſum reſtaurare cupiens Hugo Epiſcopus *Canonicis Beati Sylveſtri Papæ Romani regulam tenentibus conceſſit*: ſic autem ſcribit idem Annaliſta: *Quænam ſit iſta S. Sylveſtri Papæ regula, incompertum, nec certior habetur notitia regulæ S. Urbani Papæ, & Martyris, quam ſe ſectari profitebantur primi Canonici Regulares, qui demum vulgatam S. Auguſtini Regulam prætulerunt.* At ſi juſtâ conjecturâ in harum regularum invenienda notitia uti liceat, haud eos crediderim impoſituros veritati, qui dicant per has regulas nihil aliud intellexiſſe veteres, niſi Canones illos, & acta, qui paſſim ſub Sylveſtri, & Urbani Nomine proferebantur. Sub Sylveſtri quidem, cùm ex ejus actis (de quorum veritate non eſt hujus loci diſputare) haberetur, *Clerum â ſe fuiſſe reformatum;* quòd non minùs ex Canonibus Concilii Niceni ſub eodem ſummo Pontifice habiti, olim, & jam longè ante ſæculum decimum non pauci cenſuerunt eruendum, ubi ſæpiùs occurrunt Clerici ſub regula conſtituti, ùt in Can. quoniam multi, diſt. 47. & C. ſi quis verò 9. q. 1. & Canon 15. *Si quis eorum* ex verſione Arabica ſic loquitur: *Si quis eorum, qui ſunt in Clero, aut in regula, aquirendis opibus ſtudeat, aut uſuris, vel iniquis lucris; dejiciatur ab Ordine, & ſit alienus â Regula.* Sub Urbani autem Nomine notiſſimum eſt illud Cap. ſcimus 12. q. 1. huic ſummo Pontifici ſine controverſia multis temporibûs attributum, ſeu autem hæc Urbani Epiſtola genuina ſit, ex qua præfati cap. *ſcimus* fragmentum excerptum eſt, ſeu ſuppoſititia, velut id cum recentioribus propugnat Pagius, eam ex teſtimoniis Pomerii, Iſidori, Eucherii, aliorúmque conſarcinatam eſſe ſcribens, certum eſt, antiquiſſimam eſſe, & haud longè poſt Sæculum ſeptimum congeſtam, unde facilè fieri potuit, ut Epiſtola pro genuina S. Urbani habita tanquam Clericorum regula Clericis votivis ideò proponeretur, quòd proprietatis abdicationem, & communem vitam tam diſertè præciperet: in hac enim non ſolùm veteres, ſed recentiores quique votivo-Clericalis vitæ fautores, ac æmulatores totam ſubſtantiam regulæ Clericalis, vímque ponebant, ùt conſideranti manifeſtum fiet, & nos, dum de regula S. Auguſtini ſequenti parte diſcurremus, latiùs declarabimus. Idipſum verò opinor de regula SS. Hieronymi, Gregorii, & Iſidori Judicium eſſe ſtatuendum, ſcilicet: eatenùs Clericos, Canonicóſve ſeu ſecundùm hujus, ſeu alterius Sancti Doctoris regulam vixiſſe, non, quòd ad normam noſtris temporibûs ſolitam, aliquem certæ regulæ codicem â tali Sancto compillatum ſibi habuerint obſervandum; ſed, quòd

L. 61. n. 34.

In Critica ad an. 231.

Vide Pen. not. noſt. P. 2. C. 10. n. 3.

quòd ſecundùm alicujus horum Sanctorum virorum præſcriptam methodum, expropriationis votum præcipuè continentem vixerint. Neque enim ignotum eſſe potuit, regulam S. Iſidori (niſi librum de Eccleſiaſticis tantummodò officiis regulam velis dicere Clericorum) monachis Scriptam, à viris ſaluti proximorum dicatis vix media parte eſſe obſervabilem: Gregorium quóque Magnum nullam ex conſulto regulam Clericis conſcripſiſſe, neque Hieronymum; ſolis illis Epiſtolis ad Nepotianum, & Oceanum de vita Clericorum, nomine regulæ honoratis. Ea etenim, quæ de monachis eſt, ſi expropriationem attendas, & terrenarum rerum repudium, generalémque virtutum Commendationem, alia impropria Clericis ſunt, atque inſolita. Deníque regulam Ss. Pauli & Stephani, non eſſe aliam, niſi quæ Canonicis ad S. Stephani & S. Pauli Venſontione priùs, deìn Metis tradita eſt, adeò eruditè demonſtravit Largius noſter in ſuis de ordine Canonico diſquiſitionibus, ut aliquid addendum non inveniam; hic autem repetendum laborem (in deſcribendo) incaſſùm ducam. At ne hac in re è domeſticis laribus quidpiam eduxiſſe videar, loquitur de eadem hac regula eruditus illuſtrationum Claudianarum Author Franc. Chriffletius ad eandem mentem ſequentia: *Scripſit*, inquit, hic (de Donato 26. Epiſcopo Beſontionenſi agens) *Donatus pro monialibus regulam, Donati vulgò dictam, apud Benedictum in Concordia & commonitorium ad fratres Pauli & Stephani, quod in Codice regularum non rectè inſcripſit Holſtenius, Sanctorum Pauli & Stephani Abbatum regula ad Canonicos. Smaragdum ſecutus, in Cap. 23. regulæ S. Benedicti, ubi conſcriptam eam dicit à Paulo & Stephano Abbatibus. Verùm Donatus, ùt opinamur, hoc commonitorio, & S. Stephani Canonicos tum regulares, & S. Pauli à ſe fundatos monachos ad regularem diſciplinam pariter inſtituit, ùt ex ejus vita colligitur.* Hæc vir doctiſſimus in iſto fortaſſe minùs abberrans, quòd regulæ hujus Authorem Donatum repererit, à quo haud dubiè ex Beſontionenſi Eccleſia eadem potuit ad Metenſes tranſmigrare.

Acta SS. t. 1. Jun. ad 6. ejusdem in Catalogo Veſontionenſium Epiſcoporum ex Chiffletio in 46. Epiſcopo S. Donato n. 94.

7. *Nulla tamen harum regularum ad ſpeciem infimam aliquid conducebat.*

Ex his autem ſingulis memoratis regulis facilè educemus. quæ demùm apud Canonicos regula fuerit, atque conſuetudo, ea ſcilicet, ut ſe neutiquam ad cujuscúnque demum aſſumptæ regulæ Authorem dirigerent, quaſi inde aliquam ſui inſtituti ſpeciem novitatémque obtenturi; ſed etſi fortè (qui Sylveſtri regulam Niverni æmularentur, aut qui Coloniæ Agrippinæ tempore B. Norberti, ac anteà Sanctorum Iſidori & Gregorii) inde Sylveſtriani vel Gregoriani &c. nuncupari poſſent, nullam tamen eis talis regulæ nomen recentis Ordinis ac inſtituti cauſam impingere potuit: neque enim eo modo regula talis aſſumpta comperitur, quaſi vi illius diſtinctam ſpecie à priſtinorum Clericorum præſtituto fine particulari normam vivendi aſſumpſiſſent, ſed quòd aut Fundatoribus, aut Benefactoribus, aut deníque Epiſcopis ſanctiùs videretur diſpoſitum, ſi cujus eximii (inter primævos Eccleſiæ Patres) methodum diſſertè expropriationem apoſtolicam ſuadentem proponerent Clericis Canonicíſve ſuis imitandam. Quapropter à partium ſtudio expeditus animus haud tale judicium ferret, de antiquis & Sæcula nobis propiora antecedentibus Canonicis, ut qualem quique eorum diverſam regulam amplexi memorantur, tale quoque diverſum ſpecie Clericale inſtitutum habuiſſe cenſendi ſint: quaſi nimirum, cùm Metenſes Canonici ad Chrodegangi regulam octavô Sæculô ſe adſtringerent, indéque, per prolixum tempus eidem obligati

ligati

ligati perſeverarent, econtra Nivernenſes viverent ſub Sylveſtri regula; ideò ſpecie diſtincti ab invicem arguerentur. Planè ridicula, viróque Doctô indigna hæc foret ſententia; cùm notorium ſit, quamvìs in variis Collegiis, monaſteriiſve Canonici diverſorum Sanctorum Patrum Canonès expropriationem, communémque vitam inculcantes obſervandam aſſumerent, nullô teſtimoniô veterum Scriptorum ſpecie haberentur diverſi, ſed æquali jure inſtitutionis ſuæ venirent, aut directè ſub ſolo nomine Canonicorum, aut ſub Apoſtolicæ vitæ norma, aut juxta SS. Patrum decreta viventium, aut deniq́ue ſimpliciter ſub titulo Fratrum Canonicorum, Clericorúmve. Et quando (ùt in litteris Hugonis Nivernenſis) legimus commemoratam regulam, non inde ſpecie diſtinctum inſtitutum, ſed modus vivendi Apoſtolicus preſſiùs indicatur. Hæc mea quidem opinione adeò certa ſunt, ut contra ſolem loqui crediderim aliter ſentientes. Hinc jam ad tertiam propoſitæ quæſtionis partem progredimur.

8. *Unde aut cur nomen regularitatis ante ſeculum 11. Canonicis attributum?*

Docemur ex veterum monumentis, ipſúmque Sæculum undecimum præcurrentibus, nomen *regularitatis* non ſolis monachis, ſed Canonicis quoq́ue in Communitate degentibus ſæpiùs fuiſſe attributum, imò & monachile. Nam in Charta Lotharii Regis, quâ in monaſterio S. Baſoli annô 952. ejectis Clericis monachi introducti dicuntur, diſſertè legitur Artaldum Archiepiſcopum Remenſem pro *Canonicis; qui poſt MONASTICAM converſationem ſæculariter vivebant, viros regulares collocaviſſe &c.* Adamus quoque Bremenſis refert S. Anſgarium Congregationem Bremis habuiſſe Sanctorum virorum, *qui habitu quidem uſi Canonico, regulâ vivebant monaſticâ.* Et in vita S. Wolbodonis Leodienſis Epiſcopi, ejus ab obitu non longè exiſtens Biographus, dicit, quòd *apud alterius trajectum, ſub religioſis admodùm Patribus in Eccleſiaſticis Clauſtralis vitæ adolevit diſciplinis*, & quod primò *de regularitatis* voce aſſeruimus; idem S. Wolbodo (ùt locô citatô memorat Rainerus monachus Leodienſis) *ad Præpoſituram majoris Eccleſiæ promotus, ſatagebat tanquam fidelis diſpenſator, & prudens - - - dare in tempore tritici menſuram confratribus ſuis - - - - nec tamen pro cura exteriorum, curam negligebat interiorum, ſed piè ſeverus, diſcretè diſtrictus, omnem cohibebat indiſciplinationem - - - quoniam ergo Canonicus Regularis interpretatur, opportunè importunè arguebat ſubditos, & obſecrabat tam moribus, quàm habitu eſſe regulares.* De S. Winibaudo Abbate Trecenſi Sæculô 6tô & tam evidenter Clerico, ut eum Mabillio in ſuis ſæculis Benedictinis licèt inter prætermiſſos referens, tamen aſteriſcô, hoc eſt, pro certo non ſuum inſinuaret: vitæ ſcriptor inquit: *dum dicatus DEo, incertos caducóſque mundanæ fragilitatis Caſus pertimeſceret, Clericatûs onus accepit, & regularem normam fons Divinus ita ei infudit, ut in Cellula exigua ſolitariam duceret vitam &c.* Adelmus Schireburnenſis Epiſcopus Sæculô ſeptimô carpens laxatam vitam ſacrarum Virginum, & Clericorum, horum regularem normam apertè exprimit. Pudet, inquit, *referre quorundam frontoſam elationis impudentiam, & corruptam ſtoliditatis inſolentiam, quæ utroque ſexu, non ſolùm ſanctimonialium ſub regimine Cœnobii converſantium. verùm etiam Eccleſiaſticorum ſub ditione Pontificali in Clero degentium, contra Canonum decreta ET REGULARIS VITÆ NORMAM deprehenduntur uſurpata &c.* Egbertus quoque Epiſcopus Eboracenſis, Sæculô octavô: *Canonici*, inquit, id eſt, *regulares Clerici &c.* ut nihil dicam de *Canonica* vel *Clericali* vel *Apoſtolica regula* frequenter in antiquiſſimis ſcriptis occurrente, ſecundùm quam dicuntur Clerici & Ca-

Margin notes: Annal. Bened. L. 45. n. 60. — L. 1. Cap. 29. — acta SS. t. 1. Apr ad diem 17. — acta SS t. 1. Ap. die 6. n. 1. in vita — in præf. in ſuas excerpt. t. 6. Conc.

Digitized by Google

& Canonici vixiſſe. His autem perpenſis, inquiritur, quid demùm hac voce ſcriptores exprimere conarentur? an fortaſſe arguendum, monachos potiùs fuiſſe quàm Canonicos? an, ſi tamen Clerici genuini vel Canonici, ſic ſolùm hac nuncupatione affecti, quòd ſimilitudinem aliquam monaſticam æmularentur in communi menſa oratione, & ſomno capeſſendo, cæteróquin ab ipſis votis omnino liberi atque ſæculares? illud quidem identidem doctiſſimus Annal. Benedictin. Author affirmat, de quo nos cap. 7. prioris partis abundè egimus. Iſtud nonnulli recentiorum viri Clariſſimi hiſtoricarum rerum ſcriptores alioquin eximii: unicam pericopen hujus ſententiæ omnium locò adduxiſſe ſufficiet, cujus mentionem jam fecimus initiò capitis præſentis, quámque lego commentario prævio vitæ S. Raymundi inſertam tenoris ſequentis: *Scrupulum longiori refutatione dignum non cenſeo, quippe qui exiſtimem S. Raymundum Canonicum fuiſſe, imò & regularem, quod nomina continuata bis ſignificant, ſed ex eo numero, qui licèt vitam aliquam communem in clauſtro ſeu monaſterio ſervarent, ad nullam tamen bonorum abdicationem obligarentur.* Igitur hujus Doctiſſimi Commentatoris in vitam S. Raymundi ſententiâ, regularitatis nuncupatio hoc ſolùm jure, ac meritô Clerico obvenire poſſet, ſi modò in Communi vixiſſe monſtretur, etſi alioquin reipſa ſæcularis, id eſt, nullô penitùs expropriationis votô obligatus. Cui tamen aſſertioni nunquam ſubſcribam.

Acta SS. t. 1. Jul. die 3. de S. Raym. Confeſſ. toloſæ.

9. *Regularitas olim aſſerta Canonicis non ſolam vitam ſocialem, verùm & votivam notabat.*

Primò quidem: dum in antiquis documentis hæc vox *regularitatis*, Canonicæ inſtitutionis Clerico aut monaſterio additum legitur, veriſſimum eſt, hoc ipſo nunquam aliquam notam certam ſæcularitatis poſſe demonſtrari, quin potiùs per Emphaſim ſemper adjectam videbimus, quâ colligamus, vitam ſaltem aliqualiter votivam, & ſecundùm unum quatuor âſſignatorum à nobis ex Suario paupertatis graduum inibi perſtitiſſe. Neque præſumendum eſt de aliquo, ſtatum ſuum mutaſſe in deteriorem, niſi indicia manifeſta habeantur, alioquin ex virtute præſumptionis, onus probandi transfertur in adverſarium. Et *præſumitur ex præterito de præſenti*: Capit. penult. De præſump. ſcilicet ſaltem ſuô modô ſtatum ſemel aſſumptum in illo loco perduraſſe, & ſi quæ fortè advertatur ex circumſtantiis vitæ diſſimilitudo, ea non tam præſumenda eſt jure inducta, quàm ſe ipſa poſtulans emendationem ac reformationem ad ſtatum priorem Diſciplinæ: hinc, quòd ſi etiam legatur tempore S. Raymundi Sæculô undecimô ſecundùm Regulam Aquisgranenſem Canonicos Toloſanos teſtamenta condidiſſe, cùm id non paupertatis penitùs diſſolutæ libertate fieri potuerit, ſed admiſſione juris, fundati in ſermonibus S. Auguſtini, in quibus diſſertè leguntur Clerici Auguſtiniani teſtamenta condidiſſe, non obſtante expropriationis votô, quô adſtringebantur; infero, regularitatis vocem in talibus circumſtantiis nunquam eſſe hoc modo interpretandum, ut ſolùm aliquam ſimilitudinem vitæ religioſæ aut regularis præſeferre credatur, hac enim voce præcipuè antiqui usque ad Sæculum 12. tam ſtrictè & preſſè intelligebant vitam votivam, ut plus juris per eam monachis accedere videatur, quàm ſæculari ſtatui Clericorum: nam, Sicut Author Annal. Benedict. prætendit, per vocem regularitatis Sæculô 8 non niſi monaſticum inſtitutum fuiſſe deſignatum, ſic meritò id ipſum de Canonicis (quibus hæc vox adjuncta legitur) aſſeri poſſet, monachos illos potiùs fuiſſe, quàm Clericos, at quia manifeſtæ aliæ additæ circumſtantiæ tales è cætu genuinorum Clericorum excludi non ſinunt, certè vox *illa ſic intelligenda erit, ut res, de qua*

Ulp. in L. ult. ff quod met. cauſ.

Digitized by Google

C. Abbate 25. de ver. ſig.

qua agitur, valere potiùs poſſit, quàm perire. Cùm autem veterum ſemper mos fuerit, ac uſus, per vocem regularitatis quamdam diſtrictionem, & quidem monaſticam deſignare (ùt vel ipſi, qui nobis alioquin in noſtro aſſerto adverſantur, concedunt) valere quoque res ipſa in iis potiùs, de quibus talis vita adſtruitur, debet, quàm perire. Secundò: omnia hactenùs à nobis per hanc Exegeſim producta documenta conclamant, regularem vitam, non qualemque & impropiè ſic dictam, ſed quæ votivam veraciter involvat, à tempore Apoſtolorum usque ad Sæculum undecimum continua propagatione floruiſſe; quodſi ergò id De Clericis in Communi viventibus aſſeverandum, ac pro certo approbandum eſſe, viris Cordatis, atque eruditis adeò exploratum olim erat, ut id *teſtium numerô, dignitate; Authoritate, famâ perpetuâ, etiamſi publica alia monumenta non adeſſent, imperturbabile deprehendatur* C. Si teſtes §. ſæpè 49. 2. non invenio, cur id poſterioribus temporibus quidam recentiores ſic negare maluerint, ut, dum vel ipſas à veteribus Scriptoribus voces reſtringentes ad regularem vitam, ideo adjectas, negare non poſſunt, eas ambages interpretationum ſtrophósque requirant, quæ non tam tuendæ veritati ſufficiunt, quàm Logomachiæ inani.

Verùm objeceris forſan, harum vocum uſum ac interpretationem unicè dependere à circumſtantiis temporum atque locorum, ſicut enim vox illa regularitatis primitùs, & quidem Sæculô octavô ſemper notabat monaſticum inſtitutum, ſic, ne Clericis affingi poſſet vita votiva, nunquam eis deprehenditur illo tempore attributa; at poſtquam introductæ ſunt certæ regulæ, quibus Canonici, ac Clerici in Communi viventes ad diſciplinæ quidem Clauſtralis ſpeciem quandam adſtringerentur, non tamen ad vitam votivam; tum vox regularitatis Clericis quoque uſui eſſe cæpit à regula, nullatenùs autem à vita votiva.

Reſpondeo ad iſta, primò: negari omninò, vocem hanc Regularitatis, dum paſſim monachis attribuebatur ob votivam vitam, ideò apud Clericos, atque Canonicos intermiſſam; ſed factam hoc ea de cauſa, quòd regularitas duo includeret, atque notaret, vitam nimirum votivam, ſimúlque normam certam vivendi Secundùm præſcriptam aliquam regulam. Lege, quotquot Sæculô octavô occurrent Canones, Decreta, Diplomata, Tabularia, aut hiſtoriæ, falſus tibi ſim, niſi ſemper, dum hæc vox in monachorum cauſâ adjectâ legitur, regulam ſimul obſervandam prætendat cum votis. Sic in Capitulari Caroli an. 780. Sanctione 8 definitur: *ut Canonici Secundùm Canones & regulares* (id eſt monachi) *ſecundùm regulam vivant.* Utramque hìc obligationem hac una voce *regularium*, & *regula* involvi quis negaverit? in Cloveshovienſi Concilio an. 748. habito ſtatuitur Can. 4to. ut *Abbates ſibi Subjectos ad regularem vitam agendam adducant ſecundùm morem monaſticæ diſciplinæ.* Regularis hæc vita non poteſt non genuinam obligationem tam votorum, quàm præſcriptæ regulæ denotare. annô denique 589. in 3tio Concilio Toletano Can. 4. dicitur. *Liceat Epiſcopo, unum de parochianis Eccleſiis monaſterium dicare, ut in ea monachorum congregatio regulariter vivat &c.* Profectò nemo hac voce *regulariter* mentem Patrum aliter, niſi ad illam regularitatem (qua & votiva & ſecundùm traditos certæ regulæ ritus inſtructa vita intelligenda venit) explicabit: Omittimus plurima exempla univerſim huic explanationi conformia, ſi ſolùm ad ſummum excipias eas formulas, quibus electio Abbatum, aut Secundùm jura certæ cauſæ decidendæ conſtituuntur: tum enim, quia extra ſenſum præſentis quæ-

quæſtionis cadunt, per ſe patet, hanc vocem regulariter, idem, ac ſecundùm præcepta Canonum actionem concludendam ſonare: ſicut ergò (dum de inſtitutione aut reformatione monachorum agitur) vox iſta *regularitatis*, hæc duo, votivam ſcilicet vitam, & obſervationem præſcriptæ qualiscunque demum illius regulæ monaſticæ ſimul deſignabat, ſic eadem necdum ante ſæculum nonum tam obviè decretis pro Clericali ſtatu emiſſis immiſceri poterat, eò, quòd hi ex conſtituto nullâ aliâ regulâ diſtinctâ à Canonum decretis regerentur, nam, ſi qua etiam regula vigeret ante illa tempora, ea partim afficiebat ſolùm privatum quoddam collegium, idque liberè, non illâ, quâ monachos, obligatione. Canones & Sanctorum Patrum decreta in Conciliis, ſynodis, Capitularibus, aliiſque Canonicis tabulariis relata, illa erant, quibùs Clerici tenebantur, & quia hæc non latinâ, ſed univerſim græca *Canonum* voce nuncupari ſolebant, ideo Clericis præcipiebatur Canonicè, ſecundùm *Canones*, aut deniq́ue ſecundùm Sanctorum Patrum præcepta vitam inſtituere ſuam. Et quod valde hìc admiratione dignum eſt, neſcio, cur adeò Canonicorum aſſertionibus tanquam *vanis* quidam recentiores inſultent, præcipuè dum legunt, monaſteria aut Sanctos aliquos inter noſtros recenſeri ideò, quòd quibusdam adjectis appellationibus (velut hic ipſe S. Raymundus, dum *regulariter* vixiſſe aſſeritur) Ordini potiùs votivo-Clericali quàm, ſeu monaſtico, ſeu ſæculari annumerentur: ubi intereà longè liberiùs aliis Scriptoribus, proùt jam ſuperiùs meminimus, ex hoc ſolo, quòd locum aliquem, *Baſilicam*, *monaſterium*, *Cœnobium*, vel *Clauſtrum* dici, aut Sanctum aliquem, *monaſterialiter*, *regulariter*, *ſecundùm normam Patrum*, *ſecundùm regulam*, imò, quod ampliùs eſt,

Vide Mab. in Annal. L. 35. n. 45.

ſub Canonico habitu vitam ducere, ſub *Canonico Ordine*, vel *Clericali*, ſub *Abbate Canonico* vivere, in *Clericum tonderi*, in *Schola Chriſti educatum* eſſe, & his æquales innumeros penè Griphos legant, quaſi è tripode pro monachismo his omnibus adſtruendo ante Sæculum undecimum enunciare, ac decidere placet, neq́ue tamen tanta ſcribendi improperatur libertas: Sed fiant iſta, ùt lubet, nos ad noſtrum propoſitum digredimur. Itáque cùm ſenſim ordiretur apud Canonicos nomen regulæ, ſéque cum ipſa re uberiùs inſinuaret, tum quóque hæc vox *regularitatis* apud eosdem frequentiùs audiri cœpit; neq́ue tamen unquam admitti poteſt, ſolùm propter regulam Canonicis traditam, eisdem adjunctam fuiſſe. Alioquin mox, ubi hi regulam aliquam aſſumpſerant ſub talem nuncupationem veniſſent, quod tamen factum non eſt: nam licèt regula Metenſis circa an. 749. ſcripta magna non ſolùm in Diœceſi hujus nominis; verùm & in vicinis locis incrementa ſui aſſumptione obtineret, non ideò Canonicis hanc regulam excipientibus nomen adhuc regularitatis adjectum eſt, quod ipſum ſentiendum de regula Aquisgranenſi. Certum itáque eſt, minimè ob regulam, ùt textus ipſe declarat, ſed ob vitam votivam è Calamo veterum Scriptorum de Canonicis verba exarantium nomen regularitatis fluxiſſe. Dum enim Herricus Sæculi noni Scriptor *Canonicos Antiſſidorenſes dixit regularem vitam egiſſe*. Dum in Concilio Moguntino Annô, ùt videtur, 847. celebrato *fratres Canonici ſecundùm Ordinem regularem vivere jubentur*. Et Smaragdus in vita Benedicti Annianenſis circa medium Sæculi noni ſcripta, quibusdam Canonicorum enumeratis monaſteriis ſubdit: *His verò monaſteriis, quæ ſub Canonicorum relicta ſunt poteſtate, conſtituit eis* ſegre-

Hiſt Epiſc. Antiſſid. Cap. 35.

In vita apud Bolland. 12. Febr. Cap. 5. n. 42.

Digitized by Google

ſegregatim, unde vivere regulariter poſſent. Dum Rex Angliæ Edgarus ſub Dunſtano Archiepiſcopo poſt Sæculi Decimi medium, ſtatum Eccleſiaſticum in melius reformandum adactus conqueritur, *quòd Canonici nulli regularis religionis diſciplinæ ſubjecti exiſterent:* Dum Hugo deníque Aginenſis Epiſcopus Sæculô decimô in Condomenſi monaſterio *Clericos ſæculariter, & abſq; regulari diſciplina degentes penitùs amandavit, & monachos Deo jugiter ſervientes & ſub regulari jugo militantes in illorum loco - - - - ordinavit.* An hi omnes ipſam vocem regularitatis Canonicis ob ſolam denominationem à regula mutuandam, & non potiùs ob vitam regularem, ſeu votivam tribuerint, cuique æquo Arbitro in judicium defero? ita quidem, ut non à regula, ſed ab ipſa voce *Canonici*, aut *Canones*, hanc latinam, & notiorem contracti debiti ſignificationem aperirent, unde ſcirent ſcilicet, quâ vocatione, quáque profeſſione tenerentur, Nec ſolâ adſtricti epulandi, aut dormiendi ſocietate, ſed vel maximè rerum & pecuniarum communione: quæ etſi in quibusdam ſtrictiùs in aliis laxiùs ſervaretur, plenam tamen qualiscúnque remiſſio concludendam non attulit ſæcularitatem, ſed, ùt diximus, reformationem, quam tot ſuſpiriis ac gemitibûs quique pii religionísque amantiores inducere quærebant Sæculis octavô, nonô, decimô & undecimô Epiſcopi; ſed cùm fieri ob graviſſimas cauſas non poſſet, ut omnimoda expropriatio in ipſa Clericalia monaſteria admitteretur, hinc regula illa Aquisgranenſis ad gradum ultimum paupertatis deſcendens concedebat propriis uti, & de illis teſtari, accedente ſcilicet generali Epiſcoporum licentia. Quodſi hæc libertas omnibus fuiſſet data Canonicis, ut quid regulæ ſermones illi de expropriatione D. Auguſtini innexi fuiſſent? an non ex hoc manifeſtè docemur, quamvis aliqui ſuis ſe rebus orbare nollent, aliquos tamen fuiſſe, qui Auguſtini regulam ad amuſſim ſequerentur, in his ſermonibus de paupertate Apoſtolica tractantem: Auguſtini, inquam, regulam, eidem Concilio aut certè alteri à Carolo Magno præviè celebrato inſertam, proùt Ticinenſis noſter teſtatur parte 2. propug. n. 4. ſic ſcribens: *In Aquisgranenſi Concilio editus eſt liber, qui dicitur Canonicus ſ. Capitulorum, & ibi plurima condita fuerunt ad reformationem Clericorum, ut viverent in communi ſecundùm Canones Apoſtolorum, & ſecundùm normam ſancti Auguſtini, cui libro inſerti ſunt ſermones B. Aug. de communi vita Cleric. & ſunt ſermones tres. Primus incipit charitati veſtræ. Secundus, propter quod. Tertius, eſt ipſa Regula, quæ incipit: ante omnia.* Hæc ille, in iſto forte offendens, quod aut Concilium Caroli Magni an. 802. celebratum cum altero Ludovici filii confundat, aut regulam S. Aug. legerit inſertam Capitularibus Caroli M. quæ in editione Ludovicianæ regulæ tom. 9. Conc. Lab. omninò deſideratur. Atque ad hos Auguſtinianæ regulæ obſervatores haud dubiè Concilium Aquisgran. reſpexerit: dum dixit, *in plerisque locis hunc Ordinem pleniſſimè ſervari.* Quapropter his omnibus ad oculum demonſtratis non difficulter concedimus, potuiſſe tempore S. Raymundi, regulam Aquisgranenſem in eodem, in quo ipſe cum cæteris Canonicis vixit, Tolosano S. Saturnini monaſterio, vigere. Quid enim exinde? an continuò, qui huic ſe regulæ ſubdidére, à voto liberi, &, ùt diximus, extitêre Sæculares? audi! quid de temporibus ſuis, id eſt Sæculo 15to Joannes Mauburnns noſter, quid etiam Sæculi decimi ſeptimi Scriptor Nicolaus Desnos de hac regula diſſerant, audi inquam,

Gall. Chr. t. 2. p. 901.

Maubur. in Venatorio Canonicor. Desnos de Canon. ſæc. L. 2. C. 16. ad fin.

&

Digitized by Google

& inde poſthac eam, quæ par eſt, profer ſententiam. Sic ergò cum Mauburno Deſnoſius: *Rectiſſimè & prudentiſſimè cenſuit noſter Mauburnus, dum ſcripſit: quod hac regula æquè pro Regularibus & Sæcularibus eſt congeſta, his in aliquibus condeſcendens, illos provocans ad celſiora; complectitur enim omnes, qui Canonica profeſſione cenſentur, unde & eam vidi apud antiqua monaſteria regularium, & etiam ſæcularium collegia. Et reverà* (proſequitur hic Desnos.) *occurrit & mihi ſæpiùs luſtranti tabularia Canonicorum noſtrorum, ita, ut expuncta videantur ea, quæ ſæcularitatem, vel proprietatem in ea regula ſapiunt, & è contra luſtranti cartularia Sæcularium Collegiorum, occurrit ob oculos ea regula, ita, ut, quæ D. Auguſtinus pro Clericis inſtaurandis ſcripſit, oblitterata cernantur....* Néque mihi faceſſunt negotium illi, qui ajunt in Regula Aquisgranenſi ſæcularitatem conceſſam pleno jure fuiſſe juxta Cap. 115. nos enim non ſolùm apertè negamus eam in ipſa plenè admiſſam, ſed nec generaliter concedimus, quamvís vocabulum iſtud quibusdam ante Sæculum 12. attribueretur, ideò eosdem verè Sæculares fuiſſe. Neque enim id factum ullis ſufficientibûs demonſtrari poterit documentis. Mauburnus autem noſter, & ſi qui alii tales Canonicos Sæcularibus accenſerent, id fecerunt, cum comparatione ad ſuæ reformationis tempora, quorum reſpectu verè tales nuncupari Sæculares poſſent, quamvìs tales ſuâ ætate non fuiſſent ob libertatem diſponendi in rebus patrimonialibus ſubſequo modo vivendi (qui accuratiùs S. Auguſtini Patrúmque dogmata ac decreta præſcripſit) adverſam, & penè ſæcularem, ſi illam unicam Superiorum generalem licentiam eximas, & habendi ac poſſidendi normam modeſtiorem. Intereà hæc univerſaliter intelligenda volumus: exſtitiſſe enim etiam Sæculis illis quædam Canonicorum monaſteria planè à votis libera nullus diſſentior, ſed quòd id ex communi ſacrorum Præſulum Decreto, & jure Regulæ, ſeu Chrodegangi, ſeu Aquisgranenſis talem ſæcularitatem decernentis factum ſit, cùm necdum in aliquo veteri probato Scriptore repererim, aſſerere non audeo.

10. *Brevis hujus quæſtionis Anacephaleoſis.*

Denique ut huic Capiti finem imponamus, apparet univerſim Primò, nullô argumentô aut demonſtratione evinci poſſe regulæ neceſſitatem ad ſpeciem cujuscunque demum inſtituti religioſi, aut ſingularitatem firmandam: licèt enim eadem ſuô modô in Complementum quoddam requiratur, nunquam inde ſequetur, ut, ſi ea primô modô ſumpta defuerit, particularitas petita deſiderari debeat, ſi adſit, tanquam hujus novâ determinatione Succedente diſtinctum à priſtina ratione inſtitutum cenſeatur. Cùm enim usque ad Sæculum 13. liberum eſſet Canonicis (quamvìs tunc extra omnem Controverſiam, etiam adverſam ſententiam tenentium, ſub nomine non minùs Canonicorum regularium, quàm ſub votiva vita exiſtentibus) quam vellent obſervare, & certiſſimum ſit, juxta Mabillonium, à multis Canonicis Regularibus uſurpatam fuiſſe regulam Aquisgranenſem, usque dum eam Auguſtinianâ commutarent, ad ſolem pateſcit, regulæ Commutationem ſufficientem non fuiſſe ad ſpeciem Ordinis immutandam.

Secundò: concluditur legitimè, regulas Canonicos votivos etiam longè ante Sæculum undecimum diverſas ſibi habuiſſe præfixas, ſed cumprimis ipſos Sanctorum Patrum Canones à quibus neceſſitate inſtituti ſui omnimodè dependebant: atque hinc, cùm ſuccedentibûs temporibûs ſemper novi Canones antiquis accederent ad reformationem Cleri, ſícque nimia penè tot Clericorum decreta

Digitized by Google

cogerentur, quibus memoria retinendis perfacilè deficeret, demum ad certum codicem regularum formandum, atque ſtatuendum à Conciliis proceſſum eſt. Néque mirum, quòd non tunc ſtatim ab omnibus regula aſſumpta ſit S. Auguſtini; partim, quòd fortè tam renuerent ſub unius S. Patris Canone atque præſcripto coarctari Canonici, quàm diſſentiebant eôdem propè tempore ad unam S. Benedicti regulam arctari monachi, ùt ſuprà diximus: partim, quòd regulâ illâ ſe ſolâ Canonici tam Diverſæ mentis, atque in diſciplinam regularem animi, uno impetu difficillimè poſſent coërceri: hinc mediâ incedendum erat viâ, & ne liberioribus offendiculum ſubitò quôdam & necdum aſſuetô fervore ad deſperationem poneretur, immixta ſolummodò ſunt illa, quæ Auguſtinus à ſuis Clericis requirebat, veræ expropriationis Documenta, ut ſic traherentur quodammodo amore virtutis per exemplum prædeceſſorum allecti ad id, quod vi inſtituti ſui dudum conſpicerent à ſe eſſe obſervandum.

Denique tertiò patet: voces illas *Regularitatis* aut *Monachiſmi* clariſſimè per ſe ipſas demonſtrari non ob communem aliquem obſervatum vivendi modum præcisè in victu,& ſomno precibúsque ſolitis, nec ob unicam regulam, ſed verè ob votivam vitam fuiſſe á Canonico inſtituto adjunctas: unde & regula Aquisgranenſis neminem à Canonicis in ſtatum ſæcularem traduxit: ſicut enim quandam poſſidendi libertatem ſecundùm quartum paupertatis gradum illis admittit, ſic econtra per ſermones duos S. Auguſtini diſſertè paupertatem obſervandam ſtrictiorem præſcribit, ut adeò cuíque Canonico regulariter, id eſt, votivè volenti vivere norma abundans exſtiterit. Hinc quóque dum doctiſſimus vitæ S. Raymundi Commentator opinari videtur, tempore S. Raymundi, hoc eſt, ſæculô undecimô, ad D. Saturnini ad normam ferè Aquisgranenſis Concilii vixiſſe Canonicos, eò minùs à vero aberraverit, quò Clariora idipſum confirmantia proſtant documenta, ex quibus Mabillio in Annal. ſuis ſequentia: Canonicos vitam regularem amplexos eſſe ad normam regulæ Aquisgranenſis: *Colligo*, inquit, *ex litteris Arnaldi Petragoricenſis Epiſcopi, qui Eccleſiam S. Cypriani in ſua Diœceſi tribuit Præpoſito, & Clericis S. Saturnini Toloſanæ Eccleſiæ, ut illi regulariter vivant ſecundùm Inſtitutiones B. Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, & cæterorum Patrum.* At ſecundùm textum horum ſanctorum Patrum regula Aquisgranenſis, non ſolùm nullam opinatam ſæcularitatem admittit, verùm inſuper altiorem quóque gradum expropriationis indicit: inferendum ergò, ſi Canonici S. Saturnini ſecundùm hanc partem regulæ vivere ab Epiſcopo Arnaldo juſſi ſunt, eos non jam inter liberos, ſed reſtrictos Regulares Canonicos eſſe numerandos. Vixit autem juxta Galliam Chriſtianam Arnaldus in Epiſcopatu ab anno 1009. usque ad 1037, quô juxta vetus Chronicon Epiſcoporum Petragoricenſium obiiſſe dicitur. Ergo hoc tempore vel reformatum vel jam firmatum exſtitit juxta regulam Aquisgranenſem S. Saturnini monaſterium: neque dubitandi ratio adeſt, cui regulæ parti ſe accomodaverint Canonici, cùm certum ſit ex hac Arnaldi Charta eos vixiſſe ſecundùm priorem, id eſt, quæ expropriationem continet à præfatis SS. Patribus traditam, quámque Gregorius ſeptimus unà cum Nicolao ſecundo in Concilio Lat. Annô 1055. laudavit, reprobando aliqua ſecundæ partis dictæ regulæ tanquam nimis libera & à tramite religioſæ diſciplinæ deflectentia. Cùm ergò Gregorius (tunc Hildebrandus) in eodem ſermone, quo

L. 67. n. 49.

t. 2. Gall. Chr. in Ep. Petragor. Col. 1459.

quo pro reformando ad votivam vitam Clero peroraverat, primam regulæ partem laudaverit, inſuper ſummum Eccleſiæ Clavum obtinens circa Ann. 1081. regularem vitam Canonicorum S. Saturnini, ſcribens ad Richardum Cardinalem S. Victoris Maſſil. Abbatem approbaverit, certum eſt, eundem hunc ſummum Præſulem non aliter denotatam regularitatem approbare potuiſſe, niſi prout eam, ùt Archidiaconus Hildebrandus in dicto Concilio commendavit; ordinatam ſcilicet ſecundùm decreta Auguſtini, Gregorii, Hieronymi &c. ex quo patentiſſimè elucet Canonicos S. Saturnini quamvìs ſecundùm regulam Aquiſgranenſem vixerint, veros tamen Religioſos, nec quomodocunque ac tralatitiè nuncupatos fuiſſe regulares, adeóque & S. Raymundum illis jure annumerari, ac malè à Clericali ſtatu excluſum inter Laicos computari, ideò ſolùm, quòd teſtamentum fecerit, quæ res nihil aliud quàm Auguſtinianum in ſuis Clericis morem denotat, tunc non ſolùm, id eſt S. Raymundi ætate ſed diù poſt adhuc apud multos Canonicos regulares, qui jam regulam S. Auguſtini profitebantur, uſitatum, uti alibi demonſtramus. Igitur manet firmum, fixúmque, úſque ad ſæculum undecimum Clericos votivos quamvìs nulli regulæ ſtrictè tali & ad ſpeciem infirmam inſtitutum determinanti addictos, talem tamen habuiſſe, quâ non qualitercúnque ſed ob votivam vitam regulares audirent, ſpeciémque infimam conſtituerent.

CAPUT V.

Variæ nomenclaturæ Clericis votivis usque ad Sæculum undecimum attributæ, an & quid ad diſcrimen votivo-Clericalis inſtituti contulerint?

DIxerat eximiè Boëtius nec minùs verè, rerum hujus mundi mutabilitatem meditans: (De conſol. L. 2. vers. 3.)

Conſtat, æternâ poſitúmque
lege eſt,
Ut conſtet genitum nihil.

Quidquid etiam in Sacratioris Philoſophiæ penetralibus perſpexeris, ſuis mutationibus ſubeſt, nec ſine luſu fortunæ perſiſtit, id tamen ingenioſè obſervabat Seneca, quædam mutari ſine eo, quòd aut aliud fiant, aut alia. *Ut in orbe*, inquit, *ac pila nihil imum eſt nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur, procedunt, & quæ occidebant, oriuntur: omnia quomodocúnque ierint, in idem revertuntur: ita in homine exiſtima fieri, cùm illum in multa mutaveris unus eſt.* (L. 5. de Beneſ.) Planè ſapienter, multa enim quæ varia ac diverſa rem quandam efficiunt, ideo aliam non efficiunt, nec aliud: quod præcipuè exiſtimem in Nominum nuncupatione contingere, ut non tam res ipſa ad Nominis novitatem immutetur, quàm nomen ſe ipſum rei quaſi accommodet, cui imponitur, certè id frequenter fieri, ſuis in ſimilitudinibus Eraſmus obſervat: dum ait: *Ut ſunt flumina quædam, quæ cùm eadem ſunt diverſis locis diverſa ſortiuntur nomina: ita quædam res in alio homine variis nominibus mutuantur: velut faſtus in principe ſplendor appellatur, in privato ſuperbia.* Obtingit hoc præcipuè rebus longô Sæculorum intervallô durantibus, quæ nomina diverſa ſortiuntur ex hominum placito non ſui exigentiâ, ſaltem eâ, quâ in ſe ipſis mutatæ credantur.

Hoc planè eſt, quòd præſenti inſtruendo Capiti materiam ſubminiſtrat: De diſcrepantia inſtituti votivo-Clericalis hac in parte ſcribere conſtituimus, declaraturi, illud ſpecie indiſtinctum ſtatum ſeu Ordinem religioſum à prima Origine exſtitiſſe, perduraſſéque talem in continua tempora; cùm verò ad id probandum præcipuè conduceret, quaſdam notas diſcretivas proferre, earum præcipuas adduximus, & quæ in contrarium

Digitized by Google

trarium objici potuiſſent, diluimus argumenta: nunc demum, ubi de rei, ut ita dicamus, ſubſtantia vix ſupereſt aliquid diſceptandum, ad remotiora tranſeundum, & de nomine agitanda eſt quæſtio, non tamen frivola illa dudum à Philoſophis explodi ſolita, verùm ea, quæ in moralibus frequentiùs laceſſit ingenia, utpotè quòd ex nominibus ùt plurimùm rerum naturas, qualitatéſque doceamur: unde enim noſceremus, quis ſub Auguſto Romanam rempublicam nefario auſu perdere quæſierit, quis maturô conſiliô tantum flagitium protriverit, ſi nobis nomina Catilinæ & Ciceronis deeſſent. Profectò, ut comperiamus tot in diverſiſſimis modis regnandi Romano orbi conſuetis, quinam illi diſtinctis temporibus exſtiterint? nominum notificatione perſpecta addiſcimus, dum jam monarchiam jam Ariſtocratiam jam democratiam legimus prævaluiſſe. Ut itaque ad hujus Capitis deveniamus propoſitum; è variis documentis priorum Sæculorum eruimus, multifaria nomina Clericis fuiſſe impoſita, ipſíque etiam ſtatui Clericali, quorum pleraque ſaltem ad rem magìs facientia iſthic enarrandi animus eſt, ídque cumprimis ea de cauſâ, quòd immodici, iíque Doctiſſimi ſint noſtrorum quòque temporum Scriptores, qui propè ad cujusvis nominis immutationem ſe ſe reflectentes, aliam atque aliam de illis, quibus hæc adſcripta legunt, ſententiam efformant, & ad tam ſeveros Calculos revocant, ut quaſi ab uno nomine tota hæreret ſubſtantia, uni huic aut diverſitatem vendicent, aut eandem ſpecificam rationem.

1. *Nominum diverſitatem non immutare ſpeciem alicujus inſtituti, & quidem in noſtra quæſtione, Votivo-Clericalis iſthic demonſtratur.*

Nos igitur his opinionibus obviantes, ea, quæ æquivocam talem conjecturam ſubminiſtrare videntur, nomina præſenti in Capite examinabimus, ſimul explanaturi, nullum eorum quibûscunque demum vicibûs commutatorum aut noviter aſſumptorum quidquam tale ſpecificæ votivo-Clericalis inſtituti unitati contuliſſe, quo aut in priſtina ſui inſtitutione ad Sæculum usque 11. interiiſſe, aut in aliud ſpecie diverſum abiiſſe concludi poſſit.

Primum omnium, quô novimus Deo in miniſterium Sacratos homines novi teſtamenti, nominatos fuiſſe, erat græcum illud vulgatúmque vocabulum Κλῆρος, à quo latinum *Clerus*, vel *Clericus* ſuam derivationem accepit; de hoc nomine, quia ſatis prioris partis capite primo diximus, non eſt, quòd hic plura addamus. Dum autem juxta communem Patrum antiquorum interpretationem ideo hoc nomine ipſi Eccleſiæ miniſtri primitùs inſigniti ſunt, ut ſtatim nomine ipſo prolato nitantur eſſe, quod dicuntur, ſciántque hac appellatione ſe moneri, non tantùm Deo in miniſtros electos fuiſſe, ſed & in hæreditatem; jam hôc ipſo ſatis nomen iſtud declarabat & finem inſtituti, & votivam Evangelicorum Conſiliorum obligationem. Duravit hoc nomen usque circiter ad Sæculum 6tum, ut quingentis & ultra annis Clerici, miniſtri ſcilicet Domini (de Occidente nunc loquimur) haud aliud quàm iſtud ad diſcrimen inſtituti ſui nomen obtinerent.

Quod de monachili nomine ſæpiùs eis attributo dicendum eſſet, dudum capite primô hujus partis propoſuimus, nec expedit crambem repetere. Ipſo dein Sæculô ſextô audiri cæpit Nomen *Canonici*, de hac voce, ejúsque qualitate, ac uſu, quædam referenda occurrunt: unde obſervo, certum eſſe apud antiquos vocem *Canonis* uſum ſuum (ùt primùm ab Eccleſiaſticis in ſuarum rerum uſurpandam notitiam aſſumpta eſt) obtinuiſſe à proximè verâ etymologia ſua, id eſt, à regula: Κανὼν enim Græcè ſecundùm primum uſum ſuum *regulam* ſignificat, de quo videri Gaſſendus & Voſius poſſunt, aliíque

Do-

Digitized by Google

Doctiſſimi Etymologi paſſim omnes, neque in hoc aliqua latet controverſia. Igitur, hanc vocem ob ſuum primarium Etymon, ſeu ideo, quòd *regulam* ſignificet in uſum Eccleſiaſticum fuiſſe transſumptam, omnéſque alias minùs proprias ac translatitias ſignificationes *Succeſſu temporis* obtinuiſſe, ſequentibûs declaro.

2. *Nomen Canonici quid originaliter notet?*

Apoſtoli primo coadunato Clero quædam præcepta præfinierunt, quibûs tunc in Miniſterio divino norma haberetur vivendi in Sanctitate vitæ: non quæro de eorum numero, quorum abſque dubio multa apographa ſunt. Hæc verò præcepta ab ipſis Apoſtolis intitulata ſunt nomine *Canonum*, ex quo ad hodiernum diem Canones Apoſtolorum audiunt, ſed hæc ſignificatio non eſt alia, niſi ipſa *regula*, ut idem ſit dicere *Canones* Apoſtolorum, ac *regulæ* Apoſtolorum, igitur cum ipſa naſcente Eccleſia Canon non aliud ſonabat in uſurpatione Eccleſiaſtica, niſi *regula*.

Hunc uſum continuavit Eccleſia multis ac prolixis temporibûs, ita ut in oriente vox iſta oppidò uſurparetur à Conciliis, nec minùs à SS. Patribus; ſed non ad aliud ſignificandum, quàm regulam, vel Decreta, vel præcepta, quæ effectivè in unum Etymon coincidunt. Ab iis Decreta omnia Canones dicuntur, & ſecundùm Canones præcipiuntur fideles vivere, id eſt, ſecundùm præſcriptam regulam: vide de hac veritate ipſa concilia, Neocæſarenſe an. 261. & Nicænum primum an. 325. Mich. Pſellum in ſynopſi leg. Socrat L. 1. C. 13. Sozom. L. 1. C. 23. Epiſt. Theodoriti Cyren. Collectioni Canonum præfixam, alióſque innumeros. Ut adeo mirum ſit, potuiſſe quibuſdam viris doctis in mentem venire, ut aſſererent primum uſum hujus vocis in Eccleſiaſtica Oeconomia fuiſſe ad ſignificandam matriculam aut *præbendam*, aut *Penſitationem Penſionémvè annuam.* Quodſi enim hæc ſuâ Staret firmitate aſſertio, certè Sancti Patres, iique antiquiſſimi quâdam reſtrictione uſi fuiſſent, aut explicatione hujus vocis, dum eâ utebantur, ad Eccleſiaſticam regulam ſignificandam utpotè, quòd prævaleret in communi uſu ſignificatio præbendæ, aut matriculæ; hoc verò in Conciliis nunquam reperimus factum, unde magis propria (ut ita dicam) & communior uſus Etymologicus illius, *regula* fuit, non *matricula*. Hinc quóque apud S. Baſilium, ubi ſæpiùs vox *Canonicis* aut *Canonici* occurrit, nunquam perſuadebor, ut credam, eum hâc uſum ad ſignificandam *matriculam*, aut *immatriculatum*: in tribus præcipuè locis reperio hanc utramque vocem à Baſilio expreſſam, ubique tamen prout *regulam* denotat, ac hominem *regularem*. primò in Epiſtola ad *Canonicam*, ubi totus eſt in deſcribenda ejuſdem verâ religioſa ac votiva, *Canonica* ſcilicet, id eſt, *regulari vita.* 2dò in animadverſionibus adverſùs Canonicos delinquentes conſtitutis, neque iſthìc aliter quàm cum hominibus religioſis, ac regularibus procedit: ut adeò clarè oſtendat, ſe per hos Canonicos, non immatriculatos ſed in Communi ſocietate regulariter viventes intelligere: Denique in conſtitutionibus monaſticis titulus eſt cap. 19. *ad Canonicos, hoc eſt, regularem vitam degentes in Cœnobio.*

Baſil. de exercit. monaſt. Epiſt. ad Canonicam fol. 241. edit. Colon. an. 16.7.

Idem f. 350. Col. 2.

Conſtit. Monaſt. Cap. 19. f. 362.

Nihil ad rem noſtram dici poſſet apertiùs, alioquin titulus certè diceret: ad *Canonicos hoc eſt immatriculatos*, locò, *regularem vitam degentes.* In ipſo hujus Capitis decurſu Canonem exprimit, non ad ſignificandam *matriculam*, ſed *regulam*, nam ubi in editione à nobis citata legitur: *hi* (nempe Canonici) *liberatoris noſtri, ejuſque vitæ, dum inter nos verſaretur inſtitutorum veri, perfectique imitatores exiſtunt. Quemadmodum enim ille coacto Diſcipulorum Choro communia cuncta, ſéque ipſum communem Apoſtolis præbuit, item hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes (qui modò vita ſua præſcripta* in

(in Græco eſt Κανοναβίῳ id eſt regulas vitæ: *rectè conſervant*) *genus vivendi Apoſtolorum ac Domini imitantur*. Dúmque Origines tract. 26. in Matth. memorat libros Canoniſatos & tract. 29. ſcripturas Canonicas, hîs ipſis vocibûs utitur tanquam *regulam* ſignificantibûs utpotè, quòd regulariter receptæ eſſent ſecundùm examen authenticum, & regulare inter legitimos ſacrorum Bibliorum libros: & quamvìs fortè admittamus Originem hîs vocibûs uſum fuiſſe ad notandum Catalogum, ſeu indicem librorum receptorum, certum tamen eſt, hoc ipſum factum fuiſſe per minùs propriam translationem, uſúmque illum ad ſignificandam matriculam longîs pòſt temporibûs invaluiſſe: nam licèt prima ſtatim ætate eſſent intitulati ſuis Eccleſiis Clerici, minimè tamen ideò *Canonici* ſed *Cardinales* dicebantur, à voce *incardinare*, id eſt, inſtituere, dum ſcilicet in aliqua Ecclesia inſtituebantur Presbyteri &c. hinc adhuc Sæculô ſeptimô tales intitulationes nuncupabantur per *incardinationem*, & intitulati *Cardinales*, non *Canonici*: ùt videre eſt apud Gregorium plurimis in locis. Ideo Egbertus Eboracenſis Sæculi 8 ſcriptor explicat, unde, aut cur hæc vox, *Canon* ſuum obtinuerit uſum: *CANONES*, inquit: *DIGIMUS REGULAS*, *quas Sancti Patres conſtituerunt, à quibus ſcriptum eſt, quomodo Canonici, id eſt, regulares Clerici, vivere debent*. Optaremus itaque, ut qui de hujus vocis uſu atque ſignificatione, ſeu apud latinos, ſeu apud græcos aſſumpta diſputant, temporum ſimul obſervarent rationem, quâ examinatâ deprehenderent, qualiter poſt hujus vocis in regulæ ſignificationem aſſumptæ antiquiſſimum uſum, diù inde primò quaſi in liberiorem metaphoram emigraverit, ut aut *indicem*, aut *matriculam*, aut *præbendam*, aut demum *Canonicum* non à regula ſed à Penſione omnia notaret. Poſſemus ſanè hanc Chronologicam ſeriem demonſtrare, niſi plus ſciremus nos laboris inſumpturos ſuperflui, quàm ſatisfacturos requiſitæ neceſſitati.

Vide Cang. verbo Cardinalis & incardinare.

Cùm in hac Exegeſi præcipuum propoſitum ſit, quantùm fieri poteſt, inter limites nos occidentalis orbis continere, hinc quoque omiſsîs, quæ latè de Canonicis Orientalibus dici poſſent, ad has occidentis ipſáſque Romanas partes procedimus.

3. *Nomen Canonici Clericis primitus datum cauſa regularis vitæ.*

Quô propriè tempore, aut quô primùm uſu hoc nomen in Eccleſia latina audiri cœperit incompertum eſt; ante Canonem 15. Arvernenſis Concilii Annô 535. habitum vix producetur documentum, quod nomen *Canonici* nobis proferat, nec quóque *Canonis* niſi ſub ſignificatione Decretorum, dum ſcilicet Capitula Synodorum, ùt ſuperiùs dictum eſt, Canones ſeu regulæ dicebantur: ſic autem concilium illud: *Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neq; in civitate, neq; in Parochiis Canonicus eſſe dignoſcitur, ſed in Villulis habitans in Oratoriis officio ſancto deſerviens celebrat divina myſteria; feſtivitates præcipuas nullatenùs alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in civitate teneat.* Apparet autem ex hoc decreto, nomen Canonici neutiquam recenter uſurpatum, ſed jam tanquam ſolitum fuiſſe, ut iiſdem certi quidam Clerici deſignarentur, alioquin indubiè addita quædam hujus nominis declaratio fuiſſet, quâ in uſum novi, & necdum in occidentis partibus, uſurpati nominis notitiam deveniri valeret. Cùm enim *nominis interpretatio vel definitio, diligenter ſit advertenda* C. 1. C. 12. q. 1. non eſt præſumendum nomen iſtud tam ſubitò excidiſſe in hoc concilio Patribus, quin antea jam examinatâ & cognitâ ejus ſignificatione Clericis convenientiùs ſit attributa quàm monachis, aut etiam laicis: quòdſi enim nomen iſtud primariò aſ-

Digitized by Google

aſſumptum fuiſſet ad denotandos præbendarios, aut immatriculatos, potiùs ea vox applicanda fuiſſet laicis, quorum multi Sæculô ſeptimô Eccleſiæ matriculis inſcripti erant, præcipuè pauperes; quod nos docet Gregorius Turonenſis, ubi inter eosdem numerat *Beneficiarios*, *Matricularios*, & *pauperes*, non tamen *Canonicos* appellat. Hinc ſequitur neceſſariò aliquid amplius per hanc vocem concilia voluiſſe; quid illud? certè non aliud, niſi vitam regularem Clericorum, adeóque eos, qui ſecundùm præſcriptos Canones viverent in, & de communi, cum regulari expropriatione: quia enim tunc jam plures è Clero erant, qui ſe ipſos à votivis, uſu proprietatis diſtinxerant, non potuerunt Præſules Eccleſiæ Clericale nomen ſaltem in *monaſteriis Clericorum*, niſi illô regularitatis nomine afficere, ut hôc modô, qui adhuc in communi vivebant, diſcernerentur ab aliis extra Societatem, Clauſtra, ipſámque vitam regularem commorantes, quales multi erant ab Origine aſſumpti Clericatûs ſemper extra gremium quodcúnque Clericalis Communitatis ſaluti proximorum intenti, prout nunc quóque tales eſt videre, qui quidem Clerici, ſed nullô titulô Canonici habentur. Quamvis enim, & ex iſtis quandóque intitularentur in ſervitium Eccleſiæ, tanquam Cuſtodes veſtium Sacrarum, vel campanarii, vel excubiis nocturnis deputati &c. non tamen inter Canonicos, ſed matricularios cenſebantur. *Sacriſta*, inquit vetus Scriptor apud Labbæum: *providere tenetur, & exhibere Clericum unum Matricularium, & alios, qui campanas pulſare valeant &c. Epiſcopus præter illos inſtituit tres matricularios, unum videlicet Clericum, quem attitulavit Altari S. Crucis in eadem Eccleſia, ut ibi ſerviret in officio Sacerdotis, medietatem Beneficii ejusdem Altaris illi Matriculariæ perpetuo jure annectens cum centum ſolidis &c. & duos Laicos, quibus ſingulis decem libras in redditibus aſſignavit.* Sacriſta ille erat Canonicus, at duo Clerici, duóque Laici erant matricularii, tunc ergo non ſe habebant reciprocâ commutatione matricularius, ac Canonicus. Ampliùs id patet ex Scriptore vitæ S. Rigoberti: dum ait: *Canonicam Clericis religionem reſtituit &c. priùs quippè quàm exoptabilis hic Altor ac Pater eorum adveniret, non eis dabatur Canonicus panis, & non erant, ut ſunt hodie, Canonici, ſed ſicut matricularii.* Nihil manifeſtius ad rem noſtram dicere hic vetus ſcriptor potuiſſet, dum dilucidè Canonicos à matriculariis diſcernit, & ſimul demonſtrat vocem *Canonici*, *regularem vitam* demonſtrare: *non dabatur*, inquit, *Canonicus panis*, id eſt, menſa communis & regularis, *ſed* erant *ſicut matricularii*, his enim hebdomadaria vel diurna penſio dabatur, ut ſe quíſque ſeorſim aleret. meritò igitur inferendum, vocem hanc primariò quoque in occidente aſſumptam fuiſſe ad denotandam regularem in Clericis converſationem. Hinc illud jam Capitulum Concilii Arvernenſis explicandum venit, dum dicitur: *Si quis ex Presbyteris &c.* Primò enim obſervo, ibidem *Canonicum* ſic accipiendum eſſe, ut idem ſonet, ac ſi quis ex Presbyteris aut Diaconis, talis eſſe Clericus appareat, ut ſolùm titulum ſuum habeat ad aliquod Oratorium, vel ad quandam parochiam, cui tenetur deſervire, adeóque non ſit *Canonicus*, ſeu *aliquis ex monaſteriali Clericorum communitate aſſumptus*, & ex ea ad aliquam Eccleſiam, ſeu in civitate, ſeu in aliqua parochia extra urbem expoſitus regendam, talis etſi non ſit ex Canonicorum gremio, cùm tamen ſit ſub obedientia Epiſcopi, & ſuam obſervantiam teneatur eidem æquè, ac Matri Eccleſiæ ex-

L. 1. de miracul. S. Martin. C. 22. & alibi ſæpiùs.

Bibliot. M. SS. Labb. t. 1. p. 487.

Vixit anno 749 quo ob iſſe videtur Bollando in actis SS. 4. Jan.

exhibere, cui tales parochiæ (ſeu dein ei regendæ Clerici ſimpliciter tales, ſeu Canonici, id eſt, ex gremio matris præſtituti ſint) ſubſtant tanquam filiæ, feſtivitates præcipuas, non minùs, quàm aliquis Canonicus ex gremio cum Epiſcopo in Civitate obligatur celebrare, qui Canon clariſſimè explicatus hodiedum in plurimis Cathedralibus Eccleſiis accuratè cuſtoditur. Neque crediderim omnes Sæculi ſexti Canones quotquot adducentur, planiùs & veriùs niſi ad hanc normam explanari poſſe. Et profectò, dum quædam documenta exhibentur, quæ magis videntur Canonicos præbendarios, quàm regulares, ac vitæ communis aſſertores effingere, modò penitiùs conſiderentur, res ad oculum patebit: nam Canon ille Aurelianenſis ſynodi an. 538. (dum dicit: *Qui Clerici miniſteria &c. agere - - - - detrectant &c. inter reliquos Canonicos Clericos, nè hâc licentiâ alii vitientur nullátenus habeantur, neq; ex rebus Eccleſiaſticis cum Canonicis ſtipendia aut munera ulla percipiant*) apparet, quaſi de Canonicis ſtipendiariis, nec ullô modô regularibus differeret; perſpectis tamen ejus circumſtantiis, principaliter regularitatem intendit in communitate Canonicorum *Charitativè* ſervandam, nam hæc pœna, quæ ſtatuitur, arguit communiſſimas illas ſportulas, ſeu præbendas, quæ etiam in aliquantis monaſteriis ipſis monachis dabantur, Canonicis autem regularibus S. Auguſtini ſæculis adhuc poſterioribûs præſtabantur ſine ullo ſcrupulo paupertatis violandæ: de monachis exſtat ſcriptum Philippi Decani Turonenſis S. Martini apud Mabillon. in quo dum ſtatus monachorum ibidem ante Canonicos ſæculô 8tavô reſidentium narratur: quòd hæc Eccleſia paſſa ſit mutationem & ordinis & conſuetudinis, & pro monachis vel propter inertiam, vel propter frequentantium inquietudinem integrè non proſequentibus, Canonici à principibus terræ ſubſtituti ſint: *Trecentis, quæ tunc temporis erant, præbendis ad numerum centum, & quinquaginta reſtitutis.* Igitur quas præbendas habuerunt ſucceſſores Canonici ſed numerô pauciores, eas habuêre antea monachi ſed numerô potiores. de Canonicis, qui exempla cupit, deſcriptiones noſtras ipſorum monaſteriorum adeat. Neque id noſtris temporibus inconſuetum eſt, ut ſingulis Canonicis dentur certæ portiones pecuniarum, quibus ſibi de rebus minùs neceſſariis providere poſſint. Taléſque portiones olim exhibitæ ſubtrahebantur in pœnam delicti alicujus commiſſi, unde dicitur: *Qui miniſteria ſuſcepta agere detrectat*, id eſt, qui debitam obedientiam Epiſcopo, aut communes labores peragere renuit, primò pro pœna habeat, ut inter reliquos Canonicos Clericos nullatenùs habeatur, id eſt, abſcindatur à communi ſocietate aliorum, *ne*, inquit Canon, *hâc licentiâ alii vitientur*: haud dubiè reflexerint ſe Patres Aurelianenſes ad Auguſtinianam regulam, cui conformiter in hoc facto proceſſerant, pariter mandanti, ut *ſi* correctionem *ferre* quis *recuſaverit*, de communi *ſocietate projiciatur, ne contagione peſtiferâ plurimos perdat.* Sícque tales privantur etiam ſtipendiis, & ſolitis aliis præbendis: qui totus contextus egregiè planè regularitatem in communitate confirmat, monſtrátque, quid ſit eſſe *Canonicum*, hoc eſt, talem, qui & obedientiam promiſſam regulariter obſervet, & regulariter diſtributis illis miniſteriis in communi agendis ſe nequaquam tanquam regulæ temeratorem ſubducere præſumat.

Annal. Bened. l. 29. n. 87.

Quamvis itaque expreſſa & diſſerta documenta non ſuperent, ex quibus primum uſum vocis hujus in

in Eccleſias monaſteriáque Clericalia in Occidente inductæ liceat reperire, dubitari tamen vix poteſt, primitùs eam ſuſceptam eſſe ad deſignandam regulam, regularémque vitam: Intereà non negamus poſſe & alias ſublatere cauſas, ob quas etiam ſucceſſu temporis ſenſim eadem vox ad præbendarios, aut ex Canone Divinorum officiorum & pſalmorum canendorum rationem dante, aut ex matricula, cui Canonici inſcribi conſueverunt, ad deſignandos Cantores, vel Matricularios eſt devoluta.

Porrò prævaluit tamen ſemper illa principalis & primigenia ſignificatio, ita quidem, ut facilè Documenta de Sæculo in Sæculum adduci valeant, quæ nos inſtruant; regularitatis Etymon reliquis omnibus palman præripuiſſe. Quia verò odioſum eſt in re penè nota tantis demonſtrationum ambagibûs uti, vel unum (in ſupplementum omnium) exemplum dediſſe ſufficiet, alterúmve à Sæculo octavo & Nono deſumptum, quod ſanè egregiè confirmabit priora. Cùm enim juxta omnium hiſtoricorum ſententiam vita Canonica tum maximè videbatur præbendariis atque matriculariis abundaſſe, quando Carolus Martellus & Pipinus Regnum adminiſtrabant, ſi hoc nomen Canonici aliunde ad hos tantùm indigitandos primariò conſtitutum fuiſſet, profectò nemo horum temporum tam imperitus directè in adverſum eandem hanc vocem ad communem regularémque vitam ex uſu ſuo inductam aſſeruiſſet, & tamen quandò Carolus Magnus ſæculi ſeptimi fine Capitularia conſtituerat ad reformationem tam Cleri, quàm monachiſmi, diſſertè ait: *qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus, ut illi Canonicè ſecundùm ſuam regulam vivant, & Epiſcopus eorum regat vitam, ſicut Abbas monachorum.* (Capit. Aquisgr. an. 789.) Non eſſet accommoda explicatio, ſi Clericatum, quem hic Carolus nominat, opinaremur omnes quoscunque Clericos complecti, cùm certum ſit ex mox relatis, quosdam, eosdémque immodicos ex Clero nunquam fuiſſe Canonicis accerſitos, ſed præciſè ſub nomine tum uſitato Clericorum ſimplicium & nulli congregationi adſcriptorum veniſſe, ideò verba illa, *quos nos nominamus*, non ſolùm ſunt explanativa, ſed ſimul reſtrictiva, ita quidem, ac ſi diceretur, *qui ad Clericatum illum accedunt*, quem nos nominamus Canonicam vitam, diſtinctam ab illa Clericali vita, quam Clerici (Canonici nominis expertes) ducunt. Hinc patet apertè à Carolo Magno Canonicæ vitæ nomen ad regularitatem ſignificandam fuiſſe uſurpatum, cùm mox dicat, *volumus, ut illi Canonicè ſecundùm ſuam regulam vivant*, & æqualitatem regularitatis hujus mox adjungit, nempe prætendens eandem obedientiam, morúmque ſanctitatem Epiſcopo curandam, quam Abbas curare debet in monachis.

Idipſum demonſtrari poteſt ex Concilio Moguntino anno 813. convocato: (Concil. Mogunt. C. 9. 19. 20. 21.) in eo Patres, *Decrevimus*, inquiunt: *ut Canonici Clerici, Canonicè vivant, obſervantes Divinæ ſcripturæ doctrinam, & Documenta ſanctorum Patrum: & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui vel Magiſtri eorum compoſitè agere præſumant in unoquoque Epiſcopatu: & ut ſimul manducent & dormiant; & ut in ſuo Clauſtro maneant, & in ſingulis diebus manê primô ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur &c.* igitur vigore hujus Canonis, *Canonicè vivere*, eſt *obſervare divinæ ſcripturæ doctrinam* (id eſt, ſi bene capio, Evangelica Conſilia) *& documenta SS. Patrum &c.* quod profectò nihil aliud involvit niſi vitam regularem, quodque maximè obſervandum, hoc nomen adeò antonomaſticè (ſi non ſui intrinſecâ ſignificatione) ipſam regularitatem præſetulit, ut cùm jam Canonici ſub regula S. Auguſtini vivere inci-

Digitized by Google

perent, non alio niſi *ſolo* nomine *Canonicorum* ſæpiùs venirent. In Charta Eccleſiæ Arauſicanæ de electione Berengarii Canonici regularis S. Rufi facta an. 1107. idem Berengarius una voce *Canonicus S. Rufi dicitur; elegerunt*, inquit Charta: *Berengarium virum ſcientia, moribus, genere & ætatis ſatis ornatum S. Rufi Canonicum, in præſentia Albanenſis Epiſcopi &c.* Annô 1184. Guillelmus de Baucio dat diploma ſeu privilegium immunitatis, ac protectionis, in eo Canonicos Arauſicanos jam diù regulam S. Auguſtini profitentes, ſimpliciter *Canonicos* dicit: *laudo*, inquit, atque *confirmo ſpecialiter - - - terram Guillelmi de Sancto deſiderio, quam ejuſdem Eccleſiæ Canonici nuper emerunt.* Cùm Ciſonienſes Clerici an. 1129. à Rainaldo Remenſi Archiepiſcopo confirmationem obtinerent ſuæ reformationis, quâ in regulam S. Auguſtini juraverant, in datis litteris, communi nomine *Canonicorum* appellantur: titulus ipſe jam talis eſt: *Rainaldus D. G. R. Eccleſiæ humilis miniſter, dilecto filio Anſello Ciſonienſis Eccleſiæ Abbati & ejus fratribus in eadem B. Calliſti Eccleſia Canonicam vitam profeſſis &c.* Et iterum inferiùs *Tuis itaque*, inquit, *ac multorum religioſorum juſtis petitionibus debitâ benignitate annuentes, vitæ Canonicæ ordinem, quem profeſſus es - - - formamus.* Conradus Archiepiſcopus regulam S. Auguſtini ad an 1111. in Salisburgenſem Cathedralem invexit, illos reformatos Canonicos coævus ſcriptor vitæ S. Gebhardi, non aliter, niſi ſub nomine Canonicorum intitulat, Communem, inquit: *vitam Canonicorum S. Auguſtini initiavit*, Conradus nimirum. Ivo Carnotenſis Ep. 97. Eccleſiæ S. Quintini *Canonicos* ſimpliciter nuncupat: *litteras*, inquit: *D. Papæ & vobis transmiſſas per Confratres noſtros B. Quintini Canonicos credo vos accepiſſe.* Ut innumera alia exempla omittamus; ſic nempe etiam ſubſequis temporibûs ſemper omnium inhærebat animo, *Canonicum* vocari; non aliud eſſe aliunde, quam *regularem*, nihil igitur referre, an latina illa nuncupatio ob recentem quandam diſcrepantiam faciendam adderetur; donec demum nobiliſſima quæque Collegia, ac principales Eccleſiæ expeditam ab expropriatione vitam reciperent, tum neceſſe erat huic Diſcrimini nuncupando attentiùs inhærere. Olim nemo volebat ſæcularis dici, ſed unâ voce *Canonici* prolatâ, quivis tanquam regularis æſtimari; hinc Carolus M. improperat quibusdam relaxatis, quòd ſe quiſque eorum *confiteretur ſæculum reliquiſſe, neque omninò vellet conſentire, ut à quolibet ſæcularis vocaretur.* Non minùs mirabatur planè adhuc ſua ætate Damianus *ſanè*, inquit, *quô pactô quis valeat dici Canonicus, niſi ſit regularis? volunt ſiquidem Canonici hoc eſt regularis nomen habere, ſed non regulariter vivere &c.* in amplitſſimum ſpatium excurreremus, ſi omnes ſcriptores produceremus, qui in noſtram hanc conjurant ſententiam, *Canonicum* non ab alio niſi à regulari vita nuncupari; à regulari, inquam, ac religioſa vita hoc eſt, votiva, non verò à quacunque obvia regulâ, ſed à Regula SS. Patrum, quæ ſemper vitam votivam inculcat: Sic mox, ùt Damianus exſibilavit quorundam hujus nominis (ùt ipſe ait) abuſum, de proprietate loquitur: *ambiunt*, inquit: *Communia Eccleſiæ bona dividere, aſpernantur autem apud Eccleſiam communiter habere. Enimverò non eſt hac primitiva Eccleſiæ forma &c.* ad eandem normam diſcurrit de hac voce Nicolaûs de Cuſa, Rudolphus de Rivo, Dyoniſius Carth. Azorius, Suarius, Barboſa, Molanus, nec minùs vetera Concilia penè omnia (quæ de Canonicorum ſcripſère diſciplina) regulam, à qua Canonici dicuntur, non qualemcunque denontantia, ſed SS. Patrum: unde, cùm Sæculô 11 ac 12. Canoniæ frequentiſſimæ novam illam reformationem reci-

Gall. Chriſt. to. 1. in inſt. hujus Eccl. Col. 131. n. 2.

Ibid. in. 7

Spicil. D' Ach. to. 2. p. 880.

Capit. 2. an. 811. C. 8.

Ad Fanen. L. 5. Ep. 9.

reciperent, ipſi tam ſummi Pontifices, quàm Eccleſiarum Præſules Sanctam reſolutionem iſtam approbantes in pluribus ſuis privilegiis,ac confirmationum Chartis diſſertè adhuc regulam SS. Patrum memorant, ſecundùm quam, ut viverent, haberent; exinde quaſi innuentes, ſicut tum ſecundùm regulam SS. Patrum vitam Canonicam inſtituere, erat votivè vivere, ſic eundem quoque ſenſum ſuis anteceſſoribus fuiſſe, cùm aut in privatis decretis, aut in conciliis definirent, ut Canonici vitam ſuam ſecundùm Patrum regulas aut Decreta inſtituerent. Elucet jam ex hoc diſcurſu, dum Clericis nomen Canonici obtigit, quô caſu id factum ſit; cùm hujus nominis ſignificatio jam pridem & in ipſa nuncupatione Cleri contineretur, ut eſſent regulares, id eſt, non, ſtrictè loquendo, alicui regulæ (alteri ſcilicet quàm ipſis Canonibus Patrum) ſed vitæ regulariter, hoc eſt, in Communi & votivè ordinatæ, illigati. Ubi autem factum, ut libertate vivendi in Clero prævalente, Communitates illæ votivæ paſſim diſſolverentur, ut in votivâ communione adhuc perſeverantibus, ſua eſſet diſcriminativa nuncupatio, velut erat & vita, nomen Canonici eis adjectum eſt, eò feliciori fatô, quò iidem uno hoc nomine magìs de omni regulari vita ducenda commonebantur: atque ſic & Clerici & Canonici dicti ſunt ea ratione, ut jam illud eſſet generale nomen utriſque tam liberis nimirum, quàm votivis Commune, iſtud verò his ſolis.

Ex quo haud audiendos exiſtimo eos, qui opinantur, Canonicos Sæculares, regularibus & nominis & inſtituti ſui dediſſe originem, neque enim antiquiſſimi ſcriptores Canonicis obligationem votivè vivendi adeò apertè objeciſſent, ſi ipſi noſſent, primum Canonicorum inſtitutum non regulare, ſed Sæculare fuiſſe. Certè Hugo de S. Victore ſæculi 12. ſcriptor, eò minùs tunc in præjudicium quorumdam ſæcularium Canonicorum hanc ſententiam tuitus fuiſſet, quò ipſe alioquin in judicio ſuo moderatiſſimus, ac circumſpectus, graviùs ſe erraturum noſſet, ſi quid aſſereret, cæcô quodam proprii inſtituti potiùs amore illectus, quàm communi munitus veritate; hic tamen liberrimè ſcripſerat, *Regula dicitur, quòd rectè regat, vel quòd rectè doceat, & quod nos dicimus regulam, Græci Canonem dicunt, unde etiam græco nomine Canonici, id eſt, regulares ſunt vocati ii, qui in monaſteriis conſtituti juxta regularia inſtituta SS. Patrum canonicè & apoſtolicè vivunt.* In Cap. 1. Reg. S Aug. Ad an. 103. Jacobus de Vitriaco Scriptor ſæculi 13. *Multi* inquit, *temporibùs iſtis reperiuntur Canonici, verô nomine ſæculares, qui cùm regulariter non vivunt, falsò ſibi Canonici nomen uſurpant, umbram nominis retinentes, virtutem autem ejus abnegantes; ſicut enim pictus homo non eſt homo,& denarius falſus denarius non eſt, ita qui hujusmodi ſunt Canonici ſæculares, non ſunt Canonici, quô enim pactô Canonici, id eſt, regulares cenſentur? quorum regula eſt irregulariter vivere, quorum lex eſt ſine lege moveri, propriæ voluntati abſq; ulla contradictione paſſim fræna laxare.* Adde his ſuprà citata verba Damiani. Concilii coloniensis celebrati annô 1548. Canon. 8. inquit: *ut de Canonicis dicamus paucis, reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini, ſint reipſa, ùt ſunt nomine, id eſt, regulares, nec enim clam eſt, primam eorum originem monaſticæ diſciplinæ fuiſſe, imitentur Apoſtolos & naſcentis Eccleſiæ miniſtros, quorum erat cor unum & anima una &c.* ubi vides Concilium aſſerere, neque clam eſſe: id eſt, rem certam, vulgatam ac ſcientiâ evidenti repertam, primam Canonicorum originem regularem, ac votivam (hoc enim per monaſticam diſciplinam intelligit, ùt cuíque patet) ad imitationem genuinam Apoſtolorum fuiſſe. Hinc

&

& Baronius: *Qui Collegiatis* inquit, *ſerviunt Eccleſiis, quos frequentiore uſu Canonicos appellare mos eſt, ob id eo nomine appellantur, quòd hiſce teneantur Canonibus obligati, ad quorum præſcriptum vitam ducerent Clericalem in omnibus regularem, nil proprium ſibi vindicantem.* Tantæ nubi teſtium qui adhuc refragari contendit, ut Canonicum nomen, ipſóſque hôc titulô affectos Cloricos ex origine ſua ſæculares potiùs atque proprietarios adſtruat, inhæreat, ùt lubet obfirmatæ potiùs voluntati ſuæ, quàm prælibatis rationibus, nos ad ulteriora progredimur.

4. *Succeſſu temporis ad latiorem ſignificationem extenſum.*

Quamvìs autem hoc nomen per ſe regularitatem tanquam primariâ ſuâ ſignificatione connotet, attamen dein & ad alios receptum eſt uſus, ut nimirum non ſolos Clericos votivè & in communi viventes, verùm & Cantores quandóque, matricularios etiam, ac penſionarios, ſeu præbendatos indigitaret, imò & laicis quibusdam, ſed non niſi poſt annum milleſimum, conceſſum legimus, neque id mirum, cùm enim regula Aquisgranenſis, utcúnque fibulam quibusdam relaxaret, ut liberiùs viverent, quàm unquam aliàs, ſenſim Nomen Canonici ampliùs ſuo redundavit in ſenſu, verùm id non adeò primigeniæ ſignificationi obfuit, quin primariò ac principaliter eô illi Canonici venirent, qui regulariter vixerant. Donec iterum tantus hujus nominis uſus factus eſt, ut non ſolùm paſſim relaxati & jugum regulare excutientes penitùs Clerici, verùm & quicúnque penè aliquo miniſterio vel jure Eccleſiæ cuidam Cathedrali innexi fuerant, Canonicum nomen ſibi prætenderent, & quemadmodùm mox diximus, ipſi quóque laici Canonici dicerentur; ea ſolùm de cauſa, quòd ſe cnm agellis ſuis Eccleſiæ alicui ejúſque Capitulo tradentes ab eo viciſſim panis, viníque diſtributiones, id eſt, præbendas certas obtinerent, qui fortè alio nomine etiam *Donati* nominabantur, ſed hos omnes extinxit ex Catalogo Canonicorum Concilium Mompeſſulanum annô 1214. *diſtrictè mandamus*, inquit, *quòd in nulla Eccleſia laici recipiantur in Canonicos, & in fratres, nec etiam ad præbendam Canonicalem --- cùm per hoc Eccleſiæ multa damna proveniant.*

Can. 1.

Erant & antiquitùs jam monachis immixti Canonici, velut exemplum proſtat de monaſterio monachorum Corbejenſi ex ſtatutis Adalardi Abb. & de monaſterio Croylandiæ in Anglia. De Abbatia ſan-Gallenſi in Germania. Habetúrque in Concilio Aquisgranenſi, ſeu potiùs Conventu ipſorum monachorum C. 44. Abbatibus conceſſum fuiſſe, ut *haberent Cellas, in quibus aut monachi ſint, aut Canonici.* Erant verò hi Clerici partim deputàti in miniſterium Eccleſiæ, partim aſſumpti, ut litteris imbuerentur non ſolùm, ſed & virtute, & cùm demum ad annos requiſitæ diſcretionis veniſſent, tum liberum eis erat, vel in Clericatu aſſumpto ſtabiliri, vel monachicum ſchema aſſumere: hi itaque Clerici non raro Canonici nomen obtinebant. Sic Adelardus nominabat eos, qui ſpecialiter pulſantes inter ſuos Clericos habebantur, *Canonicos*, ſic quóque factum videtur in Sangallenſi Cœnobio, ubi Salomon inter Clericos Scholares velut Canonicus enutritus dicitur apud Eukardum ſuperiùs à nobis citatum. Hæc verò quæſtionem pulſant, an Canonici iſti regulares fuerint, quales nos aſſerimus, an ſolùm præbendarii, vel aliô titulô nomen iſtud ſibi promerentes? ad quod reſpondeo, hos Clericos ſub diſciplina monachorum enutritos diverſimodæ inſtitutionis fuiſſe, quosdam quidem votivæ vitæ addictos: alios tanquam Tyrones, qui hoc nomen, cùm jam aliunde matriculariis & præbendariis imponeretur, facilè for-

Spicil. t. 1. C. 1. 3. f. 587.

Anno 817. habitus.

Vide ſpic. cit. & Mab. Ann. Ben. L. 36. n. 3.

Digitized by Google

ſortiri potuerunt. Canonicos apud monachos exſtitiſſe, & quidem ſub monachorum directione, atque obedientia, multa ſunt, quæ perſuadent, primò: in Rottonenſi monaſterio ſæculô octavô Coævus Author: *Quòd ibidem extitit quidam Scriptor Doetghen nomine, qui ita vivebat foris, ſicut unus è Canonicis, ſed tamen jam devoverat ſtabilitatem ſuam, & converſionem morum ſuorum in eodem monaſterio; nec multò pòſt idem Venerabilis Scriptor monachus effectus eſt &c.* Igitur hic Doerghenus, ùt Canonicus jam votivè religioni ſe obſtrinxerat, adeóque erat re, & nomine Canonicus, qualem tunc temporis Concilia requirebant, ſed dein vitæ ſolitariæ amore monachus factus eſt ex Canonico.

Apud. Mab. Sæc. Ben. 4. part. 2. de geſtis Rott. Fratrum.

Secundò: in Concilio Moguntino annô Doni. 813. habitô Can. 27. dicitur: *Præcipimus, ut unusquisque Epiſcopus ſciat per ſingula monaſteria, quantos quisq; Abbas Canonicos in monaſterio ſuo habeat, & hoc omninò ambo pariter provideant, ut ſi monachi fieri voluerint, regulariter vivant: ſin autem: Canonicè vivant omninò.* His ergò Canonicis jam tum in votiva vita conſtitutis liberum erat ad monachiſmum tanquam Ordinem ſtrictiorem ſemper tranſire; cúmque ſub Abbatibus monachorum & in eorum monaſteriis conſervarentur ſolâ habitatione diſcreti Canonici iſti, jam ſe profitebantur Canonicos, jam verò monachandos aſſerebant, atque hinc neutri penè ordini addicti prætendebant quandam illicitam libertatem, ut cùm Canonicos ſe dicerent, ſub manu eſſent Fpiſcopi, cùm verò monachos, ſub imperio Abbatis, ſicque utrobivis jugum excutiebant debitæ obedientiæ; unde Canon iſte remederi huic temeritati cupiens præcipit, ut aut veri monachi fiant, aut vivant ùt *Canonici omninò:* erant quidem hi ipſi Canonici ſuô modô Abbatibus ſubditi, ſed non in omnibus, in iis præcipuè, quæ vitam Clericalem reſpiciebant, & videtur ſanè Abbas hoc in Canone prætitulatus potiùs monachorum fuiſſe, quàm præcisè Clericorum, ſeu Canonicorum, ùt ex contextu elicitur.

Tertiò: S. Willibrordus Ultrajecti ſedem Epiſcopalem & Eccleſiam in honore S. Salvatoris conſtituens in uno monaſterio Canonicos, & monachos congregavit; docet id vita S. Præfati, manſerunt verò ſimul in eodem monaſterio, donec religioſis viris utriúsque Ordinis propria Cænobia in diverſis Eccleſiis aſſiignari poſſent: erátque tum S. Willibrordus ſimul & Abbas monachorum, & Epiſcopus Canonicorum, quos votivè vixiſſe nulla planè dubitandi cauſa ſubeſt. Omnes verò, qui primùm monachis conjuncti erant Canonici, Clericíve hoc nomen à regularitate vitæ obtinuerunt, non minùs ac alii úsque dum diù inde & illi Clerici apud monachos Commorantes nomen hoc à ſola immatriculatione atque præbenda adipiſcerentur. Profectò ex tam arcta in multis monaſteriis monachorum, & Canonicorum Charitate atque unione ipſius votivæ converſationis factum haud equidem dubito, ut integra ſæpè monaſteria in Canonicorum mores transmutarentur, & dimiſſô plenè monachorum ſchemate Canonici fierent, de Turonenſibus conqueritur Carolus M. in Epiſtola ad Alcuinum, quòd ipſi tam variatam formam præſeferant, ut cujusnam genuinæ Profeſſionis ſint, vix ſciri poſſit, *aliquando enim*, inquit: *monachos, aliquando neutrum vos eſſe dicebatis.* Scilicèt aliquandò ſe monſtrabant, quales in re erant monachi, aliquandò ſe fingebant Canonicos, id eſt, quamvis non à votis attamen à reſtrictionibus monachicis ùt plurimùm liberos, aliquandò verò neutrum ita, ut planè eva-

Apud Bol. t. 1. Martii f. 141. n. 2.

Epiſt. ad Alcuin. t. 1. Capit. Baluz.

garentur tanquam *acephali*, & *Clerici vagi*, ùt loquitur Concilium Moguntinum Can. 22., *qui neq; ſub Epiſcopo, neq; ſub Abbate eſſent ſine Canonica vel regulari diſciplina.* Quales multos tunc quóque exſtitiſſe illorum temporum abundè hiſtoriæ proclamant: demum Turonenſes ad normam Canonicam rejectâ cucullâ tranſierunt, quam eis maximè occaſionem ſuppeditaverit convictus ille aſſiduus cum Canonicis, eò faciliùs iſtorum conſuetudini ſe conformantibus, quòd in ſubſtantia votiva aliunde non diſconvenirent: ſanè cùm toties legamus integras turmas monachorum Canonicum inſtitutum Sæculô octavô nonôque ſuſcèpiſſe, tum maximè id factum ratio ipſa convincit, quòd ſecundùm inſtituti religioſi ſubſtantiam agnoſcerent Epiſcopi monachorum inſtitutum à Clericali, aut ſolummodò in ritu, ac qualitate, id eſt, in gradu, aut in *ſolemnitate* votorum *ſimplicitatéque* diconvenire, ex quo ſatiùs omninò judicabant habere ex monachis Canonicos quàm omninò votifragos, vagos, omníſque diſciplinæ expertes, vel planè apoſtatas. Néque aliàs crederem tam facili licentia à majoribus id fore conceſſum, ut ſcilicet homines monaſtici inſtituti impatientes mox ab omnibus votis ſolverentur, & in Canonicos, ùt vocant, ſæculares transmigrarent. Idque ſæpè ſine authoritate ipſius quóque Diœceſani.

De his verò Canonicis cum monachis commixtim cohabitantibus, quamvìs jam multa Cap. 1. hujus partis dicta ſint, illud inſuper diſſerendum cenſuimus; colligi non difficulter poſſe, quô pactô ipſum quóque nomen Canonici monachis non rarò adhæſerit, immeritò id quidem, attamen ùt ſæpiùs conſuetudines fuerunt, quæ in ortu aut modicam aut nullam ſui rationem habent, inde verò etiam jus legis mereri poſſent: nempè quod ſuperiùs Carolus ex parte innuebat de Turonenſibus, aliquandò Canonicos, aliquandò monachos ſe eſſe dicentibus: ſed hæc iſthìc ſolùm attigiſſe ſufficiet, cujúſque intereà prudenti ſenſui definire relictum ſit, quâ id conſuetudine, aut jure factum, ut quidam ſe Canonicam regulaem S. Benedicti, in libro etiam typis vulgatô ſcriberet: memini equidem cum Siciliæ Sacræ Notitiam de monte regalenſi legendo percurrerem, tum me Canonicos regulares ibidem S. Benedicti reperiſſe, ſed cùm id authoris potiùs libertate, quàm cujusquam aut inſertæ Pontificum Bullæ, aut aliarum litterarum teſtimoniô factum adverterem, concluſi, quandoquidem ex antiquiſſima inſtitutione monachis Clerici adjuncti fuerint, quos poſteritas etiam aliàs Canonicos vocat, inde nomen iſtud fotuitò potiùs quàm juris inquiſiti meritô ex Authoris hujus Calamo effluxiſſe. Quod igitur nomen noſtris temporibûs quidam monaſtici Ordinis alumni ſibi vendicant faciliùs olim fieri potuit, cùm monachi ipſi Canonicorum inſtitutum arriperent, ut jam monachi, jam Canonici, aut audirent, aut dici quóque appeterent. Cæterùm forſan id nomen quóque ſæculô jam octavô monachis acciderit, cùm Clericalem cantum miro ardore, ac ſtudio non addiſcerent modò, ſed & egregiè planè alios docerent, ita quidem contigit, ut hujus artis periti Canonicorum nomine monachi dicerentur. Unde Anaſtaſius Bibliothecarius de An. 828. in Gregor. 4to verba faciens ait, eundem juxta latus Eccleſiæ S. Calixti trans Tyberim monaſterium à fundamentis ſtatuiſſe, in quo, inquit, *etiam monachos Canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent, laudéſque Deo diu, noctúque intimo cordis ſpiramine decantarent.* Sed hæc monachis attributa Canonicorum nuncupatio, non eam vim ha-

Vid. Leonard. Vairo in opere ſuo de Faſcino.

De Vitis Pont. in Greg. 4to.

habuit; ut iis quóque jus Canonici inſtituti arrogaret, aliud enim eſt Canonicum ob cantum, vel matriculam, aliud ob Ordinis rationem nominari, prout cuíque perſpectum eſt, nec quisquam ideò ſibi jus inſtituti alicujus vindicabit, quòd nomen appropriet. Certè & Clericos olim dicebant pueros parvulos, ſeu ſcholares, qui cùm primis erudiebantur rudimentis, jam Clero aſſociebantur, à quo tamen úsque ad an. 18. ætatis jus eis erat relicto Clericatu in ſæculum remeare, ùt aliàs diximus. Adeóque ſi nomen Clerici meruerant tales, profectò id non venit ex ſignificatione nominis, quâ Clericus ſors, & hæreditas Domini nuncupatur, niſi in ſenſu valde remoto, id fortè neque de monacho aut quocúnque Religioſo abnuemus.

Vide Thomaſſ. diſcip. Eccl. P. 2. L. 1. C. 88. n. 10.

Hæc verò omnia quæ hactenùs de Canonicis inter monachos conviventes retulimus, id præcipuè ad præſentem quæſtionem conferunt, ut imprimis appareat, quo uſu hoc nomen paſſim antiquis temporibûs viguerit; & ſicut illud principaliter ad Clericum votivè viventem denotandum inſtitutum erat, ſic tamen illud non omninò, ac ſemper ſolùm hunc deſignabat, cùm paulò pòſt eòdem multi ad remotiora ſignificanda uterentur, maximè autem id factum, ubi jam affatim, ſicut in monachiſmo vita Canonica, ita in hoc privata ſe inſinuabat proprietas: quemadmodum ergò ſæculò ſextò relaxatio prima Cleri adjiciendum Clericis votivis cauſavit nomen Canonici, ſic ſæculis poſterioribûs, eadem libertas imponebat Canonicis vocabulum *Regularis*. Prout de hoc parte ſequenti latiùs diſſeremus. Quamvìs non obſtante hac novi nominis reſtrictione, ſemper quodammodò primo in vigore Nomenclatura utriusque remanſerit; ut ſe ſolò apud Scriptores adhuc Clericum votivum innueret. De Canonicis ſuperiùs jam hanc in rem teſtimonia dedimus, de Clericis exſtat ex pluribus (quæ brevitatis causâ intermittimus) manifeſtum Sæculi undecimi teſtimonium, dum vitæ S. Anſelmi Lucenſis coævus Scriptor narrat, quô modô hic zeloſiſſimus Epiſcopus *Diœceſin ſuam diligenter circuit, vitam omnium præſertim Clericorum dignoſcere gliſcit, & ut omnis Clericus ſui nominis compos exiſtat, paternè monet, multúmque deſiderat, ſic enim eruditiſſimus Doctor Hieronymus vitam deſcribens Clericorum, ait, quòd à ſorte Dei Clericus dicitur, ſcilicet ut abjectô mundi hujus impedimentô, nihil præter Deum ſortiatur &c.* Prætereà profuit monſtraſſe, quì monachi in Canonicos deſciverint, non tamen votivam vitam abjecerint, id in Martiniano Turonenſi, id in Dyoniſiano Remenſi, aliíſque compluribus non difficulter declaratur, qui quamvìs cucullam, veſtitúmque monachilem rejeciſſent, aſſumptô Canonicô habitu, non tamen demonſtrari poteſt votivæ quóque ſeu religioſæ vitæ nuntium dediſſe. Cùm enim Turonenſes illi monachi teſte Mabillione annô 818. inſtitutum Canonicum ſuâ authoritate aſſùmpſerint; ita quidem, ut Carolus M. hanc ab ipſis attentatam mutationem ſtomacharetur litteris deſuper datis, & ſubmiſsô Alcuinô Virô Canonicô religioſiſſimô, qui eos ad juſtum tramitem reduceret, hic eosdem non ad monachiſmum reſtituit, ſed in aſſumpto Canonico inſtituto ſtabilivit, atque illud ſolùm conatus eſt, ut in hoc religiosè conſervaret. Nunquam id feciſſet Alcuinus, nunquam diſſimulaſſent Epiſcopi tale quid in monachis, quod adeò incuſabant, imò reprehendebant in Canonicis: ut ſcilicet à monachatu, vitáque tam ſtrictè votiva mox ad ſæcularitatem tranſilirent, hoc enim in re eſſet apoſtatare ab ordine, quod in monachis non eſt credibile, ut tam li-

Apud Boll. 18. Martii Cap. 1. in vita S. Anſelmi Ep. Luc.

Annal. Bened L. 28. n. 87. & ſeq.

Digitized by Google

berè diſſimularet Eccleſia, votis ùt plurimùm jam ſolemnibus adſtrictis, quibus ſupra modum in eo conniviſſe ſuffecerit, ut ſolennitatem votorum ſimplicitate (qua tum Canonici ſolùm ligabantur) commutarent. Nunquam denique tam pronè admiſiſſet zeloſiſſimus Ludovicus; niſi perſpicuum fuiſſet, eos tantummodò à ſtrictiori ad remiſſiorem Ordinem, votivum tamen, adeóque adhuc Reliligioſum transmeare. Et quis credat, hunc piiſſimum Principem adeo Ordini S. Benedicti affectum (velut ipſe Mabillio teſtatur) tam gratanter hanc noxam remittere potuiſſe his Sant-Martinianis, ut adhuc viventem ipſum Fridegiſum Abbatem, qui eos ad iſtam mutationem induxerat, liberrimô privilegiô donaret, accumularétque gratiis ampliſſimìs, ne quidem ùt monacho adhuc conceſſis; niſi id unum Ludovici conceptam indignationem temperaſſet, quòd adhuc inter limites Religioſi inſtituti conſiſterent, & fortaſſe moderatiùs viverent in diſciplinâ Canonicâ, quàm antea diù in monaſtica? Simile quid factum narrat idem Annalium Author cit. librô, ac numerô in S. Audomari Monaſterio, de quo & Folquardus ſæculi undecimi Scriptor. *Fredegiſus* inquit *in S. Audomari Monaſterio ubi regulariter viventes aderant quadraginta Monachi, triginta Canonicos ibidem ad ſerviendum deputavit in miniſterio Chriſti. Et quia Canonicus erat in S. Audomari monaſterio ſæculariter vivebat.* Ubi eruditè Sammarthani obſervant, hanc vocem *ſæculariter* apud veteres idem dixiſſe, ac non *monaſticè*, quod adverti vellem ab iis, qui, ùt primùm legunt monaſterium aliquod prioribûs Sæculìs à Canonicis *ſæculariter* viventibus aut etiam ſæcularibus inhabitatum, mox ad normam noſtram atque modernam *ſæcularitatem*, hoc vocabulum interpretantur, cùm intereà per illud non aliud intenderent innuere veteres Scriptores, niſi remiſſiorem & à monaſtica ſolitudine diſtinctum vivendi modum: hinc toties quóque monachi, *ſæculares* apud eosdem memorantur, ùt ſuperiùs poſuimus exempla. Hæc vox *ſæcularitas* igitur Canonicis non rarò addita neutiquam denotabat iis temporibûs plenam votorum in talibus abolitionem, ſed liberiorem, & ùt plurimùm ſecundùm poſteriorem regulæ Aquisgranenſis partem, eorundem obſervantiam; donec demum inductâ ſeverioris votivæ vitæ tempore Innocentii 2. in vitam Canonicam Epochâ, ſæcularitas Canonicis addita verè, ac propriè diſcerneret, quoad expropriationis plenam dimiſſionem, hos ab aliis, quos ideo Regulares dicere cæperunt. Neque hæc à nobis aſſerta tanquam fluctuantis opinionis effugia ſunt, ſed neceſſariò adducenda, ad conciliianda, quæ aliàs ſibi invicem contradictoria orirentur: Canonici enim ſub Aquisgranenſi regula militantes, quàm injurioſè inter abſolutè ſæculares reputentur, nemo non videt, præterquam ſi eos reſpicias, qui hanc ipſam undecimô ſub ſe quóque Sæculô adeò corruperunt, ut non ſolùm è priori parte ſermones S. Auguſtini & quidquid expropriationem præciperet, amolirent, ſed & ſecundam in ſuæ libertatis tutamen ſiniſtrè planè interpretarentur: prout ſuperiori parte diſcurrimus. Nam ubi regula illa dicit: *Quamquam Canonicis, quia in ſacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia habere, quod monachis, qui ſecundùm regularem inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, penitùs inhibitum eſt &c.* Dum nihil aliud reſolvit per hæc verba (ſi tamen textus genuinus eſt) niſi Canonicis licere proprias res cum humilitate habere, dare & accipere ſecundùm gradum paupertatis inferiorem, cùm monachi obligentur ad ſupremum, quidam

mox

Loc. Cit. L. 29. n. 66.

Gall. Ch. t. 3. in Eccl. Audom. p. 489.

Cap. 115.

P. 1. Cap. 1. n. 5. §. at enim & illud.

mox commentati fuêre, hanc licentiam pro abſoluto, & independente jure in rebus propriis poſſidendis, quod quàm injuſtè huic contextui affingatur, ex capite mox præcedenti liquet non ſolùm, ſed & ex ipſô uſu: cùm experiamur hodierna die adhuc dari quosdam Ordines religioſos, qui in hoc paupertatis gradu verſantur, velut ſunt aliquot Ordines Equitum &c, ſi igitur noſtris temporibûs non licet arguere, hic cætus DEO militantium habet jus diſponendi, poſſidet proprias res, donat, & accipit ſecundùm libitum, ergò non poſſunt eſſe Religioſi: Quantò minùs, id licebit dicere de temporibus illis, quibûs ſcimus in Religioſum Statum eam reformationem & votorum ſolennitatem, quæ vel maximè rerum uſum, poſſeſſionémque ligavit, necdum generaliter, ùt hodie, fuiſſe inductam: unde quamvìs talis per Aquisgranenſem regulam licentia dandi, poſſidendi, & accipiendi, latiſſimam, ad relaxationem, portam aperuerit, quod nunquam negabimus: non tamen inde, niſi jurium Eccleſiaſticorum imperitis, & graduum paupertatis planè ignaris inferre convenit, omnes Aquisgranenſi regulæ addictos fuiſſe ſtrictè loquendo ſæculares; ſed ad ſummum tales nonnunquam nuncupabantur, quòd aliquantùm exorbitarent à lege, id eſt à Canonibus aliunde diſcretione plenis. Hinc modô iſtô pariter ſæculares crediderim nominatos ab Othone ſecundo Imperatore in privilegio Epternacenſibus monachis dato An. 980. dum ait monaſterium illud cujusdam Carlomanni invaſoris temeritate violatum eſſe, *monaſticâ videlicet vitâ normâ deſtructâ & Clericis ſæcularibûs intromiſſis.* Hi enim Clerici ſeu Canonici, ùt eos Ottho primus in privilegio ſimili An. 871. dato vocat, cùm nimium liberè, & diſſolutè viverent, jure ſibi à piiſſimo Principe hoc nomen promeruêre, quô fortè, vehementer metuo, ne & noſtra ætate quidam Religioſi licèt graviorî votorum vinculo, quàm veteres illi Canonici conſtricti, eſſent afficiendi. Cæterùm de nomine *ſæculari* Regularibus attributo, plura alibi egimus. Denique hæc deductio declaravit ſolidè, quâ viâ hoc nomen Canonicum etiam quandóque monachi ſibi aſciverint, quod licèt aliquandò factum ſit, illud tamen inſtituto Clericali nihil præjudicaverat. De reliquo parùm intereſt, an tali adhuc Nomenclaturâ quidam ſe intitulent; fortè non ignotum factum Cerilli nomen ſuum immutantis (ut jus fiſci imperialis fugeret) & alterum *Laches* aſſumentis. Cum quo ſic luſit Veſpaſianus. *O Laches*, inquit, *ubi objeris rurſum eris Ceryllus.* Dicendum nunc de altera *regularitatis* nuncupatione eſſet, quæ præcipuè à Sæculo Nono ac deinceps cæpit Canonicis adjici, verùm quia de hac quidquid ad usque illam generalem reformationem Canonici Ordinis dici potuiſſet, mox Capite priore diſcuſſimus, ad ulteriora procedendum eſt.

Apud Mir not. Belus p. 655. C. 28.

Ibid.

Apud Suetonium.

5.

Aliorum nominum Clericis votivis ſeu Canonicis conſuetorum ſecundùm temporum diſcrepantiam, ratio inquiritur, uſúsque demonſtratur.

Cùm ex origine ſua Clerici, Canonicivè ſemper eſſent membra Epiſcopi, & cum eo unum corpus conficerent, ſemper iſti huic coadunati fuerant, ut (quantùm ſcilicet fieri poterat) nunquam omnia membra ab ipſo Capite divellerentur, hinc priori parte demonſtravimus, etiam primis Sæculis nunquam adeo congregationem ſeu communem illam Clericorum ſocietatem tyrannorum perſecutione fuiſſe diſſipatam, quin, ſaltem aliquot Clerici, qui ad congregationem apoſtolicam formandam ſufficerent, Epiſcopo per diu adhærerent, id in Cypriano Epiſcopo Carthag: Stephano Romano Pontifice aliisque comperimus: quamvìs verò non eſſet tunc hæc ſocietas intra ea murorum habitacula perſiſtens, quæ ſucceſſu temporis Clericis cum Epiſcopo ampliſſimâ non rarò ſtructurâ ædificabantur. nec no-

Digitized by Google

nomina illa Cathedralium aut Collegiatarum Eccleſiarum ſtatim primis temporibûs uſurparentur; habebant tamen ipſi domicilia ſua religioſa, atque ad virtutem operandam commodiſſima, de quibus pariter locô præfatô egimus. Poſt ſuſceptum â Conſtantino Imperium & implantatam (pleno jure ejusdem, ac beneficiô) religionem, tunc cum magnificentiſſimis Eccleſiis Epiſcopales quóque ædes ſurrexerunt, in his cum ipſis Præſulibus Canonici habitabant in uno convictu, atque ſocietate, proùt id ex eorum biographis affatim elucet. Imò declarant & ipſi Canones, ita quidem, ut dum fortè quibusdam Epiſcopis minùs liberet conſortiô ſuorum Clericorum perfrui, mox in contrarium cautum fuerit: ideo definitum legimus in Concilio Toletano 4to *Ut excludatur deinceps omnis nefandæ ſuſpicionis occaſio, & ne detur ultra ſæcularibus locus obtrectandi, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum converſationis & vitæ in conclavi ſuo habere, ut & Deo placeant per converſationem bonam, & Eccleſiæ per optimam famam.* Erant igitur in ipſo Epiſcopi Domicilio manſiones quoque Clericorum, præcipuè Presbyterorum, & levitarum, velut id præclariſſimô vitæ communis ſtudiô Auguſtinus Hyppone, Aurelius Carthagine, Alipius Tagaſte &c. conſtituit, erántque hi & converſationis Epiſcopi ſocii, & vitæ teſtes. Sed ne iſti quoque à regulari hac ſocietate ſe de facili ſepararent, ſuper additum decretum eſt, quod inquit: *ſimiliter placuit, ut quemadmodùm Antiſtites, ita Presbyteri, atque levitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis gravitas in Conclavi Epiſcopi manere non ſinit, & iidem in cellis ſuis teſtes vitæ habeant, vitámque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.* Itaque ex his paucis quidem teſtimoniis ſed ſufficientibus (cùm plurima adhuc ſuppetant, ſi rei per ſe dilucidæ opus eſſet, quidpiam ſuperaddere) docemur, communem vitam in Clero cum Epiſcopo conjunctò antiquiſſimis temporibûs viguiſſe. Erant verò, ut Congregatio talis regulariter imbueretur, certa officia Secundùm ordinem diſtributa, quibus æquiſſimô modô Clerici gaudebant non minùs quàm unquam monachi, nos, ne nimiùm excurramus, omiſsis (quæ curam miniſterii divini immediatè reſpiciunt) conſiderabimus ſolùm, quæ ob regularem vitam ordinandam conſtituta fuêre.

Circa ann. 597. Can. 21. 22. & 23.

Primum itaque quod poſt munus Epiſcopale occurrit, eſt, officium, ſi noſtræ ætati accommodè loquamur, *præpoſiti*, de quo Ebbo Remenſis Archiepiſcopus de miniſtris ſuæ Eccleſiæ ſequentia: *hunc*, inquit, *decet cura interior, ac exterior, exterior in rebus, & familia ſalvandis, atque ſecundùm Deum gubernandis ſumma cum intentione & pietate & benevolentia: ibi etiam conſiſtit omnis nutriendi induſtria cuncta proficua ingenia: laborandi in agris, in Vineis, in ſylvis, in hortis, in diverſis emptionum generibus procurandis providè, inſuper & de qualitate neceſſaria ædificiorum, ſivè quantitate. Interior verò ſolicitudo ejus eſſe debere manifeſtum eſt diſpenſatio fratrum publica, honeſta, diſpoſita in victu, & potu, ſine omni ſubſidio corporali, quod adminiſtrat divina pietas &c. cui non minor patet etiam alia diſpenſatio neceſſaria in infirmis & ſenibus, pro diverſitate uniuscujusque neceſſitatis, ſequitur autem hinc ſtudium omnem ornatum corporalem, ac ſpiritualem continens fratrum: corporalem primùm in Clauſura, inde in refectorio, & in dormitorio, in Cellario, in coquina, ſive in cunctis habitationibus neceſſariis &c: ſpiritualem verò Zelum talis miniſter veræ religionis habere debet ſanctæ converſationis, nocte, ac die Canonicis partitis in horis, correctionem morum per gravitatem, lévitatis motum deprehendens, vaniloquium ſecretis in locis & horis ſuo rigore omninò depellens, omnes negligentias omnium publi-*

In Bibl. PP. ad Indic. Flodoard.

Nomen Præpoſiti antiquitùs cultum apud Canonicos votivos.

Digitized by Google

blicè deprehenſus in Capitulo omnium fratrum judiciô puniens his modis: id eſt, aut carcere: aut ſeparatione menſæ, ſive in omnium verberum diverſitate. Cujus etiam prudentiſſima circumſpectione Decanus ſibi ſuppoſitis invigilare debet. Patet ex hoc Ebbonis contextu officium Præpoſiti Sæculô nonô in Eccleſiis Canonicorum conſuetum, neque dubium ex origine ſua, has obligationes, functionéſque præpoſituræ officio fuiſſe proprias. Aliud tamen eſt, quod quæſtionem urget difficiliorem; quô nempè tempore Præpoſiti nomen ſe ſe apud Clericos inſinuaverit? putant enim quidam, & nomen & officium primùm ab ipſis monachis fluxiſſe in Clericos, ídque Pipini, ac Caroli M. temporibûs, hoc eſt, Sæculô Septimô. At diù illud jam antea in Congregationibus Clericorum conſtitiſſe: quamvìs non eâ, quâ deinceps prærogativâ, cùm olim non præpoſito, ſed Presbytero, aut ſtrictiùs loquendo Archipresbytero prima poſt Epiſcopum authoritas concederetur) demonſtramus ſequentibûs argumentis.

Vide Thomas P. 1. L. 3. C. 66. n. 1.

6. *Presbyter quid in ſocietate Clericali.*

Primò quidem de Presbytero agendum: de hoc Hieronymus Ep. 83. *apud veteres*, inquit: *iidem Epiſcopi, & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis erat, iſtud ætatis.* Et Paulinus ad Ruſticum: *Presbyter*, inquit, *ætatis eſt nomen, Epiſcopus dignitatis.* Ex quo patet, originem hujus nominis non ab ordine ſacerdotali derivari ſed ab ætate: ætas autem tripliciter ſumi poteſt, annorum, & morum, atque Doctrinæ: prævaluítque ſemper iſta morum alterâ annorum. Hinc Iſidorus: *Presbyteri autem*, inquit: *meritô, & ſapientiâ dicuntur, non ætate, præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione divinæ corporis, & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.* Dicti igitur Presbyteri ſunt illi, qui ſacerdotali honore inſigniebantur; primò: quòd inter omnes reliquos Eccleſiaſticos poſt Epiſcopum eſſent ſupremi, & reliquorum Clericorum ſeniores. Secundò: quòd, ùt plurimùm quóque eſſent ætate grandævi, nam, ùt inquit Baſilius: *Presbyteros oportet eſſe maturâ ætate provectos, & qui temporis prolixitudine evaſerint multarum rerum cognitione periti.* Tertiò: ſi demum tanta annorum ætas deeſſet, recuperanda ea erat morum ſenectute, imò longè rigidiùs iſta expetebatur, quàm illa, nam mox ibidem Baſilius: *ſicubi tandem comperietur ſenilis ſenſus, & prudentia in ætate juvenili, donum hoc haud quaquam aſpernabile, imò fides habenda eſt ei, qui dicit: Canities autem eſt prudentia in hominibus. Ea enim ſenectus prudentia ac ſenſuum, laudem promeretur ampliorem tantò, præ eo, qui ad crinium alborem per ſenilem conſtantiam pervenit.* Quod ergò nomen ſacerdotiô inſignitis dabatur ob ætatem ſeu annorum ſeu morum, eam ſimul deinde prærogativam ſibi Presbyteri vendicabant, ut eſſent in clero poſt Epiſcopum ſeniores, & cùm in una ſocietate Clericali congregata reſpectu inferiorum ordinum eſſent pauciſſimi, illis ùt plurimum incumbebat cura, & directio reliquorum; auctô verò ipſorum quóque numerô, tum primùm poſt Epiſcopum regimen ſeniori ex Presbyteris obtingebat. Atque hinc Archipresbyteri nomen primùm innotuiſſe videtur, nam apud græcos notabantur πρωτοπρεσβυτερον id eſt, protopresbyteri, & quamvìs totum nomen archipresbyteri ſit græcum vocabulum, nunquam tamen iſtô, ſed illô græci utebantur ad rem meliùs, ùt videtur, ſignificandam, cùm propriè proto-presbyter ſit Primus Presbyterorum, & Archi-presbyter rem aliquantùm exaggerèt, *Archos* enim *principem* non tantùm *primum* connotat. Quô autem fatô hæc potiùs vox, quàm illa à latinis aſſumpta ſit deſignando ſeniori

Epiſt. ad Ruſt. de 7. grad. Eccl.

De offic. Eccl. L. 2. C. 7.

In Cap. 3. Iſa. p. 491. Col. 1. C.

Digitized by Google

niori, ac primo Presbyterorum, haud quaquam comperitur. Cæterùm aſſumebatur ad Archipresbyteratum, non ſolus ille, qui jure ætatis, aut ordinationis inter Presbyteros primum locum occupabat, ſed ſæpè talis quóque, qui ætate junior, meritis verò & prudentiæ diſcretione cæteris prævalere cenſebatur, eorum verò officium erat, vices ſuſtinere Epiſcopi. Unde Iſidorus *Archipresbyter*, inquit, *ſuper omnes Presbyteros in ordine poſitos curam gerit, & aſſiduè in Eccleſia ſtat, & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus miſſarum ſolemnia celebrat &c.* Breviloquus autem apud Cangium, hôc verbô, dicit: *Archipresbyter princeps Presbyterorum vel qui ſupra Clericos in aliqua Eccleſia habet aliquam jurisdictionem Eccleſiaſticam &c.* Hoc certè Archipresbyteratûs munus videtur Auguſtinus à Valerio obtinuiſſe, cùm ab eo ordinatus eſt Presbyter: imprimis enim ipſe Sanctus ait Ep. ad Valerium, *vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum, ---- ut ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Hic ſecundus locus Auguſtino traditus plus profectò dicit, quàm ſolius presbyteratûs ſimpliciter accepti officium, quales tunc plures erant, ùt patet ſermone 2. de vita Clericorum: ſecundum autem officium ab Epiſcopo videtur inſinuare S. Hieronymus. Scribens ad Ruſticum Epiſcopum: *ſinguli* inquit: *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis Ordo* Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus innititur, itáque juxta S. Hieronymum ſecundum locum in Eccleſia occupant Archipresbyteri, quem ſe obtinuiſſe Auguſtinus teſtatur: *ſecundus locus*, inquit: *mihi gubernaculorum traderetur.* Neque refert, eum non dici à Poſſidio Archipresbyterum, frequentiſſimum enim id temporibus illis fuit, ut

Archipresbyter quid? & quis hujus nominis uſus?

In Ep. ad Leudefrid. Epiſ. Cordub.

à communiori & notiori vocabulo nuncuparentur: quoties Epiſcopi ſimplici ſacerdotum nomine veniebant? quod in pluribus litteris Auguſtini palam eſt. Præterea, ſi ad nomenclaturam tam ſtrictè rem affigeremus, haud crederem ullum in Africa Archipresbyterum exſtitiſſe, quia omnia opera Auguſtini ſcrutaturo, hoc nomen nunquam occurret, ubi tamen certum, eos neque Carthagine, neque Hyppone in Eccleſia Cathedrali, aut certè parochiali defuiſſe. Ideò in Concilio Carthag. an. 398. Can. 17. dicitur: *ut Epiſcopus gubernationem viduarum & pupillorum, ac peregrinorum non per ſe ipſum, ſed per Archipresbyterum, aut Archidiaconum agat.* Præcipua verò cauſa eſt raró uſitati hujus nominis, quòd hoc archipresbyteratûs officium contingeret inter Presbyteros ſeniori. Unde facilè nomen Presbyteri etiam ùt Archipresbytero ex vulgi conſuetudine perdurare potuit. Interèa tamen factum (id obſervante Liberato Diacono Carthag.) ut *ea dignitas daretur ab Epiſcopo causâ meritorum, adeóque etiam Ordinatione juniori*, ùt mox diximus. Quod ſanè Auguſtino obtingere potuit in ſuæ doctrinæ & notiſſimæ ſapientiæ jam tum undique elucentis præmium. Addamus, quod ad rem noſtram Thomaſſinus ſcribit: *ſi* inquit: *Eccleſiæ Cathedrali ordinatione ſua addicebantur Presbyteri ---- ut ab Epiſcopo tanquam Vicarii adhiberentur ad opus quodlibet: erat profectò Archipresbyter Epiſcopi, quaſi Vicarius generalis, & veluti proprius ejusdem Cathedralis Eccleſiæ parochus, quæ ſola ſæculis aliquot in Epiſcopali civitate fuit Eccleſia.* Ex quibus verbis, ſi officium Auguſtini per Presbyteratum ſibi commiſſum componas, habebis in eo, perſpiciésque plenum, perfectúmque Archipresbyterum, etſi, ùt diximus, nunquam talem cognominatum: habebis & cauſam, cur nomen ei ſo-

Vixit hic Liberatus circa An. 570. Scripſit Breviar. hiſt. Neſtor extat. tom. 2. Conc. Lab.

Diſcipl. Vet. &c. P. 1. L. 2. C. 3. n. 13.

Digitized by Google

ſolius Presbyteri adhæſerit, utpote, cùm ſimul Parochus eſſet loci, taliſque communi aliàs uſu Preſbyter diceretur. Tale quid etiam in Conc. Carth. 3. Can. 17. reperitur: dum mandatur, *ut Clerici in aliena civitate non immorentur, niſi cauſas eorum juſtas Epiſcopus loci, vel Presbyteri locorum prævideri̇nt.* Ubi vides Clericis dirigendis præfectos alios Archipresbyteros hìc Presbyteros dici. Hinc quæ de Presbyteris ſummatim hìc diſputavimus, ad ipſum in re Archipresbyterum devolvuntur, velut ſunt, quæ initiò ex Hieronymo, Paulinóque adduximus. Et dicebatur communiter in ſocietate, tanquam antonomaſticè Presbyter, ille, qui reliquis Clericis in cura ſpirituali plenô jure ab Epiſcopo ſibi transfuſo præfectus erat. Habebat, ex liberalitate Valerii Auguſtinus Presbyter factus monaſterium Eccleſiæ Cathedrali contiguum: Nam teſte Poſſidio mox, ùt Presbyter factus eſt, monaſterium, & quidem juxta S. Thomam (qui certè tale quid ſine ſolido fundamento veritatis ſcripſiſſe non eſt arguendus) *Clericorum intra Eccleſiam* (id eſt, intra muros ſeu limites Eccleſiæ adeóque ipſi Eccleſiæ Cathedrali, ùt dixi contiguè) *inſtituit, cum quibus vivere cæpit ſecundùm modum & regulam ſub S, Apoſtolis conſtitutam.* Quia itáque cum ipſis vixit, non poterat monaſterium ab Eccleſia diſſitum eſſe, eò quòd Auguſtinus tanquam Parochus, & Valerii Vicarius ſemper ſtare debebat, id eſt, præſens eſſe, in Eccleſia, & quia ſimul illorum in ſuo monaſterio congregatorum curam agebat, erat pariter illorum Archipresbyter, ùt patet ex Breviloquo. Quia verò omnis occupatio viri ſanctiſſimi erat in ſupplendo ſui Epiſcopi ſpirituali negotio, ad quod ſe ideò aſſùmptum noverat, ùt colligitur ex eodem Poſſidio dicente: *quòd cùm Valerius flagitante Eccleſiaſtica neceſſitate, de providendo & ordinando Presbytero civitatis Deo plebem alloqueretur, & exhortaretur, jam ſcientes Catholici S. Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu injectâ tenuerunt &c.* Hinc talis neceſſitas, non erat qualiscúnque Presbyteri (dabantur enim complures) ſed talis, cui ſarcinam laborum ſuorum Valerius imponere poſſet, hoc eſt, quem Vicarium ſuum conſtitueret, qualis non alius niſi deſcriptus à nobis Archipresbyter erat. Neque ante ſæculum ſextum dignitas & jurisdictio Archidiaconi adeò præcellebat Archipresbyterum, velut deinde factum eſt. Cùm enim prioribûs quinque ſæculis nullam jurisdictionem obtineret in Presbyteros (qualem deinde ampliſſimam conſecutus eſt) ſed ſolùm in Diaconos, & inferiores Clericos, hinc quóque videtur eum non ſolùm ordine tunc, ſed & jurisdictione fuiſſe Archipresbyteris inferiorem: quamvìs diſceptare nolim, an ſaltem non in externa gubernatione præponerentur Archidiaconi Archipresbyteris, in qua illi iſtis longè præferebantur, nam cui diſſidium illud inter Presbyteros, & Diaconos tempore Anaſtaſii I. PP: circa annum 400. cognitum eſt, ſciet facilè de aliis ad hanc rem concurrentibus ſuum ferre judicium, quod ad nos non pertinet, qui monſtravimus ex Breviloquo Archipresbyteri jus non ſolùm in Presbyteros, ſed & in Clericos reliquos Eccleſiaſtica jurisdictione ſe ſe tempore S. Auguſtini extendere potuiſſe.

Poſſid. in vita S. Aug.

In offic. de S. Auguſt. ab eodem Angelico Doct. compoſito Ant. 3. ad Laud.

Thomaſſ. P. 1. L. 2. C. 19. n. 12.

Hìs jam de Presbitero, ſeu, ut preſſiùs cum Canoniſtis loquamur, Archipresbytero animadverſis, reſtat, ut de præpoſitis quæſtio recurrat, an hi ſæculô 4tô, 5tóve inter Clericos comparuerint. Certè officium iſtud conincidere in multis cum eo, quod olim fuerat Archidiaconorum, cuíque conſideranti perſpicuum fiet: olim, inquam, id eſt, cùm eorum juris-

riſdictio in Clerum reſtringeretur, ac primum penè Archidiaconi munus eſſet Cleri curare temporalia, ſolúmque inferiorum Clericorum curam attendere. Opinor autem ſicut Archidiaconorum, ita Præpoſitorum præeminentiam, ac jurisdictionem per annos creviſſe, tale erat tempore Ebbonis Præpoſitorum jus, átque poteſtas in ſubditos Canonicos omnes tanquam plena jam ſuperioritate (dependente tamen ab Epiſcopo) extenuatâ. Verùm, ùt dixi, priſtinis Sæculis hæc authoritas nec Archidiaconis dabatur, nec Præpoſitis, & quamvis iſti Archipresbyteris non ſubderentur, hi tamen in Clerum majori authoritate pollebant, utpote Epiſcoporum immediati Vicarii, & qui jus haberent etiam Presbyteros corrigendi; quod Archidiaconis atque Præpoſitis deerat; attamen an Præpoſiti nomen in ſocietate Clericorum, ac præprimis illâ, quam Auguſtinus collegerat, viguerit? res eſt non exiguæ difficultatis: nomen Præpoſiti occurrit frequentiùs in ejusdem S. Viri operibus, ſub hac tamen notatione nunquam, niſi in ipſa regula, de qua inter eruditos diſceptatur, ſcriptáne ſit viris, an fæminis, Clericis an monachis? apud quos Sæculô 5tô Præpoſiti officium, ac nomen ſolitum fuiſſe, regulæ monaſticæ eorum temporum exhibent, apud Clericos documenta nulla omninò docent; quô unô quaſi ariete quidam illam ſententiam convellere ſe poſſe autumant, quæ regulam Clericis Scriptam prætendit.

Verùm non me iſta movent, ut aſſentiar, nomen, officiúmque Præpoſiti ad Clericos à monachis fluxiſſe, cùm exſtent antiquiſſima teſtimonia etiam illos in Eccleſiis ſuos habuiſſe Præpoſitos: meminit eorum non ſemel Cyprianus, Concilium quoque Carthaginenſe tertium Cap. 45. & quintum cap. 13. illud celebratum eſt circa an. 398. iſtud 412. neque refert eosdem non ſub ſtricta uſurpatione hujus officii, aut dignitatis noſtrîs temporibûs conſuetæ venire. Cùm id nec Sæculô 7. factum ſit, quô à quibusdam Præpoſitorum nomen apud Clericos exortum dicitur, quamvìs enim haberent quandam præter officium dignitatem ſeu Jurisdictionem in ſubditos, ea tamen erat valdè reſtricta; apud monachos quidem ſub plenitudine Abbatum, apud Clericos autem ſub poteſtate non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Archipresbyteri. memorat Præpoſitos regula Chrodegangi Cap. 10. ubi Archidiaconum & præpoſitum videtur in unam perſonam confundere, vel ſaltem æquiparare authoritatem, & eam utrinque ſic ſubdere immediatè Epiſcopo, ut ad imitationem regulæ S. Auguſtini dicat: *Quidquid per ſe juſtè & rationabiliter ſecundùm Canonicam inſtitutionem non potuerint definire, Epiſcopo* (Regula Auguſtiniana Presbyterum denominat, nam Chrodegangus de Canonicis Cathedralibus loquitur, Auguſtinus de ſuo, quod ùt Presbyter erexit, monaſteriô, non immediatè Epiſcopo ſed Archipresbytero ſubjectô) *patefaciant.* nunc autem præpoſitorum apud Canonicos regulares amplior eſt poteſtas, authoritas atque jurisdictio, pariter apud Sæculares; nam quamvís (ſicuti antiquitùs) Præpoſitura per ſe cedat Archidiaconatui, imò & Archipresbyteratui; reputatur tamen abſolutè pro dignitate Eccleſiaſtica, & noſtrâ ætate plerumque in Cathedralibus conjungitur Archidiaconatui, ùt habemus in Metropolitanâ noſtra Saliſburgenſi, aliíſque pluribus. Videatur Tamb. de jure Abb. t. 1. diſp. 25. q, 4. n. 5. &c. Pereyra Elucid. L. 1. Elucid. 10. n. 273. qui Præpoſituram inter præcipuas dignitates meritò reputat: & cit. Tamburin. tom. 3. Decis. 9. n. 4. ait Præpoſituram eandem dignitatem habere, quam habet Abbatia: excipe præpoſituras mo-

L. 1. Ep. 5. L. 3. Ep. 21. L. 5. Ep. 6. & 73.

monachorum, utpote quæ ſubordinantur Juriſdictioni Abbatum, apud quos etiam Prioratus Clauſtrales ſolent venire nomine Præpoſituræ, ùt refert idem Tamburinius. Itaque Præpoſiti jam ab antiquiſſimis temporibus in Congregationibus Clericorum reperiebantur, ut plurimùm quidem ſub nomine Archidiaconorum, non raró tamen, ùt diximus, ſub nomine Præpoſitorum; quamvìs enim Archidiaconi Officium & dignitas ſe ſe ampliùs olim extenderet, complectebatur tamen omne id, quod Præpoſituræ proprium erat. Hinc crediderim in monaſteriis Clericorum minoribus, ſeu quæ Cathedralia non erant, quale cenſendum eſt, quod ſibi propè Eccleſiam Cathedralem conſtruxerat Auguſtinus adhuc Presbyter, cùm Archidiaconi Officium in eo eſſe non poſſet, exſtitiſſe Præpoſitum ipſi Presbytero, ſimúlque Parocho, ſeu, ut uno verbo dicamus, Archipresbytero ſubordinatum, átque ideò, qui Presbyteri, & Præpoſiti in regula Auguſtiniana ſæpiùs occurrentium officia perſpexerit, ex hactenùs dictis facilè omnia combinare valebit. Succeſſu temporis ídque maximè ſæculô octavô, cùm forſaſſe augerentur onera præcipuè in viſitationibus Parochiarum Cathedrali Eccleſiæ ſubditarum, officium Præpoſiti diſcernebatur in multis Cathedralibus ab Archiaconatu, & hujus officium non minùs laborioſum erat, átque ſolicitudine plenum, ùt patet ex deſcriptione Ebbonis ſuperiùs adducta: ex quo concludo, conſeóque nomen Præpoſiti tum quidem permaximè novum uſum apud Clericos obtinuiſſe, at non tanquam à monachis emendicatum, aut priſtinis temporibus inſolitum. Certè apud Orientales ſæculô quintô & ſextô paſſim erant Præpoſiti Eccleſiaſtici, qui adminiſtrabant ſub authoritate Epiſcopi æconomiam Eccleſiæ: ut habetur in Novell. 67. §. 7. eam ergò in Occidente pariter diſponebant, aut Archidiaconi, aut Præpoſiti maximè hi (ùt dixi) in Eccleſiis Clericorum minoribus, neque tamen ſolam æconomiam, quæ in rerum temporalium diſpenſatione conſiſtebat, verùm etiam eam, quæ ſuô modô reſpiciebat diſciplinam regularem: ita, ut eorum quóque eſſet minores, atque leviores exceſſus corrigere, cæteros graviores, aut ad Epiſcopos deferre, aut ad eorum Vicarios, ipſos ſcilicet Archipresbyteros.

Exſtant S. Auguſtini litteræ ad Quintianum: in quibus, dum ab eo admoneretur ad monaſterium illos non recipiendos eſſe, qui alieni venirent, ſanctus reponit, à Concilio conſtitutum id fuiſſe de ſolis Clericis. Præterea in alio Concilio (Carthaginenſe id fuit an. 401.) ſtatutum fuiſſe ait: *ut de aliquo monaſterio qui receſſerint, vel projecti fuerint, non fiant alibi Clerici, aut Præpoſiti monaſteriorum.* In ipſo verò Concilio ſic legitur: *placuit, ut ſi quis de alterius monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in ſuo monaſterio majorem monaſterii conſtituerit, Epiſcopus qui hoc fecerit &c.* Patet igitur monaſteria iſta fuiſſe Epiſcoporum, adeóque Clericalia, non monachorum, cùm iſtis ſe non aliter immiſcerent Epiſcopi, niſi dum graviores Eccleſiam concernentes cauſæ agebantur; aut dum aſſumerentur in Clerum, neque id Epiſcopi facere poterant ſine Abbatis conſenſu. Nunquàm igitur legemus ab Epiſcopis præſtitutos abſolutè fuiſſe monachis Præpoſitos, aut Abbates primis quinque ſæculis, imò minùs illos quàm iſtos; cùm illi plenè ab Abbatibus dependerent. Igitur monaſterium, de quo ad Quintianum S. Auguſtinus haud aliud erat, quàm Cle-

Novæ edition. Ep. 64. aliàs 235.

Can. 47.

Clericorum, quod ipſe conſtituerat, & monaſteria (de quibus Concilium) intelliguntur æquè Clericorum, in quibus prohibentur aliunde venientes, ſeu Clerici ab Epiſcopis ordinari, ſeu *Præpoſiti:* ex quo habemus, etiam ab Auguſtino in ſuis Clericalibus monaſteriis conſtitutos fuiſſe Præpoſitos. Unde demum conficimus, nihil novi ſæculi ſeptimi aut ſubſequorum tempore per Præpoſitorum ſeu nomen, ſeu officium acceſſiſſe, cùm id jam in monaſteriis Clericalibus Auguſtini tempore conſuetum eſſet, & licèt admittamus (prout negari nequit) Præpoſitorum authoritatem creviſſe plurimùm, nihil tamen ea ideò in inſtituto Clericali votivo quoad ſuam ſpecificam immutavit.

7. *Decanorum Nomen, ac uſurpatio, pariter & Priorum.* Decani apud Canonicos probabiliùs ſuam originem à monachis derivant, quamvis officium authoritatémque participarent hi, à monachis diverſam, & aptatam Clericis; erant, mox ùt iſti in Clero eſſe cæperant, Decani duplices, rurales alii, clauſtrales alii: illi penè affines fuerunt Archipresbyteris, iſti Præpoſitis, neque tamen niſi ſubinde hanc prærogativam obtinebant, at neque perpetuò durantem, ùt nunc videmus. Cùm verò Decanorum qualitas, prout Clauſtralium, tota cum Prioribus Clauſtralibus conveniat; hinc, ubi de his aliunde agendum actu occurrit, idem de Decanis ferendum erit judicium.

Priores itáque apud monachos illi plerúmque vocabantur, qui *Præpoſiti;* primi ſcilicèt poſt Abbates. quod nomen tardiùs utcúnque ſe apud Canonicos inſinuaverat: nam, qui apud monachos poſt Abbates *Præpoſiti*, illi apud Canonicos poſt præpoſitum habebantur *Decani*, neque genuinum hoc nomen videtur ante ſæculum octavum ad Canonicos tranſiiſſe, quamquam *Prioris* vocabulum longè adhuc apud iſtos recentius ſit. meminit Aquisgranenſe Concilium Anno 836. celebratum *Prioris* apud Canonicos hìs verbis: *Unicuique Eccleſiæ ſuus provideatur ab Epiſcopis Presbyter, ut per ſe eam tenere poſſit, aut etiam Priori Presbytero ſubjugatus miniſterium ſacerdotale perficere poſſit.* Verùm hoc Prioratûs officium non erat, niſi in Parochiis, & locis ſacris aliàs obedientiis, ac cellis, minoribúſque conventibus nuncupatis, & monaſterio, vel primævæ Eccleſiæ ſubditis, quod officium inter plures in tali loco commorantes ſubſtinebat Senior; hinc dein quóque uſus invaluit, ut ſicut apud monachos, ita apud Canonicos eadem ipſa loca dicerentur *Prioratus.* de iis verò *Prioribus*, quorum nobis quæſtio eſt, quô tempore uſuvenerint apud Canonicos, necdum reperi: antiquiſſimam quidem horum memoriam obſervo notari apud Petrum de Natali, ibidem enim legitur: quod *Pullio Martyr Prior Lectorum fuerit.* Verùm hoc ipſum nomen nil aliud, niſi Primicerium denotat, diſtinctum planè à Prioris officio noſtrô ævô. *Apud Bol. 28. Ap in vita SS M. M. Cibalitanorum.* At Regula Chrodegangi apud Dacherium *Priorem* non ſemel nominat. Cap. 12. de Portario: dum ait: *debet prætereà advenientes quóque cum charitate ſuſcipere, & Priori adventum eorum causámque nuntiare.* Cap. 18. de hora prima ibidem preces dicendas decernit, & poſt dictum verſum: *quem*, inquit; *ſequatur oratio à Priore &c.* & ibidem. *Poſt hæc, qui culpabilis eſt, poſtulat veniam, & ſecundùm modum culpæ judicium recipiat. Quisquis verò veniam poſtulat pro culpa, quantùm plùs ſe humiliat, & ſe culpabilem aſſerit, tantùm miſericorditer, ac leviùs à Priore judicetur.* Videtur ergò ſatis commodè officium *Prioris* Chrodegangus in hac ſua regula inſinuare: quamvis aliàs, & extra hanc regulam haud hujus Nominis memoria úſque ad ſæcula poſteriora contingat, dum ſci-

Digitized by Google

ſcilicet jam reformatio Auguſtiniana, eáque, ut ita dicam, ſtrictiſſima reflorere cœpit in Italia per Portuenſes, in Portugalia per Theotonium; in Germania dein per Windeſemenſes &c. intereà tamen, ſeu hoc Nomen *Prioris*, locò *Decani* in multis monaſteriis receptum, à monachis mutuatum fuerit, ſeu primigenia phraſi à Canonicis uſurpatum, adeò illud Clericis uſitatum eſt, ut etiam noſtris temporibûs nobiliſſimi Ordines utantur, nec minùs Eccleſiaſtici ſæculares: unde de eo Cap. ult. loquitur: de major: & obedient. & à Canoniſtis Prioratûs officium non inter minimas dignitates Eccleſiaſticas reputatur, ſi Clauſtrale excipias, utpote quod non habet imperium. Seu ergò in regularium Clericorum clauſtris Decanos nuncupatos legamus, ſeu Priores, ad inſtituti ſpeciem nihil omnino refert, cùm ſicut occurrit Decanos apud monachos æquè fuiſſe, ac apud Clericos, ſic Priores utrobíque dictos reperiemus, eóſque tam apud ſæculares, quàm regulares, quodſi nomen Decani, aut Prioris nullum ſæcularium Clericorum monaſterium unquam à ſtatu ſuæ inſtitutionis dejecit, nec tale quid Clericis ideò impingendum erit regularibus.

Venit jam Conſiderandum *Abbatis* nomen, ac munus, de quo ſanè multa ſcribenda occurrerent, ſed nos prolixa evitantes ea memorabimus, quæ ad præſentem quæſtionem preſſiùs concurrunt.

8. *Abbtis nomen, & uſus apud Clericos Votivos.*

Abbatis igitur nomen certum eſt jam Sæculô Sextô apud Canonicos innotuiſſe, & quaſi ipſo cum vocabulo. Non tamen hìc ſenſum Abbatis ſtrictiùs inveſtigo, ſed munus; antiquiſſimi enim temporis eſſe, ut Clerici æquè, ac monachi Abbates dicerentur, ideo, quòd aut ſenectutis honori tribueretur, aut dignitatis, utpote, quòd idem erat nomen, ac *Pater*, nemo inficiabitur: ſed officium Abbatis id prætendebat, ut qui hôc gauderet nomine, Princeps eſſet alicujus congregationis Sibi ſubditæ. Unde qui hebraicè Abbates, Græcè dicuntur Archimandritæ, latinè patres Prælati, aut ſuperiores. De quo Tambur. de jure Abb. diſp. 1. per tot. & L. fin. C. de Sum Trinit. intereà tamen ipſum Abbatis nomen ſic palmam aliis omnibus appellationibus præripuit, ut hoc ſolô & officium & dignitas Eccleſiaſtica abundantiſſimè denotaretur: plùsque indicaret, quàm qualecunque aliud Superioritatis nomen; adeò quidem, ut vel ipſi Epiſcopi Abbates dici pro honore haberent. Nam in hybernia (ùt doctiſſimè ad 17. Martii in vita S. Patricii notat Henſchenius) conſuetudo erat jam Sæculô quintô, quòd iidem & Epiſcopi eſſent, & Abbates. Maximè tamen id factum, cùm monaſteria monachorum, ac Clericorum paſſim cogerentur Abbatialem honorem cedere alienis, tum etenim non ſolùm Epiſcopi & ſæculares Clerici, ſed, quòd infeſtiſſimum, ipſi laici, milites, Principes, Regéſque Abbatum Titulos gaudentet ſuſceperunt, ut & Abbatiarum beneficiis potirentur, ac deglutirent ſubſtantiam monaſteriorum ad medullam uſque, tantô quidem titulô velut Patres inſigniti, intereà potiori jure Tyranni monaſteriorum nuncupandi, & devaſtatores. Sæculô ſeptimô ubertim invaluit, ut monachis Clerici, Canonicíve in Abbates præficerentur: Aurelium Presbyterum ipſe commendabat Gregorius M. ut *Sicubi in poſſeſſionibus Beati Petri Oratorium, aut locus, qui Presbytero vel Abbate indiget, inveniri poterit, ei debeat committi.* Erant prætereà Abbates in aulis Principum, qui Clericis ac monachis ibidem commorantibus præficiebantur. Talis erat ad finem Sæculi Sexti Ruſticus Frater S. Deſiderii Cadurcenſis Epiſcopi, qui *è primis pubertatis annis Clericus factus Archidiaconatûs officium in urbe Rhutena*, &

Comment. præv §. 1. n. 7.

L. 9. Ep. 65.

Digitized by Google

Vide ſammarth. t. 1. Gall. Chr. p. 120.

& Abbatiæ ſub Chlotario (ſecundo) *Rege adminiſtraverat* teſte Scriptore vitæ S. Deſiderii: *Abbatis*, autem, ùt notatur in Gall. Chriſt. *Palatini* munus, quod geſſit Ruſticus, erat præeſſe Clericis, ut monachis, qui divina officia perſolvebant in regio palatio, & in rebus ſacris miniſtrabant: ea enim fuit Regum noſtrorum pietas, & religio, ut in palatiis, in Caſtris etiam, divinum officium diu, noctùque cani curarent. *Viri autem religioſi, qui aut divinis laudibus concinendis in palatio vel caſtris operam dabant, aut pœnitentes reconciliabant, aut geſtabant Sanctorum patrocinia, Abbatem ſuum habebant, cui obedirent.* Hæc ibi. Sic itaque Abbates apud Clericos, Canonicóſque audiebant, qui illis præficiebantur prælati ſeu Superiores, ampliùs autem, cùm monachorum integræ congregationes ad Canonicorum mores transvolarent, eâ præcipuè occaſione ducti, perſuaſíque (ſicut ex Turonenſis Monaſterii documentis à nobis priori Capite productis liquet) quòd, cùm onere diſciplinæ regularis monachilis aliquantò duriùs premi ſe conquererentur Monachi, delicatiùs in ſæculo nutriti, utpote non raro nobiles, ac teneri, & ex parte altera viderent, in Canonicis nihil de ſubſtantia remitti religioſi inſtituti, niſi quòd hi in illis, quæ accidere eidem ſubſtantiæ ſolent, leniùs longè, mitiúſque habeantur, præterquam fini intendant altiori, facili commutatione judicarent ab uno inſtituto ad aliud tranſire ſe poſſe; hinc manentibûs iiſdem officiorum, titulorum, ac dignitatum prærogativis, ex monachis facti Canonici Abbates ſuos retinuerunt, & iſtorum tali modo prævalere conſuevit in inſtituto Canonico cum authoritate nuncupatio, illis quoque in monaſteriis, in quibus anteà Præpoſiti, Decani, aut Priores eo jure, quô Abbates monachorum ſuis in Aſceteriis imperitabant. Suberat hujus transmigrationis monachilium monaſteriorum ad Canonicos mores & alia cauſa, motus ſcilicet bellorum graviſſimi, qui loca ſacra adeò expilârunt, ut ſæpè in deſerta & omni humanâ converſatione vacua monachorum domicilia intrarent Clerici, qui dum eorum antiquas, prioréſve prærogativas noſſent, ubi Abbates monachis præfuiſſe compertum habebant, poſtmodùm ipſi hoc eodem jure ſuos ſibi Prælatos præeſſe volebant. Deniqùe præplacuit eò magis Canonicis Abbatis nomen, quò ampliori fulgebat & titulô & privilegiorum opulentiâ, qui verus Abbas inſigniebatur; quod illis temporibûs Præpoſitis non obtigit, utpote quamvìs quidam cum Archidiaconatu jam innexum haberent officium, necdum tamen, tam magnificè hujus ac Abbatis dignitas intonabat; hinc, ùt ſuperiùs diximus, Principes, Epiſcopi, Præpoſiti, Clerici, Canonici, ac Laici Abbates eſſe quærebant, diversô licèt affectu: Epiſcopi quidem & Principes non ob nominis, ſed ob quæſtûs emolumentum. De Ratisbonenſi ſede ſeu Eccleſia S. Emerami ſcribit Arnolfus: *Fuit priſca conſuetudo in Ratisbonenſi Eccleſia, ut qui Antiſtites, iiſdem eſſent & Abbates, quorum nomina quidam ob temporalia commoda tenebant, non officia.* Præpoſiti verò, quòd hôc modô ſibi altiorem gradum honoris aſciſcerent, ac fortaſſe ut ſe ſubjectioni Epiſcoporum aliquantò ſtrictiori elibe- rarent: cùm enim jam Gregorii M. temporibûs Abbates in ſuos monachos independente ab Epiſcopis directione munirentur, electio quóque paulò pòſt liberrima concederetur Abbatum, dein à Principibus terræ eximiis augerentur honoribûs, ac tandem quampiam penè Epiſcopalem jurisdictionem adipiſcerentur in ſuos ſubditos: præterquàm à ſum-

In Vit. S. Emer. L. 2. f. 125. apud Caniſ. t. 3.

mis

mis Pontificibus ſummis condecorati ſunt privilegiis, ad invidiam non rarò ipſorum Epiſcoporum. Certè in Concilio Romano Sæculô 12. habito ſub Caliſto Papa ſcimus obteſtatos eosdem fuiſſe: *nihil jam aliud ſupereſſe, quàm ut ſublatis virgis & annulis ſerviant monachis:* hæ prærogativæ & Præpoſitis Canonicorum placere poterant, ut quamvìs deinceps ampliſſimìs quóque decorarentur, ad hodiernam tamen diem Abbatis Nomen in veneratione, & affectu háberent.

Habitum an. 1122.

Cæterùm nemo inde concludet, Canonicos Abbatum titulum ſibi familiarem facientes, ad monachorum mores tranſiiſſe, etenim id de ſæculis noſtris aſſerere valdè improvidum eſſet, cùm monſtratum ſit, Nomen Abbatis eosdem pridem, id eſt, ſæculum undecimum longè præcedentibûs temporibûs affeciſſe. Quodſi verò id quis elicere conetur de ævo etiam priori, ſanè is ipſa habebit ſibi Concilia reclamantia: quamvìs enim Caroli magni ætate Canonici ſub Abbatibus vixerint, horúmque nuncupatio frequenter occurrat, minimè tamen inde ſequetur, eos monachos fuiſſe; neque documentum aliquod produci valebit, quod non apertè Canonicos ſub Abbatibus conſtutos à monachis diſcernat: ſic ſæculô octavô in Concilio Aquisgranenſi ſtatuitur: Cap. 45. *Ut Abbatibus liceat habere cellas; in quibus aut monachi ſint, aut Canonici.* Ubi vides Canonicos quamvìs monachis Abbatibus ſubjectos, attamen à monachis disſertè diſtingui. In Concilio autem Turonenſi an. 813. Canonici ſub Abbate non monacho, ſed pariter Canonico memorantur, cum expreſſo à monachis diſcrimine. *Similì modô*, inquit Canon: *& Abbates monaſteriorum, in quibus Canonica vita antiquitùs fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicitè ſuis provideant Canonicis, ut habeant Clauſtra, & dormitoria &c.* Gregorius M. ſuperiùs annotavimus, quòd quemdam è Clericis ſuis Aurelium in Abbatem promovendum commendaverit, econtra inhibuerit quóque, *Presbyteros, Diaconos, Caterósque cujuslibet Ordinis Clericos, qui in Eccleſiis quodammodò militant, Abbates fieri per monaſteria* (intellige monachorum) nam ad hoc quóque regimen Clerici quandóque aſpirabant. Sed nobis de his ſermo non eſt, at de Abbatum tituló, atque honore ad Canonicos translató, ob quem ſolùm iſti Abbates dici, & eſſe cupiebant: cùm alioquin apud eosdem idem penè operaretur Præpoſiti Nomen, niſi quòd iſtud quandam majorem, atque immediatiorem ſubjectionem Epiſcopo præſtandam involveret, à quo liberior eſſe apparebat Abbatibus Authoritas.

Can. 24.

Porrò nullum ſeu ex Prælatis ſæcularibus, ſeu Regularibus *Abbatem* ob Mitrâ, pedôque utendi jus ac privilegium nuncupari pro certo habendum, nam antiquiſſimis temporibûs Abbates exſtitère minimè mitrati, quis enim S. Antonium, S. Benedictum, Columbanum, Maurum &c. mitratos fuiſſe dixerit, niſi rerum hiſtoricarum rudiſſimus, qui ſolus pictores inducere præſumet, ut talibus ſanctis mitras, & ornatiſſimos lituos affingant: pedum autem eos geſtaſſe in ſignum regiminis ſpiritualis non abnuo, at à forma Paſtoralis Epiſcopalis longiſſimè diverſum, ùt norûut omnes periti. Abbatis nomen, & officium olim & à primæva ſua origine ſollicitudinis erat potiùs, quàm dignitatis, & honoris, ùt habet Gloſſa in Cap. tuam verſ. *non aſcendat*. Epiſcoporum verò, quibus competebat in ſuos ſubditos poteſtas *juriſdictionis*, & *ordinis*, annexâ ſimul ipſâ Epiſcopali intrinſecâ dignitatis Eccleſiaſticæ prærogativâ, officium pariter erat maximi ſemper honoris Tambur. t. 1. de jur. Abb. diſp. 20. q. 1. n. 4.

&

& excellentiæ, quapropter Pedum ſeu lituus tribuebatur in ſignum hujus excellentiæ, & poteſtatis, quantùm fieri poterat, pretioſus. At monachis, quia ſolùm admittebatur in ſignum ſuæ jurisdictionis in ſubditos ſuos, non verò ob aliquam poteſtatem ordinis, aut dignitatis, ideò certum eſt baculum eorum Abbatialem fuiſſe humilem & ſimplicem, neque ullo decore conſpicuum: patet id ex D. Bernardi Ep. 42. ad Henricum Senon. Archiepp. ubi graviter invehitur in Sui ordinis Abbates, quòd Apoſtolicis adeptis privilegiis ſibi vindicent inſignia Pontificalia: *Sanè*: inquit: vir humillimus, *ſi attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio.* Petrus quóque Bleſenſis ep. 90. *inſignia*, ait: *Epiſcopalis eminentia in Abbate nec approbo, nec accepto &c.* Et Congregatio Bruſfeldenſis teſte Renato Choppino ſuis Abbatibus his inſignibûs uti interdixit. ex quibus omnibus docemur, Abbates, uti S. Benedictum, alióſque, ſi Baculô paſtorali uſi ſunt, diverſum planè ab eo, qui Epiſcoporum erat, uſurpaſſe, neque uſpiam reperiri poteſt, inſignia aut jura qualiacúnque demum Epiſcopalia per ſe competiiſſe Abbatibus; ſolùm, quòd eorum jurisdictio major eſſet, quàm illornm qui monachis tanquam Præpoſiti, vel Decani, vel Priores præficiebantur, ùt docet Azorius L. 12. C. 20. (L. 1. tit. 1. n. 18.)

Cùm verò Abbates cum ſuis monachis quoddam in Eccleſiaſtica Hjerarchia diſcretum ſucceſſu temporis corpus ex inſtituti ſui ſtrictè ſumpti ratione conflarent à ſtatu Clericali, ùt patet ex innumeris penè Sanctorum Patrum non minùs quàm juris Authoritatibus, quibûs monachiſmus ſtrictè conſideratus à Clericatu diſtinguitur, tum quædam major poteſtas, & prærogativa ſenſim monachorum acceſſit Abbatibus. Monaſteriis Clericalibus paſſim tanquam immediati ſuperiores præſidebant Epiſcopi, at monachilibus Abbates, quorum jurisdictio in ſuos monachos eadem propè erat, quæ Epiſcoporum in Clericos, ſi ad ſummum jurisdictionem ordinis excipias. (Vide Cit. Tambur.) ab Epiſcoporum quóque ſubjectione ſic immunia declarabantur monaſteria monachorum, ut ſtatutum legamus in Concil. Carthag. (An. 535. apud Dacher Spicil. t. 1. p. 485.) *Ut monaſteria libertate pleniſſima perficiantur, ſervatis liminibus Conciliorum ſuorum, in hæc duntaxat, ut quandocúnque* (monachi) *voluerint ſibi Clericos ordinare, vel oratoria monaſteriis dedicare, Epiſcopus, in cujus plebe, vel civitate locus monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſalvâ libertate monachorum, nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans &c. oportet enim in nullo monaſterio quemlibet Epiſcopum Cathedram collocare, aut, qui fortè habuerint, habere: nec aliquando ordinationem quamvis leviſſimam facere, niſi Clericorum ſi voluerint, habere. Eſſe enim debent monachi in Abbatum ſuorum poteſtate.* Porrò quamvis abnegari non poſſit, ſuô modô Abbates Epiſcopis, ipſáque monaſteria fuiſſe ſubordinata, attamen nunquam eam jurisdictionem (demptis iis, quæ immediatè authoritatem, ac poteſtatem Epiſcopalem reſpiciunt) habuêre in monachos qualeſcúnque ipſi Epiſcopi, qualem habuêre in Clericos; hinc in dies Abbatum Authoritas accrevit, maximè dum comperiebantur Epiſcopi eâ, quâ potirentur in monachos poteſtate, ad horum penè ſuppreſſionem, & ſervitutem imponendam abuti: *Nuntiatum eſt*, inquit Canon Concilii Toletani 4. (Can. 50.) *Quòd monachi Epiſcopali imperiô ſervili operi mancipentur, & jura monaſteriorum contra inſtituta Canonum illicita præſumptione uſurpentur, ita ut penè ex Cœnobio poſſeſſio fiat &c. Quapropter monemus eos, qui Eccleſiis præſunt, ut ultra talia non præſumant: ſed hoc tantùm ſibi in mo-*

Digitized by Google

monaſterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id eſt, monachos ad converſationem ſanctam præmonere; Abbates, aliáque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere.

Certè Gregorius 7timus Cuniberto Epiſcopo Taurinenſi ſcribens apertam nobis notitiam confert, Abbatum præeminentiam præcipuè, ex hac oppreſſione àb Epiſcopis inflicta monaſteriis, prodiiſſe: *Nunquidne*, inquit: *exiſtimas Epiſcopos in paſtorali regimine poteſtatem, atque licentiam ſuſcepiſſe, ut monaſteria, quæ in ſuis parochiis conſiſtunt, quantùm velint, opprimant &c. An ignoras, quòd SS. Patres plerúmque & religioſa monaſteria, de ſubjectione Epiſcoporum, propter infeſtationem præſidentium diviſerunt, & perpetua libertate donantes Apoſtolicæ ſedi, velut principalia ſua membra adhærere ſanxerunt? percurre SS. Patrum privilegia, & invenies ipſis etiam Archiepiſcopis officium, niſi fortè ad Abbatis licentiam in plerisque cœnobiis facere prohibitum eſſe, ne fortè monaſtica quies tumultuoſâ ſæcularum perſonarum frequentiâ, & converſatione turbetur.*

L. 2. Epp. 69.

Abbatum ergo Juriſdictio augebatur per ſubtractionem monaſteriorum à deſpotica, ut ita dicam, prædominatione quorumdam Epiſcoporum, ſicque præcipuè ſæculô ſextô, ac deinceps, ùt hiſtoriæ memorant, Abbates jura obtinebant, privilegiáque tum à ſummis Pontificibus tum Regibus eximia, & ex hac ipſa cauſa fortaſſe factum, ut illis Pontificialium quóque inſignium uſus concederetur, quæ omnia tempore S. Benedicti longiſſimè ab ipſis aberant, imò diù inde: tunc ſcilicèt, cùm Abbates quorumdam monaſteriorum fieri inciperent ſuorum Diœceſanorum Chorepiſcopi, aut Coepiſcopi, ùt refert ad annum 1096. n. 4. Baronius, aut fortaſſe & anteà. Id extrà dubium, Abbates non ſolùm authoritatem ſpiritualem reſpectu ſuorum ſubditorum, ſed & mundanam ſeu temporalem quandam ſibi conciliaſſe, maximè ſæculô ſeptimô, & deinceps, cùm ſe partim aulis, Principum ſuâ doctrinâ, nec non & conſilia ſubſidiáque contribuendo (ubi bella, aliáque damna imminentia urgerent) magis neceſſarios faciebant; partim, dum reciproca Regum, ac Magnatum liberalitate donati opibûs complurib ûs ditabantur tum ipſi, tum monaſteria eorum. Omnia per extenſum hìc relata de Abbatibus monachorum, aut omninò deſiderabantur, aut certè arcebantur in Præpoſitis monaſteriorum Clericalium, cùm enim Epiſcopus is eſſet Clericis in communi ſocietate viventibus, quod Abbas ſuis monachis, & monaſteria ſingula Clericorum ſic ſubeſſent Epiſcopo Diœceſano, quemadmodùm plures uni Abbati, deníque idem eſſet Præpoſitus tum in Clericali Collegio, quod Prior in monaſtico Cœnobio, facilè inde argui poteſt, atque concludi, Præpoſitos tanquàm immediatè, ac omnimodè ſubjectos Epiſcopis, eâ jurisdictione non polluiſſe, quâ Abbates; hinc & factum, ut cùm monachi ſæculô ſextô paſſim urbani eſſe inciperent, Abbates ſe ſe tum apud Epiſcopos tum Principes ſuâ induſtriâ ac diverſimodâ utilitate inſinuarent, denique in obſequiorum præſtitutorum prœmium privilegiis, indultis, honoribûs ac libertatibûs ampliſſimîs ornarentur, ut hæ Abbatiales prærogativæ Clericis quóque guſtum ad has participandas acuerent. Certè apud Flodoardum legimus ſæculô ſextô Cœnobium S. Remigii Remenſe Canonicos habuiſſe à tempore Gibehardi Abbatis; hæc ejusdem verba de Tilpino Epiſcopo agentis: *In Cœnobio S. Remigii monachos ordinaſſe, ac monaſticâ vitâ eos traditur inſtituiſſe, cùm Canonicos prius idem Cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui can-*

V. Tambur. Cit. diſp. 15. q. 3. & 4.

Hiſt. Rem. L. 2. C. 17.

eandem Congregationem ob amorem Dei & S. Remigii reperitur aggregaſſe, ad hoc úſque tempus habuiſſe feratur. Hunc Gibehardnm nemo Abbatem monachum dixerit, cùm tunc neutiquam adhuc monachorum eſſet, Congregationes fundare Canonicorum. Id autem factum crediderim, quòd tum nomen jam quoddam libertatis privilegium obtineret, ut *Gibehardus* ejúſque Succeſſor *Epiphanius* mallent ſub hoc titulo, quàm ſub reſtrictione præpoſiti ſuis præeſſe Cannnicis: at tunc vel etiam temporibûs ſubſequis, Abbatibus Pontificialium inſignium uſum ipsô factô acceſſiſſe, nemo aſſeveraverit, ſed quamvis Abbates ab Epiſcoporum poteſtate certis mediis ſe, ſuóſque monachos eliberabant, mitrati tamen exinde neutiquam fiebant: Abbatum nomen, privilegiúmque ipſi Epiſcopi poterant Prælatis, ac monaſteriis ſuæ Diœceſi obnoxiis concedere, id probat relata à nobis S. Martini Ambianenſis Abbatiæ hiſtoria infrà in deſcriptione monaſteriorum, quæ, dum fundabatur, Prioratus conſtitutus eſt annô 1135. decem autem poſt annis in Abbatiam erecta eſt ab Epiſcopo Theodorico, néque tamen tunc pariter adjectâ facultate inſignium Pontificialium, aliquanto intercurrente tempore ſummo Pontifice eandem elargiente.

Ex his verò ultrò ediſcimus, certum eſſe, cùm plerúmque Abbatibus maximè à ſæculo undecimo ac deinceps ſolerent requiſiti ſummi Præſules uſum inſignium Pontificialium tribuere, & quidem ad perpetua tempora, ſi ſemel conceſſa eſſent, adjectis compluribûs aliis privilegiis ac juribûs, longè tardiùs tamen hunc honorem fuiſſe attributum ipſis Præpoſitis, ſi ad ſummum Tullenſem Eccleſiam excipias mitræ uſu Præpoſitis in Abbates conſecrati ſolitis jam ſæculô undecimô conceſſo (vide quæ in S. Leonis tulli deſcriptione proferuntur) id eſt, qui ex fundationis jure tales eſſent, maximè apud Canonicos, inhærendo ſcilicet veteri Stylo, ut Canonicorum Prælatus immediatè Epiſcopo ſubderetur *Præpoſiti* nomine, nec gauderet privilegiis illis, quibus *Abbates*: unde Succeſſu temporis factum, ut ipſi hi Præpoſiti non minùs conarentur hæc ſibi jura Abbatialia) non multùm curatô titulô Abbatis) obtinere; profectò hæc, quæ dicimus, irrefragabilia in Canonicis noſtræ maximè ſuperioris Germaniæ eſſe, neſcio, an negari à quoquam poſſit: Præpoſituræ dicta ſunt Canonicorum monaſteria ab origine ſuæ fundationis penè omnia quotquot per Bavariam, Sueviam, Bohemiam, Auſtriam, Styriam legimus, pauciſſima Prioratus, vel Abbatia (niſi aliqua fortè à monachis ad noſtros devoluta) attamen quædam tardiùs, quædam citiùs plurima Sæculô decimô quartô aut quintô Benedictionem Abbatialem cum prærogativa uſûs inſignium Pontificalium obtinuêre, cùm Abbates monachi potiores hoc honore jam Sæculô undecimô veſtirentur, atque duodecimô, imò quidam in Italia, ac Gallia tempore adhuc anteriore. Itaque Prælati noſtri quamdiù Præpoſiti nomine gaudebant, proût abſtracti à juribus, & privilegiis prædictis, dudum jam Abbatibus Regularibus conferri ſolitis (de Abbatibus enim commendariis & Clericis illis, qui paſſim in Hiſpannia, Italia, Gallia, dici ſolent Abbates, *un Abbe*, quibus præter æquivocationem nominis raró aliquid dignitatis aut, honoris Eccleſiaſtici adjunctum eſt, hìc conſultò non agimus) certum eſt, hos illis, id eſt, Præpoſitos Abbatibus fuiſſe poſtpoſitos, ùt docet Tambur: loc. cit. diſp. 25. q. 6. ex Caſſanæo ſpeculat. Eóquòd Epiſcopalibûs inſigniis decoratus meritò præcedat quemcunque hîs carentem. Cap. *ut Apoſtolica*, de privil. in

in 6. & L. *Nemo vir.* item *temperent* 4. C. de veſtibus celebr. unde haud dubiè factum, ut, quamvìs juxta eundem Tamburinium inter Abbates diverſæ religionis, qui ſunt antiquiores inſtitutione, præferri aliis debeant, qui ſunt recentiores, ſæpiùs in publicis Conciliis, & ſolennitatibus videamus Præpoſitos uſum Pontificialium habentes, atque ideò qualicunque Abbati dignitate æquales, attamen quandoque Abbatibus alterius religionis recentioris cedere, non alia de cauſa, quàm quòd, dum antea ùt Præpoſiti non mitrati honoratiorem locum tribuere cogebantur, poſtmodùm & ipſi Pontificalium jure donati aut nolebant litium maculâ quietem religioſam conſpergere, aut fortaſſe & negligebant, dum jus præcedendi prætendere poſſent: profectò inde in diverſis provinciis tam diſparem Abbatum, Præpoſitorúmque ad invicem in ſeſſionibus maximè forenſibus ordinem obſervari, ut jam Præpoſiti Abbatibus, jam hi illis præcedant, mihi firmiſſimè perſuaſum eſt.

Erant pro varietate temporum aliis adhuc diverſis nominibus appellati Canonici, uti & eorum ædes, in quibus Communi ſocietate uniti Commorabantur, quorum aliqua producere libet, ac cumprimis illa, quæ aliquantò magis æquivoca, à quodam recentiori ſic paſſim ad ſignificandum monachiſmum reſtringuntur, velut totâ ſuâ æquivocatione dimiſsâ videantur in uſum monaſticum ſtrictè talem fuiſſe recepta:

Et primùm quidem, quod occurrit, nomen eſt: *Fratris*: odioſè quidem in quorundam noſtrorum auribus ſonans, at olim adeò univerſim Canonicis etiam Cathedralibus ſolitum, ut hominem ſupinæ ignorantiæ in hiſtoricis arguat huic veritati obſiſtentem: neque opus ad ſæcula poſteriora, noſtrique ævi primordia recurrere; perquirantur Carolorum Martelli, & Magni, Ludovici, Lotharii, aliorúmque mediô ævô viventium tempora, nomen *Fratris*, ſi unquam inter monachos profectò paulò tantùm minori æmulatione inter Canonicos auditum. Sic in præcepto Caroli Calvi ad medium ſæculi noni Canonicis Compendienſibus dato iidem diſſertè *Fratres* nuncupantur: *Præterea* inquit: *memerato ſancto monaſterio & fratribus inibi aſſiduè Deo famulantibus &c.* Néque hos monachos ſuſpiceris, quos ipſe Mabillio (ſat alioquin in hoc illiberalis) inter genuinos Canonicos recenſere non dubitat. S. Leodegarius Auguſtodunenſis Eccleſiam ſuam Cathedralem hæredem ſcribit ea ratione, ut *tam à Præpoſito ejusdem Eccleſiæ Barcario, quàm à ſucceſſoribus ejus - - - - quadraginta fratres quotidiana diaria, & ſtipendia omni tempore accipiant*: prout ipſe loquitur in Cartha ſua hanc in rem à ſe annô 671. ſubſcripta. Regula Chrodegangi fratrum nomen Canonicis ſuis identidem aptat, nec minùs Aquisgranenſis: ut nil dicam de actis S. Launomari, Humberti, Licinii, quin & S. Auguſtini, dum temporibûs horum virorum jam comperta conſuetudo erat, Clericos paſſim *fratrum* nomine compellandi: quamvìs & id obſervare oporteat in diplomatibus, ubi nomen Canonicorum crebriùs in uſus receptum eſt, tam vulgariter fratrum compellationem, ſicut inter monachos, non inoleviſſe, usque dum id rurſum apud illos ſæculô nonô, ac uberiùs deinceps invaluit.

Annal. Ben. in Append. ad t. 3. n. 24.

Apud Mir. Donat. Belg. L. 1. C. 3.

Monachorum appellatione etiam antiquitùs Canonicos veniſſe jam aliàs oſtendimus, atque Alcuinum monachum dictum ſine monachi voto, pariter & Luidgerum, ſcimus ex ipſo mox memorato Mabillonio: & ſicut frequentiùs ob liberiorem vivendi modum Monachi Canonicorum nomen affectaſſe ab eodem authore dicuntur, ſic Canonicis monachi-

Annal. Ben. L. 23. n. 38.

Digitized by Google

le nomen quandóque attributum, præcipuè cùm arctiùs ſe intra Clauſtrorum penetralia cuſtodirent, ùt erant Sæculô nonô Eccleſiæ Trajectenſis Canonici ſub Friderico præclariſſimo Præſule, & dum tempore Concilii Aquisgranenſis hoc ipſum teſtantis *Ordo Canonicus pleniſſimè ſervabatur.* Deníque miſsis aliis levioris momenti Nomenclaturis (quæ ſicut addeſſe, aut abeſſe poſſunt ſine ſubjecti vel minimâ alteratione) etiam deveniendum eſt ad *Servos Dei:* cui vocabulo tantam energiam deferunt quidam Scriptores, ut hôc unô conſpectô, quaſi è tripode loquentem Jovem audiviſſent in ſuam ſententiam, ſecurè concludant *ſervum Dei* dictum, alium eſſe, niſi monachum, non poſſe. At nos rem veriori indagine ſcrutantes nil minùs, quàm huic aſſerto aſſentiri valemus, tam æquivocum uſum atque patentem hac nuncupatione apud veteres Scriptores præferente, ut ne dicam, ex illa ſola, non monachos, ſed nec hos, nec Clericos ſolos intelligendos aucupari liceat: miſsis omnibûs aliis pro hac aſſertione argumentis, clariſſima teſtimonia adferamus jungenda illis, quæ ſuperiùs produximus.

Vide vit. apud Bol. 12. Junii S. Odulphi.

Conc. Aquis. in præf.

Sæculô octavô diſcurrens vir doctiſſimus mox à nobis citatus de Alcuino ſequentia profert monachum probaturus: *ut Concordes ſint*, inquit: *Eboracenſes fratres hortatur Alcuinus Ep. 98. quos etiam ſervos Dei appellat. Atq; regularis vitæ nomine in ejus Epiſtolis, monaſtica intelligi ſolet, uti apud alios ejusdem ævi auctores, qui monachos itidem SERVOS DEI præcisè paſſim vocitent.* Vult ergò non ſolùm, ut credamus, monachos, *Servos Dei* (velut dignum eſt) fuiſſe nuncupatos, verùm &, cùm præcisè hanc vocem *Servus Dei* in quôdam illorum temporum Scriptore legimus, ſine ulteriori requiſita explanatione *monachum ſtrictè talem* ſubintelligamus: cui ut nunquam ſcribam, en documenta ad oculum patentia in contrarium. Chilpericus annô 575. dotat Eccleſiam Cathedralem Tornacenſem, in ea Clericos & nil minùs quàm monachos) *Servos Dei* nuncupat, ſic Chilpericus: *quantò alios Regia Celſitudine præcellimus, tantò Chriſtum honorare, & ejus Eccleſiam impenſiùs volumus & in Chriſti repenſionibus Sacerdotum & Pontificum, vel Servorum Dei, quæ pro eorum utilitatibus pertinent libenter præſtamus.* Hac voce *Servorum Dei* nec Clericos ego ſolùm, minùs monachos, ſed omnes exiſtimo fideles hujus Eccleſiæ eſſe indigitandos. In citato mox ſuperiùs Compendienſium Canonicorum præcepto, eosdem Canonicos diſſertè reperio *Servos Dei* vocitatos. *Totum*, inquit Carolus: *nos pro æterna remuneratione prædicto ſancto loco conceſſiſſe perpateat, ut perennibûs temporibûs in alimonia pauperum, & ſtipendia Canonicorum ibidem Domino famulantium, in argumentum proficiat, quatenùs IPSIS SERVIS DEI eorúmque ſucceſſoribus pro nobis &c.* Teſte eodem ipſo Mabillonio annô 983. in pago Eſpinal *Adalbero primùm SERVOS DEI ſeu CLERICOS* (mirare viri in hoc puncto obſervantiam; utpotè, quòd contra manifeſta exſtantia pro genuinis Clericis documenta monachos hìc interpretari nequierit) *qui locum incolerent, monaſterium conſtruxerit, dein Ancillas Chriſti &c.* Gregorius Turonenſis ſcribens de duobus SS. Epiſcopis *Nicetio* atque *ſacerdote* Lugdunenſibus neutris unquam per totam vitam ſuam monachis, ait de primo: quòd, cùm morti vicinus eſſet deprecatus ſit Childebertum ſeniorem hisce verbis: *Rogo, ut Nicetius Presbyter Nepos meus Eccleſiæ Lugdunenſi ſubſtituatur Epiſcopus, eſt enim ùt mei teſtimonii verba proferunt, amator Caſtimoniæ, Dilectórque Eccleſiarum, & in Eleemoſinis valdè devotus, & quæcúnque Ser-*

Mir. Dom. pior. L. 1. C. 2.

Annal. Ben. L. 49. n. 14.

L. 8. in vitis Patr. C. 2.

Digitized by Google

Servos Dei decent, *& operibûs gerit*, *& moribûs.* Mox cùm narraſſet mortem Nicetii, & Blasphemum Clericum à S. hoc viro comparante correptum, ſic in ſuos Coepiſcopos querelanti Sancto reſpondiſſe ait: *at illi dixerunt*, *injuſtè facit detrahens Servo Dei &c.* En *Servos Dei* hinc & inde & nullibi monachos; quid alia memorem? cùm in tam levi negotio iſta abundè ſufficere poſſint, & ſatis appareat; qui ſolis vocibus, ad libitum explicandis, innititur, quàm facili ictu ſternatur. Igitur hæc adduxiſſe dum ſufficit, ad alia digrediamur.

CAPUT VI.

De Congregationibus & monaſteriis Clericorum prioribûs undecim ſæculis.

Cùm antecedente parte pluribûs explanaverimus, quàm certò à prima Eccleſiæ ætate conſtituta per S. Apoſtolos communis vita Clericorum, pariter nunquam interrupta fuerit, penitúsque ſublata: hanc à nobis ſuis argumentis ſtabilitam aſſertionem neceſſariò ſubſequitur altera, exſtitiſſe quóque loca ſacra, in quibus ſuô modô congregati eſſent, & ſimul ea, quæ communis vitæ ſunt, tranquilla Charitate tractarent. Nos qualia hæc úsque ad pacem univerſalem (Eccleſiæ ſæculô 4tô quàm maximè à piiſſimo Conſtantino M. conceſſam) fuerint, eôdem locô inſinuavimus; nunc de illis diſcurrendum, quæ cumprimis à M. Auguſtini tempore (quô poſt ſui exordium nobiliorem renaſcentiam vita votivo-Clericalis haud obtinuit) eidem obtigerunt: pro quo triplex quæſtio exurgit; primò: quænam illæ Clericorum ac Canonicorum Congregationes úsque ad ſæculum undecimum. Secundò: an præter Cathedrales Eccleſias jam olim exſtiterint Clericorum monaſteria, & cur hoc nomine affecta. Tertiò: quale fuerit monaſterium Clericorum à S. Auguſtino conſtructum.

Congregationum (prout præſenti quæſtione diſcurrimus) duplex eſt ſpecies, una, quâ plurium hominum in uno monaſterio vel Collegio coarctatur ſocietas, altera, quâ plurium monaſteriorum ſub unius ordinis ac inſtituti Capite fit coadunatio: illa hanc ut præcedat, neceſsè eſt. Itáque de illa in monaſteriis collecta ſocietate inquiritur primùm, quî ſe ſucceſſu temporis habuerit, cùm per S. Auguſtinum quaſi replantata ſuum vigorem ac virorem acciperet in Eccleſia Hypponenſi: Nos quia pleráque de hac dicenda jam in præfato capite præmiſimus, ea, quæ adhuc ad Exegeſis noſtræ plenitudinem deſiderari poſſent, paucis referemus: quamvìs enim priori parte, tum per ipſa documenta producta, tum etiam ratione adjectâ demonſtraverimus, non ſolùm exiſtere à primis ſæculis debuiſſe Clericorum communitates, ſeu Congregationes, verùm & communem vitam per temporum ſeriem non interruptam dudum úsque ad ſæculum undecimum perduraſſe, cùm tamen ad communitatem, quæ religioſa ac votiva dici poſſit, plura requirantur; de quibus ſanè disquiri poteſt, an illis Clericorum communitatibus eô modô (velut modernos apud Canonicos Regulares ritus ac conſuetudines vigent) recepti jam, uſurpatíque fuerint, quorum ſi nullum exſtet veſtigium, certè non inaniter apparebit Suarium virum doctiſſimum fluctuaſſe, an Canonicos modernos regulares S. Auguſtini ejusdem ſpeciei aſſerere poſſit cum antiquis, ab ipſis Apoſtolis, inſtitutis. Eò quóque collimat cujusdam eruditi, recentísque Scriptoris de ordine Canonico obſervatio dicentis: *Canonicos Regulares*, *qui communi Domo*, *communi Menſa*, *ac*

I *Congregationum*, *de quibus hic agitur*, *duplex ſpecies.*

Pagius in Critic. Baron. ad an. 1039. n. 8.

Digitized by Google

Ad Congregationem religioſam Clericalem Canonicam nunc requiſita, etiam priſtinis obſervabantur temporibus.

ac communibus bonis utuntur, & S. Auguſtini regulam profitentur; hòc ſæculô (nempè undecimô) *initium habuiſſe, certum tandem eſſe debet. Nulla enim ante hæc tempora hujus inſtitutionis in ſcriptoribus Eccleſiaſticis apparent veſtigia.* Quatuor igitur expeti videntur, ut Canonici Regulares moderni ſpeciem ſibi analogam probent in antiquis Clericis ſub una Congregatione viventibus exſtitiſſe. Primò: *Communem Domum*, Secundò: *Communem Menſam*, Tertiò: *Communia Bona*, ac demum: *Regulæ S. Auguſtini profeſſionem.* Verùm quia hâc in quæſtione negotium noſtrum non cum ſolo hoc Authore vertitur, & alii alia ad ſpecificam inſtituti rationem præter communem domum, ac menſam depoſcunt, etiam iſtis ſatisfacere oportet: nam præter allegata reperire in antiquis Canonicis decet frequentationem Chori, ſtabilitatis ſub unius Prælati obedientia promiſſionem, officialium quóque (ùt dicuntur) oportet eſſe in communitate certam ordinationem, proùt nunc apud Canonicos Regulares fieri comperimus; quâ deficiente non poteſt eſſe Regularis communitas, dum deſunt requiſita obſequia religioſæ charitatis. nos ergò, hæc omnia breviter percurrentes, declaremus, an & qualiter illa in antiquis, & ſæculum undecimum longè antecedentibus Clericorum communitatibus viguiſſe monſtrentur.

Primò quidem: qui communem domum in priſtinis Clericis, communémque menſam prætendunt, habebunt per decurſum hujus exegeſis noſtræ paſſim, quàm ex conſtituto Canonum Conciliorum præſcriptam reperient: narrat Gregorius Turonenſ. de Baudino prædeceſſore ſuo: *Hic inſtituit menſam Canonicorum:* vivebant ſcilicet Turonenſes Canonici in una domo, ſed nondum communî alimentô paſcebantur, ſportulis conſuetis ſuppeditatis locò communis menſæ; agnoſcebat Baudinus, id vitæ communi ac regulari minùs congruere, conſtituit igitur hanc menſam Canonicorum. Idem Gregorius talem communem menſam inſtitutam, communémque domum Biturrigis memorat, dum verba de S Patroclo ibidem Canonico facit, nam cùm hic Diaconatûs ordine inſignis, adeò ſe abſtinentiæ, ac mortificationi daret, ut cum aliis Clericis *communem menſam* nunquam accederet, graviter ab Archidiacono increpatus eſt: hæc Gregorii verba: *ita*, inquit: *vacabat jejuniis, ut nec ad convivium menſæ Canonicæ cum reliquis accederet Clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum ait, aut cum reliquis fratribus cibum ſume, aut certè diſcede à nobis, non enim rectum videtur, ut diſſimules cum his habere victum, cum quibus Eccleſiaſticum implere putaris officium.* Et bene Gregorius menſam hanc communem, Canonicam nuncupat. Quæ idem eſt, ac menſa fraternæ charitatis, cùm & Canonicus nihil aliud in re notet, quàm Clericum fraternum: hinc ex Abbate, Ticinenſis noſter: *pulchrè* (ait:) *notat Abbas in Cap. Bone. de poſtul. præl. quòd Canonicus nil aliud eſt, quàm fraternus Clericus, vel Clericus in fraternitate Canonica conſtitutus, hæc autem nomina ſunt conſequentia rerum, quandò omnes ferè Clerici in communi regulariter vivebant.* Cæterùm qui plura hujus communis domûs, ac menſæ teſtimonia poſtulat, prioris partis Caput ſextum ſeptimúmque percurrat, ubi usque ad undecimum ſæculum exempla ad omnem ſufficientiam reperiet.

Vita P. P. C. 9.

In propug. Par. 2. n. 8.

Secundò: communia bona quanta ipſa ſæculis quóque ævum noſtrum longè antecedentibûs, in Clericis charitas votiva collegerit, eadem iterùm citata loca exhibent, quamvis diverſa norma, gradúque

Evan-

Evangelicæ perfectionis: cùm autem monſtraverimus ad paupertatem votivam in priſtinis Clericis probandam vel unum ex quatuor allatis gradibus ſuffeciſſe, eò quòd tempora illa ſimplicitati votorum aſſueta nullatenùs ſint confundenda cum noſtris, in quâ re minùs obſervatâ, videtur vir doctiſſimus offendiſſe, præcipuè, dum de ſæculi undecimi Canonico S. Raymundo (de quo plura ſuperiùs jam inſinuata) in lectionibus de eo dici ſolitis exponit n. 6. eundem *nullum parentibus teſtamentum feciſſe, ſed Chriſto, ſeu pauperibus:* ſubjungens *quòd ineptiſſimè diceretur de Canonico Regulari voto paupertatis obſtricto.* Plura enim à nobis his penitùs æqualia teſtimonia de monachis votivæ paupertati obligatis adferri poſſent (ſi expediret rei per ſe notæ dilucidandæ immorari, & aliundè producta repetere) qui dum diù Chriſto in expropriatione Evangelica ſervirent, teſtamenta condiderunt, ſalvâ omni religioſi, in quo vixerant, inſtituti ratione, velut id jam alibi declaratum eſt de S. Radegunde, Aredio monacho, & Abbate, Altfrido Monacho Fuldenſi, de Virginibus ſacris à S. Cæſario collectis &c. Omnem hanc, quæ tunc intercurrere potuiſſet, diſſonantiam ſuſtulit votorum ſimplicitas, & major in dies conceſſa rerum uſurpandarum libertas, eò deducta demum, ut tantùm non omnino vinculum totius expropriationis diffringeret. Huc tendunt Promerii hortamina, huc decreta Pontificum, huc Canones Conciliorum, huc deniqúe regula tam Metenſis, quàm Aquiſgranenſis: ut qui hanc graduum paupertatis diverſitatem tam clarè à Suario explicatam, tam certis argumentis (antiquitùs eam viguiſſe) aſſertam, non attenderit, in multos ſcopulos neceſſariò incidat amittendæ veritatis. Sed

In act. SS. ad 3. Jul. comment. præv. §. 2. ad fin.

Tertiò: quid jam de regula S. Auguſtini diſcurremus? quam quòd unquam *Canonici* ante ſæculum undecimum *profeſſi* ſint, ne ullum quidem indicium proſtat: imò & nos ipſi à regula Canonicum inſtitutum hactenùs ſemper abſolvimus, dicentes, nec illam ad inſtitutum aliquod maximè Clericale votivum requiri, nec Canonicorum preſsè talium eidem ullum illigatum fuiſſe: quodſi ita? ergò indubitatum manet, tales regulares Canonicos, qui S. Auguſtini regulam profitentur, ante ſæculum undecimum nullos exſtitiſſe.

2. *Secundùm regulam S. Auguſtini eò modò olim Canonici quoad rem ipſam vivebant, quò nunc.*

Credo autem, qui hæc objiciunt, non ſolùm in hiſtoria noſtra peregrinos eſſe, ſed nec, quid ad inſtituti alicujus ſpecificandi rationem conducat, adhuc tum noſſe: imò & ignorare, quid ſit regulam aliquam, & quid ſecundùm regulam profiteri. His itaque ſatisfaciendum opinamur, ut à dubio, quô jactantur, eximamus.

Regulam S. Auguſtini eô modô, quo tempore Concilii Lateranenſis decretum eſt, à priſtinis Canonicis Cultam non fuiſſe, neqúe iſtud unquam ad ſpecificandum inſtitutum usqúe hodie *per ſe* expeti poſſe, neqúe ob regulam, aut aſſumptam, aut immutatam, aut antea non habitam in ſua ſpecie ordinem religioſum variari, ad nauſeam usqúe hactenùs declaratum eſt. Intereà tamen notandum, longè aliud eſſe, ordinem aliquem profiteri ſecundùm regulam alicujus Sancti legiſlatoris, aliud profiteri ipſam regulam. Illud in omnibus religionibus admittimus, iſtud in paucis. Omnes enim reliquæ religiones vovent obedientiam ſecundùm regulam, ſolus, quantùm aſſequor, ordo Seraphicus vòvet ipſam regulam: hæc ejus eſt profitendi formula. *Ego frater N. voveo & promitto Deo omnipotenti & Beatæ Mariæ Virgini: & B. Franciſco & omnibus Sanctis, & tibi Pater: toto tempore vitæ meæ ſervare regulam fra-*

Digitized by Google

fratrum Minorum &c. At Ordo D. Benedicti vovet ſecundùm regulam: ſic enim formula profeſſionis: *Ego frater N. promitto ſtabilitatem meam & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm regulam S. Benedicti Abbatis, coram Deo, & omnibus Sanctis ejus &c.* Hinc D. Th. Quodlib. 1. art. 20. *Statuit Benedictus Monachum profiteri non quidem obſervare regulam, ſed quòd profitens promittat converſionem morum ſuorum SECUNDUM REGULAM.* igitur aliud eſt *profiteri regulam*, aliud *ſecundùm regulam*, & quidem dupliciter: primò profiteri regulam, eſt ſe obligare abſolutè ad obſervantiam regulæ ita, ut ipſa immediatè ſit præceptiva; profiteri autem ſecundùm regulam, eſt profiteri, dependenter à præcepto ſuperioris ſe ad ea obligare, quæ continet regula. Atque hinc ſecundò: profiteri regulam eſt ſe obligare huic in individuo regulæ omnibúſque in ea contentis, & non alteri. Profiteri autem ſecundùm regulam eſt conformiter illis legibus & ritibus vivere, quos præſcripſit regula adeoque dum v. g. promitto me victurum ſecundùm regulam S. Auguſtini, hæc vox *ſecundùm* denotat modum non formam regulæ. Vulpell. de præpoſ. hâc dict, p. 106. n. 1. ad quam ſolam ſe obligat profitens ipſam regulam. Canonici ergò Regulares profitentur obedientiam ſecundùm regulam, non verò profitentur ipſam regulam, unde facilè objecta difficultas reſolvitur: Canonici etiam antiqui & ſæculum undecimum longè præcedentes ſemper profeſſi ſunt ea, quæ regula S. Auguſtini complectitur, præſcribítque, hinc profeſſi ſunt obedientiam etiam tunc ſecundùm regulam S. Auguſtini, cùm ne quidem, quæ ſit propriè illa regula noſſent, teſtatur id Chronicon Reicherſpergenſe his verbîs de Magno Geroho ibidem præpoſito loquens. *Exquirebat omni animadverſione, quomodo vivendum eſſet ſecundùm regulam Patris noſtri Auguſtini: vel quæ eſſet illa regula, ſecundùm quam vivere profeſſus erat.* Nihil enim aliud erat profiteri ſecundùm regulam S. Auguſtini, quàm profiteri normam præſcriptam ab Auguſtino: ſeu dein hæc eſſet ſignatè regula, quam nunc Canonici retinemus, ſeu ſermones illi de vita communi Clericorum, ſeu vivendi diſciplina ipſis Clericis votivis ab eodem S. Patre tradita ex ſuis quibuscúnque Sanctiſſimis, Doctiſſimìsque ſcriptis: ut adeò profeſſio *ſecundùm regulam* mentem potiùs legiſlatoris inquirat, quàm certam individuatam ac determinatam regulam, inde quòque eſt, quòd monachi S, Benedicti nec ipſi, ut hujus determinati ordines eſſent, regulæ huic formali ſe abſolutè affigerent, ſed menti fundatoris, teſte enim Mabillonio ſæculô ſextô, imò uſque ad Benedictum Anianenſem ſæculi noni initiô florentem, paſſim in monaſteriis, quæ impunè huic ſancto ordini vendicantur, regula ùt plurimùm ſancti Columbani, aut ſimul hujus, & ſancti Benedicti, in aliis denique adhuc plures vigebant, neque id ſpeciei ordinis officiebat, cùm non tam hanc individuam regulam, quàm mentem fundatoris attendendam noſſent, quâ ipſe S. Benedictus ſe declarat: *regulam hanc à ſe fuiſſe deſcriptam, ut eam obſervantes in monaſteriis aliquátenùs vel honeſtatem morum, aut initium converſationis ſe demonſtrarent habere. Caterùm*, inquit: *ad perfectionem, qui tendit, ſunt doctrina SS. Patrum ---- nec non & collationes Patrum & inſtituta & vita eorum, ſed regula S. Patris noſtri Baſilii, quid aliud ſunt, niſi benè viventium & obedientium monachorum exempla, & inſtrumenta virtutum &c.*

Vide etiam Lairvelz. Catechis. Novit. tom. 2. Lect. 138. Cal. 1187. & ſeq.

Vide Caram Baſ. Theol. reg. t. 2. f. 74. n. 175. & S. Bernard.

Chron. Reicherſ. de an. 1169. Edit. Ludevv. col. 298. circa fin.

Annal. Ben. L. 11. n. 43.

Cap. 73. ſeu ultimo.

Profeſſi igitur ſunt Canonici priſtini obedientiam, vitámque clericalem ſecundùm regulam S. Auguſtini hôc ipſô, quòd vivere pro-

promitterent ſecundùm Apoſtolicam Clericalem inſtitutionem, quæ ipſa eſt Auguſtinianæ regulæ ſubſtantia, plenúmque objectum, neque unquam aliter à Clericis ſuis, aut aliam normam converſationis prætendit. Sed dices, cur ergò, ſi Canonicorum modernorum non eſt tanta ad formalem regulam Auguſtinianam, ſpecificáque reſtrictio, potiúsque (ùt jam aliàs diximus) ad ipſos Canones Sanctorum Patrum, ſecundùm quos etiam usque nunc multæ formulæ profeſſionis à Canonicis regularibus emitti ſolitæ ſunt inſtructæ, cur, ais, Canonici Regulares ab undecimo ſæculo ſe dicunt *Ordinis S. Auguſtini, religioſos S. Auguſtini, vivere ſub regula S. Auguſtini &c.* ſi hujus non eſt tanta connexio cum inſtituto Regularium Canonicorum? Dicant ſe itaque tales, quales ſe Canonici habuerunt ante Sæculum undecimum, qui licèt regulares à Sæculô nonô dicerentur, nunquam tamen Ordinis S. Auguſtini audierunt &c.

3. *Nominis Auguſtiniani uſurpatio antiquis Clericis inſolita adiici ſuo inſtituto, quid diſcriminis á modernis operetur?*

Duo hìc proponuntur ſolvenda; cur moderni Canonici Regulares ordinis S. Auguſtini &c. ſe dicant? alterum, cur id apud veteres nuſpiam fuerit uſurpatum. Illud ex parte per dicta capite 5tô prævió, ex parte autem in ſequentibus, ubi de Canonicis Regularibus ſpecificè agetur, reſolvi poterit: iſtud hujus loci eſt, neque diffitemur, nunquam, ac nullibi ante ſæculum undecimum reperiri Canonicos Regulares S. Auguſtini. Sed quis ædipus huic ſphingi ſufficiet? profectò id ego credideram, ne quidem huic objectioni aliquam difficultatem ineſſe, neque ad rem noſtram referre, apud Canonicos Regulares veteres Auguſtini nomen aut memoratum, aut omiſſum, quódque maximè conducit, ipſa illa communitas eſt S. Auguſtini: quæſtio namque, an monaſterium illud (de quo Poſſidius narrat fermè decem ad diverſas Eccleſias in Epiſcopos aſſumptos fuiſſe) Clericorum fuerit, an monachorum? adeò jam ad triarios abiit, ut doctos inter pro Clericis conclamata ſententia ſit. Neque id tantùm, ſed & alterum: habuiſſe Auguſtinum veram votivorum Clericorum ſocietatem, propagatam quoque fuiſſe hanc ſpeciem inſtituti ad plurima etiam loca transmarina, demúmque nos priori parte de idea, ac ſpecie Ordinis retulimus planè firma, ac ſolida, quæ evincunt, Auguſtinianum iſtud inſtitutum non fuiſſe ideam, ſed ſpeciem religioſi ordinis: cur verò non protinùs hæc tam religioſè propogata inſtitutio votivo - Clericalis *Auguſtiniana* dicta eſt? cur non *Ordinis S. Auguſtini* nomen obtinuit, cur ipſi Clerici non nuncupati Religioſi ſub regula S. Auguſtini? moveo ſcrupulum validori pondere, cùm Benedictus ſuum monaſticum ordinaret inſtitutum, plus quàm ducenti anni ſucceſſerant, nemo ſuorum Alumnorum dictus eſt *Benedictinus*, nemo *Ordinis Benedictini*, nemo *religioſus ſub regula S. Benedicti*: cur iſtud? profectò antiquitatum rudiſſimus omnium ſim, ſi propriorem vero cauſam quis adduxerit aliam, niſi uſum temporis. Annô 779. in Capitulari Caroli M. legitur ordo regularis, & Canonicus, ſed non tam ad ſignificandum inſtitutum (velût nunc per ordinem denotatur) quàm ad ipſam normam præſcriptosque ritus vivendi; nomen religioſi vix ante Sæculum 12um votivum ſignâſſe, author eſt eruditiſſimus Papebrochius, qui textum Salviani prudenter de vocabulo hujus vocis explanat. Et quàm injurius eſſem, ſi tum primò hunc ſacrum ordinem exortum fuiſſe aſſererem, cùm ipſe hæc vocabula induit, aut obtinuit potiùs ſeu vulgi beneficio, uſúque, ſeu ipſorum temporum more: ſed quia hæc jam aliàs obſervavimus, ſuffecerit obiicienti repoſuiſſe, ut appareat, Sæculum præcipuè undecimum, duodecimúmque adeò novitatum complurium rebus antiquiſſimis,

Cap. 11. vitæ S. Aug. Confer. Thomaſſ. P. 1. L. 3. C. 2. n. 9.

vide Cang. hoc verbo Ordo. & regula.

in vita SS. Aurei &c. t. 3. Junii die 16.

Digitized by Google

ſimis inducendarum fuiſſe ſeminarium, ut ſi ideò inſtitutum aliquod religioſum pro novo habendum eſſet, quòd tunc novis vocabulis, aliîsque ritibûs ſit affectum, & ipſa penè Eccleſiæ Sacramenta ſuæ vetuſtatis incommoda pati cogerentur, proùt patebit conſideranti.

Hìs ſic conſtitutîs confidimus, omnimodè nos expediviſſe à quæſtione illa per recentiorem Authorem propoſita, ut jam dubitari non poſſit Canonicos illos Regulares, qui Communi domo, communi menſa, ac communibus bonis utuntur, & ſecundùm regulam S. Auguſtini profitentur, ante ſæculum undecimum initium habuiſſe. Nunc, quæ reliqua ſunt, perquiramus.

4. *Chorus an apud Canonicos, Clericósque veteres votivos?* Chori frequentiam in antiquis Canonicis non defuiſſe, ſaltem à tempore pacis generalis in Eccleſia reductæ, id eſt, à temporibus Conſtantini, dubitare non ſinunt tum Clericorum illorum in ſocietate viventium Sancta converſatio, tum ipſorum Principum largifluæ donationes, nil magis prætendentium, quàm preces Clericorum; de quibus ſola quæſtio vertitur, an expetitæ ad eam normam fuerint, quâ Pſalmi noſtra ætate hymnidica modulatione ſolent decantari, & ut verbô dicamus, quæ certis diei horîs in Choro aguntur. Sicut autem mos iſte in Eccleſia vetuſtiſſimus eſt, ſic à Clericis regulariter obſervatum ſemper fuiſſe negari non poteſt. Iſidori Hiſpalenſis ætate Chorus adeò jam Clericis condebitus erat, ut de eo ipſe non ſemel proferat mentionem. (de offic. Eccl. L. 1. C. 5. 7. 8.) Primum omnium, qui alternantem modulationem in Eccleſias Occidentales induxerat, Ambroſium nominat. Memorat autem ritum canendi Iſidorus tam accuratum *in horis, in Veſperis, in Matutinis, in tertia, ſexta, Nona, in Antiphonis, hymnis, & reſponſoriis*, ut nihil planè dubii relinquat, ſæculô quintô Chori uſum receptum, ſuo dein tempore, id eſt, Sæculô ſeptimô, non jam liberè paſſim in Eccleſiis uſitatum fuiſſe, quàm præſcriptum: imò Concilium Bracarenſe Sæculô Sextô celebratum jam iſta de Choro Clericorum definivit. *Placuit omnibus communi conſenſu, ut unus, atque idem pſallendi ordo in Matutinis, vel Veſpertinis officiis teneatur, & non diverſæ, ac privatæ, neque monaſteriorùm conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ.* Inſinuat hic Canon, quoſdam Clericos monachorum ritum in cantando officio affectaſſe, quem à Clericali inſtituto tanquam aliquid inſolitum arcet.

In Concilio Toletano 4to Can. 2. præcipitur: *unus Ordo orandi, atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam obſervetur, unus modus in miſſarum ſolemnitatibus. unus in veſpertinis, matutinisque officiis, nec diverſa ſit ulla in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, qui in una fide continemur & regno, hoc enim & antiqui Canones decreverunt. ut unaquaque Provincia & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat.* Concilium Carthaginenſe quartum dudum præſcripſit cantandi modum Clericis, ita quidem, ut: *Clericus qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur.* (Can. 49.) Laudatur etiam à Sidonio Apollinari Claudianus B. Mamerci Vienenſis Epiſcopi Vicarius, quòd hic *Pſalmorum modulator & Phonaſcus ante Altaria fratre gratulante, inſtructas docuit ſonare claſſes.* Qui Sidonius (L. 5. Ep. 17.) ejuſdem Eccleſiæ Clericos tanquam egregios Choraulas ſic deſcribit cum ipſis monachis concinentes: *cultu*, inquit, *peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi, Clericique Pſalmicines concelebraverant: quisque in diverſa ſucceſſimus, praſtò ad tertiam futuri, cum ſacerdotibus res divinas faciendi.* Innumera adhuc ſuppeditarent (ſi ſuperfluis gauderemus) teſtimonia, Chorum apud Clericos undique antiquitus uſurpatum fuiſſe. De recentiori ævo, tempora Caroli M. aſſequen-

quente, ne quidem dubium aliquod urgeri poteſt, tum enim (Sicùt ſubſequis ſæculis) apud Clericos Chorum præſcriptum fuiſſe, omnia penè Principum conclamant diplomata; eò fundationes omnium monaſteriorum collimaverunt, eò direçtæ ſunt præbendæ, ſtipendiáque Clericorum; ut ſcilicet ipſos *in tali Eccleſia collectos Clericos, Canonicóſve ſine intermiſſione meliùs delectet pro fundatoribus talibus Domini miſericordiam deprecari.* Prout Carolus M. in privilegio Aquisgranenſi Eccleſiæ dato, aliíque ubertim loquuntur.

apud. Mir. Donat. Belg. L. 2. C. 8.

Sed piaculum eſſet, ſi Auguſtini Societatem penitùs ſilentio tranſiremus, certè hanc vel maximè Choro addictam fuiſſe quis ambiget? qui Auguſtini ipſius ferventiſſima hortamenta legerit populo laico facta ad pſalmodiam publicam in Eccleſia frequentandam. *ad Vigilias*, inquit ille: *maturiùs ſurgite ad tertiam ad ſextam, ad nonam ante omnia convenite. Nullus ſe à ſancto opere ſubtrahat, niſi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum.* Præcinebat ſcilicet Clerus, ſuccedebat cantu ſuo populus, & ſic uno concentu reſonabat Eccleſia devotione utriusque ſtatûs tam Eccleſiaſtici ſcilicet, quàm Laici in laudem Dei animata. Ut nil dicam de præſcripta Chori peragendi norma in ea, quam nunc retinemus. S. Auguſtini regula, ne modum videar ante rem præſumpſiſſe, necdum, cui ea primitùs ſcripta ſit, declaratione expoſitâ.

Serm. 55. de temp.

5. *Quæ eisdem ſtabilitatis profeſſio?*

Stabilitatem quod attinet, eadem Clericis antiquiſſima fuit: primò enim, cùm ſe Clericatui debita profeſſione illigarent, adeò addicebantur eidem, in qua ſuſcipiebantur ac ordinabantur, Eccleſiæ, ut nec ſuo jure unquam aut Clericatum, aut locum dimittere poſſent. *Placuit*, verba ſunt Concilii Milevitani primi: *ut quicunq; in una Eccleſia vel ſemel legerit* (actum pro ordine ſumit Concilium per Enallagen) *ab alia Eccleſia ad Clericatum non teneatur.* Neque enim admittebantur ſine prævio Juramento ad Exercitium Clericale, cujus ordine inſigniebantur, hinc clariùs ad rem S. Auguſtinus Epiſt. ad ſeverum: *Chriſtum inquit: conſulas, tuæ menti præſidentem, utrùm homo, qui in Eccleſia meæ diſpenſationi credita jam legere cœperat, & non ſemel, ſed & iterum & tertiò, non fuiſſe Lector poſſit, & debeat judicari ---- non vereor, ne parùm intelligas, quantus aditus aperitur ad diſſolvendum ordinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi alterius Eccleſiæ Clericus, cujcúnque juraverit, quòd ab ipſo non ſit receſſurus &c.* Hoc *juramentum* erat ſtabilitatis *profeſſio*, nam antiquos has voces confudiſſe, patet ex veteri ordine Eccleſiæ Pariſienſis, ubi agitur de Canonico ſuſcipiendo, ac induendo: illic itaque dicitur: *ſtatim novus Canonicus proſtratus reſpondet: Amen. deinde manens genuflexus tactis ſacroſanctis Evangeliis promittit obedientiam Domino Decano, & Capitulo: & cætera, quæ continentur in forma JURAMENTI.* Concilium quoque Toletanum primum, diſſertiſſimè declarat Clerici ſtabilitatem ad locum ordinationis ſuæ: *liberum* inquit: *nulli Clerico ſit diſcedere ab Epiſcopo ſuo, & alteri Epiſcopo communicare, niſi fortè ei, quem Epiſcopus alius libenter habeat, de hæreticorum ſchiſmate diſcedentem, & ad fidem Catholicam revertentem.* In Concilio Narbonenſi anni 589. Canon. 10. definitum eſt, *ut nullus audeat Clericorum, ordinationem ſui Epiſcopi contemnere, ſed ubi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia, & obedientia, & quæ injuncta fuerint agere.* In Concilio Aurelianenſi eodem ſæculo habito, dicitur Can. 7. *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in religionis profeſſione viventibus, ſinè diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum, pro petendis Beneficiis ad Domnos venire non liceat.*

Ep. 24.

Deniq́ue Concilium Valentinenſe in Hiſpania Can. 5. & 6. ſequentia definit: *hoc etiam placuit, ut vagus & inſtabilis Clericus, ſive etiam in Diaconi miniſterio, vel Presbyteri officio conſtitutus, ſi Epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum, quousq́ in vitio permanſerit, & communione & honore privetur &c. Sed nec illum Sanctorum Sacerdotum quispiam ordinet, qui localem ſe futurum primitùs non ſpoponderit.* In ipſo quoq́ue orbis Capite Roma ſtabilitas Clericalis profeſſionis tam accuratè ſervata eſt, ut, cùm aliquandò Elias Iſauriæ Abbas Clericus Epiphanium diſcipulum ſuum ad ſummum Pontificem Gregorium M. ordinandum mitteret, fecerit id quidem Gregorius, at Epiphaniô non ampliùs remiſsô. *Diaconus*, inquit: *quidem factus eſt, ſed quisquis ſemel in hac Eccleſia ordinem ſacrum acceperit, egrediendi ex ea ulteriùs licentiam non habet.* Erátque hæc ſtabilitas tam firma Clericorum, quàm ulla eſſe poterat monachorum, quod in ipſis etiam Juſtiniani Novellis decretam fuiſſe legimus: ſic enim piiſſimus Imperator. *Nam* inquit: *ſi prohibemus ex uno monaſterio in aliud transmigrare, multò magis neq́ Clericis hoc permittimus: lucri & negotiationis habere demonſtrationem hujusmodi deſiderium judicantes.* Neq́ue ſolùm Clerici, poſtquam ſe ſemel propria voluntate in miniſterium Eccleſiæ tradiderunt, ſtabilitatis promiſſione facta copiam ampliùs habebant Eccleſiam hanc ſuam atq́ue deſponſam obedientiam deſerendi: Verùm erat hæc ipſa promiſſa perpetui vinculi innodatio, ut qui à clericatu ſemel ſuſcepto reſilirent, inter Apoſtatas haberentur. Hinc graviſſimæ ſeveritatis Canon ille ſeptimus Chalcedonenſis Concilii: *qui ſemel in Clero deputati ſunt, aut monachorum vitam elegerunt, ſtatuimus neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, ita, ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari.* Imò, quod ampliùs, ne quidem Clericus à ſuo propoſito reſilire poterat obtentu monaſticæ profeſſionis: ſic enim decidit ſynodus Cæſarauguſtana Can. 6. *Si quis de Clericis propter luxum vanitatémque præſumptam, de officio ſpontè diſceſſerit, ac velut obſervatorem legis, monachum ſe videri maluerit, quàm Clericum, ita de Eccleſia repellendum, ut niſi rogando, atque obſecrando plurimis temporibûs ſatisfecerit, non recipiatur.* Concilium Toletanum quartum ſtatuit manifeſtè Clericum quemcúnque, ſi ſæcularem habitum reaſſumpſerit, & converſus non fuerit, inter apoſtatas reputandum: *qui detonſi à parentibus fuerint*, verba ſunt Can. 55, *aut ſpontè ſuâ à parentibus ſe ipſos religioni devoverunt, & poſteà habitum ſæcularem ſumpſerunt, iidem à ſacerdote comprehenſi, ad cultum religionis, actâ priùs pœnitentiâ revocentur. Quòdſi converti non poſſint velut apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjiciantur.* In regula Chrodegangi cavetur Cap. 7. *ut Clericus Eccleſiaſticè nutritus in Eccleſia coram populo vel legens, vel cantans, ſi poſtmodùm relicto Clericatûs habitu à caſtris dominicis, quibus adſcriptus eſt, profugus & Apoſtata elabitur, & ad ſæculum regreditur, ab Epiſcopo Canonicè coerceätur, ut ad ſinum Matris Eccleſiæ revertatur &c.* Cæterùm non ignoro de Clericis minoribus diverſa fuiſſe locorum ſtatuta, ita, ut non ubiq́ue mox, ac in Clerum recepti ſunt, ad hanc perpetuitatem tenerentur: ſed id quoq́ue obſervatum, ut nec iſti ante annos pubertatis ad juramentum ſeu profeſſionem emittendam obligarentur. *Lectores*, inquit: *Concilium Carthaginenſe tertium Can. 19. cùm ad pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

L. 7. Ep. 1.

Novell. 36. 2.

Deni-

6. *Officia clauſtralia non minùs apud veteres votivos Clericos.*

Deniqúe ut ad ultimum de officialibus in ſocietate ac communitate Clericorum deveniamus, neque iſti vel primis temporibûs, maximè verò medio ævo defuêre. Tota Chrodegangi regula Portarii, Cellarii, Cocci, Cantoris, Magiſtri ſcholarum ſic meminit, tanquam officiorum pridem in Clericis ſolitorum: confirmat quoque hæc officia, vel ſi dicere congruentiùs velimus, miniſteria Concilium Aquisgranenſe. In Eccleſia Carnutenſi pariter talium officiorum memoria habetur jam de Sæculo 6to, id eſt, annô 550. ùt refert vita S. Launomari Abb. n. 5. *hic presbyter, & Cellarius fratrum conſtitutus, exemplô quoque doctus Apoſtolorum, formam primitivæ Eccleſiæ imitari nitebatur.* Erat tunc Launomarus adhuc Carnutenſis Eccleſiæ Canonicorum alumnus teſte eâdem vitâ, ut itaque neque in iſtis quid novi ſocietatibus Clericorum à ſæculô undecimô ac deinceps obtigerit, cùm paſſim eadem officia inter illos (quæ aliàs monachorum, à quibusdam rem ſolùm in cortice conſiderantibus, fuiſſe credebantur) decernerentur; neque aliquid in Clericis priſtinis eorúmque communitatibus deſiderari poſſit, quò minùs eædem tanquam benè, ac regulariter ordinatæ haberentur.

His de congregatione ſeu ſocietate Clericali in uno monaſterio collecta demonſtratis, quæritur, quid de altera congregationum ſpecie ſentiendum, quibûs plura monaſteria uniuntur ſub uno ſuperiore Capite quales nunc in pluribus ordinibus eſt reperire. De his, ut mentem meam genuinè aperiam, dico, neutiquam talem ſocietatem ſeu Congregationem aliquid ad ſpeciem Ordinis determinandam conferre poſſe: neque huic aſſertioni probandæ multùm inhærendum cenſeo, utpote aliundè & per ſe liquidæ. Nam cùm jam ex Mabillonio didicerimus, apud Monachos ante ſæculum decimum, ipſamque Congregationem Cluniacenſem, nullam exſtitiſſe; cùm tamen omnium ſcriptorum calculô origo ordinis S. Benedicti præviis longè temporibus alligetur: non eſt, cur congregationem plurium monaſteriorum Clericalium prætendamus ad ſpeciem ordinis, aut perficiendam, aut complendam. Certúmque eſt, dum ſæculis longè poſterioribûs per regulam S. Auguſtini reformatus eſt Ordo Canonicus, incepiſſe quidem aliquâ imitatione monachorum primum in Congregationes ſe unire Canonicorum monaſteria, antea tamen non minùs hunc ordinem ſine talibus Congregationibus in ſua ſingularitate exſtitiſſe, ſed & adhuc exiſtere in omnibus illis monaſteriis, quæ aliam unionem congregationis ad hanc usque diem non noverunt, niſi illam lateranenſem, cui ſpeciali Pontificiô privilegio non tam uniri ſolent, quàm aggregari, de qua re alibi plura tractabimus, in comperto eſt.

In præf. annal. Bened. n. 20.

7. *Non ſolùm Cathedrales Eccleſias, ſed & minora Monaſteria Clericorum Votivorum antiquitùs floruiſſe oſtenditur.*

Altera, quæ in hoc capite quæſtio eſt, ipſa attingit loca Cænobiáque Clericorum, quamvìs enim admittantur univerſim Cathedrales Eccleſiæ Clericalibûs ſocietatibûs proviſæ, negatur tamen (à quibusdam) extra illas aliquod monaſterium exſtitiſſe, quod non fuiſſet monachorum usque ad tempora Chrodegangi Metenſis, & receptæ ejus regulæ: maximè verò tale, quibus Abbates præerant. Et hoc quidem aſſerere præcipuè quibusdam libuit, ut breviori via abnegarent omnia illâ monaſteria Canonicis, quæ ſpeciem aliquam votivæ vitæ præmonſtrabant, & quorum antiqui ſcriptores ſic meminerant, ut eorum inhabitatores dicerent Clericos. Quòdſi enim firmum & extra omnem aleam eſſet nulla præter Cathedrales Eccleſias exſtitiſſe Clericorum monaſteria, facili illatione concluderetur, iſta omnia fuiſſe monachorum, & per Clericos in iis commorantes alios, niſi monachos intelligi non poſſe.

vide Mab. Anna: Ben. L. 22. n. 75.

Verùm ſicut prima hujus capitis parte ubertim monſtravimus, quàm debili Argumentô Clerici nomen univerſaliter ante Sæculum decimum, nonúmque reſtringatur ad monachos; & quàm certum ſit, confuſionem hujus nominis exinde ortam, quòd aut monachi ſuos ordinibus ſacris inſignitos *Clericos* potiùs dicerent, quàm *monachos*, aut Clerici veri, ac genuini ſæpiſſimè iique frequentiſſimi (maximè Gregorii Turonenſis tempore, ac deinceps) eſſent certis officiis illigati in ipſis Cænobiis monachorum. Sic hôc loeô non difficulter monſtrabitur ex præmiſſis, longè antè Chrodegangi tempora floruiſſe monaſteria Clericorum. Primò quidem: jam diù eſt, quòd à nobis monſtratum ſit Eſſenos à Philone laudatos, inter veros Clericos ſic collocandos eſſe, ut illi ipſi ſint, quos Marcus Evangeliſta Alexandrinæ Eccleſiæ miniſtros inſtituit: hi ſunt, qui & privato otio ſpirituali ſuîs erant addicti temporibûs, & dein procedentes in publicum, quæ ſanctioris vitæ myſteria remotis arbitrîs inter ſe ſecretis collationibus, & divinis Contemplationibus didicerant, populo prædicabant. Locus verò ille, in quo receſſum ſpiritualem conſtituebant, monaſterium ipſi nominabant: ſic enim Philo *ſingulis*, inquit, *eſt quoddam Sacellum, quod ſemnejum & monaſterium appellatur, in quo ſoli, remotis arbitris, Sanctioris vitæ myſteria peragunt; nec cibum potúmve, nec eorum, quæ ad corporis curam pertinent, quidquam eò ſecum inferunt, ſed legem duntaxat, & Prophetarum oracula, hymnóſque & alia hujuſmodi, quibus pietas Simul, ac ſcientia augentur & conſummantur.* Videtur autem, tum ipſas cellas, in quibus ſe recondebant hi viri divino miniſterio dicati, monaſteria fuiſſe dictas. At cum vix Sæculum quartum illuceſceret, longè ad ampliores ſignificationes hæc vox eſt aſſumpta, vel ipſo diverſimodè conſideratô græcô vocabulô, cùm enim Μονὴ jam *manſionem*, jam *monaſterium*, jam etiam *Eccleſiam* Catholicam ſeu parochialem notaret in ſermone Latino, liberior quoque ejus uſus invaluit; ita, ut monaſterium in lingua latina non ſolùm innueret locum, ſeu Aſceterium præciſè monachorum (ab Etimologia nempè & æquivocatione Μόνος monachi cum Νοναςήριον domo ſeu cella monachorum) ſed etiam aſceterium Clericorum, eò quòd Μονος denotet tam ſolum quàm *unum*, & Μοναζα non tantùm *ſolitudinem ſed & unitatem.* Profectò Gregorius Nazianzenus de monachis & monaſteriis tam latam ſignificationem habet, ut non tantùm non ſolis monachis, Clericíſve, ſed cuicunque homini attribui poſſe ſentiat: ſic enim ipſe in Carminibus ſuis.

vide Cang. Gloſſar. Græcit. Col. 949. hoc verbo.

Ex me, Μοναςής vivit, & legi, & Deo,
Eſtque ad ſalutem turba concurrens Μονὴ
& alibi
Tantò appetebam fortiùs Μοναςινα
Quantò videbar junctus eſſe pluribus
Nam forma vitæ, non locus Μονην facit.

Carm. Jamb. 15. n. 19. & in Carm. de vita ſua.

Ergo juxta Gregorium non ille ſolus Monachus eſt, quem ſcriptores cuculla, habitúque monaſtico indutum ajunt, ſed monachus ille quoque dici poteſt, qui vivit Legi, Deo, & in communi. Quod ipſum intelligendum eſt de monaſterio, ut adeo & monachi dici poſſint, etſi nec religioſi ſint, & habitacula nuncupari monaſteria, etſi nonniſi tales habitatores contineat, qui in una Charitate uniti vivunt legi & Deo. Hinc eſt, quòd non obiter, non tralatitiè, ſed circumſpectè & plano uſu habitaculum Clericorum ſuorum monaſterium dixerit S. Auguſtinus, neque dubitaverit, ipſos eosdem Clericos afficere nomine *monachorum*, audi Sanctiſſimum virum loquentem: *quare* inquit: *nos non appellemus monachos, cùm dicat pſalmus, ecce quàm bo-*

in Pſal. 132.

bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum, Μονος *enim unum dicitur, & non unus quomodocunque, nam & in turba eſt unus, ſed unà cum multis unus dici poteſt*, Μονος *non poteſt*: Μονος *enim unus ſolus eſt*: *qui ergò ſic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut ſit illis verè, quod Scriptum eſt, una anima, & unum cor, multa corpora, ſed non multæ animæ, multa corpora, ſed non multa corda, rectè dicitur* Μονος, *id eſt unus ſolus.* Hæc Auguſtinus, eâ ergò nominis Etimologiâ, qua S. Doctor Monachi nomen ad Clericum ſignificandum aſſumpſit, uſus eſt in ipſa monaſterii voce, cùm dixit, quòd *in iſta domo Epiſcopii* ſecum voluerit habere monaſterium Clericorum, apparet itaque olim jam monaſteria exſtitiſſe, hócque ipſo nomine jam tum fuiſſe donata, quod ſubſequis temporibûs tam liberè uſurpatum eſt, ut eâdem prærogativâ nominis omnia illa Clericorum domcilia monaſteria dicerentur, in quibus compertum erat, Clericos una ſocietate, ſeu (ut verbis Valentini Abbatis Adremuntenſis ad Auguſtinum utamur) *in Congregatione propoſiti ſervientes,* hoc eſt, in Communione vitæ, ac bonorum votiva vixiſſe. Exſtant hac de re innumera penè teſtimonia: Winburni in Britannica Inſula, ſeu Anglia narrat Rudolphus monachus Sæculi noni Scriptor apud Surium ad 28. ſept. in vita S. Liobæ primigenia Phraſi Rudolphi monachi edita. *Duo monaſteria antiquitùs à Regibus gentis illius constructa ſunt, muris altis & firmis circumdata, & omni Sufficientia ſumptuum rationabili diſpoſitione procurata: unum ſcilicet Clericorum & alterum fæminarum.* Hoc monaſterium per totam vitæ ſeriem ſemper *Clericorum*, nunquam dicitur *monachorum*, & magna diſcretione Author hoc vocabulo *Clericorum* utitur, ut ne prudenter dubitari poſſit genuinos in eo Clericos locatos ab antiquo fuiſſe. Et tamen hunc Clericorum locum à primæva origine monaſterium dictum fuiſſe ſatis ex ipſo Rudolphi contextu colligitur. Annô 662. teſte Flodoardo fundatur monaſterium Avennacenſe, *monaſterium*, inquam, & tamen pro 20. Clericis, proùt ſic nuncupatum habetur in Epiſtola Hincmari ad Teutbergam Abbatiſſam: erat enim taliter diſpertitum, ut in eo 20. Clerici, & 40. Virgines (omnes Canonici ordinis præclara ſoboles) ordinarentur. Sæculi 8vi initiô, id eſt, an. 706. teſte Scriptore Anonymo vitæ S. Beregiſi Abb. hic S. vir *monaſterium ſtatuit, Baſilicam conſecrat, Clericorum officium delegat, quibus Clericis Canonico ordine militantibus ipſe pater in eodem habitu Sociatus eſt.* S. Rigobertus, dum primus Remenſium Epiſcoporum fertur Sæculô 7mô commune Canonicis inſtituiſſe ærarium, ex eodem *cenſuit dividendum, proùt opus fuerit unicuique eorum intra ſepta monaſterii.* ùt ſcribit vetuſtus planè vitæ Author. Cùm ad initium Sæculi 8vi, id eſt, ipſo anni 700. & deinceps Eccleſia Veſontionenſis Cathedralis in moribus Clericorum vehementer deturpata poſt Tetradii obitum per Albonem Chryſopolitanæ Eccleſiæ Canonicum ad Regularem diſciplinam eximiè reduceretur, vetus membrana apud Chiffletium hanc Canonicorum reformationem enarrans Eccleſiam illam non aliter, niſi *monaſterium* nuncupat: *propoſuerunt*, inquit hæc Charta: *unum de duobus eligendum, aut obediendo mandatis regulæ, Deóque ſerviendo in MONASTERIO diſciplinatè viverent; aut de MONASTERIO exeuntes, quamcunque viam ſibi vivendi ſumerent.* Circà Sæculi ſeptimi medium in vita S. Clari Abbatis Viennenſis dicitur: quòd *erat tum temporis vir ſtrenuus, & Deo placitus Viennenſis Eccleſiæ Pontifex Cadoldus, MONASTERIA tam virorum, quàm Sanctimonialium ſub Sancta profeſſione viventium pia diſtrictione tam in civitate, quàm extrà muros civitatis hæc præcipua erant, quæ regebat* (enarratis aliquot monachorum monaſteriis

Serm. 1. de mor Clerici.

apud Aug. Ep. 216.

Flod. L. 3. C. 27.

Mabil. annal. Bened. L. 19. n 34. & ſec. 4. Bened. p. 1. fol. 294.

apud Bol. 4. Jan. n. 4.

Chiffletius in Eccleſ. Veſon. p. 2. fol. 152.

apud Bol. die 2. Jan. in vita S. Clari Cap. 2.

Digitized by Google

riis mox alia ſubiicit Clericorum) *porrò*, inquit: *in domo majori Sanctorum Martyrum Apoſtolicam vitam tenentes, in unúmque viventes plurimi Clerici erant, ita, ut turmis diſpoſitis myſteria peragerent. Apud S. Severum quoque cœtus Clericorum erat Venerabilis &c.* Omitto alia teſtimonia paſſim obvia, & per decurſum noſtræ deſcriptionis collegiorum reperienda, at ex adductis præcipuè duo colligo: primò quidem: antiquiſſimum fuiſſe, ut Clericorum habitacula *monaſteria* nuncuparentur: ſecundò aſſentiri nos doctiſſimi viri aſſertioni nunquam poſſe, evincere conantis, ante Chrodegangum Metenſem Epiſcopum, hoc eſt, ante annum 743. in Gallia extra Cathedrales inſtitutum Canonicorum ferè fuiſſe inauditum: quódſi enim per inſtitutum Canonicorum illud ipſum intelligit, quod nos generaliter votivam, communémque Clericorum vitam dicimus, allata teſtimonia in aprico ſunt, quibûs contraria opinio omninò corruit. Si verò ad ipſum ſe alligat Canonicorum nomen, Collatis, quæ ſuperiùs de hoc nomine diſſeriumus, ejúſque origine, ac uſu, non minùs eadem ipſa talìs aſſertio ſubſiſtere nunquam poteſt: præterquàm, quòd ſub hoc ipſo Canonicorum nomine teſtimonia paſſim adducta ſint, quæ rem in favorem noſtrum abundè ſtabiliunt. Eruditè itaque obſervavit Desmajus in vita S. Furſei, cùm legeret in antiquiſſimis documentis ad montem Cygnopum Peronæ exſtructam Eccleſiam fuiſſe, ibique corpus S. Furſei depoſitum, *monaſteriumque exſtructum, in quo religioſi Canonici adſerviendum Deo, & Sanctis ſuis, & præcipuè eis, quorum præſentia ibidem habebatur, juxta Beatorum Patrum decreta inſtituti, ac poſſeſſionibûs ampliſſimis fuêre ditati*; per Canonicos neutiquam ideò monachos intelligendos, quòd locus ille *Monaſterium* ab antiquis appelletur: *id enim*, inquit, *ea ætate uſitatum, vel quòd COMMUNITER viverent Clerici, itáque Sanctam vitam, ut monachis Similes eſſent. Vel quòd vulgus aſſuetum videre complures monachorum Eccleſias, omnes promiſcuè, etiam aliorum monaſteria vocabat.* Hæc ille, quamvìs pro firmiori ratione eam addere potuiſſet, quam nos ſuperiùs tanquam omnium certiſſimam allegavimus, quæ etiam tam legitimè ad hodiernum usque ſubſiſtit diem, ut ſine ullo inſtituti noſtri Canonici præjudicio, omnia Collegia dicere monaſteria poſſimus, & inſultanti in tale nomen ipſa ſua imperitia obiici poſſit, quâ laborat.

Annal. Ben. L. 22. n. 55.

vita S. Furſei ſcripta Idiom. Gallicô à Jacobo Desmajo an. 1607. C. 21.

8\. De Monaſterio S. Auguſtini, quale illud? reſolvitur. Quæſtio.

Demum, cùm ſuperiùs, & memoria monaſterii adducta ſit à Magno noſtro Reſtauratore S. Auguſtino exſtructi, & in ipſo hujus Capitis veſtibulo quæſtionis connexio de hoc eodem monaſterio loquendi occaſionem ſuggeſſerit; inſtituti noſtri metam non tranſiliemus, ſi de eodem quædam obſcura magìs, ac dubia declaraverimus: quorum præcipua hæc duo ſunt. Primò an S. Auguſtinus duo, an unum erexerit Clericorum Cœnobium? Secundò: quam vitam egiſſe ante Presbyteratum aſſumptum S. Auguſtinus videatur, ex adducto à ſe motivo exſtruendi monaſterii in horto Valerii, quámque vitæ normam tenuerint utriusque monaſterii Alumni? Duo monaſteria Sanctiſſimum virum condidiſſe conſtans plurium recentiorum, hiſtoriam illius apprimè ponderantium, traditio eſt, à qua ſententia nec nobis recedere licitum eſſe omnino judicamus ob ſubſequas præcipuè rationes.

Primò: quamvìs quidem de duplici monaſterio nec Auguſtinus diſſertè, nec Poſſidius loquantur, nôn tamen obſcurè illud inſinuant: Auguſtinus enim ſermone primô de moribus Clericorum: *quia*, inquit: *diſponebam in monaſterio eſſe cum fratribus, ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium.* Ergò iſtud in diſtincto loco

loco erat ab Epiſcopio Scilicet in horto Valerii. Poſſidonius verò, *monaſterium*, ait, *factus Presbyter intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere capit*. Quòdſi iſta in unam hiſtoriæ veritatem combinamus, eveniet ſanè, hortum Valerii ſic contiguum fuiſſe Eccleſiæ ipſi Cathedrali Hypponenſi, ut intra limites illius concluderetur: neque enim Sana interpretatione dici poſſet, hortum, in quo monaſterium exſtructum eſt, in ipſa Eccleſia fuiſſe, quaſi ſcilicet ſolam intelligendo Eccleſiæ ſtructuram: ſed intelligi Eccleſia hic debet latiùs ſumpta, pro certis Scilicet finibus, quibûs ipſa cum adjecto territorio circumſcripta ſupponitur, & in quo hortus Valerii conſtiterat. At S. Auguſtinus apertè adhuc alterius monaſterii meminit, diverſi planè ab illo, quod in horto exſtruxerat, nimirum illius, quod in ipſo conſtituit Epiſcopio: *perveni*, inquit, *ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum, exhibere humanitatem aſſiduam quibusque venientibus, ſive tranſeuntibus: quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus dicerer; ſi autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet, & ideò volui habere in iſta domo Epiſcopii mecum monaſterium Clericorum.* Ideò igitur *monaſterium Clericorum* in Epiſcopio habere voluit, quin & habuit, ut aliud in horto poſitum ab hoſpitibus venientibus, ſive tranſeuntibus ſit liberum: cùm enim tam in monaſteriis, quàm in Epiſcopiis ſemper ſolita eſſet hoſpitalitas, ne illiberalitatem cauſarentur, monaſterii in horto vices ſupplere voluit ipſum cum Epiſcopio monaſterium, in eo ex hoc fine paratum. Et ſi voluit S. Præſul tanquam actu Epiſcopus habere monaſterium in domo Epiſcopi, ergò antea in hac tale non fuit, alioquin gratis diceret, ſe voluiſſe tale monaſterium habere, adeoque in horto Valerii aliud fuit, quàm in Domo Epiſcopi, illud enim jam ùt Presbyter habuit. Secundò: alterius quoque à Valeriano monaſterio meminiſſe Poſſidius non obſcurè videtur; nam quod Auguſtinus monaſterium in Epiſcopio nominavit, illud indigitavit Poſſidius per domum Eccleſiæ; *domus*, inquit, *Eccleſiæ curam, omnémque ſubſtantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat, & credebat: nunquam Clavem, nunquam annulum in manu habens, ſed ab eisdem domûs præpoſitis cuncta & accepta, & erogata notabantur*. Hæc domus Eccleſiæ non erat alia, quàm ipſæ ædes Epiſcopales, quæ ab Auguſtino ad eam normam inſtructæ ſunt, ut regularem Clauſtri, ſeu monaſterii formam præſeferrent, in qua certus numerus Clericorum viveret, de quibus ſæpiùs Poſſidius loquitur, & præcipuè dum cap. 25. ait, *cum ipſo ſemper Clerici una etiam domo, ac menſa, ſumptibúsque communibus alebantur, & veſtiebantur*. Atque hoc erat monaſterium Clericorum in Epiſcopio, quod fortè ideò tale non nominavit Poſſidius, ut adverteretur domum Epiſcopi ſimul fuiſſe ipſum monaſterium Clericorum.

Ened. poſt L. præſ. & Canon. quæſt. ſing. 54. Bertaz. de Clauſ. inſtrum: Clauſ. 16. gloſſ. 6. n. 1.

in vita Cap. 24.

Cap. 11. vitæ.

Tertiò: Poſſidius ait de S. Auguſtino jam Epiſcopo: *proficiente verò doctrina divina ſub Sancto, & cum Sancto Auguſtino in monaſterio Deo ſervientes Eccleſiæ Hypponenſi Clerici ordinari cæperunt, ac deinde innoteſcente, & Clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, Sanctorúmque ſervorum Dei propoſito continentiæ & paupertate profunda, ex monaſterio, quod per illum Venerabilem virum & eſſe & creſcere cæperat, magno deſiderio poſcere, atque accipere Epiſcopos & Clericos, pax Eccleſiæ atque unitas & cæpit primò, & poſteà conſecuta eſt.* Sed quale hoc aliud monaſterium eſſe poterat, niſi quod Clericorum à ſe jam Epiſcopo collectum Auguſtinus, Poſſidius autem ſuperiùs domum Eccleſiæ ſeu ipſam Cathedralem habita-

bitationem dixit? aliud profectò ab illo intra Eccleſiam poſito: nam iſtud erat hominum necdum in Sacris conſtitutorum, & ideò neque Auguſtinus, neque Poſſidius Clericorum nuncupare voluit. Neque obſtat S. Thomæ authoritas dicentis, quòd factus Presbyter monaſterium Clericorum mox inſtituit: ille enim, Clericorum nomine in primo monaſterio affecit illos, qui in eo exiſtentes diſpoſitione proxima, ac inchoativè tales eſſent, utpote aliquibus jam in minoribus conſtitutis, aliis verò ordinandis. Auguſtinus, & Poſſidius econtra ſolùm loquebantur de majoribus, ſeu in majoribus conſtitutis. Atque hi erant, qui in ſecundo monaſterio, ſeu domo Epiſcopali commorabantur, ipſi Sancto Viro in vita, bonorúmque communi-
1. Pet. 3. 15. tate convivebant in ſpiritualibus eximiè fundati, in doctrina probati, & virtutibûs iis, quæ viris Apoſtolicis expediunt (ut *parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ* in ipſis erat *ſpe*) ornatiſſimi: ſed ut hæc magis eluceat veritas, jam ad reliqua quæſita reſpondere oportet, quam ſcilicet vitam Auguſtinus, quámque ejusdem alumni in gemino monaſterio obſervaverint?

Vide ſupra cit. loc.

De primo illo, quod Auguſtinus mox, ùt Presbyter factus eſt, ordinavit, audiendus eſt idem; *Ego* inquit: *quem Deô propitiô videtis Epiſcopum veſtrum, juvenis veni ad iſtam Civitatem; quærebam, ubi conſtituerem monaſterium, & viverem cum fratribus meis, ſpem quippe Sæculi omnem reliqueram. Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in monaſterio: apprehenſus Presbyter factus ſum. Et quia hoc diſponebam in monaſterio eſſe cum fratribus, ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium.* Duo hìc cumprimis obſervanda occurrunt, primò: tempore S. Auguſtini monaſteria (ut jam non recoquamus, de quibus mox diſſeruimus) exſtitiſſe quàm plurima ſolorum Laicorum nulli certo ordini, profeſſioníque religioſæ addictorum, neque minùs & Clericorum: nam Auguſtinum adhuc Presbyterum rogaſſe ab Aurelio, ut ſibi Alipium ſubmitteret Carthagine in monaſterio Aurelii degentem, Hypponenſibus ſuis formam religioſæ vitæ traditurum. Epiſtola ad eundem Aurelium Epiſcopum data docet: in qua ſic eundem offatur: *Quod fratrem Alipium in noſtra Conjunctione manſiſſe, ut exemplo ſit fratribus curas mundi hujus vitare cupientibus, benevolentiſſimè accepiſti, ago gratias, quas nullis verbis explicare poſſim - - - omnis itaque fratrum cætus, qui apud nos cæpit coaleſcere, tantâ tibi prærogativâ obſtrictus eſt, ut locis terrarum tantum longè disjunctis ita nobis conſuluneris, tanquam proſtantiſſimus ſpiritu.* Ep. 21. C. 1. n. 1.
Illud verò monaſterium (ex quo Alipius Ipponem tranſiit ad tempus) Clericorum fuiſſe, non monachorum, inde conficitur. Alipius, ut ex Saniori Chronologia habemus, factus eſt anno 394. Epiſcopus Tagaſtenſis, hoc eſt annô ſeptimô à ſuo Baptiſmo, & quia tribûs non planè annis cum Auguſtino in agris Tagaſtenſibus commorabatur, id eſt, ad annum 390. videtur inde Carthaginem abiiſſe, promotúsque fuiſſe ad Clericatum, Epiſtola enim mox laudata, quam Aurelio Auguſtinus Scripſit, nequaquam indicat, Alipium nondum diſceſſiſſe ab Auguſtino, cùm hic ab Hypponenſibus ad Presbyterium raperetur: lege epiſtolam illam, an non diſſertè Auguſtinus gratias referat Aurelio, quòd Alipium ſibi conceſſerit ad ſuum monaſterium Hypponenſe informandum: Auguſtinus factus eſt Presbyter annô 391. & Epiſtola dicta ſcripta eſt ad Aurelium an. 392. quo tempore ſcilicet primas planculas ſui monaſterii ad perfectionem ædificio-

ficiorum deducti rigare volens, diſtractúmque nimiùm parochialibûs curis (cùm religioſis ſuis ſatis præeſſe non poſſet) Alipium ſibi de ſcientia, ac virtute apprimè notum ab Aurelio expetiit, certè verba illa: *omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cæpit coaleſcere, tantâ tibi prærogativâ obſtrictus eſt, ut locis terrarum tantum longè disjunctis ita nobis conſuixeris &c.* nimis clarè indicant, ab Aurelio ſubmiſſum Alipium fuiſſe, ùt quid enim gratias ageret ob Alipium, quòd eum in Hypponenſi conjunctione manſiſſe Aurelius benevolentiſſimè acceperit, ſi nunquam ſub Aurelio fuiſſet Carthagine? igitur annô 392. miſſus Alipius ab Aurelio (cùm primùm hic Carthaginenſem Epiſcopatum adeptus eſt) ad Ipponenſe Auguſtini recenter exſtructum in horto Valerii monaſterium, in eo aliquanto tempore ſubſtitit, dum dein eôdem annô in Palæſtinam abiit, & annô 393. redux in Africam, mox creatus eſt Tagaſtenſis Epiſcopus. Cùm enim nullum veſtigium exſtet Alipii extraordinariæ promotionis ad Infulam Tagaſtanſem prudenti Judiciô æſtimandum eſt, eum ante Epiſcopatum conſueto tempore ad Presbyteratum perveniſſe. neque ſimul, eôdemque tempore, proùt fortè Divo Ambroſio factum; quod ſanè Auguſtinus non reticuiſſet Hieronymo ſcribens Epiſt. 28. in qua Alipium laudat tanquam recenter Epiſcopatu inſignitum. Non ergò ſupponi poteſt Alipius ad Ipponenſe monaſterium informandum expeditus fuiſſe à S. Auguſtino tanquam laicus, nec tanquam monachus; non tanquam laicus, quia adducta argumenta, & Chronotaxis vitæ illius diſſentiunt. Neque ùt monachus; cùm partim ſi Alipius Monachus fuiſſet, non ſub Aurelio, ſed ſub Abbate conſtitiſſet, à quo fuiſſet poſtulandus: partim autem inconvenientiſſimè accidiſſet monaſterio Auguſtiniano, quod Clericorum, non monachorum erat, à monacho informari. Clericum igitur Alipium (ſi fuit in Clericali monaſterio Carthaginenſi ſub Aurelio Epiſcopo) vixiſſe nemo inficiabitur, qui temporum illorum rationem attenderit; tum enim in urbibus monaſteria monachorum fuêre omninò nulla, cùm S. Auguſtinus. L. 2. retractat: Cap. 21. dicat: *ut de opere monachorum librum ſcriberem, illa neceſſitas compulit, quòd cùm apud Carthaginem monaſteria eſſe capiſſent, alii ſe ſuis manibûs tranſigebant obtemperantes Apoſtolo: alii verò ita ex oblationibus religioſorum vivere volebant, ut nihil operantes &c.* ſcripſit autem vir Sanctus, juxta certiorem operum ſuorum Chronologiam, hunc librum de opere monachorum annô circiter 400, adeoque ſex poſt obtentum ab Alipio Epiſcopatum Carthaginenſem annìs, cùm ergò an. 400. Carthagine primùm monaſteria eſſe inciperent, ita quidem, ut in rebus novis, & necdum ad plenam regulam reductis fieri ſolet, monachi ſe in diverſas vivendi rationes ad libitum dividerent, ſanè nec occurrere animo tale quid poſſet, ut cenſeatur in urbe Carthaginenſi annô 392. aut 93. monaſterium monachorum ſtrictè talium fuiſſe, cùm eadem circa annum primò 400. Carthago habere inciperet; Ex quô igitur aptè diximus, monaſterium S. Auguſtini Presbyteri non aliud fuiſſe, niſi Clericorum.

Quòdſi demum huic de primo Auguſtini Monaſterio aſſertæ à nobis ſententiæ opponas, Auguſtinum, alios in primô monaſterio non collegiſſe, niſi qualis ipſe, uſque dum ad Presbyteratum rapiebatur, eſſe cupiebat; at hic, Sancta humilitate munitus, fugiebat Clericatum, ita quidem, ut ſe ipſo teſtante etiam locum illum declinaret, quem egere Epiſcopô audiebat, qui ergo Clericatum renuit, time-

monachiſmum elegit, & abjectus eſſe maluit in domo Dei, quàm ſe eis, qui præſunt populis, coæquare. His aliíſque huic objectioni ſimilibus reſpondeo, graviter labi opinantem, Auguſtinum Clericatum fugiſſe, cùm ipſe de ſolius Epiſcopatûs fugâ teſtimonium perhibeat, hæc ejus verba: *uſque adeò timebam Epiſcopatum, ut quoniam cæperat eſſe jam alicujus momenti inter Dei ſervos fama mea, in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illò accederem, cavebam. Et hoc agebam, quantùm poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer.* At hunc locum humilem, in quo ſalvari quærebat, an continuò putabimus monachiſmum fuiſſe? nequaquam profectò: Auguſtinum enim Clericatum non ſolùm non declinaſſe, ſed intendiſſe, apertis argumentis docemur ex ejuſdem iterum teſtimonio petitis: Nam cùm à Valerio urgeretur, ut quantò citiùs ſe ordinari in Presbyterum ſineret, hæc inter alia eidem à ſe reſcripſiſſe conſtat: *Ante omnia*, inquit, *peto, ut cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut presbyteri, aut Diaconi officiô, ſi perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut presbyteri, aut Diaconi officiô, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eô modô militetur, quo noſter Imperator Jubet. Qualis autem iſte ſit modus, nec à pueritia, nec ab Adoleſcentia mea didici: & eo tempore, quo diſcere cæperam, vis mihi facta eſt meritô peccatorum meorum &c.* hæc verba: *eô tempore, quo diſcere cæperam*, ſi benè capio, profectò innuunt, rectè tempore illo, quô ſe Auguſtinus reſolverat, Clericatum ſuſcipere, ideòque ad eum hic ſuſcipiendum (ut ab ipſo *eô modô in Clericatu poſtmodùm militetur, quô Imperator noſter Jubet*) ſe actu diſpoſuerat, venienti Hypponem aliquem ſuorum amicorum inviſuro, vim factam eſſe, non, quòd ad Clericatum ſuſcipiendum raptus ſit, quaſi nunquam eundem intendiſſet, ſed eo tempore, quô necdum ſe paratum ſatis eſſe exiſtimabat. Ideo Poſſidonius in vita S. Auguſt. ait: *ſcientes Catholici S. Auguſtini propoſitum, & doctrinam, manu injecta tenuerunt &c.* nempè ſcientes propoſitum ad Clericatum; profectò non ad monachiſmum: quòd ſi enim ad hunc ejus propoſitum ſciviſſent, quomodo ob id eum tenere, & ad Presbyteratum præſentare ideò potuiſſent, cùm monachi propoſitum fugam Clericatûs, ac Presbyterii requireret, non promotionem ad eundem. Nil certè clarius hôc Poſidonii locô, hinc ejuſdem Sancti viri in dicta Epiſtola conteſtatio dicentis: *certè vel nunc, cognitâ ægritudine meâ, debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perſcrutari, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tam periculoſa negotia tribuatur: quod antè non feci, quia & tempus non habui*: en cauſam! *quia tempus non habui*, ſi Auguſtinus Clericatum fugiſſet, hanc potiùs fugam, quàm temporis penuriam in rationem adduxiſſet: ultrò proſequitur: *tunc enim ordinatus ſum, cùm de ipſo actionis tempore ad cognoſcendas divinas ſcripturas cogitaremus, & ſic, diſponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium poſſet eſſe.* Quibûs verbis nihil Clarius, quô concludere liceat, S. Auguſtinum, cùm adhuc cum amicis jejuniis, & orationibus vacabat, Clericatum omninò intendiſſe: tunc enim de ipſo actionis tempore cogitabat, tunc ideò Scripturas perquirebat, ac ſcrutabatur, tunc otium ad hoc negotium quærebat; atque per hoc otium intellexit ipſum monaſterium, de quo teſtatur, ſe quæſiiſſe, *ubi conſtitueret monaſterium, ut viveret* Serm. 49. *cum fratribus:* otium, inquam, in

mo-

Digitized by Google

monaſterio quærebat ſibi conſtituere, ut ſe ad Clericale negotium præpararet: quod ſanè monaſterium monachorum eſſe non poterat, ſed Clericorum, minorum ſcilicet; qualia præcipuè in Gallia, Hiſpania, ac Italia ſubſequentibûs Sæculîs paſſim erat reperire: Et qualium facilè Euſebius in Italia, Aurelius Carthagine, aut Author, aut præcipuus reſuſcitator æſtimari potuit: quorum utriusque exemplô Auguſtinus inductus Hyppone conſtituit, quod per Alipium debitâ regulâ informari petiit, ùt ante diximus, ipſum ſcilicet Collegium Clericorum, quali in prænominata Carthagine idem Alipius, fortaſſe quoque ùt præſtitutus ab Aurelio director, præſidebat. Dico Clericorum: ſi enim monachorum & duplex obſtabat ratio, prima, quam priùs allegavimus, quód tunc necdum monaſteria talia in urbibus eſſe ſolerent. Secundò: quòd Clericatum intendentibus non incumberet ingredi monaſteria monachorum ſub Abbatibus, ſed Clericorum ſub Epiſcopis: monachis enim non concedebatur Clericatum petentibus, aut intendentibus, ſed potiùs hunc honorem fugientibus: ùt ipſe S. Auguſtinus teſtatur, & nos mox ſuperiùs obſervavimus.

9. *omnes in Monaſterio Auguſtini viventes Clerici votivi unâ cum ipſo fuerant, neutiquam unquam monachi.*

Porro malunt quidam eruditiſſimi Scriptores Auguſtino unum potiùs, quàm duo diſtincta accenſere monaſteria, ajúntque & illud, quod in horto Valerii exſtruxit ùt Presbyter, & illud, quod ſecum habere voluit Clericorum ùt Epiſcopus, unum idémque fuiſſe, cui ſententiæ nolo pertinaciter obſiſtere, eò quidem minùs, quò eoſdem viros Doctiſſimos principalis aſſertionis meæ fautores ſuſpicio: nam, cùm nemo eorum neget monaſterium illud, quod ùt Epiſcopus habuit, Clericorum exſtitiſſe: ſtante, quòd cum illo in horto Valerii unum, idémque ſit, abnuet nemo illorum fuiſſe quoque Clericale, ſeu igitur duo, ſeu unum adſtruantur, Valerianum monaſterium Clericos aluit juxta omnes, nutrivítque. Unde ne multis inhæreamus ea in re, quæ dudum ſaltem eorum ſcriptorum propugnatur Calamô, qui animum affectibûs liberum, ſtylúmque formant nullis ſtipendiis conductum: libet omnium argumentorum locô lectorem plura perquirentem veritatis hujus teſtimonia, vel ad unum clariſſimum Authorem operis diſciplinæ Eccl. ablegare, apud quem illam tam ſolidè aſſertam intuebitur, ut nihil à nobis deſiderari poſſit; meritóque cum eodem, tota tum de Auguſtini, ùt adhuc extra Epiſcopatum, Presbyteratúmque converſantis, tum ſuorum ſeu in Epiſcopatu, ſeu in Presbyteratu collectorum ſodalium inſtituto agitata quæſtio ſequenti poriſmate obſignabitur, dum ait: *His manifeſtè patet in ſeminario Auguſtini non fuiſſe, niſi Clericos - - - nonnihil autem hinc exprimitur elucidamenti adverſus opiniones duas è diametro pugnantes, in quas non pauci impegerunt, alii enim volunt & inſtitutos ab Auguſtino Monachos, & ipſum monaſticam vitam profeſſum eſſe, alii obſtinatè vetant, ne qua profeſſione, ne quo voto obligata fuerit ipſius Congregatio. Illi quidem priores abunde jam confutati ſunt à nobis, duobûs hîs capitibûs, ubi Auguſtinus ſibi, ſuiſque ſemper Clericorum nomen vendicavit: cùm monachi, qui Sacro aliquo ordine ornabantur, monachi ſemper dicerentur, ne ſanctiſſimæ profeſſionis fraudarentur Gloriâ. Ad Aurelium rurſus Scribens Auguſtinus, ſubmonénſque, non promovendos eſſe monachos ſupra Clerum, illud orat, ut meminerit, Clericos ſe ambos eſſe: Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam monachos ſurrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus &c. Denique in Confeſſionibus præſefert Auguſtinus, illud ſibi aliquando propoſitum, certúmque fuiſſe, ut abſtruſam*

Vide Thomaſ. P. I. L. 3. C. 1. 2. 3. n. 9.

aliquam in ſolitudinem aufugeret, conſcientiæ maculas pænitentiâ lacrymis abſterſurus; ſed divinitùs admonitum ſe, ita Deo viſum eſſe, ut ſordes everteret peccatorum, in ſubeundis Clericalis vitæ laboribus, propriámque procuraret ſalutem in ſalute proximi promovenda. Conterritus peccatis meis agitaveram in corde, meditatúsque fueram fugam in ſolitudinem: ſed prohibuiſti me, & confortaſti me Domine, dicens, ideo Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. Confeſſ. L. 10. Cap. ult ib. C. 30. *Confitetur quidem alibi, ſe continentiam amplexatum. Et ante ordinationem factum eſt, & antequam Diſpenſator Sacramenti tui fierem: id ſe feciſſe verò Monaſtici inſtituti profeſſione, nequaquam inſinuat &c. Certiſſimè enim in Laicorum quorundam pio contubernio hoc ille propoſitum tenuerat, & in eodem cum amicis ſeceſſu tenuit. poſtquam Hyppone creatus eſt Presbyter: ita perhibente Poſſidio.* Ubi tamen illud hujus ſcriptoris obſervo, dum dicit: *monachi etiam cùm ſacro aliquo ordine ornabantur, monachi ſemper dicebantur.* Id poſſe dupliciter intelligi: aut, cùm in ſacerdotes ordinarentur, intra ſuæ profeſſionis penetralia; aut cùm ad Clericalia evocarentur munera, extra Clauſtra ſic victuri impoſterum, ut Eccleſiaſtico (proùt loquitur M. Gregorius) officio præfecti, in monaſteriis (è quibus aſſumpti fuerant) ne quidem habitandi ulteriùs poteſtatem haberent. Greg. L. 7. Ep. 18. Item, aut de monachis urbanis, de quibus nos alibi prolixè; aut de monachis ſtrictè talibus: illi ſeu intra monaſteria majoribûs jam inſignes ordinibûs, ſeu ſtrictæ profeſſionis monaſticæ regulæ illigati, cùm etiam ad Eccleſiaſtica munia aſſumerentur, monachi nomen non dimittebant, qualis erat Fulgentius ille Ruſpenſis Epiſcopus, aliique. Iſti verò, qui monachi nomen eatenùs ſolùm obtinuerant, quòd Chriſtianæ perfectioni ſolertiùs intenderent, de cætero nihil à quocunque differrent Laico, quamvìs in monaſteriis, ſeu Congregationibus intra urbem, vel urbi proximis degentes; quales plurimas ſe profitetur Auguſtinus Mediolani ſub Ambroſio nutritore vidiſſe: aut qui in monaſteriis quidem etiam arctioribus, feréque monaſticis degerent, non tamen eô arctitudinis vinculô obſtricti monaſtico inſtituto erant, quô illi, qui ſimul reliquis monachis Clericalium munium cauſâ præſtituebantur jam ſacris proviſi ordinibûs: Hi, inquam, dum ad Clericatum poſtulabantur, tam liberè monachiſmum omnem dimittebant, tam puri Clerici efficiebantur, quàm vel nunquam noſtris temporibûs dimiſsis ſimplicibûs votis quiſpiam ſe ad alium ſtatum transmittit. Hîs animadverſis libet ultrò allegati Scriptoris noſtri alteram partem advertere. Sic ergo ille.

Quoad illos verò, qui Clericos ſeminarii Auguſtiniani opinati ſunt nullo voto, nullo vinculo obſtrictos fuiſſe; uti nunc cernere eſt in Presbyteris Oratorii tum Romani, tum Gallicani: poterant ii, nimirum Petrus Aurelius, Miræus, Clemens Renerius, aliique hoc errore carere, perlectis duabûs illis concionibûs Auguſtini, ex quibus hoc caput contexuimus. Diſſertis enim verbis Sanctus Pater profeſſionem, & votum Evangelicæ paupertatis expreſſit, quô Clericos ſuos conſtringebat omnes. Si tacuit autem vota obedientiæ, continentiæ & ſtabilitatis, in cauſa fuit, quòd Clerus iſte Domeſticus, & Epiſcopo conjunctiſſimus, non conſtaret niſi Presbyteris, Diaconis, Clericiſque, qui ordinibus ſuis Sacris, uti vinculis illigabantur continentiæ, adeoque & obedientiæ, qua Epiſcopo impendenda erat, ac denique ſtabilitatis in Eccleſia propria. Suô infrà locô comprobabimus ipſa ordinatione ſua Clericos affixos Eccleſiæ ſuæ, mancipatos Epiſcopo n. 10.

copo ſuo fuiſſe; atque adeò nec alio opus fuiſſe voto, vel obedientiæ vel ſtabilitatis. Ordinibus ſuperioribus in Eccleſia Latina lex inexorabilis continentiæ incumbebat, adeoque & Subdiaconis ipſis in Africa tempore Auguſtini, una ergò reſtabat voluntaria paupertas, quam Sancire poſſet Auguſtinus in ſuo Clero, eique ſingulare hinc decus & ornamentum Sanctimoniæ conciliare, quod & ſtrenuè perfecit. Hæc ergò Vir iſte, ſcriptórque doctiſſimus.

Cujus fundatiſſimæ Doctrinæ neminem non ſubſcripturum confido; ex qua autem illud adhuc deducendum cenſeo, quod ait, *Clerum Auguſtini Epiſcopi Domeſticum non conſtitiſſe niſi Presbyteris, & Diaconis*: Sic ſanè in hoc patrocinantem reperio noſtræ ſententiæ, duplex monaſterium ab Auguſtino conditum propugnanti, ut ſicut in illo Epiſcopali, non alii eſſent niſi Clerici Ordinum majorum, ita in altero, quod ùt Presbyter erexit, conſiſterent aut Clerici actu in minoribus conſtituti, aut certè Clero proximi: Clerici, inquam, actu, quales erant, quos ipſe Sanctus memorat, Antonius imprimis, qui ab Ep. 209. n. 3. ipſo in monaſterio à parvula ætate nutritus *præter lectionis officium nullis clericatûs gradibûs, & laboribûs notus erat.* Hic in monaſterio Epiſcopali conſiſtere non potuit, cùm in iſto non niſi majoribûs inſigniti manerent, ut ex relatis conficitur, ergò in priori. Præterea, alius erat *ſpes* nomine; hic litem exorſus eſt cum Boni- Ep. 78. n. 3. facio, *ambo iſti*, teſte S. Pater, *erant de domo ejus.* Id eſt, uterque de ejus monaſterio, & ut quidem verius videtur, dum hæc diſceptatio agebatur de monaſterio illo ambo, quòd ùt Presbyter fecit: Bonifacius Presbyter erat, & haud dubiè ipſis (velut alibi dicimus) in eo monaſterio conſtitutis præfectus, ùt antea S. Auguſtinus; apparebit id non difficulter utramque hac de re Epiſtolam impenſiùs legenti. Spes ergò, ùt inquit Auguſtinus, promoveri in Clericatum conabatur, id eſt, ad majores Ordines, transferríque à minori illo Valeriano monaſterio ad Cathedrale, unde hactenùs editi habent promoveri *in Clericatu*, quod aptiùs ad ſenſum eſt, nam non videtur, tantam S. Auguſtino ambiguitatem cauſare potuiſſe ſola promotio ad Clericatum, qui obtineri poterat per unam v. g Lecturam, neque requirebat ordinatio hæc manuum Epiſcopalium impoſitionem, ſed poterat Lectoris officium ipſe illis dare Presbyter, unde opus non eſſet, ut adeò Auguſtinus ſe reluctantem teſtetur in ejus ordinatione, dum dicit: *ego autem nullò modô adducerer ei homini, de quo tantum mali exiſtimarem, manus ordinationis imponere, aut per commendationem alicui fratri meo eum ſubintroducere.* Erat ergo & hic *Spes Clericus* in minori monaſterio, aut ſaltem, ſi mihi cum pertinaci Luctamen eſt, *Clero proximus*, quales indubiè complures fuerint, qui in illo monaſterio ſic congregabantur, prout tunc, & maximè ſubſequìs temporibus Auguſtinô (quis ambigat?) exemplum præferente, in plurimis Epiſcoporum domibus inductum erat, quòd in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia à Præpoſito ſibi debuerint erudiri, *Ut ubi octavum decimum ætatis ſuæ annum compleſſent, ſi gratia eis Caſtitatis Deo inſpirante placuerit, hi tanquam appetitores arctiſſimæ vitæ leviſſimo Domini jugo Subderentur, ac primò ſubdiaconatûs miniſterium, probatione habitâ profeſſionis ſuæ à vigeſimo anno ſuſciperent:* ùt loquitur Concilium Toletanum Secundum annô 531. Celebratum. Hoc eſt centum annìs poſt Magni Auguſtini obitum, quo tempore egre-

egregia illa Clericorum votivo-per ipſum facta reſtitutio, & in partes mundi diſſitas latè effuſa eò certiùs credenda eſt cordibus Patrum Toletani hujus Concilii ſpirituíque inhæſiſſe, quò apertiùs hic ipſe Canon integerrimè Zelum Auguſtinianum imitatur, atque manifeſtat, in Hiſpanicis quoque oris hanc laudatiſſimam diſciplinam nullatenùs fuiſſe ignoratam: erant igitur Epiſcopalibus ſedibus proximè contigua monaſteria minorum Clericorum, prout id ipſum ex Canone 22. Toletani 4ti perſpicuum fit, ſic decernentis: *prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum; ob hoc conſtituendum oportuit, ut, ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo Seniori* (hic nempe græcô vocabulô Presbyter erat, qualem Auguſtinus in regula ſua deſignat, & ſuis quoque junioribus cum Clericis præeſſe voluit) *quem & Magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant: quòdſi qui ex his pupilli exiſtunt, ſacerdotali tutela foveantur.* Spectabat iſtud aut ad ipſum Epiſcopum, aut potiùs ad Præpoſitum ab Epiſcopo deſignatum, qui rerum temporalium, & eorum, quæ minoris facultatis erant, curam tenuerat, qualem ipſe quoque Auguſtinus in præfata ſua regula indigitat) *ut & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab injuria improborum.* Non abſimile monaſterium novimus ab Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo exſtructum Seviliæ pro Clericis, atque Scholaribus, *circa quorum curam ita ſollicitus erat, ut ex ipſa vehementi invigilantia ſingulorum Pater probaretur*, ùt inquit vitæ Scriptor. Hanc verò Clericorum Sollicitudinem facilè aſſentiemur Iſidorum ab Auguſtino, ejúsque imitatoribus hauſiſſe, compertô, eundem hunc ipſum virum Sanctum, natum, atque educatum Carthagine fuiſſe. Erat itaque Auguſtini minus monaſterium iis inſtructum hominibûs, qui divino alliciente Spiritu, aut Clero uniri aſpirarent, aut jam actu initiati minoribûs Deo tunc ſacrarentur vitæ ſtabilitate, votorúmque ſolitorum profeſſione ſeu explicitâ, ſeu implicitâ illâ, cujus qualitas ſubſtantiam immutare in hac noſtra quæſtione non poteſt: Excluſîs planè hominibûs merè laicîs tum, maximè monachîs, merè, inquam, laicîs, hoc eſt, talibûs qui nec diſpoſitivè Clero approximarent: quotquot enim Auguſtinus ex illa ſocietate (quam anteà, cùm in agris Tagaſtenſibus moraretur, ſecum habuerat) ad hoc monaſterium Presbyter tranſtulit; non ſolùm Clericos, ſed in diverſis locis ex illis etiam Epiſcopos habere meruit, quales erant Evodius Uzalæ, Poſſidius Calaminæ, Profuturus Numidiæ, Fortunatus Hippone poſt S. Auguſtinum &c. ut hinc de monachîs in illo monaſterio exiſtentibûs ne ſomniare quidem liceat: quippe tot demonſtrativis penè argumentîs adverſùs hanc opinionem militantibûs, ut, cùm ante ſæculum 13. ne quidem hi Auguſtiniani monachi ullis Scriptoribus noti exiſterent, tum demum excogitarentur, cùm collectis in unum per diverſa loca Eremitis ſub regulam S. Auguſtini arctarentur. Novi equidem non ita pridem vitam S. Auguſtini recenti Commentariô exornantibus excidiſſe, ut Scriberent, S. Auguſtinum ipſum ante Presbyteratum aſſumptum, monachum fuiſſe, atque in hoc gloriari ſibi poſſe monaſticam profeſſionem, quòd præſtantiſſimum hunc Eccleſiæ Doctorem *inſtituti ſui in Africa Auctorem, fautorémque, imò etiam profeſſorem habuerit.* Moderata hæc Sanè, nec veritati infenſa eſſet, Sancto Patri attributa lau-

tom. ult. operum S. Aug. in Vita ejusdem à PP. Bened. congeſta. Et Annal. Ben. L. 1. n. 1.

laudatio, ſi iis foret definita limitibûs, quibûs monaſtica profeſſio non plus complectitur, quàm religioſæ, Apoſtolicæque vitæ ſubſtantiam, at, dum eam inſtituti normam involvit, quæ monachos ſua in ſingularitate, ac ſpecie diſtincta conſtituit, tam parùm hæc qualiscunque aſſertio ſuſtineri poteſt, quàm evidenter vel ex ipſis monachis Scriptores monachiſmum ab Auguſtino habere voluerunt alienum. Paulus enim Langius multùm alioquin ſuo D. Benedicti Ordini, in quo militabat, affectus, cùm Auguſtinum è caſtris Eremitarum eripit, neutiquam monachiſmo, ſed genuino Clericatui addicit: *manſit*, inquit: *Auguſtinus omni tempore, quo fuit in Italia Laicus, & cum amicis Laicis & ipſe Laicus reverſus eſt in Africam, ùt præclarè habetur in Sermone de communi vita Clericorum authentico, qui incipit: propter quod volui: ubi dicit, quòd timebat accedere ad loca, ubi nonerant Epiſcopi, quia volebat eſſe in humili loco, & venit cum veſtibus, quibus utebatur Laicus &c. item in libro de bono perſeverantiæ aute medium dicit: quód Romæ Laicus inceperit librum de libero arbitrio, & in Africa Presbyter factus finivit. Hoc ipſum dicit* 9. *Cap. libri Retractationum, item libro de civitate Dei* 22. *Cap.*8. *dicit, quòd quando Carthaginem reverſus fuit, nondum erat Clericus. Sed XII. q. 1. Cap. DUO SUNT GENERA HOMINUM, laicorum videlicet, & Clericorum, ſi non Clericus, ergo laicus &c.* patet ex hoc diſcurſu Langii Auguſtinum ab ipſo aut inter laicos, Sæculares Scilicet homines recenſitum, aut Clericos, neque locum ſuperfuiſſe, quô monachiſmi Schema induiſſet. Idipſum autem omnes aſſeverare certum eſt, quicunque Viro Sancto, ùt par eſt, Eremitæ inſtitutum abnegant, eadem enim argumenta & monachum in Auguſtino, & Eremitam aut ſtatuunt, aut evertunt. Sicut verò nemo jam, quantùm ſcrutari licuit, ex eruditis criticis eſt, qui Eremitarum ſententiæ tutamen ullum deferat, vel triumphum, Sic profectò & monachorum Claſſi non alia niſi partium ſtudia Auguſtinum inſerere conantur.

Chron. Citiz edit. Piſt. T. 1. pag. 1181.

Verùm ubi jam ad calcem hujus Capitis, ipſiúsque ſecundæ partis decurrimus, id denique ex hactenus Formato de Monaſteriis tam Magni Auguſtini, quàm aliorum complurium Epiſcoporùm hujus Excellentiſſimi viri Clericalem reformationem omni perfectione æmulantium diſcurſu coronidis locô adiicere libuit, non gratis, nec inprovidè nos in generali præfixa præfatione annotaſſe, cur labori noſtro litterario non ſolùm monaſteria ab ultima Sæculi undecimi, ſed & à priſtinis, primævíſque reformationibus, imò ab ipſa Apoſtolica inſtitutiòne Sacri Ordinis noſtri (pro cujus propugnatione duplex iſta præmiſſa Pars deſerviit) erecta, atque ſuìs temporibûs florentia adnumeremus: Sicut enim tum in præſenti Capite, tum maximè per hactenùs dilatatam exegeſim producta omnia conclamant, & Clericos regulares, ſeu votivos, jam ab ipſius Eccleſiæ naſcentis exſtitiſſe exordio, & eos-

Digitized by Google

dem continuâ propagine viruiſſe usque ad noviſſima Sæcula, ſic, dum demum in ſequenti tertia parte (quod ſolùm ſupereſt) declaraverimus, nullâ omnino ſpecificâ ratione poſtremos noſtros Canonicos regulares, ab illis antiquis eſſe diſcretos: & quidquid diverſitatis à quibusdam adfertur, illam neutiquam ad tantum diſcrimen ſufficere, quô inſtitutum Canonicorum Regularium ſub regula S. Auguſtini militantium, tanquam novus Ordo aſſeri poſſit, atque decerni. Confidimus apud multos hactenus extra caſtra noſtra certantes, dum ſimul attendent, nihil nos aut fuci, aut falſitatis attuliſſe, quô noſtram ſententiam iniquo marte tueremur, ſed omnia, quæ ſcripſimus, intemeratæ litari poſſe veritati, tandem obtinuiſſe, ut ſi tot argumentis ſuffulti necdum placemus ad aſſenſum, ſaltem poſthàc non diſpliceamus ad offenſam.

NB. Duo numeri pag. qui hic ſubſequi deberent, nempe 23tus, & 36tus errore Typographi omiſſi ſunt.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

De Canonicorum Regularium Inſtituto, & identica cum priſtinis votivis Clericis ratione.

EXplanavimus hactenùs per geminas diductas partes, quidquid ad demonſtrandam imprimis votivam vitam in Clericis, Sæculum undecimum ad usque tempora Apoſtolica præcedentibus deſiderari poterat, tum ex authoritatibus extrinſecis, tum intrinſecis tanquam duabus univerſim omnem aſſertionem in ſolidiſſima veritate ſtabilientibus plusquàm Herculeis Columnis, ultrà quas profectò plus non expeti poteſt à quopiam Erudito viro, non expectari: hôc ipſô deinde argumentorum pondere, & ad probandam analogicam ejusdem per omnia illa præcurrentia decem Sæcula votivæ Clericalis converſationis propagationem uſi ſumus. Porrò Clericos votivam vitam profitentes exſtitiſſe dictis temporibûs oſtendimus, non omnes quidem (neque enim iſtud unquam intendimus) utpotè, cùm certum ſit, jam paulò poſt Apoſtolorum ad ſua meritorum præmia ex hoc mundo abſceſſum, fuiſſe quosdam, qui Eccleſiâ neceſſitatibus Fidelium connivente, præcipuè in illa perſecutionum adverſùs Chriſtianos tempeſtate, ſine omni paupertatis voto licitè proprium poſſiderent, de eóque viverent; cauſam hoc aſſerendi eædem traditiones antiquiſſimæ, Patrúmque effata ſuppeditant, quæ perſuadent, in quibusdam, non in omnibus, permanſiſſe votivam. Cæterùm nobis ſufficit ad cardinem propoſiti noſtri demonſtraſſe, præter proprietarios Clericos ſemper Eccleſiam ſuos habuiſſe votivos, quos ipſa tenerrimè in ſinu ſuæ benevolentiæ, ac plùsquàm materna unquam ſollicitudine fovit, dilexit, conſervavit, & providè curavit ſemper; tantùm nè hæc divina plantatio, & Apoſtolica ſoboles, ullo unquam perverſarum mentium, aliorúmque malorum ingruentium ſquallore ſuffocaretur: hinc ſæculô præcipuè undecimô, atque duodecimô, tot tum ſummorum Pontificum, tum Epiſcoporum, tum ſæcularium quoquè Principum Decreta, Privilegia, Pancarthæ, Fundationum litteræ &c. quæ univerſim omnes, & ſpeciatim ſingulæ conclamant in laudem, & commendationem reflorentis Canonici Inſtituti, quod ipſi certâ ſcientiâ noverant, quantum Eccleſiæ emolumentum adferret, quantúmque jam ab ejus incunabulis comparaverit. Omnia iſta veriſſima eſſe, adhuc ultrò videbimus, tum in ſequenti, quàm mox adornabimus, parte, tum in ſubſequa monaſteriorum ſynopticâ deſcriptione, longè ampliùs autem in ipſo (quod Deo favente emittemus) promiſſô opere.

Hîs igitur ſic firmiter ſtantibûs, demum ad rem ipſam procedendum eſt, Fundamentum hactenùs poſuimus, ſuperædificanda jam illa molles eſt, quæ ſine eo nunquam aut exſtitit, aut exiſtet, ſcilicet; dum vitam in Clero votivam enucleatè declarando ſtabilivimus, exſtructam deſuper reformationem illam ſæculô undecimô cæptam, & usque ad noſtram ætatem multis in collegiis feliciſſimè propagatam enarremus, explicando nimirùm, quæcunque dubia, aut obſcura ſe offerunt, quò minùs aliàs inſtitutum Canonicorum Regularium S. Auguſtini à quopiam erudito cenſeri poſſet ejusdem ſpeciei atque genuinè deſcendentis propaginis cum antiquo votivo-Clericali

li Inſtituto. Quamvis enim (qui utramque hactenùs elucidatam partem ſanô ingenii, judiciique oculô perlegerit) vix ampliùs æſtimaturus ſit, agglomeratis novis argumentis opus eſſe, ad hanc analogicam modernorum Canonicorum regularium S. Auguſtini cum antiquis propagationem comprobandam, utpotè, cùm clarè oſtenderimus, Clericos à primis temporibus usquead ſæculum undecimum ſemper Eccleſiam habuiſſe votivos, hósque in ſua ſpecie individuum quoddam inſtitutum, ſeu (ùt nunc dicimus) ordinem certum religioſum formâſſe, prætereà huic Clericalis inſtituti religioſi ſpeciei nihil in ſua individuatione, aut contuliſſe, aut obfuiſſe permutatos non raro paupertatis gradus jam ſtrictiorum in remiſſiores, jam viciſſim: neque regulæ certæ formam aut habitam, aut deſideratam; neque certas ceremonias, ritus, ſtatutáque præſcripta vivendi, ùt plurimùm loca, nunquam ſpeciem ipſam ordinis Clericalis afficientia, præcipuè, tum, ubi tot notæ diſcretivæ, duobûs ſolùm ordinibûs monachico ſcilicet, & clericali exiſtentibûs, neutiquam requirebantur; neque commutata nonnunquam nomina, quippe non ſpeciei noviter exortæ, ſed notionis commodiùs capiendæ cauſâ aſſumpta; denique hos ipſos votivos Clericos eos eſſe, qui ſæculô undecimô, ac deinceps regulam S. Auguſtini recipientes, quò firmiori radice ſuam toties attentatam, atque inductam, toties tamen labefactatam reformationem roborarent, in regulam S. Auguſtini ſuſcipiendam jurarunt, quam Pontifices ſummi, Cardinales, Epiſcopi, & innumeri penè viri; quique doctrinâ, virtutéque ſanctiſſimi, ſuadebant, inculcabant, demúmque decernebant, ſalvâ ſemper eâ certiſſimâ, atque infallibili prærogativâ, ne quid inde eis aut in ſpecifica cum antiquiſſimis Clericis votivis ratione, aut inſtitutione, derogaretur per hoc, quòd Zelô firmandæ regularis diſciplinæ plurimi eorum arctiori ſe votorum obſervationi devincirent. Cùm ambigi non poſſit, qualicunque demùm obſervantiæ ſe regulari obſtringerent, nunquam eam perfectionis viam aſſecuturos, quam Apoſtoli ipſi, eorúmque Clerici ambulaverant, omni genere exercitiorum ſpiritualium refertiſſimam, neque in virtutum agitandarum ſtudio, ullis Monaſticis præſcriptionibûs inferiorem; ut adeò inde meritò ſibi quotquot etiam ſtrictiſſimæ obſervationis monachi, anachoretæ, vel eremitæ eſſent, in exemplum, imitationémque hos tanquam parentes ſuos reſpicerent, atque honorarent; eatenùs quidem, & in auſpicanda vita monaſtica ſeu contemplativa veros Authores, quàmvis neutiquam ideò talis profeſſionis, utpotè quòd longè aliud ſit rei cujuſpiam Authorem eſſe ex parte, aliud ex toto, aliud quoque in moralibus ſtatum aliquem ordiri, & talem in propria perſona profiteri. Cùm etenim inſtituto monaſtico unicè per ſe ſit proprium, vitæ contemplativæ ſolùm ſe dare, & adeò adventitium alterum, ſalutem nempe curare proximi, ut perfectiſſimus eſſe monachus poſſit, ob omni cura animarum alienus: econtra Apoſtolis neceſſitas incubuerit Evangelizandi, ùt ait S. Paulus, & talis neceſſitas, quâ reatum gravis noxæ non effugiſſent, hoc munus intermittentes, *væ iræ atque gehennæ* intentatô in illos: hinc inſtitutum eorum non poterat unquam ùt monaſticum reputari, niſi quis hæc duo ita confundat, ut, quæ ab antiquiſſimis temporibus, & ab omnibus ſanioris mentis ſcriptoribus diſtincta, diverſáque inter ſe ſummopere ſunt habita, unum eſſe idémque enuntiet, ſed nunquam vel ullô ſolidô argumentô evincat. Quamvis itaque, ùt diximus, hæc omnia abundantiſſimè demonſtrata vix locum ampliùs ullius hæſitationis ad experitum aſſenſum relinquant; cùm tamen non incom-

1. Cor. 9. 16.

Vide Cornel. in hunc locum.

incompertum habeamus, fuiſſe quoſdam ex recentioribus declarare conantes tum monachos genuinis Clericis eſſe annumerandos, tum Canonicos non inter alios niſi monachos cenſeri; Hócque aſſertum pluribus adeò volupe ceſſiſſe, ut non ſolùm magno accurſu illud ſtabilire molirentur, verùm in tantum quoque maximè in Gallia præjudicium omnibus Canonicis regularibus inde cauſaretur, ut in proximo eſſet, quin inter veros monachos habendi, juribus, privilegiíſque Clericalibus hoc ipſo arcerentur; prodiit Annô 1697. privilegiô regiô optimè munitus tractatus ille (de quo nos in præfatione) pro clericatu genuino Canonicis regularibus vindicando, tam ſolidè pugnans, quàm plenè triumphans; quem quia nos hactenus pro directione noſtra quemadmodùm in proloquio conteſtati ſumus, dudum aſſumpſimus, ideò quoque exornaturi tum hanc tertiam adhuc partem, tum ea (quæ ab his nobis adverſantibus objici ſolent) ſcrutaturi, hujus ipſius tractatûs (quæ hac de quæſtione depromit) authorem, quâ licebit, libertate ſequemur, ſecuri ſanè, nos ejuſdem prementes veſtigia, principiáque ſequentes, eò minùs à veritate (quæ una totius operis noſtri meta eſt, atque corona) deviantes fore, quò cautiori ad eam tuendam tramite illum novimus proceſſiſſe. Itáque, quod jam ſupremum eſt, aggredientes, in hac parte tum Canonicis noſtratibus inter requiſitos omnimodæ modeſtiæ limites, quæ ipſorum juris ſunt, aſſeverabimus, tum præjudicioſa ab ipſis conſuetâ modernis religioſiſſimis ſcriptoribus modeſtiâ amoliemur.

Vide tract. disqu: Ord. Can. præfationem per totum.

CAPUT I.

De origine Inſtituti modernorum Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

1\. Decreto Clem. XI. edito Romæ 13. Julii 1717.

SI inanem velitationem his quæſtionibûs movere, & dudum à Romana ſede prohibitam temerariô auſu referre oporteret, néque earum alius finis, vel ſcopus ſpectaretur, niſi qui gloriam prætendit aut invidioſam aliis, aut omninò injuriam. Quàm tutiùs longè prudentiúſque operam noſtram litterariam ad alia verteremus, nihílque nobis tam charum eſſe poſſet, aut proficuum privato affectui, quod non potiùs paratô dimitteremus animô, quàm vel ad momentum, à præfixo obedientiæ termino mallemus ad tam periculoſos anfractus deflectere. Verùm, cùm nihil minùs, quàm ſimile quidpiam, de origine, cæteríſque ordinem noſtrum reſpicientibus proferre in animo ſit, quod lites, controverſiámque illam odioſam intendat, ſolùm eò noſtrum impendimus conatum, quò omnes, quicúnque hiſtoriam Ordinis ſui (quem profitentur) conſignant; hinc ſecuri confidimus, methodum ſcribendi, quam inſtituimus, nulli planè fore præjudicioſam.

Ratio, hâc methodo ſcribendi indicatur.

Volebamus profectò (hæc mens noſtra prima fuit, cùm calamum adhuc intra ſinum contineremus, tantùm nè quid periculoſi attentare putaremur) auſpicari totam hiſtoriæ noſtræ ſeriem à ſæculo undecimo, cui omnium planè eorum calculo (ſi pauciſſimos, & hos quidem ex ipſo propemodùm eruditorum numero aliundè eliminandos excipiamus) noſtri origo inſtituti adſcribitur, qui eidem vetuſtiorem abnegant; verùm obſtitit huic intentioni noſtræ duplex ratio, eaque ponderoſa: primò namque, cùm alius finis hujus operis nobis non fuerit, niſi, ut plenam, ac, ut ita dicam, ex omni parte (prout vires, ac rerum documenta ſuppetunt) abſolutam hiſtoriam conderemus: quantùm profectò (quemadmodùm jam in præfatione præſignavimus) injurii, & graviſſimâ notandi ingratitudinis, veritatíſque temerè occultandæ noxâ fuiſſemus, ſi ſententiam tot veterum teſtimoniîs abun-

abundantem, tot ſummorum Pontificum oraculô honorandam, tot clariſſimorum Doctorum ſuffragiis conſpicuam, ac apud multos recentiores quoque ſcriptores his motivis egregiè, doctéque perſuaſos certam, firmámque ex hocuno capite dimiſiſſemus non tantùm, ſed (quod conſequi debuiſſet) tanquam erroneam æſtimaſſemus, atque fallacem. Neque enim generalem hiſtoriam condendi media via patuiſſet, quâ licuiſſet à dimidiato ævo eandem ordiri, & tamen nuncupare generalem, id eſt, omnia ordinis noſtri tempora complectentem; & quâ intentum finem aſſequi, obviàm fuiſſet, nempè ut quidquid hactenùs multi nobis è ſcriniis ſuis inſtrumentorum, documentorúmque ſubminiſtrarunt, ſæculum undecimum, imò & decimum, nonúmque non raró prævertentium, fideles produceremus, & tamen priora tempora ſubticeremus.

Secundò: Exempla nobis ad id exſequendum ſtimuli fuêre manifeſti, documenta quàm plurima, veritas ipſa pro prioribus ſæculis clericali votivæ vitæ, noſtro inſtituto planè analogæ, apertô candore adſtipulans, denique exinde confidentia ipſa, fieri nunquam poſſe, ut ſententia tot ponderibûs rationum munita, vel minimum incurrendæ apud quemcunque demum offenſæ periculum ſubire poſſet: dixi exempla ipſa, imprimìs enim, ad eam normam, & fortè quandóque etiam liberiorem videmus egregios illos viri toto orbe notiſſimi Mabillonis confectos annales; & ex noſtris; ad eam quoque annô 1727. deductum tractatum hiſtorico-chronologicum de vita, & communitate Clericorum Reverendiſſimi Ab. Cæſaris Benvenuti, ad eam denique ejuſdem hujus Authoris annô 1732. opus de capacitate Canonicorum regularium ad beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia: quæ omnia non tantùm gratioſo ſummorum quoque capitum annutu, virorum Clariſſimorum maximéque circumſpectorum cenſorum approbatione munita ſunt, ſed uſque hodie gaudente, placidâque Minervâ ſapientûm oculis manibúsque volvuntur. Ut adeò ſecurus mihi planè, ac ab omni noxa immunis videar hanc partem eâ methodô ſcribendi exorſurus, ac continuaturus, quâ aliæ dudum præceſſerant; Perventurus, ſic tranquillo adnitente benevolorum Lectorum favonio ad magnum illum paulò poſt calcandum oceanum, ipſius noſtri præfixi operis vaſtiſſimi ſanè, atque ſpatioſi, multorúmque pro viris eruditis documentorum theſaurô abundantis; In quo ſicut pleráque illa (quæ hiſtoriam noſtram generalem procelloſam utcunque reddunt) tanquam hoc in Prodromo jam diſſoluta, atque illuſtrata ſupponemus, ita planiori longè atque faciliori ſemitâ ibidem de ſæculo in ſæculum eandem ipſam deducemus. Cùm itaque tertia nobis adhuc Exegeſis noſtræ pars diſcutienda ſuperſit, præmiſſâ conſultò hac cautione ad primi capitis præfixam quæſtionem progrediamur.

Originem ordini noſtro diverſi diverſam ſtatuêre, & adeò quidem diverſam, qualem vix de alio quodam eſt reperire; quippe multis ſæculis inter ſe differentem. Quidam enim eam affixêre, ùt diximus, ad Ivonis Magni Carnotenſium Epiſcopi, & præclariſſimi Zelatoris Canonicæ Diſciplinæ, hoc eſt, ad ſæculi ipſius undecimi terminos; alii ad tempora Alexandri tertii; alii ad Paſchalis ſecundi: alii ad magnum illud Concilium Aquisgranenſe, quod annô 816. celebratum eſt; alii ad annos Chrodegangi Metenſis Epiſcopi mediâ ſæculi octavi ætate florentis, alii ad Sancti Auguſtini Doctoris Eccleſiæ maximi, & Apoſtolicæ paupertatis eximii in Clero Reſtauratoris; alii denique ad ipſius Eccleſiæ naſcentis incunabula, omnium has adeò

2. *Diverſæ Epochæ quibus origo inſtitut: Canonicorum Regularium S. Aug. aſſigi ſolet, diſcutiuntur.*

adeò diſparatas opiniones tuentium Authorum argumenta ſuam videntur habere probabilitatem, neque nos tam temerarii, ac procaces ſumus, ut dum eam, quam ſolam, & unicam veram, certam, firmámque habemus, atque defendimus, hicque dilucidabimus aliquantò enucleatiùs, adverſùs alias hoc ipſo tanquàm falſas, atque erroneas, debachemur; non eſt id noſtri aut propoſiti, aut emolumenti: ſed cuique ſua ſit maneátque, quam voluerit, ſententiæ libertas, id tamen ſperamus, *cùm veritas cujuscunque rei numerò teſtium, authoritate, dignitate, & famâ perpetuâ deprehendi ſoleat.* Siquidem hæc omnia, noſtra in ſententia, reliquis univerſis præponderent, neminem ſaltem ex eruditis fore, veritatíſque amantibus, qui hâc relictâ, debiliorem minúſque propiorem vero tueatur.

Cap. ſi Teſtes § ſæpè 4. q. 1.

Prima Epocha S. Auguſtino aſſerta examinatur, & rejicitur.

Cumprimis obſervamus: Originaria Antiquitatis ordinis noſtri jura tantô aſſultu diſconvenientium ſententiarum impugnandi præcipuam occaſionem dediſſe frequentiùs attentatam ejusdem reformationem; cùm enim Patrum, conciliorúmque teſtimonia in aprico ſint, quibûs eadem decernitur, veluti illa per geminas præcedentes partes cumulatè produximus, hanc quoque repetitis vicibûs ordinatam fuiſſe, nequit negari, quia verò plerique ſcriptores *reformationem* ab *inſtitutione* minùs olim diſtinxerant, hinc factum, ut dum illam in re agnoſcere debuiſſent, iſtam aſſererent, inter præcipuas autem eæ ipſæ notandæ veniunt, ad quas exordium inſtituti noſtri ſcriptores trahunt. Sic Auguſtinum Clerum ſuum *reformaſſe* ad vitam Apoſtolicam, patet inde, quòd, ſi ipſe *inſtitutor* hujus converſationis votivo-clericalis fuiſſet, certè demonſtrari non poſſet, ante eum ejusdem ſpeciei, normæque vivendi Clericos exſtitiſſe, dedimus autem horum æqualiſſimam cum Auguſtinianis Clericis rationem jam in ipſis Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, quòd ſi quid interceſſiſſet inter ambos diſcriminis, fuiſſet ante tempora Auguſtini deſiderata vitæ votivæ communitas, ac clericalis (ùt vocamus) congregatio: at hanc inter multos occidentales clericos perfectè exſtitiſſe Prioris partis capite tertiô probavimus. Neque quis reponat, congregationes clericales Auguſtinum præcedentes vel ex eo ſpecie diſcretas fuiſſe ab illis, quæ Auguſtinum Authorem habent, quòd illæ neque in monaſteriis ad hoc comparatis, neque ad eum ritum vivendi religioſum, communémque in victu, in veſtitu, in precibus &c. diſponerentur. Diximus enim priori capite, & aliàs, idque ex ipſo hoc Sancto Doctore, monaſteria longè anteà etiam clericorum exſtitiſſe, quàm nomen uſurparetur, apud noſtros præcipuè occidentales, quorum parùm intererat, ut loca, in quibus ipſi Clerici cum Epiſcopis ſuis unâ menſâ, unôque convictu fruerentur, ad Græcorum normam monaſteria, aut latino ſermone oratoria, aut ſub ipſo nomine Eccleſiæ nuncuparent; ritum autem vivendi Communem, ac religioſo cætui convenientem, qui negat in Apoſtolis, ac Clericis eorum, habet ipſum Sanctum Auguſtinum Contradicentem, cùm teſtetur id ipſum his verbis: *Quomodo autem vivere velimus, quomodo Deo propitio jam vivamus, quamvis de ſcriptura ſancta multa noveritis, tamen ad commemorandos vos ipſa de libro actuum Apoſtolorum vobis lectio recitabitur: ut videatis, ubi de ſcriptura ſit forma, quam deſideramus implere.* Et in ſubjecto, quem ex ſcriptura legi curavit, textu dicitur: *Multitudinis autem credentium erat anima una, & cor unum, nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hanc communitatem, ac *ſocietatem omnium perfectiſſimam, & exemplar quoddam prototypúmque* fuiſſe

P. 1. L. 3. Ca. 1. n 1. & 2.

ſe (teſtatur Author Novæ, ac Veteris diſciplinæ) *abſolutiſſimum, omni Clero venturis ſæculis præmonſtratum.* Quodſi igitur tanta diverſitas meritò inter Auguſtini Clericos ac Apoſtolos ponitur ob defectum communis vitæ, ac ſocietatis apud iſtos, hoc ipſo ſequeretur, defuiſſe Apoſtolis principalem formam vivendi, quod admitti nunquam poteſt, teſtimoniô præfatæ ex actibus Apoſtolicis Lectionis, cui ſe unicè Auguſtinus conformare dixit, apertè reclamante. Itaque quicunque primam votivæ clericalis vitæ formam Auguſtino tanquam Authori tribuerunt, unde ipſe hanc acceperit, aut non attenderunt, aut diſſimularunt, nè cogerentur eò ſua argumenta, ſententiáſque dirigere, ubi effugium ampliùs non eſſet, vitam votivam, communémque primis Eccleſiæ Clericis denegandi: quamvis eorum ſaltem ex recentioribus ſcriptoribus pauciſſimi ſint, & ſi qui ſunt, non tam id videntur rationibûs, authoritate, dignitate, famâque perpetuâ, quàm, neſcio, quo affectu compulſi aſſerere: ſcilicet nè venerabili clero injuriam inferant. Quaſi inde deducere oporteat, Hierarchicum Eccleſiæ hodiernæ ſtatum, qui à clericis votivâ communi vitâ liberis regitur, minoris virtutis ac ſpiritualis præcellentiæ exiſtere, quàm antiquum. Quæro autem, quid hi univerſaliter de moderna Eccleſiæ æconomia definiant, in qua vident regularem vitam tenentes per ſe loquendo tenere ſtatum ſpiritualiter excellentiorem, ac nobiliorem, quàm eos, qui ſtatui Clericali ſæculari (ùt dicimus) ſunt adſcripti? quotquot enim authores de hac materia tractantes perquirimus, omnes una voce conveniunt, ſtatum religioſum perfectiorem eſſe ſtatu Eccleſiaſtico ſæculari, de quo paſſim Canoniſtæ in tit. 31. lib. 3. Decret. & communis aliorum DD. quid ergò inde? annè continuò hi Hierarchiæ Eccleſiaſticæ exinde injurioſi? anideò Apoſtolis hæc hæreditario jure non ſuccedit? an denique hinc hæreticis vel ullum datur calumniandi ſubſidium, quibus cujusque ſtatûs conditio, forma, ritúſque vivendi neutiquam celatur, neque latet tam ſæcularium, quàm Regularium Clericorum eandem eſſe vocationis ad Hierarchica munia prærogativam, eandem in ſuſcepto diſpenſationis Sacramentorum miniſterio dignitatem & qualitatem, ideóque ſæcularium Clericorum finem ſalutem animarum curandi neutiquam alium eſſe, aut imperfectiorem ideò, quòd perfectionem profeſſionis religioſæ annexam non habeat, dum unâ, ut ita dicam, & ſolâ expropriationis votivæ notâ illi à regularibus diſcerni videntur, alioquin æquali penè obligatione (imò & votô) caſtitatis obedientiæque adſtricti, ùt eruditè obſervavit Benvenutus noſter; & fortaſſe in ipſo quoque jure habendi, ac res proprias poſſidendi eò delicatioribus illigati ſunt limitibus, quò majori libertati res Eccleſiaſticas diſpenſandi expoſiti.

Opere de capacit. Can. Reg. ad Benef. ſæcul. art. 14. §. 3.

Nihil itaque præjudicioſi, nihil injurioſi viro prudenti, ac circumſpecto inde in celeberrimum Clerum ſæcularem excidere poteſt aſſerenti, Canonicorum Regularium inſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe obſervatum, ac ab ipſis illud in eorum ſucceſſores clericos æquali virtute fluxiſſe, demúmque ſucceſſu temporum relaxatâ charitate, proprietatis, ac poſſidendi jure majorem in partem Cleri devoluto, huic exinde nomen ſæcularitatis fuiſſe attributum, non cujusdam vitii, ſed ſolius diſcriminis cauſâ: neque ideò quidquam eidem de prærogativa, jure, dignitate, atque eminentia Hierarchici Regiminis deceſſiſſe; ſicut nihil Exempli cauſâ derogari valet Epiſcopo, nunquam regularibus votis obligato, ſi dicimus eum ex ſtatu minùs perfecto ad hanc dignitatem perveniſſe, quàm alium ex religioſo inſtituto

ad æqualem tiaram promotum. His ergò ſic conſtitutis ambigi jam ampliùs nequit Auguſtinum Reſtauratorem, non Authorem ſua in Hypponenſi diæceſi fuiſſe præ reliquis tum Epiſcopis fervore, ac dexteritate excellentem ipſius votivo-Clericalis inſtituti, & quamvis ſatis appareat, eadem hæc norma vivendi jam ab Aurelio, Alipio, aliiſque exculta, præprimis tamen Auguſtino tribuitur, cujus ſermones de hac reformatione conſcripti præ reliquis cunctis, hujus certitudinem ſibi vendicant atque ſtabiliunt.

3. *Secunda S. Chrodegango adſcripta, &c.* Alteram inſtituti votivo-Clericalis Epocham Chrodegango quidam aſſignant, eodem penè errore (ſi fas eſt dicere) aut potiùs opinione inducti, quò illi de Auguſtino hoc ipſum ſentientes: nam Chrodegangus nunquam Clericos votivè vivere primus nè quidem in Metenſi Eccleſia docuit, prout cap. 7. partis primæ monſtravimus; ſed quod ille dudum in Clero experi à viris ſanctis noverat, & à multis obſervari actu didicit, hoc ſua in Diæceſi firmiori radice implantaturus regulâ à ſe conſcriptâ reparavit. Regulâ, inquam, tali circumſpectione, atque diſcretione digeſtâ, ut, ne ſimul videretur, violentô quodam impetu illapſam in ſocietates Clericales proprietatem evellere, hanc aliquatenùs diſſimularet, expropriationem tamen ſic commendaret, ut in comparationem aſſumpta appareret ſtatum proprietatis longiuſculè abeſſe tunc à trita, ſanctiſque olim viris conſueta perfectionis ſemita. Hinc nec dubium, cùm diceret, ſuaderétque, ut *ſaltem ad aliquantulamcunque ſimilitudinem converſationis primorum fidelium animos clerici contrahant*: (Cap 31. regulæ apud Labb.) Se quóque aliquem ex inferioribus gradibus expropriationis iis amplectendum conſuluiſſe, qui ab hoc penitùs diſſoluti vivebant: fatebatur enim, in tam *grave diſcrimen jam fuiſſe deventum, ut nil aliud agendum ſit, niſi, ut quantùm poſſent, ſed non quantùm debent, ad rectitudinis lineam reducantur.* (in Præfat. regulæ) Grave diſcrimen nuncupat, non ignorans ex Proſpero, ſeu veriùs ex Juliano Pomerio (quem ideò ſua hac in regula inducit) quàm *indignum ſit, ſi fidelis, & operoſa devotio Clericorum, propter ſtipendium ſæculare præmia ſempiterna contemnat, ùt quid enim accipit, unde rationem reddat? ùt quid peccatis alienis ſua multiplicat? unde neceſſe, imò utile eſt, Clericis in Eccleſiaſticis ſumptibus accipiendis ſuum vitare periculum.* (Cap. 4.) Ideò quoque ſuaviſſimâ planè & ingenioſâ ſolertiâ mox perfectum paupertatis gradum indigitat, dum ſubjungit: *Porrò ſi tales fuerint, qui nec ſuas, nec Eccleſiæ velint habere poſſeſſiones, horum neceſſitatibus providentiſſimâ gubernatione de facultatibus Eccleſiæ debent ſubvenire Prælati, attendentes illud Proſperi, quod habet, inquit, de facultatibus Eccleſiæ cum omnibus nihil habentibus commune habeat.* Proſperum verò allegat, ut inſinuet, nihil novi à ſe conſtitui, dum expropriationem plenam, perfectámque hortatur, ſed jam longè anteà hanc in Clero viguiſſe, fuiſſéque commendatam; cùm Proſper iſte, nec minùs Julianus Pomerius (ſeu ſcilicet iſtum de vita contemplativa tractatum huic, ſeu illi adſcripſeris) ſæculô 5tô hoc ipſum faciendum docuerint. Hæc verò Chrodegangi regula magnô planè multis in locis affectu accepta eſt, & tantò quidem, ut, cùm annô 816. Concilium Aquisgranenſe novam iteratò reformationem in Clero pararet, hinc inde ejuſdem documenta insereret, prout conſideranti patebit. Et hanc reformationem, ex hoc ipſo non minùs apparet, quàm incongruè quidam pro inſtitutione Canonici Ordinis habeant, ſaltem (ùt autumant) inductæ vocis *regularis, Canonicæ*, ſuperadditæ. De quo quia nos alibi abundanter, non expedit dicta repetere.

4. *Tertia undecimò ſæculô, &c.* Sed quicunque relatis inhærent ſententiis, in eo mitiùs cum Ordine

loni, Pontio, & Durando Abbatiam S. Ruſi, quæ in ſuburbanis erat, donavit &c. Charta S. Martini campenſis memorat annô 1060. *factam eſſe ab Henrico Rege donationem hujus loci Canonicis Converſatione regulari Deo famulantibus, quibûs verbîs ſignificantur Canonici regulares: & Charta dedicationis hujus Eccleſiæ, quæ celebrata eſt annô* 1067. *Canonici dicuntur cænobialiter viventes, quoniam in commune vitam agebant, & in morem cænobitarum. Marlottus Remenſis, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor aſſerit Canonicos Dionyſianos, qui regulares ſunt, jam Remis inſtitutos eſſe annô* 1076. *quod & allatis documentis veteribûs approbat; adducit enim chartam ipſam, quæ eo anno, quem diximus, deſcripta eſt, in eâque hæc leguntur verba: Eccleſia itaque meo ſumptu erecta eſt, & labore ad integrum reſtituta, cum diverſis ædificiis ad neceſſitatem fratrum accomodatis, canonicos ibidem ad laudem Dei inſtitui, B. Auguſtini Regulam, ordinémque profitentes. Sic in ea charta loquitur Gervaſius Archiepiſcopus Remenſis Auctor illius donationis. Ex his, aliiſque Marlottus colligit Dionyſianos Canonicos Remenſes in Gallia vetuſtiores eſſe, qui Auguſtinianæ regulæ collum ſubmiſerant. Quidam nihilominus primam regularium canonicorum inſtitutionem tribuunt Ivoni, qui apud Bellovacos Canonicos regulares in Eccleſia S. Quintini primùm congregavit &c.*

b *Intelligis ex his omnibus incertam eſſe originem Canonicorum regularium, verumtamen conſtat, hanc novam inſtitutionem cæptam eſſe ſæculô undecimô. Sed longè difficillimum eſſe, vel tempus, vel ipſum novæ inſtitutionis locum aſſignare, cùm præſertim hujus diverſæ fuerint ſodalitates, & familiæ, quas non ab uno aliquo capite profectas eſſe*

c *agnoſcimus. Cùm enim ineunte hoc ſæculo undecimo viri aliquot, quos pietas, & religio afficiebat, à clericis proſpicerent non cuſtodiri præcepta Canonum, & ipſos à priſca Canonicorum obſervatione longè deflexiſſe, inquirere inter ſe cæperunt, quâ ratione hæc damna repararent, & quô modô ſalubria graſſantibus malîs adhiberent remedia. Inquiſitum eſt imprimis in cauſas graſſantis mali: proclivem animum hominum in malum eſſe invenerunt, eundémque ſæpiùs non quò ratio, & æquum eum ducerent, ſed quò præceps eum impetus raperet, quò immoderati affectus eum protraherent, ſæpiùs eò ruere, quò habendi cupiditas, honorum, voluptatúmque libido eum impellerent, ea verò tanquam frænîs eſſe coërcenda: quapropter re accuratè expenſâ, & diligenter diſcuſſâ in hanc diſceſſerunt ſententiam: clericos eſſe quibûsdam vinculis conſtringendos &c.* ſubjungit hìc, ſuſceptam exin fuiſſe trium votorum profeſſionem, demumque concludit: *Ex illis, quæ* d
retulimus, quiſque facilè intelligit, Regulares Canonicos ſæculô undecimô exortos eſſe, neque unum aliquem ducem, & auſpicem habere, neque omnes congregationes unam aliquam familiam agnoſcere, unde ortæ ſint: has e
congregationes Regularium Canonicorum inſtitutas eſſe, ad mores Clericorum, ſed maximè Canonicorum reformandos, eorum vitam ordinatam maximè fuiſſe ad morem cænobitarum, ita ut communi menſa, communibúſque bonis uterentur, nihilque proprii ſibi retinerent, veſcerentur tamen carnibûs, & linum induerent. Hi verò S. Auguſtini regulam ſequi ſe & obſervare profitentur, séque hujus ſanctiſſimi Præſulis diſcipulos eſſe arbitrantur. Hæc citatus Du bois: cui relatus jam ſuperiùs à nobis Antonius Pagius ſubſequo Epiphonemate ſuffragatus eſt, dum dicit: *Canonicos regulares, qui communi domô, communi menſâ, ac communibûs bonis utuntur, & Sancti Auguſtini Regulam profitentur, hoc ſæculô* (nempe undecimô) *initium habuiſſe, certum tandem eſſe debet.* *Nulla enim ante hæc tempora hujus inſtitutionis in ſcriptoribus Eccleſiaſticis apparent veſtigia.*

Vid. ſupra parte 2.

Quia verò huic Pagiano Oraculo jam ſuperiùs ſatisfecimus, Gerardus autem de Boſco plura articulatim congeſſit, ad rem noſtram apprimè facientia, & hujus capitis collu-

colluſtrantia quæſtionem, eadem per partes (prout litteras in margine textui adjecimus) explanamus.

5\. *An veritati conforme? certum eſſe exordium Canonicorum Regularium ſæculô 11. aſſigendum?*

Primò itaque veriſſimum eſt præcipuè ab illo, qui ſæculô undecimô, ſubſequîſque Canonicorum regularium originem Authorémve inquirit, neutrum eorum fore reperiendum. Neque hinc & congregationes, neque primam, à qua reliquæ derivatæ ſint, domum: proinde in hoc non aberravit Gerardus à vero, cum dixit: *Singulas pro perſonarum tantum conditione temporum, rerúmque opportunitate domos fuiſſe ordinatas.* Deniqúe totum inde diſcurſum admitto usque ad verba illa: *Intelligis ex his omnibus incertam eſſe originem Canonicorum regularium.* Et cætera, quæ ſequuntur. Quæ, quàm ex prævio diſcurſu malè inferantur, perquiramus. Bis enim de Boſco dicit, incertam eſſe originem Canonicorum regularium, certum autem, eorum exordia ſæculô undecimô incæpiſſe; incertitudinem ſat evidentèr evincit, quia in negativis conſtituit, certitudinem nullis argumentîs probat: quidquid enim adducit in robur, non originem monſtrat, ſed reformationem; probemus aſſertum, ut ſimul eam refutemus concluſionem, quam ex diſcurſu litterâ C. notato formavit.

Reformatio nunquam confundenda cum inſtitutione, dum de origine cujusdam ordinis conſultò agitur.

Juxta Gerardum certum eſt ſæculô undecimô ineunte viros aliquot inquirere inter ſe cæpiſſe, cùm à Clericis proſpicerent non cuſtodiri præcepta Canonum, & ipſos à priſca Canonicorum obſervatione longè deflexiſſe, quâ ratione hæc damna repararent, & quô modô ſalubria graſſantibus malis adhiberent remedia. Inſuper juxta eundem certum eſt, has congregationes regularium Canonicorum inſtitutas eſſe, ad mores clericorum, ſed maximè Canonicorum reformandos, ùt patet ex textu ſignato à nobis litt. *E.* Hôc verò ſic ſtante, infero apertiſſimè juxta ipſum Gerardum Canonicos regulares, de quibus hic diſcurrit, nil aliud præſetuliſſe, niſi reformationem ſui antiquiſſimi, ſed admodùm dilapſi inſtituti, non verò (niſi latiſſimo ſenſu) iſtud recenter *fuiſſe exortum.* Cùm enim Gerardus, omnesque melioris eruditionis in hac quæſtione adverſarii ideò tanquam novam inſtitutionem à Canonicis permultis aſſumptam affirment, quòd mores inſtituti Canonici hactenùs à priſca obſervatione deflectentes reducere cuperent, atque, ùt preſſè, prudenterque Gerardus ait: *reformare*, certè eorum intentio non potuit eſſe novum ordinem inſtituere, ſed antiquiſſimo quædam media providere, quibûs ad ſuam priſcam obſervationem revocatus, exhinc firmiùs, atque conſtantiùs perdurare poſſet. Quòdſi enim ad mores Clericorum, & maximè Canonicorum ipſi hi Canonici *reformandos* reſpexerant, inſipidiſſimum eſſet, ideò aſſerere, eos novum ordinem inſtituiſſe; non alitèr, quàm ſi dicerem (teſtante viro erudítiſſimo Mabillonio) ordinem S. Benedicti ſæculô decimô (tum ex ſuperiorum temporum funeſtis bellis, tum ex Abbatum ſæcularium, ac laicorum culpa, qui bonîs monaſteriorum in ſuos uſus converſîs nihil penè reliqui, quô monachi miſerabilem vitam traherent, dimittebant) magna labe deturpatum fuiſſe. Quod ipſum confirmat Lambertus Schaffnaburgenſis, ut fateatur, *in regno Galliæ tantam mali colluviem in monachos ſæculô undecimô illapſam, ut principes Regni ad inſtituendam in Galliis Divini ſervitii Scholam, tranſalpinos monachos evocare cogerentur.* Nec minùs id in Germania deploratum, ùt patet ex chronicis Hildeschermenſi & Marienrodenſi. Si inquam de hoc adeò obſcurato monachorum ſtatu dicerem, novum exinde ordinem inſtitutum fuiſſe, cùm paſſim reformationes ejusdem Benedictini Ordinis aſſumerentur. Certè ob illam annô circitèr 928. inceptam

Annal. Ben. l. 41. n. 1. ſ. neque vero.

Edit. Piſtor t. 1. f. 149. n. 187.

Apud Leibniz t. 2. f. 441. & 413.

cœptam reformationem Cluniacenſem multi ſcriptores Ordini S. Benedicti hoc ipſo tempore ponebant originem : audiendus hac de re Mabillio ſcribens de Rodulpho Galliæ rege Benefactore eximio monaſterii Floriacenſis: *Hoc beneficium*, inquit, *Rodulpho Regi acceptum refert Anonymus libri de miraculis S. Berchacii Abbatis ſcriptor, qui in eo falſus eſt, quòd ſanctum Odonem floriacenſi monaſterio libellum regulæ S. Benedicti primum intuliſſe exiſtimavit, erroris cauſam aliàs jam reteximus, nempè, quòd ita neglecta eſſet tunc, non modò in floriacenſi, ſed etiam in aliis Galliæ monaſteriis, & obſcurata regulæ obſervatio, ut ferè incognita in illis eſſet, ùt olim in Dyoniſiano monaſterio ante reformationem Ludovici curis factam, ejúsque obſervationis reſtauratores pro primariis auctoribus haberentur.* Subjectô dein hanc in rem ex Odone teſtimoniô, addit: *Hæc loquebatur Odo eo tempore, quo dum omnes tam ex Canonicali, quàm etiam permaximè ex laicali ordine ſanctum Benedictum ut Dominum venerabantur, & colebant, ſoli monachi illum oderant, inſequebantur, & velut inimicum malis, fugiebant: videar fortè nimius ad refellendum craſſum, & ſupinum errorem, ſed qui tamen multis aliis auctoribus tam medii ævi, quàm recentioris fucum fecit, adeò ut auctor, neſcio quis? qui de origine ſingulorum ordinum ſcripſit, Ordinem S. Benedicti hoc tempore incæpiſſe dicat: eum ſcilicet confundens cum congregatione Cluniacenſi. In idem erratum impegit Guido apud Albericum, qui ait: usque ad hæc tempora regulam B. Columbani, tam in Francia, quàm in Burgundia obſervatam fuiſſe à nigris monachis, ſed S. Odonem Abbatem Cluniacenſem regulam S. Benedicti primùm in Cluniaco, & in S. Benedicto ſuper Ligerim feciſſe obſervari, & exinde procedente tempore cæpiſſe ubique recipi.* Hæc Mabillio: Sicut ergò reformatio in ordine Benedictino non poteſt dici inſtitutio illius, ſic nec in ordine Canonico; & ſicut errarunt ſcriptores, qui ob iſtam reformationem Benedictinam, novam inſtitutionem aſſeruêre, ſic errârunt & alii hanc eandem inferentes, ac malè intelligentes ex reformatione Canonica. Dixi autem ſignatè, non poſſe hanc reformationem nuncupari, niſi latiſſimè novam inſtitutionem, ex eo, quòd apud quoſdam veteres hæ voces non raro, ſed abuſivè, commiſcerentur, ùt patet ex veteri chronico S. Juliani Turonenſis, in quo dicitur: quòd *Abbas Gausbertus inter alia monaſterium S. Petri apud Cennomanos fundavit, quod* (verba ſunt Mabillonii) *de reſtitutione monaſtici ordinis per eum ibidem facta intelligendum eſt, nam longè ante id tempus, id eſt ſæculô ſeptimô ineunte Bertehramnus Epiſcopus illud cœnobium condiderat.*

L. 43. n. 18. ad ann. 928. Annal. Ben.

Apud eund. Mabill. Annal. Bened. l. 51. n. 50.

6. *Certiſſima ſuppeditantur documenta undecimò ſæculò Canonicorum Regularium Reformationem, non inſtitutionem fuiſſe ſuſceptam.*

Dein planè incongruè aſſereretur, Clericos illos ad reformandos mores dilabentis vitæ Canonicæ reſpicientes novum ordinem Canonicorum fundâſſe; ad quid enim novi ordinis fundatio locô reformationis ejusdem? ſicut nec requirebatur, nec profuiſſet ad reformandos monachos Benedictinos novi ordinis inſtitutio, utpotè quòd omnes S. Benedicti religioſi dicere potuiſſent, ad ſe talem ordinem non pertinere: Si reformandi agnoſcerentur, reſtaurarent in ſuo ordine diffluentem diſciplinam, neutiquam verò ipſos ad novum aſtringerent, qui ſuæ profeſſionis non eſſet. Atque hinc egregiè planè Gerardus, inquit, ideo hanc reformationem inſtitutam, *quòd Canonici perſpicerentur præcepta Canonum non cuſtodire, & à priſca Canonicorum obſervatione longè deflexiſſe*, hoc ſanè certiſſimum eſt. Non itaque expoſcebatur novi ordinis inſtitutio, ſed reductio ad præcepta Canonum, & priſcam Canonicorum obſervationem: Quæ verò hæc fuerant? niſi ea ipſa ab iſtis reformatoribus inducta, ſcilicet accuratior trium votorum diſciplina. Quòdſi enim aliud præcepta illa & priſca Canonicorum obſervatio continuit,

Digitized by Google

nuit, quàm hanc votorum Evangelicorum nuncupationem, profectò fefellit Gerardus, cùm diceret, quæſiiſſe Zelatores Clericos, quâ ratione damna repararent: Si in hoc paſſu, in quo maximè laboravêre Reformatores, præcepta Canonum nunquam ſupponantur damnum paſſa, ad quid ergò reparatio damni ibidem, ubi nullum fuit. Si verò in dictis votis violatio facta eſt, ſanè, cùm accuratiori norma horum obſervatio inſtrueretur, nunquam video, qui ideò tale inſtitutum novum dici poſſit, ac noviter abſolutè exortum. Et tamen in ſola, & unica, ut ita dicam, reparatione votivæ in Clericis, ſeu potiùs Canonicis vitæ tota conſtituebatur reformantium opera, atque ſolertia. Quàmvis enim liqueat Simoniæ, & luxuriæ fomenta Clerum quibusdam in locis enormiter deformâſſe, velut hujus temporis Scriptores memorant: Scio tamen & illud, in multis Canonicorum Societatibus nil aliud deſideratum fuiſſe, ad plenam obſervantiam Canonum, quàm vitam votivam ad ſeverioris diſciplinæ leges arcendam; hæc enim una cùm ad laxiores limites diſtenderetur, factum eſt, ut ea vitia in Clericalia Monaſteria irrumperent, quæ nomen ipſum in compluribus Canonicis abolerent. Huc præcipuè illud (de quo nos jam aliàs) Concilium Annô 1059. Romæ celebratum refertur, ubi Gregorius Septimus, tum verò Hildebrandus, & ſacræ ſedis Archidiaconus, ſic exordium feciſſe narratur: *Nonnulli ex clericali ordine, per Spiritum ſanctum perfectæ charitatis igne inflammati, jam dudum in hac Romana urbe, & in Provinciis, atque parochiis eidem ſpecialiùs pertinentibus, atque cohærentibus, noſcuntur communem vitam, exemplô primitivæ Eccleſiæ, amplexi ſimul, & profeſſi, in tantum, quòd nihil ſibi reſervaſſent proprii, facultate ſua vel diſtributa egenis, aut relicta propinquis, vel certè oblata Chriſti Eccleſiis, quos ſicut amor perfectionis arctiorem viam aggredi, & per anguſtam portam ingredi ſancta contentione conjunxit, ſic & abundantia iniquitatis ſuo frigore paulatim disjungere quærit, ut poſt recedant, atque propoſiti ſemel arrepti apoſtatæ fiant; dum ſint in eis, quos incauta adoleſcentia, aut ſuſpecta ſenectus revocat, & retrahit ad præſumptionem peculiaritatis, quam ſuô, vel parentum ſuorum votô reliquerant, qui etiam ad maximam ſuæ prævaricationis defenſionem aſſumunt aliqua Capitula ex regula illa, quæ dicitur Canonicis, hortatu Ludovici Imperatoris - - - compilata &c.* En tibi Lector genuinam Reformationis cauſam, in ipſa ſede Romana agitatam, & â ſanctuario ipſo totius Eccleſiæ Dei cæptam, nempe non aliam, niſi prævaricationem votivæ vitæ, aut relaxatam nimiùm, aut omninò dimiſſam, & inde certè omni niſu, atque induſtriâ proſecutam *Reformationem*, non novam *inſtitutionem*.

Vid. Mabill. Annal. tom. 4. in App. n. 36

Nihil clarius, nihil manifeſtius iſtô documentô proferri poteſt, quô omnium ora obloquentium retundantur. Cùm namque tali adversùs proprietarios energia intonaſſet Hildebrandus, mox Nicolaus concluſit de remedio eſſe providendum, qui tum Summus Pontifex hujus nominis ſecundus præſederat: Nam (ùt referunt acta hujus Concilii) *Reverendiſſimus, & Summus Pontifex Nicolaus reſpondit: Rem quàm maximè Domino Deo noſtro placitam, & communis vitæ Sectatoribus, vel Profeſſoribus neceſſariam ſuggeſſit præſens filius noſter, quæ tantò ſtudioſiùs nobis eſt tractanda, quantò huic Apoſtolicæ ſedi frequentior inde venit querela, & exſpectatur de die in diem ſententia ejus ſana & fixa. Unde diligenter conſideratis capitulis illis, quæ dicuntur ſcandalum in Canonicorum Congregatione hactenus inducere, tandem Apoſtolica auctoritate, & piorum Patrum fulti traditione remo-* Ibidem.

veamus, *quòd priſcæ eorum inſtitutioni deprehendetur refragari, & reſtituamus*, *quod approbabitur ſuffragari.* Hæc ſanctiſſimus Pontifex.

Verùm enim verò jam inquiro, an hæc communis, & votiva vita (quam diſſertis adeo verbis cum Hildebrando Nicolaus commendat) res fuerit apud Canonicos nova, & ſæculò undecimò primò invecta? ubi tam diſſertè Hildebrandus dicit, *dudum* noſci nonnullos ex Clericali ordine communem, vitam & eam quidem Profeſſos in tantum, ut nihil ſibi reſervaſſent proprii, *dudum*, inquam, hoc eſt *diu jam*, idque eò certiùs, quòd & Nicolaus profiteatur *frequentiores*, jam, *querelas veniſſe ad Apoſtolicam ſedem*, ac prætereà Gerardo de Boſco aſſentiatur *Reformationem faciendam*, removendo ſcilicet, quæ *priſcæ* Canonicorum *inſtitutioni deprehenduntur refragari*. Ergò Nicolaus expreſsè deprehendit communem votivam vitam *priſcæ inſtitutioni* Canonicorum propriam fuiſſe, cùm hanc diſſertis verbis ad inſtantiam Hildebrandi reducere, & illud removere ſtatuat, quod refragatur. Et, quæſo, quidnam in tota regula Aquiſgranenſi adeò aliàs carpendum? de quo Nicolaus hìc loquens ajt: *Eſſe quædam Capitula, quæ dicuntur ſcandalum in Canonicorum Congregatione hactenùs induxiſſe:* Certè non alia, niſi hæc duo: unum, in quo *nimia conceditur victûs, potûsque menſura*, & aliud, in quo dicitur: *Prohibitum non eſſe Canonicis res proprias habere*, hæc Nicolaus ipſe in ſequenti ſuo diſcurſu declarat: Quodſi ante Regulam Aquiſgranenſem nulla exſtitit vita votiva, certè injuſtiſſimè ſcandala induci dixit Pontifex per hæc duo Capitula. Et ſi priſtinæ Canonicorum Inſtitutioni non jam proprium proprio *votivè* renuntiare, quàm ſe ignorantem, ſimulque injurium coram tanto, & ſelectiſſimo Eccleſiæ ſenatu ſummum caput proſtituiſſet. Patet igitur ex his manifeſtè, *dudum* & in *priſca* Canonicorum *inſtitutione* viguiſſe vitam votivam, quam Concilium iſtud Romanum ſerio conatu, & plenis tandem viribus (poſt frequentiores querelas iterum reducendam aſſumpſit. Qui ergò cum Gerardo adeò ignorat hujus, ſæculò undecimò, *Reformationis* Canonicæ initia, en certam, infallibilémque Epocham ſtatuit Concilium iſtud Romanum Annô 1059. celebratum. Finitô etenim hoc Conciliô mox primùm Nicolai præceptionem ad Eccleſiam Florentinam delatam eſſe, cui ipſe ante adeptam Papalem dignitatem Epiſcopus præſederat, dubitare vix poterit, qui hujus ſancti Pontificis perennem in ſuam Eccleſiam affectum novit, quô adſtrictus, quamdiù vixerat, regimen, noménque illius non dimiſit, inſupérque eodem Concilii Annô teſtatur in ſua Italia ſacra Ughellus, duo Monaſteria Canonicorum Regularium Florentiæ exſtitiſſe, unum, quod Annô 1058. Thetberga nobiliſſima Matrona ampliſſimè dotavit, in charta donationis ſuæ hæc diſſertè memorans: *Profitens profiteor Thetberga Filia B. M. Athi &c. veſte ſancta Religionis induta, lege vivente Romana per bonam, & ſpontaneam voluntatem per vim vocis transferſionis* (id eſt, translationis) *pepetualiſque transactionis, ſeu firmamentum &c. per hanc chartulam offerſionis* (oblationis) *nomine à præſenti die dare, & tradere, atque offerre prævidi in Canonica Regularis de Eccleſia & Domui S. Joannis ſita in Civitate Florentia.* Alterum S. Andreæ, de quo idem Ughellus haud dubiè ex documentis authenticis aſſerit, quòd Nicolaus diploma conceſſerit *Joanni Priori Canonicæ S. Andreæ de Muſciano quinto à Civitate Florentina lapide ſitæ tunc* (nimirum Annô 1059. quo hoc diploma datum) *Ordinis Canonicorum Regularium, nunc membrum Monaſterii S. Jacobi ad ripam Arni fluminis Congregationis Canonicorum regular. S. Salvatoris.*

Ital. Sac. t. 3. in Archiepiſc. Flor. Col. 65.

Ibid Col. 61.

Diploma iſtud de hac reformatione nil continet, ſed eſt ampliſſimum Canonicis,& Præpoſito Datum Privilegium: Ex quo ſatis colligitur, illud aliundè egregiè in diſciplina floruiſſe, hinc opus non erat, quidpiam de hac reformatione inſerere, cùm autem ibidem tunc temporis hæ duæ Regulares Canoniæ extiterint, dubitari, ùt dixi, non poteſt, illuc ſuæ reformationis decretum Nicolaum tranſmiſiſſe: Quod in eadem Synodo ſignatis verbis editum refertur in quarto volumine actorum Nicolai ſecundi, ubi in conſeſſu centum, & tredecim Epiſcoporum ſic locutus refertur. *Præcipientes ſtatuimus ut hi prædictorum Ordinum* (id eſt Clerici in majoribus conſtituti, prout eos paulò ante deſignavit) *qui eiſdem prædeceſſoribus noſtris obedientes caſtitatem ſervaverint, juxta Eccleſias, quibus ordinati ſunt (ſicut oportet Religioſos Clericos) ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſiis competit, communiter habeant, & rogantes monemus, ut ad Apoſtolicam, communem ſcilicet vitam, ſummopere pervenire ſtudeant, quatenùs perfectionem cum his conſecuti, qui centeſimo fructu ditantur, in cæleſti Patria mereantur adſcribi.* Hócque ipſum decretum ab Alexandro Secundo rurſus in Synodo Romana Annô 1063. celebrata coram centum, & aliquot Epiſcopis confirmatum à Gratiano in ſuis decretalibus relatum habetur Cap. præter 6. diſt. 32. operam verò huic decreto tum ſtatuendo. Tum publicando præcipuam adhibuêre vir, ùt diximus, ſanctiſſimus Hildebrandus ſub Nicolao, & poſtmodùm cum eodem ſub Alexandro II. Petrus Damiani: neque opinandum hunc beatum ſolis ad perſuadendam, & reſtituendam vitam communem uſum fuiſſe machinationibûs authoritate SS. Patrum ſuffultis, quibûs *obligationem omnimodam communis vitæ* cunctis in Societate Clericali viventibus inculcaret, cùm Pontifices Summi non *præciperent* eandem, ſed tantummodò *comendarent*, atque *ſuaderent*. Nam Petrus Damiani obligationem illam argumentis manifeſtis obtrudit, non machinationibûs, prætereà, præceptum Nicolai celari non poterat, quô dixit: *Præcipientes ſtatuimus, ut ſimul manducent &c. & quidquid eis ab Eccleſiis competit, communiter habeant.* Quod autem ſubjungitur: *Rogantes monemus*, hæc deprecatio non eſt facta pro ſubſtantia vitæ communis, ſed pro perfectiſſima tendentia ad imitationem vitæ Apoſtolicæ: Sicut enim aliud eſt præcipere aliquem actum, aliud ſuadere ejusdem perfectius Exercitium, atque dum illud quidem præcipi poteſt, non ſequitur, quòd etiam iſtud; Quia tendentia ad perfectionem omnibus Religioſis præcipitur, non tamen ipſa perfectio, aut etiam tendentia illa, quæ ex ſe perfectior eſt: ſic præcepêre Nicolaus, & Alexander vitam communem, ſed perfectiorem modum tendendi, cum *omnimoda* ſcilicet expropriatione tantummodò ſuaſerunt. Quod obſervare debuiſſet vir clariſſimus in Petro Damiano, qui nihil aliud in ſuo libello ad Alexandrum dato quæſivit; totus Zelus illius in proprietarios Canonicos fuit, ut ſubſtantiam Apoſtolicæ communis vitæ ſuſciperent, non verò, ut arctiſſimæ ſe, & perfectiſſimæ (tanquam ex præcepto obligati) expropriationi addicerent; quam nec Auguſtini Clericos (quos Petrus tam impenſè imitandos commendat) habuiſſe, alibi docuimus. Præceptam verò ſemper fuiſſe ab Eccleſia ſubſtantiam Evangelicæ hujus in Clero vitæ communis, ſufficientia per decurſum noſtræ Exegeſis teſtimonia confirmant.

Diſcipl. Vet &c. P. 1. l. 3. C. 11. n. 3. 4. 5.

7. *Reformatio iſta quantos progreſſus intra parvum tempus ſortita?*

Sed dum obſervavimus inductæ hôc modô reformationis ſæculô undecimô in univerſum Canonicum cætum Epocham, & decretum deſuper emanatum oſtendimus, ulteriora adhuc adferenda ſunt documenta, ex quibus pateat, quan-

quantos exinde eadem hæc reformatio progreſſus ſit adepta. Imprimis enim Alexander Secundus, cùm (adhuc Anſelmus Epiſcopus Lucenſis) Annô 1059. dicto Romano Concilio interfuiſſet, redux nihil ſibi magis cordi curæque habuit, quàm hanc communis vitæ diſciplinam ubique reſtaurare, quod nunquam magis, niſi dum Annô 1061. Pontifex ſummus creabatur, exſecutus eſt: Romæ enim Canonicos Regulares in Eccleſia S. Crucis, ac in ipſo Laterano reſtituit Onuphrio teſte, ipſámque Eccleſiam S. Frigdiani Lucenſem ad Regularem diſciplinam reformavit. Eodem tempore inſtitutum eſt Piperacenſe Monaſterium à Petro Langeacenſi: Hic enim, cùm *aſſumpto habitu Canonico, oneréque mundi depoſito, Deo militaturus perpetuò ſuffultus fratrum geminô ſolatiô, Piperacum venit, Annô Domini milleſimô ſupra ſexageſimum ſecundô, Deus in unum plures adunavit ei regularium*: ùt inquit Stephanus in vita hujus ſancti. Velitrenſis Eccleſiæ Canonici, qui videbantur incorrigibiles, à Petro Damiano ad communem regularem vitam ampleſtendam tandem emolliti Annô circiter 1063. acceſsêre, proùt ipſe Beatus teſtatur. Nivernenſes Hugone eorum Epiſcopo adnitente eodem annô reformati ſunt, ùt apparet ex charta ejusdem Hugonis. Lietbertus Epiſcopus Cameracenſis *ejectis quibùsdam Clericis in Eccleſia S. Autberti negligenter nimis, & inordinatè ſervientibùs, tandem Regulares Canonicos de communi viventes, & nihil proprium habentes, & ejusdem profeſſionis & Ordinis Abbatem conſtituit.* Quemadmodùm loquitur ipſe ſanctus in ſua charta donat: data An. 1066. In Dania: *Egino Dalbojenſis Epiſcopus utramque Sconiæ Parochiam, ſcilicet Lundenſem, & Dalbojenſem gubernandam recepit, qui mox Lundæ ſedem Epiſcopalem conſtituens, apud Dalbojam Præpoſituram fratrum regulariter viventium eſſe præcepit*, juxta Adami Bremenſis teſtimonium. Annô 1074. Lanfrancus Archieppus Cantuarienſis *Eccleſiam in honorem B. Gregorii Papæ compoſuit, in qua Canonicos poſuit, qui regulariter viverent.* ùt narrat Wilhelmus Malcuesb. Wratislaus Bohemorum Rex Primus *Collegium Canonicorum Regularium in Arce Pragenſi erexit, in quo, dum res agitur Divina, non Præpoſitus tantùm, ſed Decanus & Sacerdos, Diaconúsque, & Subdiaconus rem Divinam facientes Epiſcopalibùs ornamentis utuntur.* Referente Langio, ad An. 1021. *Annô Domini* 1084. *Reicherſperg Caſtro Wernherus præpotens Bojus, ſuper flumine Oeno Pataviens. Diœceſis, uxor ejus Dietperga, ſoror Gebhardi Archi-Epiſcopi Salisburgenſis: Is poſt mortem unici filii Gebhardi, & uxoris, cum oriretur lis jam eô vivô inter agnatos ejus de hæreditate, caſtrum demolitur, Divo Michaëli templum dedicat, Canonicis Regularibus attribuit.* Ut ſcribit Aventinus, & in Chronico Reicherſpergenſi legitur: Ut alia exempla, teſtimoniáque plurima mittamus. Ex quibus ſanè dilucidè convincitur, quàm egregium fructum in pauco tempore Eccleſia per ſparſum illum reformationis Canonicæ ſementem collegerit: Igitur minùs ſolidum eſt, quod Gerardus comminiſcitur, *viros aliquot, quos pietas & religio afficiebat, inter ſe inquirentes, quâ ratione damna Clericalis ſtatûs integritati illata repararent, in eam ſententiam diſceſſiſſe, ut votivam vitam Clericalem inſtituerent.* Sicut enim indubitatum eſt, hanc jam diù anteà fuiſſe, ſic certiſſimum eam à viris his piis inſtitui non potuiſſe; ſed hi viri ipſi, ùt plurimùm, erant Epiſcopi, & horum omnium caput, ſummus Pontifex, qui Reformationis Canonicæ primum lapidem movit, fundamenta poſuit, ac tandem gratiâ Divinâ concurrente in feliciſſimum effectum deduxit. Quòdſi enim *inſtitutio* hæc fuiſſet, & non *Reformatio*, certè allegari non poſſent documenta, quibùs primò doceatur, eandem *dudum* ante hæc tem-

L. de ſep. urbis Eccl.

Spicil. Dach. t. de vita S. Petri Piperaceaſ.

Opuſc. 34. et 35.

Spicil. t. 6. p. 419.

L. 1. Dipl. Belg. c. 36. & Spicil. in vita S. Lietb. c. 57.

Hiſt. Eccl. L. 4. C. 46.

L. 1. de geſtis Pontif. Angl. in Lanfranco.

In Chron. Citizen.

L. 10. Rapſodiar. apud Hund. p. 24 f. 155.

tempora fuiſſe ſuſpiratam, atque repetitam; inſuper Regulares Canonicos ante hanc jam exſtitiſſe, & tales quidem, qui expropriationi impensè viverent. Utrúmque autem manibûs penè contrectandum Lectori jam obtulimus: Nam Reformationem, non inſtitutionem vitæ votivæ in Clero deſideratam dixit Nicolaus, quòd ſedi Apoſtolicæ frequentior inde jam querela venerit. Frequentior, inquam, unam ex pluribus enarremus: Annô 1023. Joannes ſedem Epiſcopalem Lucenſem ſuſcepit. De hoc ajt Ughellus, quòd ipſe *per omnem Diœceſim ſuam Canonicos ad communem convictum traduxit*, ſed quantîs non laboribûs? utpotè cùm orando, deprecando, ſuadendo, & comminando necdum aliquid proficeret ſedem demum Apoſtolicam imploravit, Leonem nonum obteſtans, & ad tanti operis executionem auxiliatricem operam implorans, cui ſummus Præſul obtemperans litteras expedivit datas ſub Anno 1051. 4to idus Martii. *Canonicis Principalis, ac majoris Eccleſiæ in civitate Luca Deo, ac S. Martino Confeſſori Regularem vitam inibi ducendo, & caſtitatem ſervando famulaturis.* Ut inquit ipſe in dictæ Bullæ titulo, & in ipſo ejus decurſu decernit, ut *ipſi Canonici omnia, quæ ad communem uſum regulariter vivendi modò habent, rata ſint illis, ac confirmata, & nulla ratione violentur, & ſi Dominus Deus humilitatem Eccleſiæ ſuæ miſericorditer reſpiciens Eccleſiam eorum ab uxoratis presbyteris, & omninò à Dominica oblatione repellendis liberaverit, pro inceſtis caſti, pro immundis mundi reſtituantur, & bona, quæ habent Eccleſiaſtica, quæ illi luxurioſè vivendo diſſipaverant, in communem uſum canonicè cohabitantium redigantur.* Feciſſe id quidem Canonicos ſub Joanne, aliquatenùs colligimus ex hâc Bulla, verùm novo inſultu ſub Gregorio Septimo in hos fortaſſe iterum labaſcentes opus fuiſſe, ejuſdem hujus ſancti Præſulis Epiſtola docet: Ubi inquit, *cùm apud vos eſſemus ſæpiſſimè vos per nos, & per Confratres noſtros admonuimus, uti ſecundùm Privilegium Anteceſſorum noſtrorum, ſancti videlicet Leonis Papæ, & Victoris, quod ipſorum, tunc Canonicorum veſtræ Eccleſiæ rogatu, ipſi Eccleſiæ fecerunt, communem, regularémque vitam duceretis &c.* Neque autem dubitandum, ſicut ex Lucenſi, ſic ex aliis quoque Eccleſiis Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæque querelas identidem adveniſſe, quæ communem vitam multis in locis dilapſam ingemiſcerent, anhelarentque remedium, quam in his non minùs Provinciis longè antea exſtitiſſe, id eſt, ante hanc à Nicolao definitam reformationem, nemo, ùt puto, rerum Hiſtoricarum peritus poteſt ignorare. Fecêre id ùt plurimùm adhuc ſuis in Diœceſibus Epiſcopi propria authoritate, eò potiori, quò hoc à ſe expeti poſſe, atque prætendi ex ipſius inſtituti Canonici ratione evidentiùs noverant. In Eccleſia Gerundenſi jam Annô 1019. Petrus Epiſcopus in ipſa Cathedrali ſede, ùt docet cartha donationis, conſtituit cum ſua ſorore Eruceſſende: *Domum Canonicam, ubi, qui Deo militare cuperent, canonicè viverent, atque Congregationi Canonicæ non ſolùm de rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam de ſuis ad in commune vivendum ſufficienter dederunt.* Porrò, quod notatu dignum eſt, jam ſæculô decimô ineunte talem conſtitutionem, in nullo ab illa ſeu Nicolai ſeu Alexandri ſecundi diverſam legimus fuiſſe in Carnotenſi Diœceſi: Agaunus ibidem Epiſcopus, Annô enim 930. monaſterium penè dirutum in honore S. Petri dicatum ipſe à fundamento reædificavit, mox inquit, in Cartha donat: *Canonica inſtitutione Clericorum cunctorum graduum inibi Deo ſervire ſanctam exercendo Religionem juſſimus. Tempore ſiquidem pacis jam olim ſplendidè locus ille viguit, in Canonicis Domino militantibus, & in exteris bonorum operum*

Vide Ugh. Ital. ſac. t. 2. in Ep. luc.

L. 6. Ep. 11.

Apud Baluz. Marc. Hiſp. Col. 1016.

Gallia Chr. t. 2. p. 481. veter. Edit.

Digitized by Google

rium bene decertantibus. Hundius pariter ex authenticis documentis de Friſingenſi Eccleſia ſub Gotſcalco decimo ſexto Epiſcopo ad Annum 995. hæc enarrat. *Cùm autem ad ipſum, & Capitulum ſpectaret præbendas conferre, concluſerunt, ut nullus aliquod beneficium cum præbenda poſſideret, neque fratres ſuper alios* T. 1. f. 72. *extollerent, ac ſuperbirent. Ita erant unanimes, ut nullus aliquid ſuum eſſe diceret, & quidem rectè, ſicut D. Auguſtinus Monaſterium Clericorum inſtituit, & ſecundùm regulam vivere capit.* Denique cùm Otho Imperator circa Annum 971. Epiſcopatum Miſnenſem erigeret Burchardus ab Adalberto Epiſcopus conſecratur: Qui ſtatim à Joanne 13. ſimul cum Epiſcopio ipſo confirmatus *Collegium inſtituit Canonicorum, & Sacerdotum Chriſti, qui, inſtar temporum ſuorum, primò omnia habere communia, ſimúlque una veſci menſa, & in uno condormire loco, Canonicas horas, & Divina officia pariter, & cum multa celebrare dignitate, ac reverentia &c.* Ecce quis Othonis tempore uſus? qui mores vivendi Canonicis fuerint, cùm *inſtar temporum ſuorum* ipſi Miſnenſes inſtituerentur, ut *omnia haberent communia?* Sic ergò verè dicebat in Romano illo Concilio Hildebrandus, quòd *dudum nonnulli* (imò extra Italiam fortè quàm plurimi) *noſcerentur perfectæ charitatis igne inflammati communem vitam, exemplô primitivæ Eccleſiæ amplexi*, neque iſtud ex ſolo propoſito, & pia voluntate, habes enim ex Hildebrandi apertiſſima relatione Clericos dudum communem vitam amplexos, ipsósque illos eſſe, qui aut *ſuô*, aut parentum *votô* NB. (nam tunc temporis parentum vota valebant locò liberorum, ùt cuique cognitum) non libera, vel pia ſolùm voluntate peculiaritatem reliquerant: Quòdſi enim non votivam vitam intellexiſſet vir ſanctus, nunquam dixiſſet *pòſt recedentes, propoſiti ſemel arrepti apoſtatas:*

(Apud Sur. t. 3. in præf. vitæ S. Benno.)

Quis enim pia ſolùm voluntate ſuſceptum ſtatum dimittens apoſtata nuncupabitur. Vita ergò illa communis dudum antea in tot locis vigens, quamvìs & in multis relaxata verè votiva erat, & votivo-Apoſtolica, atque adeò quidem in multis ipſo hoc ſæculo undecimo votiva, ut etiam ubi regula Aquisgranenſis aſſumpta fuerat, egregiè floreret, quod hìc memorare oportuit, ut ſcilicet ijs quóque viam præcludamus, qui fortaſſe hujus regulæ beneficiô exiſtimant vitam communem non incluſiſſe votivam. Confirmationem inde ſuppetimus: Ermengaudus Epiſcopus Urgellenſis in Hiſpania, ùt habetur in Charta donat: ab ipſo collata Annô 1010. in ſuo Epiſcopio vitam Canonicam inſtituit, & providit: *Ut Canonici S. Mariæ* (Eccleſiæ Cathedralis nimirum) *ibi quotidie Deo ſervientes viverent in communia, cùm conſtet poſt Apoſtolicam inſtitutionem, glorioſiſſimum imperatorem Ludovicum, authorem, diſpoſitorémque eſſe vitæ Canonicæ, cujus ſtudiô inſtituta pariter, & firmata.* Quod factum eſt per regulam Aquisgranenſem, quam Ludovicus Urgellenſibus obſervandam miſerat. Ex hac ergò regula Ermengaudus vitam ſuos Canonicos docuit *communem*, & quidem *votivam:* nominat enim *Apoſtolicam inſtitutionem.* Et quod amplius, ipſum quóque Ludovicum per ſuam regulam huic inſtitutioni inhæſiſſe inſinuat, quod adhuc apertiùs colligitur ex verbis ſucceſſoris hujus Ermengaudi, nempe Eriballi, qui ſedem Urgellenſem Annô 1040. tenuit, tunc congregatâ ibidem Synodô, Præſidente Eriballo, Orator Concilii inter alia ſic præfatus eſt: *Venerabiles noſtri Magiſtri, amici Dei, & diſcipuli ejus electi prædicando fidem placeat vobis, ut ſicuti vivitis unanimes cibô ſpirituali ſine ulla diviſione, ſic communiter congregati in unum etiam vivatis cibô carnali, & hoc juxta Exemplar Apoſtolorum, prout* in

(Marc Hiſp. Col. 975. & 976.)

(Ibidem.)

Digitized by Google

in eorum actis refertur: Bona ſua vendebant, & pretium eorum ponebant ad pedes Apoſtolorum, diſtribuebatur unicuique, proùt cuique opus erat. Hujus cauſa Exemplum ſequens Chriſtianiſſimus Rex Francorum Ludovicus unum conſtituit locum, ut Miniſtri Eccleſiæ coadunarentur in illum, & ſumerent carnalem victum: Quatenus ſine excuſatione agerent Dei miniſterium, qui locus rectè nominatur Canonia, quia ibi Eccleſiaſtica & Divina obſervatur regula, Canon enim græcè, Regula dicitur latinè. Ecce iterum, unde Canonicis vox *regularitatis* obvenire potuit. Unde præterea regulæ Aquisgranenſis ſumenda Apoſtolicæ communis, votivæque vitæ præceptio. Unde denique à nobis jam aliàs obſervatum, Regulam Aquisgranenſem ex origine ſua talem haudquaquam fuiſſe, qualem aut Hildebrandus, aut Petrus Damianus, aliíque ejusdem graviſſimi Cenſores caſtigârunt. Vix, ac ne vix crediderim ſine interpollatoris cujusdam malitia caput illud 115. ſic, prout nunc legitur, ſubſtitiſſe, & ſpuriùs haud dubiè in Eccleſia Urgellenſi, multíſque aliis Clericorum monaſteriis (ubi eo tempore, quo hæc regula divulgari cæpit, ſæculô ſcilicet octavô *in plerisque locis ordo Canonicus pleniſſimè* aliunde *ſervabatur*) comparuiſſe. Alioquin in ſimilibus locis regula illa diſordinatio potiùs, ac diſciplinæ laxatio nominanda fuiſſet, quàm regula: quod piiſſimus Imperator, & tot ſanctiſſimi Præſules Concilio illi Aquisgranenſi præſidentes, intendiſſe nunquam ſupponendi ſunt. Ex his demùm omnibus cumulatim productis teſtimoniis diſcimus, & regularem vitam ante hanc à Nicolao decretam reformationem floruiſſe, apud non paucas Canonicorum Societates, & hujus Pontificis oraculô, cùm in multis tamen locis eadem utcunque dilapſa fuiſſet, egregiè reſtitutam; ac denique Gerardum de Boſco exinde advertimus unà cum ſibi adhærentibus utcunque hallucinari, dum contendit ſæculô undecimô originem Canonico inſtituto votivo alligare, nec argumentis ullis id apprimè evincentibus, proùt mox declaravimus: Quod itaque ipſe *reformationem* ſatiùs dixiſſet, hoc *inſtitutionem* nuncupavit; & dum paſſim ſæculô undecimô, ſi unquam aliàs, legit Canonicos ad hanc à ſede Romana conſtitutam reformationem convolâſſe, ipſe nec ducem, nec auſpicem hujus advertens, nec petram illam Apoſtolicam, unde talis exciſa eſt reſtauratio, ſparſim protuberâſſe æſtimavit reformationis illius profeſſores.

Verùm ſupereſt, ut poſtrema à Gerardo, ac pleríſque recentioribus objici ſolita diſſolvamus: nempe, etſi ex his concludi omninò debeat, Canonicos, eóſque Regulares, imò & voto adſtrictos ante ſæculum undecimum longíſque præviis temporibûs atteſtante Hildebrando, aliíſque ad hanc veritatem certiſſimìs teſtimoniis concurrentibûs, exſtitiſſe; at inferri exinde neutiquam poſſe, hos Canonicos ejusdem ſpeciei, propaginíſque fuiſſe, qui à ſæculo undecimo *Ordinem, ac Regulam S. Auguſtini ſe ſequi, & obſervare profitentur.* Neque enim apud Canonicos veteres ulla hujus memoria, videtúrque incongruum iſtud tali inſtituto appropiare: quo modo enim, qui una ſerie, una ſpecie, ac propagatione ab Apoſtolis derivatus eſt, dicíque ideò non idealiter, aut exemplari modô, ſed ſpecificè, ac inſtitutivè Apoſtolicus ordo debuerat, dein ſine ullo urgentis rationis pondere, ſine ulla veterum monumentorum prærogativa, adeò ſe immutare potuit (quin ſpeciè alius eſſet) ut & ſe Ordinis S. Auguſtini poſthac nuncupari vellet, & Regulam S. Auguſtini profiteretur?

Reſpondeo hanc objectionem nec malè, nec ſine pondere urgeri, quæ cum prolixiorem declarationem ſolutionémque requirat, eam ſequenti capiti (ne in præſens

ſens nimiam rerum acervemus congeriem) ſubmittimus. Sic igitur

CAPUT II.

De re, Nomine, ac ſpecifica ſubſiſtentia Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

Tria, quæ 11. ſæculo ac deinceps novæ ſpeciei canjam reformatis tum Canonicis attribuiſſe videntur, examinantur: nempe noviter adjectus Ordo, Nomen S. Auguſt. & regula ejusdem.

EXpedivimus Priori capite, quæ originem noſtro inſtituto noviter aſſertam immediatè attingebant. Nunc de ijs paulò ampliùs inquirendum cauſis, ob quas ſeveriùs in nos animadvertunt, maximéque moventur adverſarii noſtræ ſententiæ, ne antiquiorem origini Ordinis noſtri Epocham quàm ſæculo 11. affixam ſtatuant: ſunt eæ præcipuæ, quas ultimô locô prioris capitis notavimus, nempe Nomen, Ordo, ac Regula S. Auguſtini. De his tribus itaque præſenti capite agendum, & inquirendum, quô modô Canonici Regulares priſtini ſine ulla ſui inſtituti ſpecifica immutatione, Nomen, Regulámque S. Auguſtini aſſumpſerint. In hac verò quæſtione pleraque rememoranda cupimus, quæ in prioris partis capite ſecundo de notis diſcretivis unius inſtituti ab altero præcipuè ex Philoſophiæ principiis præmiſimus, & monſtravimus, per quid totius alicujus moralis ſpecifica tum ſubſtantia, tum differentia conſtituatur. His ſuppoſitis, primò tractabimus de ordine, deinde de Nomine, ac denique de Regula S. Auguſtini.

Elucidar. l. 2 Elucid. 20 ſect. 7. n. 1360.

1\. *An ordinis nomine à ſæculo 11. cæperit Canonicorum Regul. inſtitutum vocari, & hic quidnam in priſtina eorum ſpecie infima immutaverit?*

Ordo (ùt notat quoddam inſtitutum Religioſum) teſte Pereyra ſic dictus eſt, *quòd, cùm nihil ſit aliud, quàm habitudo prioris ad poſterius, ſitque potiſſimùm triplex, ſcilicet temporis, naturæ & dignitatis, & hic poſtremus videtur tribuiſſe nomen Ordini Religioſo, qui propterea ſic appellatur ex habitudine ſubditorum ad ſuperiores, qui inter ſe variis gradibus diſtinguuntur, item ex habitudine mediorum ad finem, & ex Religioſa obſervantia votorum, ac regularum inter ſe rectè diſpoſita, & connexa.* Ex hoc patet diſcrimen inter Ordinem, quem antonomaſticè ſtatum Religioſum dicimus, & Ordinem Clericalem. Qui ſignificat (eodem Pereyra referente) *certum quemdam gradum, ſive ſtatum Clericorum, ad certa miniſteria Eccleſiaſtica conſecratum.* Hoc modô ſumptus, antiquiſſimum uſum in Eccleſia obtinuit, ùt apparet ex Cypriani l. 2. Ep. 5. aliiſque. Unde dum apud veteres frequenter ejus mentio occurrit, non aliud innuit, niſi ordinem aliquem, ſeu gradum Clericalem, aut certum quidem, ac benè diſpoſitum modum vivendi, agendi &c. non tamen ſtatum Religioſum noſtrô modô ſumptum; utpote, qui ad hunc ſignificandum vix ante ſæculum octavum uſum habuiſſe videtur. In Sueſſionenſi enim Synodo An. 744. Can. 5. legitur: Ut *Ordo Monachorum, vel ancillarum Dei ſecundùm regulam ſanctam ſtabilis* permaneat &c. quamvìs & iſto Canone, vox *Ordo* potiùs ad denotandam regularem illam diſpoſitionem, quàm ad ſtatum Religioſum interpretandum intelligi poſſit. Generaliter igitur vix certum tempus aſſignandum eſt, quô *Ordo*, idem erat, ac ſtatus Religioſus, proùt eodem nunc utimur. Cùm ergò præcipuè de inſtituto Clericali quæſtio ſit, illud ante ſæculum undecimum nunquam ſub hoc nomine videtur comparuiſſe: Ratio verò hujus eſt, quòd, ſicut Eccleſiaſticum ſeu Clericale inſtitutum (quod ſæculare dicimus) nunquam hoc nomine intitulatur, ſic neque id factum eſt ante introductum inſtitutum Canonicorum Regularium S. Auguſtini, qui mox, ùt regulam, noménque hujus ſancti Doctoris aſſumpſerant, pariter ordinem conflarunt, quem S. Auguſtini nuncupare cæperunt, ex quo ſanè apparere dilucidè videtur, novum ordinem in Eccleſia per hoc emer-

Ibidem l. 3. Eluc. 5. ſect. 1. n. 1645.

ſiſſe, cùm anteà non fuerit. Hæc quidem à quodam nupero objecta de Ordine (noviter inſtituto) memini, quæ quia cum illa pariter obſervatione incidunt reſpiciente ipſas Congregationes poſt ſæculum undecimum inter Canonicos Regulares ortum ſuum adeptas, utrique ſatisfacturi parti, ſic reſpondemus.

Sicut Nomen Congregationis, ſic & Ordinis antiquitùs uſurpatum apud Canonicos.

Certiſſimum eſt, nec diffiteri poſſumus, Congregationes eô modô ſumptas, quô plura Collegia, ſeu Monaſteria ſub uno capite (quod ùt plurimùm *generalem* nominamus) reguntur, præcipuè in noſtro inſtituto ante ſæculum undecimum non exſtitiſſe, imò nec diù poſt illud: Primam enim Congregationem, quam novimus, Frigdionaria eſt, de qua Conſulendus Pennotus noſter, & de qua nos inferiùs, dum de Congregationibus Canonicorum conſultò agemus, hujus tamen, ſtrictè loquendo, initia vix ante ſæculum decimum quintum aſſignabimus, nam quod de Congregatione Aroaſienſi Authores tanquam Annô 1090. exortâ ſcribunt, quódque pariter Congregationi Frigdionariæ, ac Lateranenſi circa hæc tempora, aut etiam longè priora aptari poteſt, dicendum neutiquam eſt de Congregatione ſtrictè, ſed latiùs ſumpta, proùt citatô locô declaramus; unde, cùm Lateranenſis Eccleſia circa Annum fortè 1068. ſub Alexandro II. per Canonicos S. Frigdiani Lucenſes reformaretur, non inde ſequitur Congregationem talem (de qua hìc ſermo eſt) fuiſſe exortam. Aliud enim longè eſt, unum monaſterium ab altero reformari, aliud utrumque in unam Congregationem coaleſcere: illud diù antea, quàm ſæculum undecimum illuxerat, maximè verò hac ætate factum eſt: iſtud, ùt diximus, ante ſæculum 14tum haud equidem. Illas ergò Congregationes Clericorum (quæ nil aliud prætendebant, quàm certam communem in quodam monaſterio, ſeu clauſtro Canonicorum vitam, ac ſocietatem) quis diffitebitur paſſim à tempore S. Auguſtini floruiſſe? dum nos ſuperiori parte primâ monſtravimus, eaſdem nec à tempore Apoſtolorum uſque ad eundem S. Patrem unquam totaliter defeciſſe: Neque autem hìc rursùs ea iteranda eſt quæſtio, an hæ communitates, ſeu Congregationes eô modô regulares fuerint, ut votivæ meritò dicerentur? reſolvimus enim hoc qualecunque dubium parte ſecunda. At an eædem ſic dictæ Congregationes ejuſdem ſpeciei cum noſtris haberi ac jure cenſeri valeant? in hoc Cardo præcipuè verſatur. Negant planè id recentiores quàmplures, &, ùt dixeram, argumentis ex ipſis cauſis in titulo hujus capitis notatis. Neque enim, ajunt, ullus ordo Canonicorum, qualem à ſæculo undecimo conſpicimus, ulla talis Congregatio exſtitit. Verùm, qui hoc obtendunt, quàm planè ſe ignaros arguunt veterum rerum? quid enim manifeſtiùs, quàm ante ſæculum undecimum ſtatum Clericalem verè dictum fuiſſe ordinem, nec talem ſolùm dictum, ſed reipſa eâdem formâ ſubſiſtentem. Sæculô enim decimô, cùm in perverſiſſimos mores univerſus Anglicorum Canonicorum, ſeu Clericorum in ſocietate viventium ſtatus dilapſus eſſet: Narrat Osbertus (ejuſdem temporis ſcriptor) eorum Annô 976. evulſionem mandatam à Joanne 13. hôc modô. *Ordo*, inquit, *Clericalis eâ tempeſtate plurimùm erat corruptus, & Canonici cum Presbyteris plebium, voluptatibus carnis plus æquô inſerviebant. Quod malum Dunſtanus corrigere cupiens, Authoritate Joannis Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, apud Regem obtinuit, quatenùs Canonici, qui caſtè vivere nollent, Eccleſiis, quas tenebant, depellerentur.* En *Ordo Clericalis*, non aliter, quàm eodem tempore ſtatus Monachorum dici ſolebat Ordo monaſticus. Congregationem Canonicam ſeu Canonicorum, nec non & Ordinem, Chro-

Margin notes: L.1. C.45. & L.3. C.4. — In vita Dunſtani die 19 Maij c. 18. apud Sur.

Chrodegangus ſua in regula nominat: nam, Cap. 37. dicitur: *Vitetur in hoc* Ordine Canonico *omnis præſumptionis occaſio, id eſt, ut nulli liceat quemquam parem ſuum excommunicare &c.* Ubi clariſſimè *Ordo* accipitur pro *ſtatu Clericali*, quidni Religioſo, ùt ſuprà deſcripſimus? Congregationem verò toties repetit, ut eam plùs, quàm decies ibidem reperiamus. Aldricus Epiſcopus Cenomanenſis Annô 837. reformans clerum ſuum, *Canonicum Ordinem* eorum, nominat *Ordinem ſanctorum Patrum*, ſic enim ipſe in Charta, ſeu privilegio à ſe dato Annô 837. *ſolicitus* inquit, *de Converſatione fratrum, & Canonicorum, ut quod multo, ſeu, ùt ferebatur, nullo tranſacto tempore antea habuêre, clauſtrum haberent, in quo Canonicè, & regulariter converſarentur, Religioſè, ac Canonicaliter Domino Deo famulantes, ſecundùm Canonicam inſtitutionem, ac ſanctorum Patrum Ordinem.* Carolus denique Calvus Annô 850. privilegium ceſſit Canonicis Pariſienſibus, in eo ajt ipſe: *Ut ejuſdem Congregationis Canonici, vel fratres, à via rectitudinis, & obſervatione Canonica recedere nullum patiantur obſtaculum, ſed deputatis ſibi rebûs contenti abſque neceſſitate, & inopia* Canonicum Ordinem *tenere, & ſine prævaricatione, quantùm humana ſinit fragilitas obſervare queant.* Rodulfus Cadurcorum Comes filium ſuum clericis adſcribi procurans ſuis in litteris inquit: *Se cum uxore ſua Aiga filio ſuo dilectiſſimo Rodulfo, quem ad* Clericatûs Ordinem *Deo, & Bertranno viro Religioſo vice Sancti Petri tradunt, inſtar patrimonii quandam villam ceſſiſſe &c.*

Apud Baluz. miſcel. L. 3. p. 63.

Tom. 2. Capit. Col. 1459.

Annal Mab L 31. n. 23. ad an. 838.

Sed dices, Ordinem Clericorum, ſeu Canonicorum ſæpiùs quidem in documentis ſæculô undecimô antiquioribus nuncupari, verùm ùt plurimùm per eum notari, non ſtatum Religioſum, ſed aut Ordinem ſeu diſpoſitionem Canonum, aut ipſos ordines ſacros. Sic planè impropriè quidam ex noſtris, dum de Salisburgenſi Eccleſia in vita S. Ruperti legunt, hunc Sanctum Juvavii duo monaſteria inſtituiſſe, unum Clericorum, alterum ſanctimonialium, & earum converſationem rationabiliter diſpoſuiſſe, *ſicut Ordo Canonicus depoſcit*, per hæc verba, *Ordo Canonicus*, ordinem Religioſum, & quidem Canonicorum Regul. intelligendum eſſe prætendunt, in hac enim, & aliis huic æqualibus aſſertionibus, nèmo non videt *Canonicum Ordinem* idem eſſe, ac Canonum Diſpoſitionem, id eſt, præſcriptos Canones Conciliorum in monaſteriis, locíſque ſacris à Monachis æquè, ac Clericis, ſeu Virginibus ſacris obſervari oportere; quod apertiùs adhuc probari videtur ex mente Magni Gregorii qui L. 12. Ep. 1. (cùm Conradius Epiſcopus Fortunatum Abbatem ſine cauſa depoſuiſſe delatus eſſet) reſcripſit, eundem reſtituendum, ſed non antea, quàm in illis partibus, ubi res acta eſt, examinata cauſa fuiſſet, *uti*, inquit, *Canonicus Ordo depoſcit*, id eſt, Canonum ordinatio: Eôdem modô idem Gregorius loquitur Ep. 54. L. 11. præterea in aliquibus documentis *Canonicus Ordo* idem eſt, ac *Eccleſiaſticorum graduum ordinatio.* Sic enim in vita S. Quinidii legitur: *Ipſum Eccleſiaſtico favore aliquando præventum, ut in Vaſenſi Eccleſia Diaconi officium ſortiretur, quod per omnes gradus decurrendo Canonico Ordine ſervus Domini promeruerat.* Vult nempe vitæ ſcriptor innuere, eum ſine ſaltu, legitimè, hoc eſt, juxta Canonum præſcriptionem, quam *Canonicorum Ordinem* vocat, fuiſſe ordinatum &c. quòd ſi ergò tam diverſus eſt veterum hujus vocis uſus, ut manifeſtè monſtretur per eam potiùs Canonum diſpoſitionem, quàm Canonicum Ordinem, ſeu inſtitutum ſignificari, certè præſtabit potiùs generaliter huic ſignificationi inhærere, ita, ut quoties ante ſæculum undecimum legendus occurrit *Canonicus Ordo*, di-

Vide Mab. Ann. L. 10. n. 28.

Boll. die 15. Febr. in vita S. Quinidii cap. 2. n. 5.

diſpoſitio, ac præſcriptio Canonum, non inſtitutum intelligatur Canonicum.

Reſpondeo, inanem fore velitationem, ſi per *Ordinem Canonicum*, ſeu ſemper diſpoſitiones Canonum, ſeu ſemper inſtitutum Canonicum interpretandum eſſe decernamus, notum eſt omnibus veteres Scriptores uſurpantibus, quàm parùm ſibi in eodem ſenſu verborum conſtent; quod nos alibi jàm demonſtravimus, ubi de voce *Regularis* egimus. Sic profectò, & per *Ordinem* Canonicum (quod ambigi nec poteſt, nec debet) quandóque intellexêre Concilia, atque Scriptores medii ævi *diſpoſitionem Canonum*, & quandoque ipſum *ſtatum*, ſeu *inſtitutum*, quemadmodùm & ipſa vox *Canon*, multas, eáſque diverſas obtinuit ſignificationes, & ipſum verbum *Canonicus*, ùt videre eſt in Cangii Gloſſario. Verùm nihil inde evincitur à parte adverſa, niſi, ut utrímque ſimilem locum legentibus neceſſe ſit & majori attentione uti, & prudentiâ, quâ diſcernere ex ipſo contextu liceat, an per *Ordinem Canonicum* hic vel ille eruendus ſit ſenſus: Unde quemadmodùm certum eſt, in allegato vitæ S Quinidii loco, per ordinem Canonicum ipſos gradus Eccleſiaſticos notari, & in textibus S. Gregorii, ipſam diſpoſitionem Canonum, ſic econtrà indubitatum eſt in ſententiis à nobis relatis, per ordinem Canonicum non aliud poſſe prudenter intelligi, niſi Ordinem inſtitutúmque Canonicum: Quod obſervari ab ijs cuperem, qui, qua data voce æquivoco ſenſui facilè aptanda, mox eandem in ſuum commodum, emolumentúmque detorquent, ita, quidem, ut, cùm quidam in Cap. Caroli legeret: *Volumus - - - ut Canonici ſecundùm Canones, & Regulares ſecundùm regulam vivant.* L.5.c.137. Quantocyùs generali uſurpatione decerneret, ergò hæc vox *regularis* eſt oppoſita voci *Canonicæ*, quapropter cùm *regularis* idem notet quod *monachus*, ſeu hominem votivum, *Canonicus* notabit *clericum ſine regula*, id eſt, quòd *non ſit votivus*, adeóque tum Canonici omnes vixerunt ſæculariter, econtrà ſoli Monachi *votivè*, quia *regulariter*. Quæ ſanè (meâ opinione) planè inconveniens eſt explicatio, atque illatio: nam cùm ſemper Canonici prætenderent abſolutè diſcriminari à monachis, præcipuè Caroli magni tempore: ac præstereà monachi ſe ideò vel maximè regulares dicerent, quòd ſecundùm regulam monachilem (quam magno tunc conamine tuebantur) viverent, ex quo regulares quóque meritò antonomaſticè audierunt: Econtrà cùm Canonicis ipſi Canones eſſent pro norma vivendi, non video, quàm æquiori, aut conventiori titulô diſcriminari ſimul à Monachis potuiſſent, & ad debitam ſui inſtituti rationem dirigi, niſi dum jubebantur ipſi vivere ſecundùm Canones Patrum Canonicè, ſicut Monachi ſecundùm regulam ſuam monaſticam regulariter. Si enim in uſu fuiſſet, ut potiùs Canones Patrum regula idiomate latinô nuncuparentur, & regula monachorum Canon, tunc Canonici dicti fuiſſent regulares, prout, id nunc in uſum venit, & Monachi appellati fuiſſent Canonici, quemadmodùm nonnulli nunc dici deſiderant. Ergò manet à nobis aſſerta veritas ſuo illæſa in ſtadio, dum monſtravimus, inſtituto Canonico per hanc vocèm *Ordinis* nihil omninò ſæculô undecimô novi in re, nec in nomine acceſſiſſe; non in nomine, ùt monſtratum; neque in re, cùm enim docente Pereyra Ordo Religioſus ſic appelletur, tum ex habitudine ſubditorum ad ſuperiores, tum ex habitudine mediorum ad finem, tum ex Religioſa obſervantia votorum, ac regularum inter ſe rectè diſpoſitorum, & connexarum, quia hæc omnia ordinatiſſimè obſervata diù ante ſæculum undecimum apud plurimos Canonicos reperiuntur, quem-

quemadmodùm per geminas præcedentes partes oſtenſum eſt, profectò in re perfectus Ordo exſtitit Canonicus.

2. *An, quòd undecimo ſæculo reformati Canonici ſub nomine S. Auguſtini innoteſcere cœperint, novo inſtituto Originem dederint?*

Verùm urges difficultatem, aíſque: non tam quæſtionem inſtitui, Ordo an talis fuerit, dictúſque ante undecimum ſæculum, Canonicus, quàm, an innotuerit priori ætate unquam ipſum complexum *Ordo*, nempe, *Canonicus S. Auguſtini?* ſicut igitur proferri ne unicum teſtimonium poteſt hujus; ſic certum eſſe debet, Canonicos, proùt Ordinem S. Auguſtini conſtituunt, atque formant, verè à ſæculo undecimo incæpiſſe, atque hæc eſt de Nomine quæſtio, non tamen contemnenda.

Hic enim ex parte eſt aries ille validiſſimus, qui tot aliàs pro noſtra ſententia firmiſſimè perdurantes animos ſubvertit, ut mentem, calamúmque ſuum adverſariis noſtris in triumphum litarent, iſti ergò aheneo muro certis (ùt prætenditur) ſolidíſque firmato argumentis obſiſtendum eſt, quod ut fiat, advertimus: Diverſas Ordinis Canonici Vices, atque eventus per decem priora ſæcula tam evidenter contigiſſe, quales nos priori utrâque parte deſcripſimus, ut planè hominem ſupinæ ignorantiæ reum condemnare oporteret, qui illud negare præſumeret. Præterea apprimè penſanda eſt illa ſaltem à ſæculo quinto (ut ne quid adverſariis hìc repetendum obtrudamus) Clericorum ſocialiter viventium in Eccleſia occidentali ſubſiſtentia, à ſæculo inquam quinto, à quo neminem adhuc ex oppoſita parte ſcio communem vitam clericis negaſſe. Jam inquirendum juxta adverſarios, quænam inſtituti hujus fuerit forma? declarabit eam nobis eruditiſſimus Thomaſſinus, juxta quem erant ab origine jam inſtitutæ Clericalis ſocietatis, ùt plurimùm duo Clericorum Seminaria, proùt in Auguſtini inſtitutione perſpeximus: & in Concilio Toletano quarto Annô 633. celebrato colligit idem Scriptor, quòd *duplex aperiatur Seminarium*; *alterum*, inquit, *in ipſo Epiſcopali Palatio, unde Epiſcopus Presbyteris & Diaconis ſuis cinctus, in eos & cum eis in Diaceſin ſuam omnem radios ſpargit ſanctimoniæ & pietatis, cui nè perditiſſimi quidem obtrectatores poſſint dentem infigere. Alterum in ædibus Eccleſiæ proximis, ubi Clerici Juniores omnes ſub diſciplina degunt ſanctiſſimi Senis, cujus oculos nec ad momentum effugiunt &c.* Part. 1. L. 3. c. 5.

Hanc normam Clericos ſociandi, & in communi vita conſervandi, ipſe deducit per omnia ſubſequa ſæcula, hi verò ipſi cum Epiſcopo unum corpus, unámque ſocietatem conflantes ſæculô ſeptimô, eôdem teſte, dici cæpêre Canonici, & quidem, ùt ipſe prætendit (in quo tamen nunquam ſuffragamur) *dicebantur, & Canonici habebantur, quòd Canoni matriculæve Eccleſiæ eſſent inſerti, ut ſtipendiorum ejus fierent participes.* Ibid. C. 7. n. 15. Ibid. cap. 8. [illegible] Vivebant illi quidem ſub obedientia Epiſcopi, erant Eccleſiæ perpetuâ ſtabilitate illigati, nec minùs caſtitatis votô ſtringebantur. Sed *tempore Pipini & Caroli Magni cæpêre dici Canonici* (ejuſdem Thomaſſini verba referimus) *non ampliùs ab illo Eccleſiæ Canone, ſeu matricula, cui inſcripti erant, ſed à Canone ſeu regula vitæ, quæ ipſis ſervanda indicebatur.* Ib. c. 9. n. 1. Tunc *Clerici cæpêre, quoad fieri poterat, in Congregationes, & communem vitam aggregari, iiſque proponebatur ſervanda regula, quam pro Clericis ſuis ita collectis Crodogangus Metenſis Epiſcopus ex Canonibus exſculpſerat.* Ib. n. 3. & 9. Indéque *ex ijs alii erant Eccleſiæ Cathedralis collecti, ſcilicet intra, vel juxta ædes Epiſcopales, ac in ijs cum ipſo viventes Epiſcopo, ſub ipſomet, aut alio Præpoſito; alii collegialium erant Eccleſiarum, qui nimirum ſub Præpoſito agebant, ſeu in civitate extra ædes Epiſcopales, ſeu etiam ruri: alii in Cænobiis, monaſteriiſve agebant ſub Abbate - - - ſingulis verò iſtis generibus commune erat clauſtrum, refectorium, dormitorium cum ſuo ſeu Epiſcopo, ſeu Præpoſito, ſeu Abba-* Ib. n. 2. 5. 6. 7. &c. & P. 3. L. 3. C. 6. n. 3. 7. Ib. c. 9. n. 2. 3. 7. 11.

ib. n. 2. 6, 7. 8, 14.

Abbate. Eorum qui ſub Abbate in monaſterio degebant, duo erant genera, alii monaſticam vitam nunquam amplexi fuerant, alii ab ea deſciverant, ac relaxatâ ejus fibulâ cœperant Clericorum potiùs, quàm Monachorum vitam agere. (ibid. c. 2. n. 96. 9. n. 5.) *Et iſtæ prorſus omnes Congregationes, capituláve Canonicorum monaſteria vocabantur.*

3\. *Canonici quinque ſæculis prioris ævi, diverſis quoad modum inſtitutis viventes non diſtinguebantur ſpecie ab invicem. Palmam tamen etiam tunc tuliſſe Auguſtinus ſua reformatione oſtenditur.*

Hæc ergò ſummariter erat per quinque ſaltem ſæcula juxta Authorem præfatum norma vivendi Canonicorum, multùm planè, ùt apparet, mutata, multíſque ſubjecta vicibus, ſeu nomen, ſeu vitam vivendi reſpicias, & tam in ſe diverſa, ut ſæculô ſextô alii longè fuiſſe appareant, quàm ſub Carolo Magno, aut Ludovico pio: & quid de regula d'eam? certè non ſolùm ſucceſſivis, ſed ijſdem temporibus, ſi ſæculô ſeptimô Canonicus hoc nomen à regula mutuari cœpit, illud non poterat niſi ad ſummum in Metenſi Eccleſia fieri, cùm ſaltem diù non legamus, hanc, quam Thomaſſinus Primam Canonicorum regulam adſtruit, in alia loca divulgatam, imò in omnia nunquam. Atque hinc eodem tempore alii à regula, alii à matricula dicendi erant Canonici; alii vivebant ſecundùm Chrodegangi regulam, alii paulò pòſt ſecundùm Aquiſgranenſem, alii ſecundùm Canones præciſè à regula. Sed hæc tanta Canonicorum diverſa vivendi forma, cuperem edoceri, an tum tot diverſas in Clerum induxerit vivendi ſpecies? ego certè ad hoc affirmandum nunquam adducar, quamdiù, in Authoribus & Scriptoribus antiquis non repererò hanc diverſam formam vivendi diſcrimen ipſorum Canonicorum conſtituiſſe. De Monachis certum habemus, adeò eos in multis locis exorbitâſſe à regula, ut alii hanc ne quidem noſſent ampliùs, alii jam ſe Canonicos, jam Monachos, jam neutrum dicerent, ùt inquiebat magnus Carolus, alii eidem diſtrictè inhærebant. Et tamen omnes hos tam diverſimodè viventes Monachos ejuſdem ſpeciei, & quidem (ſub præfato Principe) Benedictinæ æſtimabat antiquitas, cur iſtud? dicebant enim hanc diverſitatem vivendi non inducere diverſam ſpeciem ordinis, ſed Reformationem expetere; hinc ex merito objectivo ijdem omnes cenſebantur, quamvis non æqualiter regulæ, ſuæque formæ præſcriptæ vivendi ſe accomodarent omnes. Quidnam ergò prohibebit, ut idipſum de univerſo per priora decem ſæcula Clero aſſeramus, habebant omnes ſuam formam vivendi ex Canonum præſcriptis, recalcitrabant nonnulli; laborabant viri identidem Religioſi, urgebant Concilia, minabantur Reges, ac Principes, quique ſuis locis, cùm viderent, non poſſe violentiâ laxatos ſimul ſupprimi animos, qui adeò jam in liberiorem vivendi modum exarſerant, diverſiſſimis ſubventum eſt mediis, atque hinc tam diſcrepantes normæ inductæ, ut alii remiſſiùs, alii arctiùs regerentur, non tamen ullô modô exinde, alia, & alia ſpecies Clericorum, ſeu Canonicorum emerſit, ſed omnis illa diverſitas exſpectabat quandam applanantem & in unum modum vivendi colligentem reformationem; hæc quoties attentata ſit, nos hactenùs abundè oſtendimus: illa quæ ſæculô quartô ab Auguſtino ordinata eſt, profectò omnium, quæ hanc ſequebantur, validiſſima fuit, & nunquam non ſaltem aliquibus in locis intimô à multis Clericis affectu ſuſcepta. Certè quamvìs ſciam Bernardum Guidonem ſcriptorem longè juniorem eſſe, quàm ut Synchroni cum ſancto Ruricio Epiſcopo Lemovicenſi ſæculô quintô vivente ſcriptoris Authoritatem ſibi conciliet, nunquam tamen adeò tantum virum reijciam, quin ab eo edocear, ſaltem Ruricio Auguſtinum ad Clerum ſuum reformandum ſummo in amore fuiſſe: *Sanctus Ruricius* (verba ſunt Guidonis) *creditur, locum ſuprà Vigennam fluvium,*

Vide Mabil. aliàs à nobis hac de re citat.

Apud Lab. Bibl. t. 2. f. 277.

Vide etiam Gall. Chriſt. t. 2. f. 575.

Digitized by Google

vium, ubi commune Cæmeterium erat in honore S. Auguſtini Epiſcopi dedicâſſe, et inſtituiſſe ibidem ſub S. Auguſtini regula Canonicos Regulares. Julianus Pomerius diſſertè laudavit Hilarium Arelatenſem Epiſcopum cum Clericis ſibi in communi ſocietate conjunctis, ideò *quòd Auguſtinum in Eccleſiaſticis laboribus operoſum in omni ſua actione compoſitum ſecutus ſit.*

De vita Contemp. L. 2. c. 11.

Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus cùm Præfationem in ſuas excerptiones Canonum adornaret, in eadem, Canones quid ſint, & quorum? explicat, omniúmque Patrum tamquam Primicerium nominat ſanctum Auguſtinum, *Canones*, inquit, *dicimus Regulas, quas ſancti Patres conſtituerunt, in quibus ſcriptum eſt, quomodò Canonici, id eſt, Regulares clerici vivere debent, Auguſtinus Aurelius Epiſcopus dicit, ut nulli ſacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare. & nè excuſatio de ignoratione naſcatur*, vel *per oblivionem aliquid negligatur, frequenter in hoc libello, quaſi in ſpeculo proſpiciant, quod Canonum eſt Regulis definitum.* Ecce Egbertus qui ſæculô octavô, medium temporis, attingente vixit, jam rememorat regulæ Auguſtinianæ fragmentum ex cap. 10. & quidem eâ hìc obſervantiâ, ut totam regulam Canonum locò habere videatur: ait enim Auguſtinum dicere, ut *in hoc libello proſpiciant, quod Canonum eſt regulis definitum.* Hinc meritò hæc regula tam dilucidè ipſorum Canonum locò habebatur; ut plurima ex illa decerperentur ad Clerum informandum, ipſéque Egbertus, eandem & Auguſtino, & regulæ ſuæ prærogativam defert, quam ipſis Canonibus, eorúmque inſtitutoribus. In Concilio Pariſienſi annô 829. convocato, dum de reformatione Cleri ageretur, à ſanctis, & Zelô Dei inflammatis Patribus totus Clerus ad acta Apoſtolorum conſpicienda & poſt hæc non ad aliam niſi ſancti Auguſtini vitam imitandam demandatur. Chrodegangus quoque in ſua regula cùm aliàs nullius, tum maximè Auguſtini Præceptoris ſui in hac ſibi propoſita Clericali reformatione meminit: nam Cap. 52. præcipuam reflexionem intendit ad cap. 5. regulæ, ſuadétque correctionis modum dicens: *Nihilominùs cavendum eſt, ne errata delinquentium alicuius rei livore feriant, ſed potiùs, ùt ait B. Auguſtinus, ſint criminum perſecutores, & hominum liberatores, oderint vitia diligant homines.* Id eſt, ùt regula ait: *Cum dilectione hominum & odio vitiorum.* Concilium denique Aquiſgranenſe, nil penè conſultius, ac de propoſita induſtria, quàm ſermones illos de moribus Clericorum ſuæ regulæ ex Auguſtino inſeruit: & quemadmodum ex Ticinenſi ſuperiùs advertimus, ſiquidem huic regulæ vir doctiſſimus in quodam ſibi prævio Exemplari tertium quoque ſermonem additum reperit, quem nunc ex eadem avulſum in Labbei editione deſideramus, profectò, id eò veriſimilius eſſe videtur, quò tempore Gratiani, id eſt, ſæculô duodecimô, adhuc conjuncti hi ſermones ſic in antiquiſſimis Codicibus legebantur, ut primus eſſet, qui incipit: *Charitati veſtræ*, ſecundus: *propter quod:* & tertius. *Primum propter quod:* quæ ipſa eſt formalis Auguſtini regula, illic tamen, ùt ſermo, non ùt regula inſerta. Igitur abundanter demonſtratum eſt, quantùm prioribus, ante undecimum, ſæculis, in ſocietatibus Clericorum; præcipuè diſciplinam Clericalem zelantibus Epiſcopis, aliíſque Eccleſiæ proceribus Auguſtinus ſemper exemplar fuerit, ac Prototypon exoptatiſſimæ reformationis; nec Nomen ejus etiam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxatum Clerum inducendæ unquam adeò delituiſſe inter oblivionum tenebras, ut quaſi novum quid, atque antea inauditum procudiſſent, qui ſæculô undecimô Cle-

L. 1. c. 31. Concil. Par. 6.

Vid. Corp. Jur. Can.

Senſim, ùt ſolet in rebus moralibus ſpeciem non mutantibus fieri, Auguſtini no-

men apud Canonicos prævalere ad uſum cœpit.

Clericos ad votivam vitam, eámque ſtrictiorem, firmiorémque obſervandam revocantes, Nomen illis Auguſtini quodammodo attribuerunt. Senſim quidem hoc ipſum factum fuiſſe novimus, utpote cùm primùm ſola Auguſtini ſuaderetur identidem imitatio, ùt mox vidimus: Quò magis autem vires ſuas conſtituta à Nicolao Secundo reformatio obtinebat, eò ampliùs Auguſtini nomen inter hos feliciores Clericos audiri cœpit. Senſim, inquam, cui enim incognitum? etiam alios ſubinde ſanctos Patres de ſua inſtitutione fuiſſe laudatos, de quibus nos priori parte multa, cùm de regula Urbani, Gregorii, Sylveſtri, Hieronymi &c. ageremus.

4. *Cùm una infima ſpecies Sæculô undecimô ac duodecimô eſſet omnium Canonicorum Regularium, quidam tamen eorum dicebantur vivere ſecundùm regulam Sylveſtri, alii Urbani, alii Gregorii, alii Auguſtini, ex quo evidenter inferendum, nec regulam ad ſpecificandum inſtitutum aliquid conferre poſſe, nec Auguſtini aut regulam aut nomen quidquam in Can. Reg. ſpecie infima immutâſſe.*

Porrò ſi demum totam (in qua actu ſudamus) quæſtionem in potiſſimo ſuo, quò tendit, ſcopo attendamus, apparebit, Auguſtini nomen ſæculô undecimô ac duodecimô uſque ad Innocentii Secundi Concilium, ſic Canonicis fuiſſe donatum, ſic ab his ipſis etiam repetitum, ut neutiquam intenderetur per hoc illis novum inſtitutum, ordinémque aſſerere: Verùm hac unica de cauſa, quòd, cùm paſſim tam Collegiorum Fundatores, quàm benefactores, ipſíque ad priſtinam formam reſtauratores, Auguſtini vitam, ac inſtitutionem, ſeu potiùs Clericalis, ac Apoſtolicæ vitæ reſtitutionem, Auguſtini inquam, præ cæteris omnibus Patribus, pro Regula, ac Exemplari proponerent, eò, quòd facilè omnibus reliquis hic ſanctiſſimus Doctor ſicut in aliis ſapientiæ ſuæ limpidiſſimæ præceptis, ſic vel maximè in Clericalis vitæ informatione palmam præriperet, nomen demum Canonicis iſtis intimìs medullìs inhæreret, cujus Doctrinâ ſe eruditos agnoſcerent. Intereà illud quoque non omittendum, quòd, quamvìs Auguſtini prærogativa identidem in litteris fundationum, reſtaurationum, aut dotationum, reperiretur, nequaquam tamen id fiebat cum excluſione ſolitæ ab antiquiſſimis temporibus formulæ, quâ ſemper Clerici dirigebantur ad regulam, ac inſtituta Patrum ſervanda, idipſum etiam hìs, undecimô ſcilicet ac duodecimô Sæculô, imò & ſubſequìs frequenter occurrit. Ex quo reipſa nihil planè ad ſpeciem inſtituti noſtri referebat, ſeu nos ùt antea, ſic ad hodiernum diem, aut ſimpliciter Canonicos Regulares, ſeu Sylveſtrinos, ſeu Gregorianos, ſeu Apoſtolicos, ſeu demum Auguſtinianos nominarent, qui nos ideò potiùs Auguſtinianos à Sæculo undecimo, & deinceps ſemper uſitatiori conſuetudine dicere maluerunt, quod & nomen & vitam Auguſtini noſtros æmulari ſummâ curâ ac ſollicitudine viderent, eò quidem ſecuriùs, & ad veterem ſpeciem infimam votivæ Clericalis vitæ conſervandam in nobis cautiùs, quòd negari à nemine poſſit, quotquot ſeu à magno Gregorio Romæ, ac Cantuariæ, ſeu à S. Euſebio Vercellis, ſeu ab Hilario, Rigoberto, Paulo Virdunenſi, Chrodegango, aliiſque innumeris alibi locorum ſanctis viris, reformati ad Apoſtolicam normam vivendi genuini Clerici noſcerentur, nullus eorum, tam preſsè, támque analogicè id præſtitiſſe comperiretur, quàm magnus Auguſtinus. Hinc quotquot ab eo tempore, à quo Auguſtini nomen in inſtituto noſtro liberiùs inſonuit, tam Scriptores, quàm Hiſtorici hac de re quamvìs doctiſſimi, ac circumſpecti diſſeruerunt, nunquam aliam rationem aſſignare, aut voluerunt; aut potuerunt, cur nobis adeò Auguſtinum familiarem fecerimus & nomine & imitatione, niſi quia hunc ſequentes hujus nomine glorianres, Patrum inſtituta, Apoſtolicam vivendi normam, ac denique, ut verbo dicamus, verum illud Clericale inſtitutum nos poſſidere certiſſimè profiteremur, quod ipſe Sanctus ſe cum Clericis ſuis tenere publicè conteſtatus eſt, ſcilicet, Apoſtoli-

cum

eum, ac ab Apoſtolis ipſis primitùs obſervatum. Hujus aſſerti teſtimonia expedit tamen ad dilucidandam apertiùs veritatem iſthic producere. Et quidem, ut candidè procedamus, præcipuè præſtabimus illa, quibûs doceamur, eô tempore, quô maximè adverſarii noſtri contendunt, Auguſtini nomine nobis (Sæculô nempe undecimô, duodecimôve) appropriari cœptô, ſpecificè diſtinctum inſtitutum per nos, pérque hanc modificationem fuiſſe exortum; eô, inquam, ipſô tempore, & adhuc diù poſteà, Patres, Fundatores, ac Reſtauratores, ſuis in litteris non ſolùm Auguſtinum non meminiſſe, ſed, quod mireris, hos, quos ejuſdem ſpeciei cum quibuſcunque genuinis, veríſque tum Canonicis Regularibus, ipsíſque Auguſtinianis æſtimabant, jam ſub regula Sylveſtri, jam Euſebii, jam Urbani, jam ſimpliciter ſanctorum Patrum vivere juſſiſſe; quod profectò ſalvâ apertiſſimâ contradictione, aliter explicari nequit, niſi (proùt reipſa eſt) dicamus, illos ipſos Canonicos, quos Auguſtinianos nominare cœpêre, exinde ab Auguſtino dixiſſe, quòd eorundem præceptorum, quorum aut Gregorius, aut Euſebius, aut Sylveſter, aut Urbanus, hic egregius Eccleſiæ Doctor Reſtaurator fuerit, atque Director. Hinc facilè aliis Auguſtini locò Euſebius, aliis ſylveſter nominandus præplacuit, cùm non tam reformationis Principem, quàm finem attenderent: alioquin, ſi ad unum nomen, inſtitutúmque Auguſtini tanquam novum, ſpecie à veteri diſtinctum, ſeſe reflectere oportuiſſet; certè aut ii, qui ſecundùm S.Sylveſtri regulam vivere jubebantur, ſpecie diſtincti cenſendi erant, aut ignorâſſet ipſe, vel ſomniâſſet potiùs (dum hanc chartam confecit) Hugo Nivernenſis: ſomniâſſet, inquam, cùm viro huic ſanctiſſimo, & Zelô diſciplinæ regularis pleno, ſanâ mente incidere non potuiſſet eam regulam Canonicis in Eccleſia S. Stephani inſtitutis admittere, quam noſſet diverſam imprimis Canonicorum regularium ſpeciem eſſe, eámque adeo ſingularem, ut vix fortè per totam Galliam ullum aliud ſub hac regulæ forma (ùt adverſarii volunt) exiſteret! deinde quoque optimè calleret, quàm, rectè tunc, undique aliàs Auguſtinus in monaſteriis Clericorum, ſeu Canonicorum regularium florere quodamodò inciperet: nam annô 1061. Anna Franciæ Regina ſylvanectis fundavit S. Vincentii Monaſterium, in charta autem ſic loquitur: *quatenùs*, inquit: *ibi quieti & tranquilli religioſi viri, Domino ſervientes, mundo renuntiantes, regularem, id eſt, Sanctorum Apoſtolorum, & B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, vitam Canonicè amplectentes vivere valeant.* hæc Canonicorum ab Anna Regina ad vitam Apoſtolorum & B. Auguſtini amplectendam inſtitutio facta Hugonem Nivernenſem Epiſcopum latere non potuit, ſicut nec Petri Piperacenſis in Arvernia annô 1062. qui teſte vitæ Scriptore *ſuô relictô Archi presbiteriô, Præſulis Durandi functus Conſiliô, aſſumpto habitu canonico, oneréque mundi depoſito, Deo militaturus perpetuò, ſuffultus Fratrum geminô ſolatiô, Piperacum venit; annô Domini milleſimô ſupra ſexageſimum ſecundô, Deus autem in unum plures ei adunavit, regularium, qui ſequantur victum Apoſtolicum ſecundùm dictum Auguſtinicum nihil habentes in hoc mundo proprium.* Nec denique Rajambaldi Arelatenſis Archiepiſcopi, qui æquè Canonicos ſuos Metropolitanos ad ſtrictiorem vitam, &, ùt inquiunt Sammarthani, *ad Canonicorum regularium inſtitutum amplectendum adduxit, qui ſub regula S. Auguſtini militant*, ídque circa an. 1061. aut paulò pòſt. Has ſecundùm Auguſtinum factas inſtitutiones, pluresque alias, quas referre haud opus eſt, Hugo certè noverit, neque tamen inde perſuaſus, potiùs regulam ſuos Canonicos dixit S. Sylveſtri, quàm Auguſtini profitentes, cur quæſo, iſtud? niſi,

Gall. Chr. prior edit. t. 4. p. 950.

Spicil. t. 2. f. 155.

ſi, quòd eò omnium horum virorum reſpiceret intentio, ut Canonici votivam ſuam vitam inſtituerent ſecundùm normam, ac regulam Apoſtolorum, Sanctorúmque Patrum: hinc, ſicut quidam in ſuis inſtitutionum chartis Auguſtinum, alii Sylveſtrum, alii Urbanum nominaverunt, ſic quidam ſolam regulam definiêrunt Sanctorum Patrum, alii huic addidêre Auguſtinum, alii ſolam nominârunt *regularem*, *communem*, ſecundùm *Canonicam regulam*, ſecundùm *Canones* &c. *vitam*, & tamen omnes hi in unum Specie infimâ ordinem intendebant: cùm demum ſenſim, ac, ut ita dicam, pedetentim ſemper obſervantiores ritus in ipſa Canonicorum clauſtra aſſumerentur, & quaſi magis, magíſque regularis norma induceretur vivendi quoad veſtitum, diſtributionem diurnam, penſum quotidianum Divini officii, atque ſic, cùm præcipuè cernerent noſtri hinc inde novas religiones parturiri in Eccleſia, quarum quævis nomen, regulam, ritúmque vivendi diſtinctum ab alia obſervaret, id ſibi nominis, ritúſque elegêre, quod expedire inſtituto conſervando noſſent, nec tamen priſtinæ ſuæ antiquitati quidquam derogaret. Sed, dum nos diximus etiam eo ipſo tempore, quô aut cæpit aliquantò avidiùs nomen Auguſtini apud Canonicos vitam regularem viventes audiri, aut jam longè deinde ejuſdem nuncupatio apud eoſdem invaluit; adhuc tamen chartas, ac documenta exſtare tunc confecta, nomen Auguſtini aut neutiquam, aut mixtim continentia, quàmvis certò pro Canonicis Regularibus hujus infimæ ſpeciei data, hoc probandum èſt inductione adhuc magis evidenti: annò 1174. Guala Bondanus Epiſcopus Vercellenſis Canonicos S. Bratholomæi extra muros Vercellis, ad regularem vitam amplectendam perſuaſit, ſed, ùt in monumento vetuſtiſſimo exſtat, modô, formâque à S. Euſebio præſcriptâ: Hæc ejuſdem verba: *Convenerunt in præſentia Domini Guale Vercellenſis Epiſcopi, & Fratrum ſuorum Canonicorum B. Euſebii, quidam Religioſi viri divinâ miſericordiâ inſpirati, videlicet Dominus Guilielmus vir ſapiens, & dilectus Præpoſitus Eccleſiæ Congregationis B. Bartholomæi foràs Civitatem Vercellarum ſitæ, cum Fratribus ſuis Clericis, & converſis utriuſque ſexûs, profitentes ſe velle vivere ſecundùm formam regulæ, & Canonicam inſtitutionem B. Euſebii - - - - - poſteà verò Dominus Guilielmus Præpoſitus cum fratribus ſuis Canonicis, & utriuſque ſexûs converſis; dudum ſe votô obligaverant, ac firmiter promiſerunt, deinceps ſe vivere ſine proprio, ſecundùm formam regulæ, & ſtatûs, ùt Canonici B. Euſebii, útque ſolent Canonici Regulares, ibique ſtatim Dominus Epiſcopus, ne tantum bonum diutiùs differretur, acceptô Conſiliô Fratrum ſuorum Canonicorum, dedit authoritatem, & licentiam, ut ſicut promiſerant, ſic de cætero in perpetuum irrevocabiliter obſervarent.* ſubſcriptus eſt huic chartæ tanquam originariæ ipſe *Guala Eccleſiæ Vercellenſis Miniſter.* Hi itaque S. Euſebii regulam profitentes erant Canonici Regulares, & tales quidem ſicut alii: promiſerunt enim non ſolùm ſecundùm formam regulæ S. Euſebii vivere, ſed ùt Canonici Regulares, ſcilicet ſine reſtrictione ad hos, vel illos, ſed genericè; ſicut enim propoſitio prior, dum dicunt ſe victuros ùt Canonicos B. Euſebii, videtur eſſe reſtrictiva, ſic mox ſubjecta eſt explicativa, & exceptiva: quaſi ſcilicèt dicerent, licèt ſpondeamus nos victuros ſecundùm regulam B. Euſebii, non tamen alii aut eſſe, aut cenſeri volumus, quàm quales ſunt quicunque Canonici Regulares. Iſtud in hac ſua promiſſione nunquam aſſerere potuiſſent hi Euſebiani Canonici, ſi non compertum, receptumque fuiſſet, illum aſſumptum vivendi modum apud Canonicos Regulares nihil in quæſita inſtituti ſpecie immutare, ſive ſecundùm hujus illiúſve

Italia Sacr. tom. 4. f. 781.

úſve S. Patris nominatam regulam, quippe quæ generaliter tendebat ad ſolam, & unicam vivendi formam Apoſtolicam, atque Canonicam, hoc eſt, vivere ſine proprio, ac votivè in communi, & ſaluti animarum incumbere. Hi ipſi namque Canonici uſque ad annum 1512 perſeverantes ſe habuerunt inter Canonicos Regulares S. Auguſtini teſte Ticinenſi noſtro apud Pennotum. Neque ullum exſtat documentum, quô erueretur, cùm regulam S. Auguſtini reciperent, ſub aut paulò poſt Innocentii tertii decretum, ſe in novum Canonicorum regularium ordinem tranſiiſſe.

L. 2. c. 18. n. 5.

Gall. Chr. t. 1. in inſtr. p. 28.

Geraldus Secundus Caturcenſis Epiſcopus in charta ſua, quâ gratulatur Eccleſiam Caturcenſem à laicorum, ac ſæcularium poſſeſſione perſonarum ſummô ſe ſtudiô revocâſſe, mox inquit, *uſibus Fratrum Canonicam vitam regulariter voce, & converſatione profeſſorum, quo Divinæ præſidio pietatis, Conſilio & authoritate Domini Hugonis Venerabilis Cluniacenſis Abbatis; & Domini Hugonis Lugdunenſis, & Domini Amati Burdegalenſis Archiepiſcoporum, Apoſtolicæ ſedis Legatorum; Conſiliô quoque, & Authoritate Domini Ricardi Bituricenſis Archiepiſcopi, & omnium Suffraganeorum, tam Epiſcoporum, quàm Abbatum &c. ibidem & in Caturcenſi Eccleſia communiter victuros eſſe inſtitui &c.* facta reformatio videtur circa an. 1090. nihil verò in hac teſtamenti Charta de S. Auguſtini, Sylveſtri, Euſebii &c. regula, neque de cujusdam nomine; ánne verò quisquam ideò dixerit alterius ſpeciei Canonicos Regulares Caturcenſes tunc fuiſſe inſtitutos?

Miræ. Dipl. Belg. l. 1. c. 36. ſuperius jam relatum.

Lietbertus Epiſcopus Cameracenſis annô 1066. amotis Canonicis proprietariè, ac ſæculariter nimis viventibûs, ſubſtituit Regulares in S. Huberti Eccleſia: Hæc diplomatis à ſe dati, Cleríque reformati forma: *Eſt quoddam*, inquit, *monaſterium infra muros Cameracæ civitatis in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſanctique Autberti Confeſſoris ejusdem civitatis Epiſcopi, ibidémque corpore quieſcentis conſecratum, ubi retrò deſerviebatur officio Canonicorum, quibûs injunctam ſervitutem negligentibûs, cæpit locus ille vileſcere, & indies à prioris honorificentiæ ſtatu declinare, hoc ego conſiderans condolui, cæpique animò volvere qualiter meliùs ad divinum cultum poſſem relevare. Tandem Zelô DEI animatus, & fidelium noſtrorum conſiliô roboratus, Regulares Canonicos de communi viventes, & nihil proprium habentes, & ejusdem Profeſſionis, & Ordinis Abbatem eo in loco conſtitui* &c. Ecce *Canonicos Regulares*, ecce *Ordinem*, ecce *Profeſſionem*, ſed ne verbum Lietbertus ſeu de Regula, ſeu de Auguſtino memorat, ſufficienter ſibi de infima ſpecie providens, quod Canonicos Regulares nuncuparet, de *communi viventes*, ideo per omnia ſuos Succeſſores obteſtabatur de conſervatione, ac provectione hujus inſtituti in dicta Eccleſia diſſertè expetens, ut ejusdem Canonicis *ſuæ profeſſionis* Abbatem ſemper præficiant &c. profectò ſibi ipſi injurius hâc chartâ Lietbertus fuiſſet, ſi, quam Canonicorum Regularium Profeſſionem, Ordinémque tam impensè conſervandam expetiit, tot penè ſpeciebûs Canonicorum Regularium, quot regulis, nominibûsque ſub quibus viverent diſtrictè exiſtentibûs, non certam nominâſſet; niſi id unum ſibi præfixum habuiſſet, omnes Canonicos Regulares tum temporis eandem ſpeciem in re, formámque exhibuiſſe, quamvìs non ſub una regula S. Auguſtini, aut Nomine. Cùm in monte S. Eligii idem Lietbertus (ùt teſtatur Lambertus Atrebat. Epiſcopus in privilegio huic monaſterio dato 1097.) Clericos Regulares de communi viventes, ſuorum conſiliô fidelium ordinâſſet, eísque Abbatem ſuæ Profeſſionis præfeciſſet, mox dictus Lambertus eosdem Clericos non aliter nuncupat, niſi Canonicos religioſè, & absque proprietate viventes. *Concedimus*, inquit, *inibi Canonicis reli-*

Mir. cit. cap. 41.

Digitized by Google

religioſè & absque proprietate viventibus cum Conſilio, & authoritate Atrebatenſis Epiſcopi licentiam eligendi juxta timorem Dei, & Sacros Canones, Magiſtrum, & Abbatem. Neque per omnia, quæ exſtant documenta legitur, quo tempore, aut quâ viâ hi, qui ſemper inter legitimos Canonicos Regulares recenſiti ſunt Eligiani, Auguſtini regulam ſibi nomenque aſſumpſerint: quamvis id ex parte ſub Joannis Morinenſis Epiſcopi ætate (cùm Canonicus Eligianus ipſe circa finem undecimi ſæculi factus eſt) ejuſdem coævus, atque familiaris Joannis de Collemedio contigiſſe inſinuet: ex parte inquam, id eſt, quoad electionem regulæ: ſic enim is ſcribit, cùm præmiſiſſet hunc S. Joannem ab altero Joanne primo Abbate Eligiano in gremium fuiſſe ſuſceptum. *Quem* inquit, *idem vir Domini ſummâ ſuſcepit alacritate, & gaudio, uberes omnipotenti DEO gratias agens, de tanto ſibi divinitùs collato ſolatio. nam quia B. Auguſtini regulam ipſe in eodem monaſterio obſervabat, ſuiſque impoſuerat obſervandam, ejus religionem & prudentiam non mediocriter in hoc opere ſibi arbitratus eſt eſſe neceſſariam.* &c. Verùm quamvis Joannes de Collemedio regulam nominet S. Auguſtini, nunquam adducar, ut credam, ipſum hanc in individuo regulam intellexiſſe, quam certam tempore Decreti per Innocentium an. 1225. emanati, quivis regulares, hi & Canonici ſibi aſſumere in formalibus debuêre. Ratio verò mea eſt, quòd tum per regulam ſeu S. Auguſtini, ſeu Euſebii, ſeu SS. Patrum (prout aliquoties monuimus) nil aliud horum temporum ſcriptores intellexerint, quàm normam vivendi Apoſtolicam: indè cumprimis eſt, quòd ſemper in chartis, privilegiiſque, ubi de nulla regula, aut norma vivendi ſecundùm Patres, aut aliquem eorum fit mentio, identidem memoretur vitæ communitas, atque expropriatio, aut ſaltem ipſa regularitas, ſub qua nequaquam ipſi formalem regulam intellexiſſe cenſendi ſunt, ſed normam vivendi Apoſtolicam, ſeu, ùt in quibuſdam inſtrumentis legitur, ſecundùm regulam Apoſtolicam, hoc eſt, votivè, ac ſine Proprio. Unde dum narratur Lantonienſium Canonicorum profeſſio regularis, ac Canonica ab Authore vitæ Roberti Betunienſis, Epiſcopi Herefordienſis, vixiſſe dicuntur non aliter, quàm ſecundùm regulam, & vitam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Certè regula Apoſtolica nulla poteſt in forma proferri, ſed intelligitur ipſa vita, modúſque vivendi Apoſtolicus, qui conſiſtit in expropriatione votiva, in communi ſocietate, & in ſalute animarum procuranda; hanc ſicut Apoſtoli re potiùs, quàm ſcriptis obſervaverunt, poſteriſque in exemplo reliquerunt, Auguſtinus pariter imitatus eſt: ideò & Poſſidius non dixit Auguſtinum ſibi regulam *confeciſſe*, ſed *vixiſſe* ſecundùm regulam jam traditam, jam exſtantem, ſcilicet *ſecundùm regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.*

Bol. t. 1. Jan die 27. cap. 2.

Angliæ ſacræ t. 2. ſ. 302.

Cùm Lambertus idem Atrabatenſis Epiſcopus confirmaret ſuô privilegiô Aroaſienſem fundationem ab Heldemaro, & Conone inceptam ſub inſtituto pariter Canonico: in illo inſtrumento annô 1097. dato, inquit ad Cononem: *unde & te in eo, quo es, loco & ordine, & ſucceſſores tuos Religioſè, & Canonicè inibi victuros hâc donamus libertate, ut tantùm Epiſcopo reſpondeatis, & in manu ejus, in libertate ſpiritûs maneatis. Contradimus etiam tibi, & per te legitimis ſucceſſoribus tuis, cum Fratribus inibi religioſè, & absque proprietate viventibus, atque victuris in augmentum pacis & quietis &c.* vides vitæ Canonicæ aſſumptæ explicatam ſpeciem infimam, ac proprietatem, ſcilicet vivere religioſè cum fratribus, hoc eſt, *Socialiter & absque proprietate*, verè nempè Apoſtolicè, ſine ulla regulæ cujuſdam deſignatione.

Apud Mir. cit. 644

Ca-

Cæterùm, cùm etiam his temporibûs magni fieret Auguſtini mentio non ſe determinabant ſcriptores ſtrictè ad regulam S. Auguſtini, ſed dicebant Canonicos vivere, aut ſecundùm vitam, aut ſecundùm inſtituta præcisè S. Auguſtini. Exſtat apud Sammarthanos charta Aluiſi Epiſcopi pro Canonicis Regularibus Mareolenſibus. Ibi ſic legitur: *Beati Amandi de Mareolo Eccleſiam omni ferè religionis rigore deſtitutam, & inhabitantium Clericorum inſolentia domûs DEI vigore calcato peſſumdatam, in religionis ſtatum, & decorem debitum reformare curantes, Clericos Regulares in eam conſtituimus, qui ſæcularibûs abjectîs, ſecundùm inſtituta B. Auguſtini ſine intermiſſione Deo ſerviant &c. Inſtituta*, non *regulam* Aluiſus nominat, idem dicens, quòd hos Canonicos vivere eô modô velit, & ſecundùm eam inſtitutionem, quam Auguſtinus obſervavit cum Clericis ſuis.

T. 3. in inſtrum: Gal. Chr. col. 74. an. 1138.

Denique ut rei plus quàm nimiæ finem demus, cùm cœnobium ſeu collegium Reicherſpergenſe initiô ſæculi duodecimi fundaretur, & à Chuonrado Archiepiſcopo Salisburgenſi amplè dotaretur, in litteris à ſe datis idem ſic ait: *notum ergò eſſe volumus tam præſentibus, quàm futuri temporis hominibus, nos ad ſuſtentationem Chriſti pauperum in Reicherſperg Deo ſub communis vitæ regula ſervientium & amodò, ſerviturorum quædam contuliſſe.* En habes hìc à viro ſanctiſſimo, & quô nemo penè illis temporibûs meliùs novit, quæ ſit S. Auguſtini regula, quódque Canonicorum Regularium inſtitutum? habes inquam, quæ illa ſit? nempè non alia, quàm *communis vitæ*, qui ergò paupertate votiva ſimul vixerant Canonici, hoc ipſo ſe vivere jure dicebant ſub regula S. Auguſtini, quia degebant *ſub regula communis vitæ.* Hinc optimè ſanè obſervatur, quod Author Chronici Reicherſpergenſis de Gerhoho annotavit, à nobis hic aliquantò enarratiùs dandum, quàm hactenùs ab aliis hanc ipſam materiam tractantibus factum ſit, ut ſolidè ad rei veritatem liceat devenire: ſic ergo de Gerhoho Chroniſta: *Jam verò*, inquit, *diù erat, quòd & vitæ cœnobitalis propoſitum geſtabat in animo, ad quam rem, ut liberior fieret, non ſolùm fratres ſuos, ſed & Patrem, & Matrem nova in Chriſto, ac ſanctæ Converſationi parturivit. Itaque duobûs fratribûs ſuis adhuc pueris, Patre quoque & Matre ſub regularis vitæ propoſito in Raittenbachenſi cœnobio collocatis, & ita ab omnibus quæ ad eum pertinebant, expeditus, cœnobitalis vitæ propoſitum, quod diu mente conceperat, jam ut in partum erumperet, tempus erat. Igitur dimiſsâ prædiviti Canonicâ, & nobili civitate Auguſta, ad monaſterium Clericorum prænominatum Reitenbach divertit, magis eligens cum Chriſti pauperibus pauperem vitam gerere, quàm habitare in tabernaculis, vel in domibus laqueatis peccatorum. Illic ergò quaſi Angelus Domini ſuſceptus eſt, ubi veſte pretioſa, & coma capitis depoſita, ac mutatô ſæculari habitu gregibus Domini conformatus, ac conſociatus eſt. Tum verò quantô ardore, ac ſtudiô iter communis vitæ arripuerit, quantóque Zelô rectitudinis accenſus vixerit, teſtis eſt ei omnis illa Eccleſia Reittenbachenſis &c. unde confratres ſuos, non ſolùm dictis, ſed & exemplîs ad ſervandas bonas conſuetudines arctioris vitæ & inſtituta ſanctorum Patrum ſine intermiſſione provocabat, & etiam arguebat &c. ardebat itaque totus incomparabiliter per inextinguibilem ſanctiſſimæ dilectionis ignem ad DEum, & per infatigabile animæ ejus ſtudium ad communis vitæ decorem. Nec enim ſatiabatur illîs diebûs dulcedine illâ mirabili, quod inveniebat legendô in excerpto de dictis Sanctorum, de vita Canonica, quô & eatenùs pro regula uſi fuerant fratres ſui. Sed exquirebat omni animadverſione, quomodò vivendum eſſet ſecundùm regulam Patris noſtri Auguſtini, vel quæ eſſet illa regula, ſecundùm quam vivere profeſſus fuerat. Quæ regula tamen in illis locis non inveniebatur: ſed nec in aliis locis ejuſdem profeſſionis. Pro qua*

Hund. metrop. Salis. p. 2. p. 156.

Chron. Reicherſ. editione Ludevvigiana ad an. 1109. p. 297.

quare neceſſarium duxit Romanum adire Pontificem, cum quibusdam fratribus de clauſtro: quatenùs regulam, quam unà cum omnibus communiter fuerat profeſſus, clauſtro illi, cui erat obligatus, ſtabiliret, quod & factum eſt, hinc contigit, ut quorumdam invidorum & deſidioſorum, quorum vita diſſimilis fuit, per hoc animos & odia contra ſe vehementiſſimè concitaret. Hæc ibi: colligimus verò ex his:

Primò: Canonicos in Germania non ſolùm ſe ſancti Auguſtini dixiſſe; ſed & regulam profeſſos eſſe, quamvìs quæ ſit illa regula neſcirent: at unde hoc? profectò liberum ſit aliis, quod libuerit, ſentire, nos ex principiis hactenùs datis, aliam cauſam allegare nequimus, niſi, Canonicos Reitenbuchenſes, ad normam omnium aliorum, ſe nuncupâſſe de nomine S. Auguſtini, quòd ſcirent primam eámque celeberrimam Clericalis inſtituti reformationem ab ipſo fuiſſe feliciſſimè conſummatam, ipsámque non ſolùm ſubſequis temporibûs nunquam interiiſſe, ſed ad ſummum ſic elanguiſſe, ut penè eum ipſo & memoria, noménque Authoris evaneſceret, *penè*, inquam, non *omninò*, hinc Ivo Carnotenſis noſter. Quòd inquit, *communis vita penè in omnibus Eccleſiis defecerit, non Authoritati, ſed deſuetudini & defectui adſcribendum eſt.* Hoc tamen è languore quamprimùm iterum reſipiſcere cœpit dicta reformatio, ipſum quoque Auguſtini nomen auditum eſt crebriùs, propriè, & ex induſtria tanquam digniſſimi Authoris hujus ſæpè dictæ reformationis, non verò tanquam legislatoris (intellige legem, ſeu regulam ſtrictè ſumptam) hoc enim certiſſimum eſſe tum ex antecedentibus ſatis docemus, tum ex ſequentibus magìs intelligetur: Quibus ad tertiam hujus capitis ſimul quæſtionem devenimus, & colligimus

Epiſt. 213.

5. Secundò ex mox producto chroniſtæ Reicherſpergenſis loco Canonicos Reittenbuchenſes ſæculô undecimô, ac duodecimi adhuc initiô ſe ſcripſiſſe S. Auguſtini, ſeque ejuſdem regulam fuiſſe profeſſos, & tamen Gerhohus eximio affectu in Auguſtinum exardeſcens, cùm ſciret ſe ejus regulam profeſſum, inquirebat, quæ illa eſſet? ſed non reperiebat, eò quòd *regula* illa *tunc in illis locis non inveniebatur.* Imò quod maximè obſervandum, nec in aliis locis ejuſdem profeſſionis, adeóque quotquot tunc, id eſt, ſæculi undecimi fine, & exordiô ſuccedentis erant Canoniæ Regulares (ſaltem dicamus in potiori parte Germaniæ) non habebant regulam S. Auguſtini, & tamen eandem profitebantur, quæ ergò erat illa, regula, quam ignorabant, quomodò ignorabant illam, ſi profitebantur? videtur certè res iſta manifeſtæ contradictionis, aut ſupinæ ſocordiæ in dictis omnibus monaſteriis, quod tamen aſſerere nunquam audebo, ſi perpendo non ſolùm eodem tempore celeberrimos viros, qui diſciplinam clericalem in illis locis implantaverant, verùm etiam fundatores, quos non poſſum tam inertes, atque imperitos arguere, ut peterent Canonicos Regulares ſecundùm regulam, vel inſtituta S. Auguſtini vivere, & tamen eam operam non impenderent, quâ regula illa haberi poſſet. Quis hoc unquam de monaſterio aliquo S. Benedicti, aliorumque SS. Monachorum factum comperiet? profectò nemo. Atque ut magìs inſiſtamus, Chonradus prout apud eruditos compertum, & ſcriptor vitæ S. Gebhardi teſtatur: *inter cæteros Saliſburgenſis Eccleſiæ dignos per ipſum profectus, majoris Eccleſiæ Clericorum vitam in melius reformavit, & communem vitam Canonicorum S. Auguſtini ibi initiavit annô Dominicæ incarnationis* 1121.

Cur, & quò modò Canonici

Regulares ſub regula S. Auguſtini vivere dicantur?

Vita S. Gebhardi apud Caniſ. t. 3. f. 441.

Hainricus Friſingenſis Epiſcopus in privilegio conceſſo annô 1102. Dietramzellenſi monaſterio à Daſcalco Tegernſeenſi Abbate fundato, ait: *quod ordinem ſecundùm regulam S. Auguſtini inviolabiliter obſer-*

ſervare conſtituit, &c. Annè ergò hi egregii viri obligaverint Canonicos ſub regula S. Auguſtini vivere, quam ipſi ignoraſſent? dico itaque, certiſſimum eſſe, hoc tempore non aliò reſpexiſſe omnes ſeu Fundatores, ſeu Benefactores, ſeu Reformatores Canonici inſtituti, niſi ad ipſam normam illam vivendi ab Auguſtino in ſuum clerum inductam, quæ illis pro regula erat, atque adeò, jam regula, jam inſtitutio, jam vita dicitur S. Auguſtini, proùt in teſtimoniis adductis vidimus. Ergò quid demùm regula Auguſtini novum Canonico inſtituto attulerit? jam ſenſim obſervare licet. Erat nempe in aliquibus plùs, in aliis minùs nota ipſa ſancti Auguſtini regula, ab aliquibus obſervabatur formalis illa, quam habemus, ab aliquibus ſolùm quoad quædam capita, cùm integra ne quidem adeſſet, ab aliis denique tantummodò attendebatur ſubſtantia, quam Auguſtinus ſuis quoad expropriationem, & vitæ ſocietatem præſcripſerat, cæterùm ad manus ejs erant excerpta Patrum, & quidem, ſi conjecturare liceat, quædam fragmenta ex ipſa regula Aquisgranenſi, habebant iidem, de quibus agimus, Reicherſpergenſes Canonici, ipſique Reittenbuchenſes, ubi tunc Gerhohus profeſſus, atque Canonicus ſub regula S. Auguſtini exſtiterat, quámque excerpta Patrum chroniſta nominat: Audi Raderum totum noſtrum diſcurſum dilucidantem: hic enim, cùm legiſſet Gerhohum regulam, quam profeſſus fuerat, ignoraſſe, ſic proſequitur: *equidem*, inquit, *cùm hæc Reicherſpergenſi volumine ſincerè perſcripta viderem, primùm damnavi temporum, & hominum id loci viventium ſocordiam, qui vota ſuſciperent, ſuámque fidem Deo conceptis verbis adſtringerent, ſe has, illáſve horum Patrum, vel illorum leges ſecuturos, & interim eas ipſas leges neſcirent, inibi etiam ignoratas, nec conſcriptas, nec exhibitas iis, qui ad eas nomen profiteri debebant. Enimverò ubi me collegi, animadverti ea fuiſſe tempora, quibùs plerique religioſorum virorum leges non cereis tabulis, membranis, Chartiſque inſcriptas circumferebant, ſed in uſu, tractatione, mente, cordibus, moribus, & exercitatione habebant, ùt olim Eccleſia Chriſtiana, priùsquam Evangelii præcones ſua præcepta in litteras referrent. Sic quippe idem auctor paulò ſuprà de Gerhoho, tum verò quantô ardore & ſtudiô iter communis vitæ arripuerit, quantóque Zelô rectitudinis accenſus vixerit, teſtis eſt ei omnis Eccleſia Raitenbuchenſis, teſtes ſunt ei omnes longè, vel propè poſiti, ad quos fama ſanctæ converſationis ejus pervenit &c. Hæc Auctor Reicherſpergenſis de Gerhoho, verùm quod ſuprà excerpti, de dictis SS. Patrum, de vita Canonica mentionem facit, obſerva lector, omninò hic illa antiquiſſima ex SS. PP. ſententiis excerpta, & collecta intelligi, quæ ante 600. annos etiam in Cænobio Pollingano legebantur, ſub Hildeberto primo ejus monaſterii Præpoſito, quæ hodiéque in antiquiſſimis ibi membranis exſtant, quamvis ultima capita deſiderentur, ſunt autem 59. ſed tantùm 28. ſuperſunt ultimis paginis abraſis, juvat indices capitum duntaxat huc transferre, ubi conſtet, quæ fuerit norma ejus familiæ, quam appellant D. Auguſtini Regulares.* Subjungit dein Raderus ipſorum capitum Regulæ illius titulos. primi cap. *quòd Canonica inſtitutio cæteris ſuperemineat inſtitutionibùs.* eſt in aquisgranenſi regula 115ta. 2di capit. *quid ſint res Eccleſiæ.* eſt in Aquisgr. caput 116. tertii capit. *quòd diligenter munienda ſunt clauſtra Canonicorum.* eſt in Aquisgran. 117. in Chrodegangi cap. 13. apud Labbe. cap. 3 quarti capit. *ut in congregandis Canonicis modus ſit diſcretionis.* eſt in Aquisgr. cap. 118. in Chrodegangi cap. 3. quinti capit. *de his, qui ex familia Eccleſiæ ſolùm Clericos congregant.* eſt in Aquisgr. cap. 119. in Chrodeg. cap. 5. ſexti cap. *qui Clerici Eccleſiaſtica accipere debent ſtipendia* eſt in Aquisgr. 120. in Chrodegang. cap. 6tum. capitis denique undecimi *ut Canonici Cucullas Monacho-*

Rav. S. in vita Gerhoh.

chorum non induant. eſt in Aquiſgr. 125. in Chrodegangi 53. in Labbei editione hæc capita deſiderantur &c. Patet itaque habuiſſe Pollinganos, Reicherſpergenſes, Reittenbuch. Canonicos (quibus necdum formalis noſtra Auguſtini regula innotuerat) Regulam, aut Aquisgranenſem, aut Chrodegangi præ oculis, aut, ùt vidimus, fragmenta ex iisdem, juxta illud, quod Nicolaus Deſnos à nobis aliàs relatus obſervavit, ſcilicet: quòd expuncta apud Regulares ea fuerint, quæ ſæcularitatem, vel proprietatem in ipſa ſapiunt, fortaſſe & illa', quæ privata Collegia minùs, aut nullatenùs reſpiciunt, proùt ſunt, quæ Epiſcopos attingunt. Verùm quamvìs hi ad antiquorum Canonicorum mores, regulam ſeu Chrodegangi, ſeu Aquiſgranenſem præfixam haberent, dicebantur tamen ſub regula Auguſtini vivere, quemadmodùm iteratò inſinuaveram, ob inſtituti ſequellam. Neque tunc curæ illis erat de certiori ab Auguſtino præſcripta regula inquirere, donec quidam erant, qui arctiùs & nomini, & inſtituto, reformationíque noviter ſuſceptæ animos devincirent, regulam ejusdem Sancti penitùs inquirerent, hinc deſiderium hujus Gerhohum planè Romam devexit, haud dubiè ad Honorium 2dum, qui eò tempore ab anno ſcilicet 1124. adusque 1130. univerſæ Eccleſiæ præfuit, cúmque ſciret Gerhohus eundem ipſum ex Canonico Regulari Lateranenſis Patriarchii primùm Archidiaconum Bonnonienſem, dein Papam effectum, prætereà omnem noſſe diſciplinæ regularis genuinam in Clericis normam ex Lateranenſi Archiſterio tanquam ex ipſo fonte hauriendam: illuc, nec ſine fructu quæſito, perrexit, regulam petitam obtinuit, ſícque præclariſſimo regimine Canonicos ſuos paulò pòſt Præſul Reicherſpergenſis effectus omni ſanctitate erudivit. Dicant ergò adverſarii, quam ex regula S. Auguſtini à nobis liberè, & ſine omni præjudicio inſtituti à noſtris deceſſoribus ſuſceptâ, quam, inquam, nobis novitatem, aut ſpeciei Canonicorum regularium priſtinæ mutationem affingere valeant? an, quòd per regulam novum obtinuerimus nomen, ſi iſtud? ergò & ſpecie inter ſe differebant, quotquot aut Chrodegangi, aut Sylveſtri, aut Euſebii, aut Aquisgranenſis Concilii regulam aſſumpſêre: an quòd regula, Auguſtini nomen noſtris novâ methodô, novâque inſtituti ratione impoſuerit? at hæc nominis impoſitio neque fuit de inſtituti ratione, nec de exigentia regulæ; nam ſicut antiquitùs Canonici nullum ſibi, aut de loco, aut de reformatore, aut de ipſis fundatoribus Apoſtolicis nomen adjecerant, ſic idipſum nec ſæculô cumprimìs duodecimô factum fuiſſet, niſi id tempora potiùs, moréſque eorum exegiſſent, erat quippe illa tam fertilis ætas, ut non ſolùm Ordo S. Benedicti in plures ſe claſſes diſpertiret, ſed alii quoque novi Religioſorum Partus Eccleſiæ accreſcererent, qui cùm univerſim proprium ſibi inſtituti nomen aſciſcerent, illud jure meritô, imò neceſſariò magìs ſibi & Canonici Regulares adjungere debuerunt, quò congruentiùs ſeſe ab aliis reformationem iſtam ſuſcipere renuentibus diſtinxerant, utpotè quòd ſe non minùs Regulares adhuc vocandos prætenderent: hinc Chroniſta Reicherſpergenſis his temporibus Synchronus, dum narrat factam à Conrado Archiepiſcopo Saliſburgenſi reformationem Canonicorum ſuorum in Metropolitana Eccleſia, ipſos reformandos, *Regulares*, ſed non ſine nota nominat, dum inquit: *Cæpit in ipſa Epiſcopali Sede Saliſburgenſi Canonicam vitam inſtituere, quam & ipſe profeſſus erat,* **Regularibus, vel magìs Sæcularibus Clericis**, *qui uſque ad illud tempus in eadem ſede fuerant ordinati, quique Canonicam vitam profiteri apud ſe non deliberabant, aliàs ab eadem*

L. 1. de Can. ſæc. c. 16. in fine.

Ad An. 1122.

eodem Epiſcopo cum bono charitatis conſtitutis. Ut itaque diſcrimen inter ſe, aliósque conſtituerent, quid convenientius, quàm quòd Auguſtini, nempe ſui Ordinis primi Reformatoris, aſſumpſerint nuncupationem? Et quid demum multis? cùm omnibus documenta antiqua perquirentibus pateat, Auguſtini nomen ante Sæculum duodecimum quamvìs ſubinde in Chartis, & Privilegiis, Bulliſque Pontificum, utì & regula ejus legeretur, attamen effectum non eſſe, ut ideò Auguſtiniani Canonici dicerentur, ſic exempli causâ Ludolfus Decanus Tullenſis, cùm juxta Tullum Leucorum Abbatiam Canonicorum Regularium inſtituiſſet, Bertoldus ejus temporis ſcriptor ait: *Eum Clericos ſecundùm B. Auguſtini regulam vivere profeſſos congregâſſe*, & Urbanus ſecundus fundationem ſub hoc tenore confirmat, ut *Clerici illius loci regulam S. Auguſtini in perpetuum cuſtodiant.* Innocentius quoque ſecundus ad Abbatem S. Memmii Catalaunenſis ſcribit, *ut nullus ibi niſi Regularis Canonicus, & ſecundùm B. Auguſtini regulam ſubrogetur*, ut alia omittam: Neque tamen ſeu Tullenſes, ſeu Catalaunenſes, tunc Auguſtiniani dicti ſunt, uſque ad ſæculum fortè decimum tertium exortum, quô ab Innocentio tertio regulæ formali S. Auguſtini ſic omnes genuini Canonici addicebantur, ut inde & nomen communi vulgi vocabulô obtinerent. Licèt autem penè ultrà integrum ſæculum hæc communis nomenclatura diſtenderetur, ne vulgariter Canonicos Regulares afficeret, tamen nemo negabit, ſaltem Ivoni Carnotenſi ultimam, eámque poſt Auguſtinum facilè omnium celeberrimam reſtaurationem eſſe reddendam: vixit autem Ivo ad annum uſque 1115, & creditur eandem incæpiſſe juxta Sigebertum annô 1078. dixi: ſaltem Ivoni, cùm extra aleam ſit, jam anteà hanc reformationem, & quidem ante tempora Nicolai, & Gregorii floruiſſe, ùt alibi animadverſum eſt. Sicut ergò Ivoniani Canonici regulares tot luſtrìs ſine regula, nominéque formali S. Auguſtini viventes (poſtquàm utrumque obtinuerant) alii à priori ſuo inſtituto non evaſerunt, neque ullam in eis ſpeciem aſſumpta Auguſtini hæc in codice ſignata regula aut nomen tunc immutavit, ſic neque modernis Auguſtinianis Canonicis veterum legitimis, certíſque ſucceſſoribus recens, diſtinctúmque inſtitutum à priſtino ob ſuſceptum *Auguſtini nomen* erit obtrudendum. Verùm quamvìs regulam S. Auguſtini identidem, dum de ejus nomine egimus, meminerimus, expedit tamen, ut promiſſis ſatisfacturi de eadem quoque ad præſentem quæſtionem requiſita expediamus, potioribûs ad peculiare caput inferiùs referendum rejectis.

Bertold. Hiſtor. ſui temp. an. 1095.

Sigebert. in Chron. p. 243.

Qui igitur à S. Auguſtini regula Canonicis Regularibus impoſita ſpeciem ſui Ordinis infimam conſtituere conantur: ſequentibûs præcipuè motivìs ſe perſuaderi dicunt. 6. *Obviatur in hoc puncto quibusdam dubiis.* Primò quidem: quòd, ùt jam alibi notatum eſt, regula ſit velut anima ordinis cujuſcunque, à qua ipſa ſic ſpeciem infimam obtineat, ut ſine ea ne quidem ſubſiſtere poſſit; cùm itaque Canonici non niſi undecimô ſæculô eâ inſigniti ſint, inde quoque eorum ordinem ſpeciem infimam contraxiſſe oportet. Secundò: Canonici Regulares ſicut ſpecie ſubalternâ dantur multi, diverſíque, ita ſpecie infimâ ab invicem diſcernuntur, ut juxta propriam eorum ſententiam ſoli illi computentur inter veros, ac genuinos Canonicos Regulares Apoſtolorum ſucceſſores, & Lateranenſis Congregationis tamquam ſupremi totius Ordinis capitis membra genuina, qui ſe ſcribunt Ordinis S. Auguſtini, at hæc infima ſpecificatio non provenit aliunde, niſi ab aſſumpta regula, ergò ſpecies infima Canonicorum Regularium ab ea ſola exorta eſt. Sicut exempli

Digitized by Google

causâ Monachorum ordo jam à ſæculo tertio pro certo exiſtebat, ſed in ſpecie quadam ſuperiore, vel ſubalterna, exinde autem ad ſpecies infimas contractus eſt, cùm Baſilius in Oriente per regulam ſuam conſtitueret Ordinem ex nomine ſuo poſtmodùm dictum Baſilianum: Benedictus autem in Occidente per extraditam à ſe regulam, exordiretur ſpeciem infimam religioſi inſtituti pariter ab illius nomine nuncupati Benedictini. Denique tertiò: Regula S. Auguſtini, ſeu ſcripta viris, ſeu fæminis, videtur eſſe Monachilis, ita, ut eam ſuſcipiens, & ſecundùm illam profitens Canonicus Regularis talem formam inſtituti induat, qualem regula (quæ ordinem, ùt obſervatum eſt, animat) ipſa continet, ſcilicet Monachilem, hoc verò apertè eſt aliam in Canonicis Regularibus ſpeciem formare, eò quòd ipſos (ut analogiam cum antiquis Canonicis comprobent) neutiquam Monachos, ſed Clericos eſſe oporteat. Ad hæc ſingula, reſponſa noſtra, ùt par eſt, ſubjicimus, reſervatô ultimô, quod capite 6. per totum conſultò tractabimus.

Regula non poteſt ſimpliciter dici ordinem religioſum ad ſpeciem infimam conſtituendam animare.

Ad primum reducimus, quæ jam aliàs de regula velut anima cujusque ordinis diſputavimus; certum enim eſt, ordinem quemvis non ſimpliciter dici poſſe à regula animari, niſi cum reſpectu ad decretum Innocentii III. dum enim dupliciter regulam diſtinximus, negari nequit, eam primô modô ſumptam, quandoque ne ſufficere quidem, aut ad conſtituendam certam ſpeciem ordinis, aut animandam; quod apparet in regula SS. Baſilii, Benedicti, & ipſius Auguſtini, cùm enim illæ ſint utcunque generales, iſta dici poteſt generaliſſima; ut ideò meritò dixerit peritiſſimus Chronici Windes: ſcriptor Joannes Buſchius, *nullam Religionem, nullam cujuſcunque ordinis, & conventûs perſonam, regulam beati Auguſtini ad plenum poſſe obſervare ſine certis conſtitutionibus, loca, & tempora orandi, vigilandi, dormiendi, reficiendi, tacendi, loquendi, actus, & officia cunctorum officialium ſingillatim exprimentibus.* Quô ſtante, dici non poterit regula S. Auguſtini anima Ordinis Canonicorum regularium tamquam ad ultimam, & infimam ſpeciem informans, ſed, ùt alibi abundè obſervavimus, alia requiruntur ad illam plenè conſtituendam, & quidem, cùm hujus tamquam cujusdam totius moralis partes conſtitutivæ deſumantur (in causa deſignandi ultimi diſcriminis ab omni alio) à merito objectivo, fieri poteſt, ut ſecundùm diverſitatem temporis aliæ, & aliæ partes expetantur, quamvìs totum illud non exinde ſpeciem diverſam induat; exempli causâ videmus Sacrificium Miſſæ, ſi eſſentiam conſecrationis excipias, adeò diverſas partes tam integrales, quàm accidentales ſucceſſu temporis, & ex diverſis decretis ſummorum Pontificum obtinuiſſe, ut (ſicut jam alibi diximus) ſi homo plebejus, & rerum Eccleſiaſticarum minùs gnarus videret modernum ſummum Pontificem, ſanctum Petrum, aut Paulum, ſimúlque cum illis privatum quemdam hodiernum Sacerdotem celebrantes, crederet indubitatè, omninò ſpecie diſtincta ſacrificia, quamvìs reipſa ejusdem ſpeciei ſit noſtrum, cujus fuit S. Petri, aut Pauli, ùt per ſe patet. Idipſum planè de Sacris Ordinibus, ſeu inſtitutis Religioſis ſentiendum, etiam quoad ſpeciem, quam ſæpiſſimè diximus, non componi ex origine ſua per regulam certam, ſed ſolùm hoc fieri ab eo tempore, quo ſenſim nova Pontificum decreta ad firmius Religionum emolumentum conſtituendum emanârunt; ſic de neceſſitate & eſſentia Religioſi inſtituti eſt ab ejuſdem Innocentii tertii ætate, confirmatio, & aſſenſus ſummi Pontificis, ita quidem, ut hoc expreſè non habito, religio ſit nulla, invalidaque omnis Profeſſio, quamvis ante illam conſtitutionem

Part. 2. cap. 4.

L. 1. c. 23. in Chron. Wind.

De offic. & pot. Epiſ. p. 3. alleg. 50. n. 47.

hic

hîc nullatenùs requireretur: unde Didacus de la mota apud Barboſam eruditè obſervat: quòd *ante concilium Lateranenſe non erat neceſſe quærere approbationem Religionum à Papa, ſed approbatione Epiſcoporum inſtituebantur, Innocentius enim tertius in eodem Concilio Lateranenſi prohibuit, ne ullus novus inſtitueretur ſine approbatione ſedis Apoſtolicæ.* Quòd ſi verò approbatio ſummi Pontificis Religioſis inſtitutis priſtinis ſuperaddita, nihil operabatur ad ſpeciem novam, & infimam ſuperinducendam, cur eam ſuperinduxerit regula, à qua longè minùs meritum objectum diſtinquendi ordinis videtur dependere, quàm à dicta approbatione, cui propriè incumbit ſimul decernere, quis, qualísve ordo ille ſit, qui approbatur? Habitum quoque, ſeu veſtitum tam neceſſariò unaquæque religio requirit, ut jam *talis quis eſſe ex habitu præſumatur, qualis is eſſe, cujus habitum fert, comprobatur.* Cùm tamen olim etiam inter ſpecie diverſas religiones modica, aut nulla obſervaretur habitûs diſtinctio, cuculla propria erat veſtis Monachorum, veſtis linea clericorum, non tamen determinabat ad ſpeciem infimam, proùt per ſe planum eſt. Nunc tanta eſt diſcretio veſtium religioſorum, ad infimam usque ſpeciem, ut ipſa determinet. Taceo alia (de quibus ſufficienter per decurſum jam egimus) religioſi cujuſque inſtituti ſpeciem infimam componentia, quæ olim ad eam non requirebantur, quæque licèt ſucceſſu temporis accederent, ſpeciem illam non immutabant, ſed ſolùm magìs firmabant id, ob quod partes iſtæ additæ ſunt. Quamdiu ergò non tales partes exigebantur, vi quarum ex merito objectivo cenſebatur ordo in aliam ſpeciem tranſire, tamdiu idem in ſua idenditate antiquitatis perdurare cenſendus erat; atqui talis pars Ordinem immutans æſtimari non poterat regula, Innocentius enim tertius, qui primus hanc partem tamquam eſſentialiter conſtitutivam impoſterum cuivis Religioni addendam juſſerat, non dixit, ut exinde, & ab hac determinatione, aut aſſumptione regulæ Ordo quisque ſuam originem inciperet computare: quinimò ipſe agnoverat Ordinem Canonicorum Regularium in ſpecie ſua infima planè fuiſſe formatum, antequàm hoc decretum de Regulis cuique Ordini amplectendis ederet; utpotè jam plus, quàm integrô ſæculô ſua in reformatione noviſſima ſubſiſtentem.

Cap. Judex de ſent. ex. comm. in 6.

At urgebis: Regulam Canonicis Regularibus non incæpiſſe ſpeciem infimam attribuere cum Decreto Innocentii, ſed anteà, tum ſcilicet, cùm inciperent ipſi Canonici ſe eidem ſubmittere, adeóque non ab Innocentii decreto, ſed à tempore aſſumptæ à Canonicis Auguſtinianæ Regulæ deſumenda hujus Ordinis origo eſt, ſicut æquali computu, ac æſtimatione Ordo S. Benedicti ab aſſumpta per Monachos hujus B. Fundatoris Regula exortus eſſe ab omnibus dicitur.

7. *Sola electio, & acceptatio certæ regulæ ſpeciem infimam inſtituti religioſi non attingit.*

Reſpondeo: ſicut regula ſpeciem infimam non attribuit ex Decreto Innocentii, ſic longè minùs ex anteriori acceptatione illius, tum enim longè aliud erat regulam aliquam aut tenere, aut ſecundùm eam vivere, quàm ut inde inferri poſſet, quòd eandem amplectentibus ſpecies infima certi inſtituti, ac Ordinis acceſſerit; Sicut enim nunquam negamus regulam poſt Concilium Lateranenſe conſtituere eſſentialiter ſpeciem quandam ſubalternam Ordinis Religioſi, ſemper autem diffitemur id de ſpecie infima, ſic id longè magìs, ut obſervemus, locum habet ante illud Concilium, adeò, ut ne quidem ſpeciem ſubalternam hæc, illáve determinata regula ordinaret; ſed reſpiciebatur tum in quovis inſtituto finis particularis, cui dein accomodè eligebatur à profitentibus talem Ordinem regula hæc, vel illa, nec multùm conſiderabatur, an talis Monaſtica, an Clericalis ſit?

hinc eſt, quòd Canonici tot Regulas ante Concilium dictum reperiantur habuiſſe. Alii enim, ùt ex documentis à nobis allatis proſtat, dicebantur vivere ſecundùm Regulam S. Euſebii, alii S. Iſidori, alii S. Hieronymi; alii ſecundùm Regulam Chrodegangi, alii ſecundùm Aquisgranenſem. Sed num in his Canonicis ſpecies infima non reperiebatur? maximè certè: quia omnes vivebant ſecundùm eundem finem particularem, & eos ritus obſervabant principales, ſcilicet, qui tum requirebantur ad conſtituendam ſpeciem infimam. Neque prætendenda analoga rituum, ſtatutorum, aut ceremoniarum ratio in infima ſpecie Canonicorum, utpotè clericorum, quos ad eam nunquam tam peculiaria requiſita alligare poterant, Quemadmodùm Monachos: hi enim adæquatè à certa regula dependebant, unde & Regulares dicti ſunt, Canonici autem nunquam dependebant à certa determinata regula, ſed à Canonibus Clericalibus, à quibus & *Canonici*, & cùm poſtmodùm eisdem arctiùs ſe devovebant *Regulares* quoque ſunt nuncupati. Quod ergò ſemel, iterúmque diximus, id centies repetimus, regulam ſpeciem infimam Ordinis Canonici nunquam conſtituiſſe, ſed ad ſummum ſubalternam, quod ipſum & nunc præſtat Auguſtiniana apud veros genuinóſque Canonicos, quæ ab his ante tempora aſſumpta eſt Innocentii Tertii, ſeu Concilii Generalis Lateranenſis; non ideò, ut exinde ſpecies certi ordinis conſtitueretur, ſed ut ſe quodammodo *Religioſò* vivendi *ritui* Monachorum accomodarent, qui tum vitâ ſuâ ſanctâ tantum applauſum meruerunt in Eccleſia, ut Canonici ipſi gauderent, ſi vitam, moréſque eorum ſalvô tamen inſtitutô Clericalì imitari poſſent. Unde jam ſæculô nonô inſtillabant Patres Aquisgranenſes Monachorum Canonicis imitationem, dum dixerant: *In cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus Canonicorum à Monachorum diſtare non debere vitam.* Sæculô decimô Nicolaus primus æſtimabat ſapienter *Clericos Religioſos à Sanctorum Monachorum conſortio non putari ſejunctos*, denique Innocentius Tertius idem Nicolai dictum confirmaverat. Prætereà cùm Auguſtinum undique ſonarent, deprædicaréntque, tanquam principem inter Clericorum Reformatores, Eccleſiæ primi Præſules, atque Doctores, eò libentiùs hujus regulam præ aliis quibuscunque ſuprà fatis ſuſceperant, quò eam norûnt Apoſtolicæ Clericali vitæ eſſe conformiorem. Quamvìs, ùt mox diximus, & id certum, Canonicos noſtros ſub primæva illa reformatione regulam ſuſcepiſſe S. Auguſtini in ſubſtantia potiùs, quàm in litterâ. Nam frequentiùs legimus obſervatum, Regulam S. Auguſtini à Conciliis, vel Summis Pontificibus in ſuis decretis pro Authoritate hujus, illiúsve peculiaris conſtitutionis ab ipſis factæ allegari, cùm tamen in ipſa ne reperiretur quidem: hôc modô legimus in Con. Mont-Peſſulano annô 1214. Can. 26. definitum Can. 26. & 27. ut *Canonici Regulares ſuperpelliceis ſemper utantur, niſi erit de permiſſione regulæ &c. aut juxta Regulam B. Auguſtini.* Et tamen hæc ne quidem indirectè quidpiam habet de uſu, aut non uſu ſuperpellicei. Unde doctiſſimus Thomaſſinus, cùm anteà dixiſſet: *Circa annum milleſimum ſuprà centeſimum cæpiſſe Canonicos Regulares veſtiri nomine, & gloria Auguſtini, eò quòd clerum Auguſtini omninò æmulabantur pari terrenarum omnium abdicatione.* Subjungit: *Id enimverò eſt, quod videtur tunc ſignificatum fuiſſe per regulam, ùt dicebant, Auguſtini.* Nempè Regula Auguſtini dicebatur, tunc primariò, & principaliter, mos ille renuntiandi terrenis, & proprium repudiandi, quem in ſermonibus geminis de moribus clericorum erat reperire. Hinc quidquid in clero conformiter ad vitam, & mores Auguſtini requirebatur, dicebatur id præ-

Conc. Aquis. c. 115. apud Gratian. c. 20. q. 1. c. 4. Cap. quod Dei timorem &c.

præſcribi juxta Regulam Auguſtini. Confirmat hæc Annæ Reginæ diploma Sylvinectenſibus S. Vincentii Canonicis ab ipſâ fundatis conceſſum, in quo ipſa diſſertè inquit: *quatenùs ibi quieti, & tranquilli religioſi viri, Domino ſervientes, mundo renuntiantes, regularem, id eſt, Sanctorum Apoſtolorum, & B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, vitam canonicè, amplectentes, vivere valeant.* Idem ergò innuere volebat piiſſima hæc Regina, dum ſtatuit, ut *Canonici regularem illam B. Auguſtini vitam, quæ ſcripta eſt, amplecterentur*, quod alii eôdem ævô Fundatores, ac Benefactores, vel Reformatores intellexerunt per regulam S. Auguſtini. Certè ex hac noſtra obſervatione facilè diſſolventur dubia illa, quæ nobis frequentiùs ſæculi undecimi, duodecimíque hiſtoria noſtra quoad regulam obſternit; ut ex uno Reicherſpergenſi Chronico colligimus, profeſſos ſcilicet Canonicos Regulares noſtrates illis diebûs fuiſſe regulam S. Auguſtini, cùm tamen ignorarent, quæ eadem eſſet? profeſſio hæc ſe extendebat ad vovendam eam vitam, quam Auguſtinum cum ſuis Clericis obſervâſſe in ſermonibus ſuis ſcriptam legerunt: ignorantia verò regulæ reſpiciebat talem, qualem Canonici undique ſcriptam (quámque nos primam diximus, ſive ſtrictiori ſenſu, ac ſtylô noſtri ævi acceptam) apud Monachos authore B. Benedicto, vel Colomanno &c. vigere cernebant: cùm itaque appeterent Canonici, in hoc puncto formalis habendæ regulæ, non eſſe Monachis inferiores, regulâ autem Auguſtini, quam profitebantur, hactenùs principaliter reſpiceretur ipſa vita votivo-Apoſtolica Auguſtini; iſta qualiscunque emerſit regulæ, ut ita dicam, neſcientia, ſimúlque demum major formalis regulæ habendæ cupido: cui certiſſimè opinor primum ſaltem in Germania ſuperiori ſubſidium Gerhohum præſtitiſſe, qui dicitur, ideò, ut formalis regulæ notitiam obtineret, Romam convolâſſe, quam eò faciliùs repertam ipſi habebant, quò certiùs paſſim jam inter Canones ejus fragmenta referebantur, & tanquam directricem legitimam Clericorum colendam, atque obſervandam ſciebant.

Ex hoc verò diſcurſu colligi abundè poteſt, quidnam Auguſtini regula conferre potuerit ad novam ſpeciem infimam Canonicis Regularibus impingendam, maximè eô tempore, quò necdum decretum aliquod, ut qualemcunque ſpeciem Ordinis Religioſi conſtitueret certa ex approbatis regulis, emanavit, quôque Clerici Canonici, id eſt, Regulares, ſolùm in eo ſpeciem infimam formabant, cùm à proprietariis per vitam votivam ſe diſcernerent, quod tunc ad eam conſtituendam ſufficiebat.

Sed adhuc ſubnectis, aíſque: dici non poſſe Canonicos Regulares ante ſuſceptam Auguſtini regulam ejusdem ſpeciei fuiſſe cum ſuccedentibus: aliud enim eſt, eſſe Canonicum, imò & Regularem, quod nomina continuata bis ſignificant, ſed ex eo numero, qui *licèt vitam aliquam communem in clauſtro, ſeu monaſterio ſevârant, ad nullam tamen bonorum abdicationem obligarentur: aliud Canonicum Regularem S Auguſtini, ſeu regulam S. Auguſtini profeſſum, qualem hodie vix eruditus quiſquam ante ſæculum duodecimum poſſit agnoſcere.* Canonicus ergò Regularis ante ſuſceptam Auguſtini regulam nullus erat votivus, ſeu expers proprietatis: quantùm igitur Canonicus Secularis ſpecie differt à Canonico regulari noſtro tempore, tantùm diſtabat Canonicus qualitercúnque dictus regularis à Canonico regulam S. Auguſtini profeſſo. Reſpondeo: qui hæc objicit iterum ſe rerum veterum minùs gnarum eſſe prodit, ſolô Conciliô Romanô ſub Nicolao II. Annô 1059. celebratô totam hanc objectionem confutante, utpote

8. *Regula S. Auguſtini non erat, quæ prima Canonicos ad expropriationem arctabat.*

pote in quo non ſolùm ad oculum declaratur ſæculô undecimô, ſed & antea (Hildebrandus enim hac de re loquitur non tanquam nuper enaſcente ſed dudum nota, atque recepta) Clericos votivos exſtitiſſe, verùm etiam ex eo diſcitur, nequaquam Profeſſionem regulæ Auguſtinianæ Canonicos primùm ad vitam votivam coarctâſſe. Diximus ſanè, neque id ſuperfluum erit ampliùs repetere, Clericis Canonicis maximè ſæculô undecimô ferventiſſimè inhæſiſſe, ut æmularentur Monachorum perfectionem in iis, quæ cernerent cum Clericali inſtituto ſuo ſic componi poſſe, ut prodeſſent vel maximè ad ſtabilem religioſam pietatem, obeſſent minimè inſtituto Clericali. Profeſſionem votivam (tacita illa fuit, an explicita, de qua non eſt, cur diſputetur) viguiſſe in Clericis, non omnibus quidem, at certiſſimè (continuatis temporibûs) maximè in Eccleſiis collegiatis, atque Cathedralibus ab origine naſcentis Eccleſiæ, tam manifeſtè monſtravimus unanimî Doctorum, Scriptorum, ac denique veterum monumentorum calculô, ut qui his teſtimoniis, atque argumentis reſiſtit, prodat ſatis cujus ſpiritûs ſit, cum quo nobis luctari ultrà nec expedit, nec libet. Stante hac veritate, nihil moror in aſſignanda profitendi methodo, minùs pugno, an profeſſi fuerint olim, ùt nunc ad certam regulam, nec ne? hoc enim ſpeciem non immutat. Benedictinos diù eam formulam non habuiſſe, quam nunc, ut profiterentur obedientiam ſecundùm regulam S. Benedicti nemo ignorat, neque tamen (cùm antea aut explicitè voverent ſtabilitatem, & converſionem morum ſuorum, & obedientiam coram DEO, & Sanctis ejus, aut ſolùm implicitè) proùt illud diù fiebat in Gallia (per ſuſceptionem habitûs monaſtici) quidquam alterabat in ſpecie illa monaſtica Benedictina: itaque multò minùs in

Vide Caramuel, Comment. in regul. n. 512. & Mabill. ann. Ben.

Clericis, ſeu Canonicis votivis, ùt ſæpè advertimus. Hinc fruſtrà ſe torquent adverſarii, per hoc ſpeciem diverſam obtrudentes Canonicorum, qui illam formulam profitendi ſecundùm regulam S. Auguſtini non habuerant, ab aliis, qui poſtmodùm eam receperant: Canonicorum enim votivorum ſpeciem infimam non operabatur profeſſio ſecundùm regulam certam, ſed ſecundùm vitam Apoſtolorum, hinc alibi adduximus formulam profeſſionis explicitam, ſeu litteralem Canonicorum de Valleja adhuc hodie (quantùm ſcio) conſuetam, cui ne verbum de regula S. Auguſtini inſertum, quin nec nomen ſancti hujus legislatoris. Idem videre eſt in altera S. Joannis Senonenſis, aliiſque compluribus. Ut igitur inanis ſit muſcipula ſpecies diverſas capiendi ex regula S. Auguſtini, aut profeſſione ſecundùm eam facta; quæ ſolùm ideò, ſucceſſu temporis introducta eſt, ut regulariùs omnia, firmiúſque ordinarentur, non verò, ut ſpecies infima immutaretur. Unde veritatem omnimodam tranſcripſit doctiſſimo Solerio San-Genovefanus Canonicus Prevoſt dictus hocipſum dubium objicienti, dum hæc habet. *Concludis lectô Catellô S. Raymundum noſtrum non eſſe, auctórque es mihi, eundem ſcriptorem conſulam, idem locô aſſignatô perſpecturus. Facta admitto, & principia, quibus inniteris. At concluſionem inde tantillùm diverſam elicio. Paradoxon videbitur. Sine obſecro, rem explicem. Æquivocationis ratio, quantùm licet colligere, inde oritur, quòd Canonici Regulares hodierni S. Auguſtini regulâ, & inſtitutô gloriantes, diverſi cenſeantur, ab iis, qui ipſos præceſſerunt, ſub ſimplici appellatione Canonicorum Regularium, ſeu Canonicorum vitam communem in monaſterio ducentium, qua in ſuppoſitione verſari videtur tua difficultas. At enim pace tua dictum eſt, non eſt ea hypotheſis nobis norma, ad quam expendendum ſit, utrùm Sanctus aliquis noſtris rectè annumeretur.*

1. Jul. in vita S. Raym. mox à nobis citat.

Id

Id nobis ſat eſt, rationabiliter dubitari non poſſe, quin Sanctus iſte, de quo quæritur, Canonicus fuerit, vitæ communis, & Regularis obſervator, quamvis nolim inferas, eâ præcisè causâ verè enuntiari, talem fuiſſe Canonicum regularem B. Auguſtini, cavebo equidem, ne titulus iſte Sanctis noſtris omnibus promiſcuè tribuatur, ſed iis duntaxat, qui tali nomine inſigniti fuerunt, dum viverent, quique ſæculô 11. poſteriores ſint: aliis qui ea tempora præceſsêre ſolùm competit appellatio Canonicorum regularium, aut potiùs Canonicorum vitam communem ducentium. Sic Canonicus iſte San-Genovefanus. *Cujus ſaniſſima Sententiæ* ſe quidem ſubſcribere Solerius adſtruit, at, ùt adverto, non ad mentem adſtruentis intellectæ, volebat Præpoſitus per vitam Communem Canonicis ante ſæculum duodecimum aſſertam, non aliam eſſe niſi votivam, ùt ex contextu patet, alioquin quæſtio in ſuppoſito ſuffocaretur, Solerius verò illam cenſet, quam *corporaliter*, non bonorum *expropriatione* Communem ſuperiùs in Raymundo adſtruxit, utpotè §. 3. n. 27. regularem vitam cum bonorum proprietate componens, atque ideò negans ſecundùm regulam S. Auguſtini Sanctum Raymundum vixiſſe, ex quo patet Solerium vitam votivam in Canonicis alligare regulæ S. Auguſtini, quod quantùm abſit, ſuperiùs deduximus, & hic ipſe Præpoſitus in ſua Epiſtola innuit, dicens: *Id nobis ſatis eſſe, rationabiliter dubitari non poſſe, quin Sanctus iſte, de quo quæritur, Canonicus fuerit, vitæ communis, & regularis obſervator.* Quod ipſum eſt dicere, ac votivus: atque talis, jure, ac meritò cenſeri debet ejuſdem ſpeciei Infimæ Canonicus Regularis, cujus ſunt moderni S. Auguſtini. Nec velitandum eſt hoc in paſſu de nomine, cùm rem habeamus, ſcilicet, quòd eſſent ejuſdem expropriationis vinculô conſpicui, quò alii ſæculum undecimum ſuccedentes, & libera mente regulam, noménque S. Auguſtini ſuſcipientes; hanc enim vitam à nobis vulgarì vocabulô votivam, olim communem, regularémve dictam fuiſſe, jam primâ parte probavimus.

Vide acta SS. in S. Raym. Tolos. 3. Jul. comment. præv.

Verùm adhuc obſtabis dicendo, quòd ſi ad ſpeciem infimam Canonicorum Regularium conſtituendam nihil contulit aut regula, aut nomen Auguſtini ſuſceptum, ergo dimiſsâ hodiédum hâc regulâ, aliâque ſuſceptâ eadem adhuc ſpecies infima perdurabit, quod eſſet abſurdiſſimum admittere, cùm poſſent iidem Canonici aſſumere regulam S. Franciſci, aut S. Benedicti, atque hinc appellandi eſſent Ordinis S. Benedicti &c. abſque eo, quòd exiſterent à priſtinis Canonicis ſpecie diverſi.

Reſpondeo imprimis, aliter profectò eſſe diſcurrendum poſt Lateranenſis Concilii decretum: voluit illud omnes regulares obligare, primò ad ſuſcipiendam regulam; ſecundò: etſi non formalibûs verbîs, at declarativè colligitur pariter prætenſum fuiſſe, ut aut ſecundùm regulam ſuſceptam, aut ſaltem ſecundùm Fundatoris nomen ſe quivis Ordo Religioſus poſthac nuncuparet: obſervârunt id Canonici eò proniùs, quò Auguſtinum dudum ſibi ultrà ſæculum integrum (tanquam ſui ordinis reſtauratorem) fecerunt proprium, & undecimô jam ſæculô complures Pancarthæ Ordinem S. Auguſtini ipſam Canonicam votivam vitam nominandam prodidêre. Hinc liberum ampliùs nequaquam eſſet ſine expreſſo Pontificis conſenſu relictâ Auguſtini regulâ, ac nomenclaturâ, ad aliam convolare. Intereà tamen eôdem admiſsô nequaquam negaverim, ſpeciem eandem Canonicorum perduraturam tamdiù, dum non ſimul ex merito objectivo, aut immutato fine eorum particulari, aut tam notabiliter aliis ſpeciem infimam preſsè conſtituentibûs partibûs (inter quas præcipuè veſtitus computatur) ſubverſis cenſerentur novam ſpeciem induiſſe,

Vide Raymbal. Arelat. diploma de an. 1065. Gall. Christ.

duiſſe, quod experimur in pluribus Canonicis factum, de quibus inferiùs agemus.

Reſpondeo ſecundò: præſcindendo à decreto prædicto, & ſuppoſitâ eâ (quæ olim, atque ante Concilium Lateranenſe, regularibus ſuppetebat) in hoc puncto libertate, certum eſſe, per ſolam commutationem regulæ Canonicos Regulares ſpeciem ſuam infimam non immutaturos, ſicut olim ſpecies alia non fuerat inter eos, qui regulam S. Iſidori, vel Hyeronimi profitebantur, vel S. Auguſtini. Intereà autem, quia experientiâ certiſſimorum veterum documentorum conſtat, Canonicos Regulares genuinos ſæculô undecimô, cùm ampliorem reformationem ſuſciperent, paſſim, atque ſucceſſu temporis omninò, ac unanimiter ſe regulæ, nominique D. Auguſtini devoviſſe, hi ipſi, ſolíque, qui uſque hodie ſe Auguſtinianos Canonicos nuncupant veterum Canonicorum, & ipſorum primævæ Eccleſiæ votivorum Clericorum legitimi Succeſſores computantur.

Neque, quod in hac ſecunda reſponſione aſſeruimus, abſurdum dicendum eſt, eò, quòd ex dictis, probatíſque conſtet, imò & inductione habeamus, à regula per ſe nihil ſpecifici in Ordinem quemdam influere: patet id à regula S. Benedicti, quæ equites religioſos, quamvìs monaſtica, nunquam Monachos facit, neque regula S. Auguſtini, licèt clericalis, Eremitas à quibus obſervatur, ad clericale inſtitutum tranſportat, regula enim religioſum quidem inſtitutum, at ſpeciem ejus infimam nequaquam componit. Atque hinc jam ad ſecundum adverſariorum argumentum tranſeundum.

9. *Species infima poteſt in inſtitutis religioſis cum reſpectu eſſe ſubalterna.*

Ad quod dico, verum omninò eſſe, dari in Canonico inſtituto Speciem ſubalternam hoc tempore, ſicut & datur in monaſtico, at nego planè hoc aſſertum priſtinis quoque temporibûs locum invenire: poteſt enim in moralibus dari ſpecies infima, quæ tamen ſucceſſu temporis reſpectivè (quamvìs ſecundùm ſe non immutetur) evadat in ſpeciem ſubalternam; manifeſtiſſimam inſtantiam nobis ſubminiſtrat ipſe ordo Benedictinus, hic cùm uſque ad ſæculum undecimum per ſe ſpeciem infimam monaſtici inſtituti juxta omnes formaret, tum demum cæpit in ſpeciem reſpectivè ſubalternam erigi, cùm diverſæ ex hoc ipſo congregationes orirentur, quam in rem Mabillio audiendus: *cùm tot*, inquit, *patronos & fautores tunc haberet reſpublica monaſtica, non mirum, quòd per ea tempora tantoperè propagata fuerit. Hinc ordo monaſticus, qui unum ad id tempus corpus* (ſcilicet Benedictini inſtituti, ùt jam alibi ſcripſerat) *etiam poſt ortam illuſtrem Congregationem Cluniacenſem conſtituerat, poſtmodùm in varias congregationes, quaſi totidem inferiores ordines dividi, ac diſtinqui cæpit, earúmque exemplô Cluniacenſis idem ordo dictus eſt, &c.* (In præf. ad tom. 4. Annal. Ben.) en! ùt ordo Benedictinus tum ſpeciem infimam conſtituens, dein in plures inferiores ſe ſe quaſi ſubdiviſerit, adminiculô Sanctorum Virorum DEI Spiritu in illis agente, qui, dum regulam Benedictinam, aut alioquin monaſticos inſtituto Benedictino ſolitos ritus amplecterentur, in quibuſdam tamen aut rigore alio, aliavé vivendi methodo aſſumpta ab eo deſciſcerent, novas ſpecie infima Congregationes conflarent, nováque nomina inducerent; at illi primæ propagini, nihil demebant, quò minùs in ſua priori infima ſpecie perſiſteret, quamvìs earum reſpectu quædam quaſi ſubalterna conſpiceretur, neque inde novus ordo dicebatur exempli causâ S. Vitoni, vel Cluniacenſis Congregatio: idem ergò dicendum cum reſpectu erit de Canonico, qui ad exemplum aliarum congregationum inde reſultantium nomen ſibi aut Lateranenſe, aut S. Rufenſe aſſumpſerat: omnia hæc (Imperturbatâ ſpecie infima à tempore Apoſtolorum conſtitutâ) facta

facta ſunt ſucceſſivis ſæculis; ut majus, clariusque cujusvis diſcrimen aucupari liceret, quò antea opus non erat, cùm alius clericalis in Eccleſia ordo non eſſet: patétque inde, neutiquam hocà regula proveniſſe, quinimò ſcimus Congregationes Canonicorum Regularium ſpecie diverſas æquè regulam S. Auguſtini profiteri, quales ſunt Præmonſtratenſes, Sancti Jacobi de Spata, S. Antonii de Vienna; S. Mariæ de Metri, ſeu de Pœnitentia &c. Verùm non propriè, ac ſtrictè Auguſtinianos dici, utpotè quorum inſtitutum purum non eſt ex inſtituto Clericali Auguſtiniano, ſed monaſtico mixtum, ùt inferiùs pluribùs docebimus. Quibùs ſimul confidimus præſentis capitis quæſtioni nos ſatisfeciſſe, ſatisque comprobaſſe, Canonicos Regulares per hoc, quòd regulam, nomen, vel ordinem; ſecundùm quem nuncuparentur, aſſumpſerint, nequaquam ſibi novam ſpeciem infimam Religioſi Canonici inſtituti cum priſtini non levi injuria, arrogâſſe.

CAPUT III.

An Canonici Regulares S. Auguſtini ſint inter Monachos cenſendi?

1. *Cautio præmittitur huic tractandæ quæſtioni.* Cùm hactenùs per geminas Exegeſis noſtræ partes toti eſſemus in vindicando Canonico inſtituto à Monachili, nunc poſtulat ordinis ratio, demonſtrare, an & Canonici Regulares noſtrates extra Monachorum ſortem conſtituendi ſint? Ut verò in limine hujus quæſtionis me declarem; proteſtor ſanè, difficillimo impulſu me agi; mallémque excuſsô calamô, & rupto labore animum ad longè alia, quàm ad hanc materiam tractandam diverti. Cauſam quæris? dicam, ùt ſentio; nullus equidem in eo ſum, ut Canonicum inſtitutum noſtrum reputem monachile, tale ſcilicèt, quale quidam adſtruere conantur: ac, quid demum inde evincam? niſi fortè, cùm illud à Monachiſmo eliberavero, penè in ſæculariſimum præcipitem, quot enim prô dolor! ſic noſtris temporibùs affecti ſunt, ut, ne inter Monachorum gregem numerentur, mores induant ſæculares? Imò omnibus relaxationem diſciplinæ quærentibus hæc jam gnome in uſu eſt: *nolo haberi Monachus.* Adeò ſcilicet multis peroſus eſt Monachiſmus, ut plenis alis malint in perverſos mores avolare, quàm Monachi credi; & dum tales eſſe averſantur, non dicam, inter imperfectos religioſos, ſed ne quidem inter tepidos Chriſtianos perſiſtunt; neſcientes intereà, quàm ſanctiſſimum exerceantur inſtitutum: illud omninò, quod, ſi non omnibus fidelibus, profectò clericis, Canonicisque toto niſu eſt æmulandum. Quare priúsquam præſentis quæſtionis ſcopum attingam, præcavens dico cum Doctiſſimo Largio noſtro: *In Canonicis Fratribus meis tam ſanctæ profeſſionis exiſtimationem integram eſſe cupio, unde & illud non verebor noſtrates Canonicos hôc locô admonere, ut probè capiant, quâ de cauſa ipſos de Monachorum numero dejecerim. Neque enim hoc feci eô conſiliô, eô fine, ut Regulares Clerici efferant ſe inſolenter velut Monachis ſuperiores, & ad ea probra, quæ ſæculares homines monaſticæ profeſſioni nunquam non objectârunt, addere aliquid ſuum incipiant. Næ peſſimus eſt à me ſuſceptus labor, ſi quid hujus ſpiritûs ſcribendo cuipiam attulero? Finis, cujus causâ, Canonicos Auguſtinianæ regulæ profeſſores, ùt clericos, à monachis ſegregare inſtitui, is imprimis eſt, ut ſe iidem Canonici noverint ſubmiſſione ſui vel ipſis Monachis antecellere debere.* *Præf. diſq. de Ord. Can. §. quanquam.* *Clericatus ipſe per ſeſe omninò eſt miniſterium humilitatis, per quod clerici humilitate decreſcant. Nec ſolùm humilitatem concipiant ipſi, ſed & infundant in populos, & verè etiam peccatorum ſuperbiam portent, & abſtergant apud Deum.* *Ivo de reb. Eccl. ſer. 2.*

Eos igitur, ut qui aliis de plenitudine ſua largiantur, vel ipſis Monachis humiliores eſſe oportet, & opus eſt. Clericatum elegiſtis, inquit, ad omnes Clericos Ivo Carnutenſis, id eſt, mundo renuntiare, & cum habitu humilitatis affectum promittere humilitatis, alioquin ſi paupertatem, & humilitatem, quam præfert habitus corporis, & figura capitis, in corde non habetis, timeo ne cum hypocritis ſit pars veſtra. Ad extremum dicam ego ut re perſpectâ liberiùs: obedientia Canonica votum, quô nos Regulares, ſive Canonici Clerici conſecramur, nec quidquam aliud eſt, quàm profeſſio religioſæ ſanctitatis, ſecundùm hunc modum, ut eſt apud Mag. Petrum Comeſtorem: tria ſunt, quæ Canonicis Regularibus Pater Auguſtinus præſtitit, mediocritas, caſtitas, humilitas. Jam verò fieri non poteſt meâ quidem ſententiâ, ut hujus humilitatis ſenſum hodie tenerent Canonici Regulares, ſi quod faſtidium habuerint ad Nomen, ritúſque Monachorum. Oſtendi paſſim in hiſce diſquiſitionibus, quàm aptè clericis congruat, quidquid de veſtium noſtrarum forma, quamvis jam inuſitata, quidquid de culpis ritè expiandis, de vitæ privatæ ſtudio, de corporis inclinationibus, atque proſtrationibus, cæteris inſtrumentis religioſæ humilitatis, atque pœnitentiæ præfinit diſciplina noſtra regularis. Id quidem paulò enucleatiùs à me præſtandum fuit, Canonicorum quorumdam gratiâ, qui, cùm ſe prorſus clericalibus ſtudiis dediderint, non adeò ſunt propenſi in eandem diſciplinam, quippe quam è Monachorum penu eſſe in nos collatam autumant. Verùm hoc, quidquid eſt apud nos diſciplinæ regularis, utcunque à Monachorum propriâ diſciplinâ ſejunctum eſt, nunquam vulgaribus hominibus videbitur non eſſe monaſticum. Quare, ſi Monachorum nomen Fratribus noſtris, ſi Monaſticæ qualiſcunque nota profeſſionis offenſioni eſt, conſequens eſt, ut ipſi nimirùm clerici præcipuam diſciplinæ noſtræ regularis partem (utar dicendi causâ verbis humilioribûs) velut publicam pœnitentiam, & humiliſicandi monachi diſciplinam à ſe deprecentur. Itáne verò humiles erimus? itáne Clericalis humilitas exhorreſcet metu humanæ contemptionis, unde eſt iſta ad Monachi nomen excepta offenſio? aliò nos certè Auguſtini, & Canonicorum noſtrorum exemplum vocat. Jam Auguſtini ætate, probro eſſe ceperat Monachi appellatio. Adeò tamen ab hoc probri genere non timuit, ut cùm Monachi nomen à ſe revera alienum eſſe ſciret, ultrò excogitarit ſingularem Monachi notionem, quam, ſi licentiùs urgere quis velit, nemo Clericus ſocietate quavis Eccleſiaſtica implicatus effugere valeat. Auguſtini exemplô majores noſtri Canonici Ordinis Profeſſores ſibi nequaquam de Monachorum appellatione pertimuerunt, dum ſe regulari diſciplinæ etiam humiliori ſubmittebant, quin ſe potiùs ingenioſos præſtitêre, quò cappa Canonicorum clauſam, & perforatam ſacci cujuſdam inſtar, coronam latiùs patentem, ipſum linum vi, atque impreſſione multiplici præparatum, & cætera clericalis ordinis inſignia ad religioſæ humilitatis, atque pœnitentiæ diſciplinam traducerent. Quare fratres noſtri Canonici, niſi à Clericali perfectione, & majorum ſuorum exemplô degenerare ſeipſos volunt, ſanctorum Monachorum humilitatem, & regularem vitam nunquam non debent habere in maximis. Hæc vir iſte modeſtiſſimus. Optarem ſanè, ut priùſquam caput iſtud quicunque noſtrûm ſua in quæſtione ſcrutari aggreſſus fuerit, hæc, quæ præmiſimus, ſeria mente pervolvat, attendátque, an non compertum ſit? Canonicos Regulares, quò magis monaſticô inſtitutô ſeſe abſolvere conantur, eò liberiùs & à norma Canonicè vivendi aberrent. Anné enim eſt hoc Canonicè vivere, *contra Canonum decreta* (verba profero Adhelmi Schireburnenſis) *& regularis vitæ normam cruſtô interductô, phaleratáque venuſtate carnalem ſtaturam comere, ac altitudinem corpoream membratim, ac particulatim perornare, ſubuculam Byſſinam, ſive Hyacinthinam, tunicam coccineam, capitium, & manicas ſericas, clavatas Gallicas rubricatis pellibûs ambire, antias*

Inter Opera Petri Bleſ. Bibl. PP. t. 24.

L. de Laud. Virg. c. 28.

Digitized by Google

tias frontis, *& temporum cincinnos calamiſtro criſpare?* & tamen niſi veſtis; ſæcularium arte, decurtata reſplendeat, niſi cincinni pleno diapaſmate conſperſi candeſcant, niſi mores ipſi in complementis, fictáue eloquentia inter continua mundanorum hominum conſortia fallant, atque fallantur, in promptu judicium eſt, hominem à ſimilibus curialibus nugis ſeſe abſtrahentem Canonicum regularem non eſſe, ſed Monachum. Exſtat in hiſtoria Anglicana à Walſinghamo viro graviſſimo deſcriptum cujuſdam Canonici Regularis è ſuggeſtu dicentis præconium, quô ipſe pro his à Monachiſmo (tam ſtolidîs prætenſionibûs) ſe vindicare quærentibus Canonicis præclarè planè ſententiam dixit, hæc Walſinghami verba: *Ille*, inquit, *Canonicus Liceſtriæ, ut pateret, quàm imperfectè vivendi normam didicerat ex doctrina Sanctorum, aſſeruit in quadam prædicatione ſua, ſe ſolummodò laudare ſuum ordinem ex hoc, quòd cæteris ordinibûs erat propior, & conformior vitæ ſæculari. Qui, ùt erat in Ceremoniis propior, optabat, ut in habitu conformis eſſet, hoc ſolùm eis deeſſe ad gradum perfectionis aſſeruit, quòd in habitu eſſent Sæcularibus diſconformes. Monachorum vitam, & aliorum Religioſorum imperfectionem eſſe dicebat, quòd pluribus obſervantiis aſtringebantur.* Sic egregiè omninò pro laxitate Ordinis Canonici, ac in favorem omnium perverſa amantium intonabat hic diſciplinæ deſertor, ac proſtitutus Encomiaſtes; cui omnes illi palmam deferunt, qui dimiſsâ regularis diſciplinæ fibulâ monachiſmum averſantur, turpiſſimóque prætextu prærogativæ Canonicæ omne illud à ſe amoliuntur, quod hominem religioſum in ſua obligatione conſervat. Nequaquam nos pro talibus præſens caput inſtruimus, ſed rectâ viâ progredientes demonſtrabimus quidem, primò Canonicos Regulares veros, ac genuinos, atque, ùt dicitur, ex eſſentia inſtituti ſui Clericos eſſe, nihilque ſibi per noviſſimam illam ſæculô undecimô, ac deinceps aſſumptam reformationem aſciviſſe, quô in Monachiſmum è clericatu mutati legitimè probarentur: Intereà tamen, ſecundò: explanabimus, ea quæcúnque à malevolis, ac diſciplinæ regularis impatientibus ex Monachiſmo emendicata clericatui diſpendia creduntur, huic vel maximè, ad ſui inſtituti conſervationem, clericalémque innocentiam tuendam conducere, & deſiderari.

Walſingh. hiſt. Angl. ad an. 1382.

Antequam verò hujus noſtri propoſiti partem expediamus, neceſſe eſt, quandam animadverſionem præmittere, quâ explicare oportet, quidnam propriè ſit reformatio, & an non ipſa per ſeſe cuidam inſtituto ſubinducta ſolebat novam ejuſdem ſpeciem formare? nam *reformare* ſignificat, *in aliam formam ponere*, ùt obſervat Pereyra, hinc religiones reformatæ non poſſunt ſe propriè dicere ejuſdem ſpeciei cum inſtituto originario, cùm enim forma det *eſſe rei* juxta Philoſophum mutatâ priori formâ per reformationem in formam aliam, ipſum inſtitutum acquirit aliud eſſe rei, ideóque aliam ſubſiſtentiam, ſeu aliam ſpeciem. Sic plerique volunt, Præmonſtratenſium ordinem (quamvìs Canonicorum Regularium) eſſe ſpecie diſtinctum ab illo, quem primum nuncupamus. Teſte Carramuele Ordo Ciſtercienſium de communi penè omnium opinione nova videtur, atque diſtincta religio: eadem de multis aliis ordinibus reformatis paſſim eſt ſententia. Si ergò, ùt prætenditur, ſæculô undecimô tam celebris inſtituti Canonici facta eſt reformatio, ut tum primò, regula, nomen, ordóque ſecundùm modernam formam à priſtina totô propè cælô diſtinctam obtineret, profectò tam nova, aliáque forma inducta non poteſt niſi aliud, diſtinctúmque inſtitutum, adeoque verè, ac propriè ſæculô undecimô vel duodecimô exortum probare: quòdſi iſtud, planè conſequetur, per aſ-

2\.
Reformatio alicujus inſtituti non continuò novam formam inducit

Pereyra Elucid. 11. L. 2. ſect. 5. n. 967. ex leg. rectiùs ff. de public.

Theol. reg. in comment. reg. S. Ben. diſp. 35. f. 97. n. 351.

Digitized by Google

aſſumpta illa media ordinem quoque ipſum monaſticum evaſiſſe.

Ut huic argumento Ordine, ac fundatè reſpondeamus, notanda, & obſervanda erit reformationis quidditas, quid nimirum per illam in ſenſu præſenti intelligamus? Definit eam Pellizarius, aitque: *reformare* idem eſſe, ac *iterum formare*, & formare nihil aliud eſſe, quàm *rem conſtituere in ſuo eſſe. Dicendum eſt nomine reformationis hic intelligi reſtitutionem religionis per inobſervantiam regularis diſciplinæ jam collabentis, aut collapſæ ad priſtinum eſſe.* Inquit Pellizarius. Unde juxta Barboſam de natura verbi: *reformare* eſt tantùm *in parte tollere.* L. jurisprudentium 7. § adeo 6. ff. de part. Gloſa cap. ſtatutum: verbô: *reformandum* de reſcript: in 6. *reformare enim eſt aliud, quàm in totum tollere* L. unic. §. cum triplici. 2. ibi unde vel *tollitur*, vel *reformatur* C. de caduc. toll. L. vectigalia 14. de public. Ex quo patet juxta hanc legem: *reformare eſt in aliam formam ponere*: id eſt, rem aliquam non totaliter, ſed quoad eam partem, ſecundùm quam corrupta, vel depravata eſt, aliam formam obtinere, imò non tam aliam hujus partis locò, quàm priſtinam, eámque integram, & perfectam reſtitui.

Man. regul. de bonis ſta. Rel. tr. 165, n. 1.

Reformatio poteſt dupliciter conſiderari: in quantum ſcilicèt ordo, vel monaſterium reformatur ſecundùm ſubſtantialia, aut quaſi ſubſtantialia; vel in quantum reformatur ſecundùm accidentialia: ſecundùm iſta, aſſumpta reformatio, certum eſt, quòd ſpeciem non mutet, ſi ſcilicet ea aliâ formâ non induatur, quæ per talem reformationem meritum objectivum immutet, ita, ut juxta prudentûm, & eorum, quorum diſcernere intereſt, calculum, æſtimetur à priſtino inſtituto diverſus talis ordo, vel locus, & novam in re ſpeciem conſtituens. Sic quamvis Ordo Præmonſtratenſis nihil haberet in ſubſtantia, hoc eſt, in fine tam generali, quàm particulari diverſum ab ordine Canonicorum Reguularium S. Auguſtini, cùm tamen per illam à Norberto intentam reformationem accidentia Ordinis, ſeu partes Ordini Canonico adjectæ *Demum* adeò apparuêre, & in re fuêre diverſæ à partibus Ordinem Canonicum antiquum conſtituentibus, ut vi meriti objectivi ſecundùm prudens judicium hominum, maximè eorum (quorum intererat diſcrimen agnoſcere, atque ſtatuere) diverſam, & diſtinctam formam cenſerentur induxiſſe, per hanc reformationem ſecundùm accidentia etiam diſtinctus ordo habebitur. Reformatio ſecundùm ſubſtantialia iterum duplex eſſe poteſt. Aut enim fit illa per introductam novam ſubſtantiam, quam priùs non habuit? ùt ſi exempli causâ Canonici Regulares reformarentur, fieréntque Carthuſienſes, vel Benedictini: aut fit, dum ſubſtantialia temporum, hominúmque injuriâ ita alterata inveniuntur, ut penè nec ſpeciem inſtituti requiſiti præſeferant, quod eſſet, ſi votorum nulla eſſet obſervantia, finis etiam particularis omninò negligeretur; atque tum nova reformatio nihil immutaret in ſpecie, ſed formam illam corruptam tolleret, & alteram, expetitam ſcilicet, & quâ ad ſubſtantiam illius inſtituti quaſi reſuſcitandam, atque renovandam opus eſt, induceret. Sic identidem ordines reformatos legimus ſine ſui vel minima ex merito objectivo immutatione, dico, ex merito objectivo, quod, certum eſt, aliquando ſolùm, ac unicè diſcriminis manifeſtandi facultatem continere, ita quidem, ut, cùm emergunt dubia non exilia, an hoc, illúdve monaſterium, hæc, illáve Congregatio ſit in ſpecie originarii ordinis habenda? expoſcenda ſit ex merito objectivo diſcrepantia, vel identitas. Exemplum clariſſimum proſtat in Congregatione S. Salvatoris Bononienſis, cujus originem, ac viciſſitudines novimus ex Pennoto, cùm enim poſt plures alterationes, atque diſcrimina eò demum res deveniſſet, ut Canonici Rhenani, aliàs

Vide plura, quæ de diſcrepantia hujus ordinis ab inſtituto noſtro diſcurrimus in deſcriptione Monaſterii S. Nicolai Furni.

L. 2. c. 51. & ſeq.

Digitized by Google

aliàs de genuino, & antiquiſſimo inſtituto Canonicorum regularium, an. 1430. usque ad unicum priorem Franciſcum Ghiſlerium nomine, quin ipſa quoque monaſteria uſque ad unum S. Salvatoris Bononiæ defeciſſent; ut ſuo Ordini qualitercúnque Ghiſlerius ſuccurreret, in auxilium Canonicos Scopetinos ſpecie à noſtris diſtinctos authoritate Pontificia Martini quinti accerſivit: hi verò, cùm Ghiſlerio dein minùs placerent ob diverſum inſtitutum, ingratè ſuſcepti demum in lites cum eodem Priore devenêre, illis ſuum inſtitutum illibatè ſervandum obtrudentibûs, hôc verò priſtinum ſuum, atque genuinum præponente. Dum denique transactio in id decidit, ut Scopetini mutato ſolo colore ſcapularis ſcilicet Griſei in album, cappæ quoque Griſeæ in nigram, cæteróquin manerent in ſua, quam habuerant, inſtitutione. Tum excreſcente in eximiam, & præclariſſimam (ùt hodie experimur) congregationem hôc manaſteriô S. Salvatoris, exorta eſt quæſtio, an eadem ſit de genuino inſtituto Canonicorum Regularium cenſenda? an ſic reformata, ut novam ſpeciem, velut exempli causâ Præmonſtratenſes conſtituant? Renuebant enim non pauci eandem pro genuina agnoſcere, hinc quidam mendicantes Florentiæ præcedentiam prætendebant (velut idem Pennotus citatô locô narrat) præ dictis Canonicis, eò, quòd illos inter genuinos agnoſcere non poſſent, ſed inter taliter reformatos, qui novam ſpeciem ordinis conſtituerent. Res ergò ex merito objectivo decidenda fuit, unde ad Sedem Pontificiam appellatum eſt, à qua tria privilegia emanavêre, unum à Calixto III. an. 1456, alterum à Sixto IV. an. 1471, tertium à Julio II. an. 1512, In quibus declaratur, *eò, quòd ipſi ſecundùm regularia inſtituta Canonicorum regularium profitentur, & degunt, ac Rochettum, prout alii Canonici prælibati* (id eſt, Lateranenſes) *deferunt, eos fuiſſe, & eſſe veros Canonicos Regulares, & quòd iis Scapulare non tanquam de ſubſtantia, aut ſpecie ordinis, ſed ſolùm tanquam inſigne clauſtralium ſuper Rochettum portandum ex ſpeciali munere, & devotione donatum exſtiterit.* Hinc pro veris Canonicis regularibus ab ipſa ſacra ſede certâ ſcientiâ, & Apoſtolica Authoritate declarati ſunt. Ex hoc exemplo ulteriùs inferri poteſt, ad reformandum inſtitutum aliquod hôc ſecundô modô requiri, ut preſsè, & ſtrictè redintegrentur amiſſa, & reformentur difformata; ſed poſſunt in talem formam reduci, quæ hic, & nunc videntur expedire ad talem ſtatum reformatum in ſua ſubſiſtentia meliùs conſervandum, etiamſi in prima ſua inſtitutione non adfuerint. Sic exempli gratiâ, dum domum aliquam cernimus ob tectum ſtramine opertum, aut alias partes minùs ſolidè factas minari ruinam, eam tegulis obtegimus, partéſque illas firmiori formâ, figurâ, arte, ac induſtriâ munimus. Pariter quoque in republica non continuò novæ leges, nováque forma regnandi ejuſdem ſpeciem immutant: Romanum imperium ſemper idem ſubſtitit, quamvis aliquandò Democraticè, aliquandò Ariſtocraticè, demum Monarchicè regeretur: Hæ enim formæ non erant ad immutandam ſpeciem Romani imperii, ſed ad ſolidiùs conſervandam, diversis fatis ſic expetentibûs aſſumptæ. Et profectò quis non inſanire hominem diceret opinantem? toties novam ſpeciem alicujus imperii oriri, quoties novæ leges conſtituuntur, quibus tamen illud neceſſariò innititur, ut conſtans perduret. Ideò videmus prædictum imperium Romanum in tot diſcordias, inteſtináque bella diſciſſum fuiſſe, quamdiù non ſalutares leges ſucceſsêre, ſed nec iſtæ perennes; cùm certum ſit, oportere quandoque easdem immutare. Quò reſpexit Thucydides dicens: *rectum eſt, antiquas leges retinendas* Lib. 1.

eſſe

Digitized by Google

eſſe immotas, *tunc*, *cùm certa pax eſt*, *ſed cùm alii aſtutè nobis inſidiantur*, *novis quoque artibùs opus eſt.* Itaque & in republica quadam ſpirituali, ac religioſa non ſtatim arguendum eſt, ſpeciem illius eſſe immutatam, cùm novis legum, rituumque ſubſiſdiis adjuvatur, ſi modò imprimis certa ſucceſſio, ſecundò eadem ſpecies, formáque ex merito objectivo perdurare videatur: quod hìc incidenter, & ex abundanti annotatum volumus pro iis, qui fortè legitimam ſucceſſionem adhuc nobis diſputare parant.

Nam evidenter comprobatum eſt, eoſdem ipſos Canonicos, imò & Regulares, exempli causâ in Eccleſia Lateranenſi, hôc modô reformatos fuiſſe, non introductis, aut novo ordine, aut ſpecie diverſis religioſis: ſed iidem analogica perduratione Canonici, in quibus teſte Joanne Diacono Alexander Papa ſecundus *renovavit Communem Regularium Canonicorum vitam*, ad hanc tanquam ad formam ſibi ex inſtituto competentem, per defectum autem propemodùm amiſſam reducti ſunt; & iidem hi, ut in ſua reformatione meliùs ſtabilirentur, paulò pòſt regulam Sancti Auguſtini ſunt amplexi. Quod ipſum de reliquis in Italia, Gallia, Germania, ferendum eſt judicium.

Muſæum Ital. t. 1. f. 569. in Append. Ord. Rom.

Hìs præmiſsìs, ex ſe apparet, reformationem illam celeberrimam undecimô ſæculô cæptam, ſempérque ex hinc Rigore præclariore donatam, accedentibûs ſcilicèt indies accuratioribûs cautellìs conſtitutionum, rituumque inductorum, neutiquam in antiquiſſimo Canonico Ordine tale quid immutâſſe, aut addidiſſe, per quod ipſe à quoquam erudito, ac cordato viro dici poſſet novum ſpecie Ordinem, & quidem Monaſticum evaſiſſe. monaſticum, inquam, de hoc enim in præſentiarum quæſtio inſtituta eſt. Aſſertum verò noſtrum ſequentibûs argumentìs ſtabilimus.

Primò: manifeſtum eſt, exſtare teſtimonia tam certa, & authentica per illa ſæcula, & tempora (quibus vel maximè Ordo noſter Canonicus adeò videbatur ob aſſumptos voluntarios regularis diſciplinæ rigores, monaſticos mores induiſſe) ſemper illum pro genuino inſtituto clericali, omnimodis à Monachiſmo diſtinctum comprobantia, ut, ſi in illis circumſtantiis pro tali æſtimatus eſt, longè magis noſtra ætate, utpotè quâ auſteritas illa utcunque iterum rationabilibus de cauſis remiſſa eſt, eadem videatur ſibi ingenitâ prærogativâ gaudere. Teſtimonia verò illa, cùm ampliſſimè producta apud Largium noſtrum exſtent, non cenſerem iſthìc reproducere, niſi ad id me præcipuè moveret ejuſdem libri apud multos noſtræ Germaniæ Canonicos, aut etiam extraneos penuria, quibus in favorem, quædam tantùm adduxiſſe ſufficiet. Imprimis igitur exſtant in ipſo jure tria conſequenter capitula unum Gregorii ſeptimi C. nullus 1. q. 3. in eo ſic decernit: *nullus Abbas, vel Monachus Canonicos Regulares à propoſito profeſſionis Canonicæ revocare, & ad monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, ut Monachi fiant &c.* editus eſt hic canon in Concilio Educenſi. Alterum eſt Urbani ſecundi, in quo ait: *Mandamus, & univerſaliter interdicimus, ne quis Canonicus Regulariter profeſſus, niſi (quod abſit) publicè lapſus fuerit, Monachus efficiatur.* Tertium eſt ejuſdem Pontificis ad Abbates S. Rufi, in hoc inquit: *ſtatuimus, ne Profeſſionis Canonicæ quiſpiam, poſtquam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuerit, alicujus levitatis inſtinctu, vel diſtrictioris religionis obtentu, ex eodem clauſtro audeat ſine Patris, & totius Congregationis permiſſione recedere &c.* omnia hæc capitula ſæculò undecimô edita ſunt; paulò ſcilicet inde, dum illa à ſanctis Patribus inſtituta Canonicorum reformatio ſtabilem, firmúmque jam pedem in plurimis monaſteriis fixit, ac illæ novæ reformationis conſtitutiones ordinem ipſum Apoſtolica authorita-

3. *Canonici regulares per reformationem 11. ſæculò factam nequaquam ſpeciem ſibi monachiſmi induxerunt.*

Vide Authorem noſtrum f. 897. & ſeq. per totum.

te

ſte affecerunt, ſi ſolam fortaſſe regulam Sancti Auguſtini excipias, ſecundùm quam quidem jam in multis locis profitebantur, non tamen habebant codicem ipſum ſaltem ex Decreto Eccleſiæ, ùt priori capite obſervavimus. Tunc ergò, cùm dubitari non poſſet Canonicorum Regularium S. Auguſtini dudum firmatum exſtitiſſe inſtitutum, attamen ob hanc reformationem neutiquam à ſummis Pontificibus tanquam Ordo æſtimatus eſt Monachilis, quamvìs enim optimè calleam, etiam inter ipſa monaſtica inſtituta ſimilem, proùt ſuperiora capitula decernunt, legem haberi, & non cujusvis monaſterii Monacho licitum eſſe ad alium æquè Monachilem Ordinem transvolare, velut id apud Carthuſienſes, & Camaldulenſes conſtitutum eſt, id tamen in nullo eorum decreto tam generaliter enuntiatum reperitur, ne ſcilicèt aliquis eorum *Monachus* efficiatur. Illa enim eſſet in terminis contradictio, ſonaret quippè, ne *Monachus* fiat *Monachus*. Ergò apertè infertur Canonicum Regularem inductâ Auguſtinianâ, ſæculô undecimô, reformatione Monachum non fuiſſe, cùm generali voce prohibeatur, *ne Monachus fiat*. Ergò ſæculô undecimô extra controverſiam ſtamus, Canonicos Regulares inter Monachos recenſitos non fuiſſe, ſi verò non inter iſtos, itaque inter clericos; aut aliam ſpeciem adverſarii divinent, quam nulla hiſtoria, nulla monumenta produnt.

Neque id factum ſæculis ſubſequentibus. Sæculô duodecimô, ac ſequenti quamvìs arctiori, ac longè ſeveriori vinculo ſe noſtri illigarent Canonici, ita quidem, ut in diſciplinæ Regularis obſervantia multis eſſent tum Monachis attentiores; nihilominùs, ùt Clerici à Monachis abſolutè diverſi habentur: an. 1148. Eccleſia S. Genovefæ Pariſiis (teſte pervetuſtâ ibidem aſſervatâ ſcripturâ cujusdam antiqui Evangeliorum libri calci insertâ) de ſtatu Canonicorum Sæcularium ad regularem ordinem eſt mutata, hic verò regularis ordo non alius erat, niſi Auguſtinianus noſter: nam author vitæ S. Wilhelmi his Synchronus temporibus cap 1. ait diſſertis verbis: *Ordinem B. Auguſtini in Eccleſiam B. Genovefæ privilegiô Domini Papæ Eugenii, ac Chriſtianiſſimi Regis Ludovici immutabiliter confirmatum fuiſſe inductum*, & quidem primus Prior cum 12. Canonicis aſſumpti ſunt ex domo (ùt idem Author narrat) S. Victoris, quæ initiô hujus ſæculi Canonicos non minùs regulares, eósque ſub regula S. Auguſtini obtinuit tantæ obſervantiæ, ac auſteritatis vitæ, ut Sugerius Abbas liberrimè aſſereret in Epiſtola ad Eugenium Papam data, dicens: *quia nullam penes nos religioſiorem in ſuo ſtatu novimus Eccleſiam.* Ipſe quoque Jacobus de Vitriaco teſtatur in ſua hiſtoria occidentali *hunc conventum tunc quaſi lucernam Domini ſupra candelabrum poſitam, non ſolùm propinquam civitatem, ſed remotas circumquaque regiones, & ad Dei cognitionem illuminâſſe, & ad charitatem inflammâſſe.* Et quidem, ſi obſervantiam ſingulariter noſſe poſtulas, idem Vitriacus ſubjungit. *Hi ſiquidem prudentes, & honeſti viri extra Pariſienſis urbis tumultum ſeorſim congregati, ſuprà firmum, & ſtabile fundamentum regulæ S. Auguſtini inſtitutiones honeſtas, & ſalutares ſtatuerunt. Nigris ſiquidem cappis, & tunicis albis, induti, pellibus agninis, & lineis utuntur camiſiis, carnes in refectorio non manducant. Certis temporibus, & horis conſtitutis infrà terminos ſuos manibus corporaliter laborant. Circa primam, vel ſecundam noctis horam ad Matutinas ſurgentes in Hymnis, & Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus Domino ſuaviter, & devotè jubilando, reſiduum noctis plerumque expendunt. Æſtatis autem tempore à veſpera uſque ad auroram nocturnum frequenter protrahunt officium. Semel autem in anno omnes hujus ordinis Abbates Pariſiis apud S. Victoris Eccleſiam, ubi generale capitulum celebratur, congregantur.*

Apud Boll. in vita S. Wilhelmi 7. Ap. Comm. præv. n. 13.
Cap. 24. hiſt. occid.

Digitized by Google

gantur. Poſt Divinæ prædicationis epulas delicatas, & ſuaves, de his, quæ ad religionem, & ordinis inſtituta pertinent, unanimiter pertractantes. Confer iſta cum qualicunqne penè Monachorum Congregatione, an non ſimillimum deprehenderis in S. Victoris floruiſſe, & tamen nec hi, nec S. Genovefæ, adeò Monachi habebantur, quin manifeſtum eorum à ſtricto Monachiſmo diſcrimen agnoſceretur: nam cùm à Rege Ludovico, & ſummo Eccleſiæ Præſule Eugenio Canonici tunc ſæculares ibidem cedere Cluniacenſibus Monachis locum cogerentur, id perficiendi munus Sugerio Abbati ſan-Dyoniſiano demandatur, qui in propria Epiſtola ad Eugenium ſcripta teſtatur: ubi Monachos eos, quos ibidem collocare oportebat, jam accerſiſſet, ſubitò, *proxima die ferè tertiâ, aut quartâ, quâ deſignatum Abbatem, & Monachos in Eccleſia eadem ponere propoſueramus, ecce præfati Canonici, videlicèt cantor, & alii, à facie veſtra redeuntes mutatam pro bono pacis ſententiam, in Canonicorum Regularium poſitione nobis reddiderunt.* Cauſam verò hujus mutationis allegat ſcriptor vitæ B. Wilhelmi, iis, ùt diximus Synchronus temporibus: ſcilicèt, quòd *faciliùs ex contumacibus illis* ad regularem vitam *ipſorum, quàm ad habitum & conſuetudinem* Monachorum *converterentur.* Ex quibus verbis apparet, ſi Canonici Regulares ejuſdem habiti fuiſſent inſtituti cum Monachis, vana fuiſſet concertatio illa ſæcularium Canonicorum, ut per illos potiùs, quàm iſtos Eccleſia S. Genovefæ reſtauraretur. Anſelmus Havelbergenſis ſæculi duodecimi ſcriptor inter Monachos, & Canonicos Regulares diſcrepantiam manifeſtam adducit, dum enim quorumdam deſcribit inſolentiam, mirantium tam varias Chriſtianæ Religionis formas, ſimul ait: ex illorum ore: *ecce videmus in Eccleſia Dei, quoſdam emergere, qui pro libitu ſuo inſolito habitu utuntur &c. & nec Monachos, qui ſub regula B. Benedicti militant, nec Canonicos, qui ſub regula B. Auguſtini Apoſtolicam vitam gerunt, imitantur.*

Spicil. Dach. t. 1. f. 163. c. 1.

Alii itaque ſunt Monachi, alii Canonici alióquin ſub S. Benedicti regula hos, ſicut illos nominaſſet. Eodem ſæculô Innocentius tertius quendam Canonicum Regularem S. Rufi, *quòd habitu Canonicorum Regularium rejecto, ſine Abbatis ſui licentia in Monaſterio Malleacenſi ſuſceperit ordinem, & regulam Monachorum, jubet ad Eccleſiam redire priorem, ubi & memorialem cucullam eum deferre oporteret.* Profectò, ſaltem id non ideò diſtrictè, & quidem in pœnæ formam conſtituiſſent ſummi Pontifices Canonicis Regularibus, ut cucullam memorialem deferre cogerentur tranſeuntes ſine licentiâ Canonici ad Monachiſmum: cur *cucullam*, & quidem *memorialem*, niſi ut indicio ſit, ſe alium à ſuo inſtituto ordinem fuiſſe amplexos? hinc gloſſa in verbo *Memorialem*, inquit: *non quòd ſit Monachus, ſed ratione prioris maleficii.* Agnoſcit itaque gloſſa Canonicum Regularem, non eſſe Monachum. Verùm, ſi ulla poſt ſæculum undecimum tempora videntur Canonicos Regulares inter Monachos locaſſe, ea ſunt, quæ ſæculum decimum quartum, quintúmque conſtituerant, dum ſcilicèt paſſim ad normam Monachorum Congregationes illæ etiam Canonicos Regulares in diverſis monaſteriis commorantes ad unum corpus ſub uno ſupremo capite victuros colligebant. Quales præcipuè fuêre Congregatio Frigdionaria, Lateranenſis, Aroaſienſis, ac Windeſemenſis: ab his etenim tantus ſuſceptus eſt rigor, ac ad invidiam Monachorum diſciplinæ regularis obſervantia; ut & Monachi vulgariter audirent, & hôc nomine ſeipſos nuncuparent. Sic ſi ex centum exemplis, vel unum Kempenſem noſtrum ſuis in elucubrationibus attendamus, patebit, frequentiſſimè, ab eo ſuos Canonicos Monachi nomine appellari, ſermone

L. 1. epiſt. 11. edit. Baluz.

ne

ne enim ad Novitios ait: *O frater monache, qui ſanctitatis ſpeciem geris habitu; & nomine, claude oſtium oris tui.* Eodem ſerm. p. 3. *ô Religioſe Monache, & ſectator arctioris vitæ, noli ab aſſumpta cruce recedere.* Huc referendum Epitaphium, ſeu *Enchiridion boni Monachi*, & aliud intitulatum *vita boni Monachi.* Pater Georgius Pirkhamerus ſæculô decimô quintô Prior Carthuſianorum Norimbergæ edens libros Thomæ à Kempis de imitatione, eum *Monachum* vocat, *fuit* inquit, *Thomas de Kempis profeſſus Monachus Fratrum Ordinum Canonicorum Regularium.* Joannes Mauburnus ipſe Canonicus Regularis in venatorio ſuo ait: *Canonici generali nomine Monachi dicuntur.* Neque tamen ideò ab ingenito ſibi Clericali jure ullô modô etiam hac ætate excluſi ſunt, imò pro genuinis Clericis diſſertè agniti: nam annô 1420. Martinus Papa Windeſemenſibus privilegium confirmationis pro incœpta Congregatione concedens, in ea neutiquam hanc congregationem tanquam recenter enatam, ſed genuinam Auguſtini poſt Apoſtolos plantationem profitetur: *Admirabilem*, inquit, *pulchritudinem, quâ ſplendet, & ſplenduit quaſi quâdam varietate circumdata, ipſa mater (Eccleſia) retroactis temporibus adjecit plurimùm Ordo noſter. Qui ſicut à ſuis primordiis poſt beatos Apoſtolos Chriſti per regularia S. Patris Auguſtini inſtituta, luculenter per orbem effloruiſſe dignoſcitur, ita etiam nunc divina propitiante gratia his noviſſimis temporibûs eundem ordinem in monaſteriis veſtris per diſciplinæ regularis, & fraternæ viſitationis obſervantiam, felici pullulatione reflorere gratulamur &c.* Vides ex his Martinum Windeſemenſibus æqualitatem Auguſtiniani inſtituti Clericalis aſſerere: & certè, ut de Windeſemenſi, Aroaſienſi, aut aliâ quâcunque Ordinis noſtri arctiori, & monaſtico vivendi rigore ſeſe obligante Congregatione in cauſa Monachorum (quorum nomen liberrimè non rarò ſibi aſſumpſerant Religioſi Canonici) dicam, quod ſentio, indubitatum eſt, omnes has Congregationes ſicut per ſeveriorem ſuſceptam diſciplinam nunquam ſe à genuino Canonico inſtituto ſeparare intenderant, ſic ejuſdem infimæ ſpeciei ſemper tum cum Lateranenſibus, tum aliis quibuſcunque ſuſpecti ſunt, atque agniti. Scribit de hac arctiori forma vivendi aſſumpta à Windeſemenſibus Joannes Buſchius, obſervat autem conſultò, quòd Authoritate Epiſcopali primùm conſtitutiones regulæ ſuæ additas obſervaverunt, & L. 1. Chron. f. 69. *non ſolùm*, inquit: *ad præmiſſa, ſed etiam ad arctiora Ordinis noſtri inſtituta* non coacti, sed *ſpontè*, & *bona ſua voluntate ſemper ſe anhelare opere, & ſermone, aliiſque documentis ſucceſſivè demonſtrârunt.* Igitur quidquid ſeu uſurpatione nominis, ſeu diſtrictione obſervantiæ harum Congregationum Canonici à monachiſmo mutuâſſe videntur, adeò abeſt, ut id omne eos inter Monachos collocet, quin potiùs diſcernat; ex eo, quòd totum illud aſſumpſerint *non coacti*, ſed *ſpontè*, & *bonâ ſuâ voluntate*: aliud enim longè eſt, vi ordinis, ac inſtituti obligari ad certa conſtituta, aliud ea liberè ſuſcipere ſalvâ ordinis, in quo DEO militant, ſubſtantiâ. Nam licèt juxta omnium Doctorum ſententiam Monachiſmo proprium ſit ſibi ſoli vivere, & juxta Canonem 22. Concilii Dingolfingenſis annô 772. celebrati certum habeatur, Monachos qualeſcunque *curam animarum tanquam ſtatui ſuo congruam neutiquam probare potuiſſe, neque ex Canonibus, neque ex decretis Patrum, neque ex regula vitæ ipſorum.* Non tamen inſtitutum ſuum exinde in ſubſtantia immutârunt, cùm paſſim eis hæc cura demandaretur, tanquam vocationi ſuæ ſpontanea, atque libera, & à qua quiſquis Monachorum ſe expedire voluerit, nihil propoſito ſuo auferet, atque ſubver-

tet; ſic major, ſtrictiórque obſervantia, aut Monachilis nominis uſus, ne minimùm quidem præjudicabit ſubſtantiæ inſtituti Canonico-Clericalis.

Sicut Congregatio Lateranenſis, extra omnem ambigendi locum eſt clericalis, quamvis, & nomine, & regulari obſervantiâ ſæpè Monachiſmum æmulata, ſic idipſum de aliis ejuſdem ſpeciei Canonicis erit aſſerendum.

4. Præterea experimentô liquet, omnes has Congregationes (quarum nos paulò pòſt ſpecialem Elenchum producemus) eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ cum Canonicis Lateranenſibus, & tam parùm ab invicem diſtinqui, quàm Congregatio exempli causâ S. Vitoni à Congregatione Caſſinenſi, aut S. Mauri &c. hinc, ſicut Lateranenſes Canonici ſemper inter genuinos Clericos ab ipſis Pontificibus, ac quibuscunque viris eruditis habiti ſunt, quamvis multi eorum ſe Monachos ſcriberent, imò Congregatio ipſa arctiſſimam vivendi normam (proùt conſtitutiones Lateranenſes teſtantur) & Monaſtico inſtituto penè conformem eligeret; ſic nec alia quæcunque hujus Canonici Ordinis cænobia, conventus, aut Congregationes, à genuino inſtituto Clericali excludi prudenter poſſunt ideò, quòd liberè ſtrictiori diſciplinæ ſe addixerint, cùm tamen eidem principali inſtituto indemniter adhærent. Ex quo demum obſervo, omnia ea teſtimonia, quæ pro Canonicis Lateranenſibus, aliíſque ſuo in clericatu ſtabiliendis, & à Monachiſmo penitùs diſcernendis decertant, quibusvis aliis in ſpecie infima Canonicorum Regularium S. Auguſtini contentis Congregationibus, collegiíſque ob Analogicam rationem convenire. Ideò, cùm Benedictus duodecimus conſtitutiones annô 1339. ederet pro generali reformatione Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, omnes ſub hac ſpecie infimâ contentos agnovit, & profitebatur *eorum Religionem à Chriſti glorioſis Diſcipulis in primitiva Eccleſia ſacris inſtitutionibus ſtabilitam fuiſſe*, atque hanc Clericalem, non Monachilem eſſe, juraque Clericatûs, prout à Monachiſmo plenè, & directè diſtincti, eidem competere claris per decurſum indiciis conſignat. Præterquàm enim, quòd in his, utpotè de re nota decernentibus, nunquam Monaſticum inſtitutum, nunquam Monacho-Canonici, nunquam denique Monaſticè, aut Monaſterialiter, aut ſecundùm Monaſticam, ſed ſemper ſecundùm Canonicam normam vivere, Canonici Regulares, moréſque ſuos componere inſtruantur, inſuper omnis inſtitutio immediatè ad ſacros Canones, more ſcilicet erudiendorum Clericorum, non Monachorum dirigitur, ipsâ quoque in promulgatione Authentica an. 1339. harum conſtitutionum, eæ non Monaſticæ, ſed Canonicales dicuntur: *ſuper publicatione* (inquit tabularium) *conſtitutionum Clericalium noviter editarum per D. N. S. Papam &c.* ſicut verò hæ conſtitutiones non ſolùm Lateranenſibus preſsè dictis Canonicis, ſed omnibus ejuſdem inſtituti præſcriptæ ſunt, ſic omnes ejusdem clericalis, & à Monachiſmo diſtincti Ordinis ſunt computati, ac ipſi quoque Windeſemenſes, utpotè quòd hi (cùm ſibi peculiares conſtitutiones eligerent) ab ipſo ſummo Pontifice Martino quinto abſolverentur obſervatione Benedictinarum, quibus tanquam veri, ac genuini Canonici aliàs illigati fuiſſent.

Ex tabulario Apamienſi apud Large in Append. p. 531.

In Bulla relata à Foppenſ. t. 3. nov. Collect. dipl. part. 2. cap. 158.

Denique, quod præcipuum eſt, cùm ſæculô 16. controverſia oriretur inter Canonicos Regulares Lateranenſes, & Caſſinenſes Benedictinos de præcedentia, cauſaque commiſſa eſſet tribus doctiſſimis Cardinalibus, ipſa verò ſententia definitiva, in favorem Canonicorum Lateranenſium promanaſſet, totum penè argumentorum pondus in unum Clericatum dictis Canonicis aſſertum concurrebat, quò adæquatè à Monachis diſtincti comprobabantur: ùt patebit, integrum proceſſum, ipſamque Pii quarti definitivam Bullam perlegenti, ex quo infertur, tunc Lateranenſes Canonicos pro veris Clericis, & à Mona-

Apud Tamburni de jure abb. t. 1. diſp. 25. q. 1. per tot.

nachiſmo diſcretis habitos fuiſſe. Cùm igitur & Windeſemenſes, & alii quicunque ſub hac ſpecie infima contenti ejuſdem ſint identicè cum Lateranenſibus inſtituti, eadem ratio pro horum quoque Clericatu pugnabit.

5\. Secundò: quamvis Canonicis Regularibus frequenter nomen Monachi, tum à ſemetipſis attributum ſit, tum ab aliis, obſervatô modô, & penetratâ loquendi ratione, nunquam ideò Monachiſmi nota iiſdem affingi poterit; pro quo obſervandum, præter illa, quæ de latiori ſignificatione Monachiſmi in priore parte diſcernimus, etiam in jure *Monachi* nomen diverſimodè conſiderari: aliquando enim Monachus præcisè Religioſum, ſeu votis illigatum notat, aliquando verò Monachum ſtrictè talem: ita juxta omnium eruditorum ſenſum, Canonicum Regularem tam parùm illa, quæ præcisè Monachum, ùt talem attingunt, obligant, quàm parùm quemcunque Canonicum ſæcularem. Juxta doctrinam Panormitanni enim *in Pænalibus, & exorbitantibus appellatione Monachi Canonicus Regularis non venit.* Et ratio deſumitur ex S. Thoma: qui tam clarè ordinem noſtrum à Monaſtico diſtinguit, ut clarius adferri nil poſſit, ait enim: *utraque religio Monachorum ſcilicet, & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera vitæ contemplativæ, inter quæ præcipua ſunt ea, quæ aguntur in divinis myſteriis, ad quæ ordinatur directè ordo Canonicorum Regularium, quibus per ſe competit, ut ſint Clerici Religioſi. Sed ad religionem Monachorum non per ſe competit, ut ſint Clerici, ùt habetur in Decreto* 16. *q.* 1. hæc Div. Thomas, qui unus ad totam hanc diſcrepantiam Canonicorum Regularium à Monachis ſtatuendam ſufficere poſſet. Verùm, ut adhuc luce majori revelemus hanc veritatem, ipſum Navarrum noſtrum ſic doctiſſimè diſcurrentem, & Parnormitanni aſſertum hisce comprobantem audiamus. *Pro quo* inquit, *primò facit, quòd Canonici Regulares quatenùs ſunt tales, ſunt Clerici &c. at Monachi, quatenùs tales, non ſunt Clerici &c. & conſequenter appellatione Monachi non venit Canonicus plùs, quàm alius Clericus.*

Nomen Monachi datum Canonicis regularibus, non ob æqualitatem finis particularis, ſed generalis, in quo omnes Religioſi dicendi Monachi.

In C. quod Dei timorem de St. Monach. & Can reg. S. Th. 22. q. 189. art. 8. ad 2.

Secundò: quòd pro longè diverſis nominatur in Rubr: de ſtat. Mon. & Can. regr. & in cap. quod Dei timorem.

Tertiò: quòd laxiori regulæ Canonici, quàm Monachi inſerviunt. Dic. cap. quod Dei tim.

Quartò: quòd adeò ſunt diverſi, quòd graviter vetantur Canonici tranſire ad Monachos. C. mandamus 20. *q.* 3. *cùm igitur lex pænalis non debeat excedere proprium caſum, nec exorbitans à jure Communi deceat extendi ad alium caſum, conſequens eſt, quòd non ſolùm lex pænalis, vel exorbitans diſponens de Monacho, non comprehendit Canonicum Regularem, ſed neque alia non pænalis, nec exorbitans, plùs, quàm alios Clericos, cùm nec ex proprietate verbi, nec communi modò loquendi, neque ex lata ſignificatione Canonici comprehendantur appellatione Monachi, & ita dictum Panormit. non ſolùm eſt verum, ſed etiam ampliandum ad leges non pænales, & non exorbitantes.* Hæc Navarrus.

Cùm itaque Canonici Regulares cum Monachis conveniant in ſubſtantia ſtatûs Religioſi, hinc quod Monachis interdicitur, aut præcipitur ùt Religioſis, ad Canonicos quoque Regulares extenditur; non verò, quod illos attingit, ùt Monachi ſunt. Et quamvis quidem ſæpiùs jura tum in præceptivis, tum inhibitoriis cauſam ſtatutæ ſententiæ firment in Monachiſmo, apparebit tamen conſideranti, ut ſi ea ſimul Canonicos Regulares reſpiciant, tum Monachiſmum non plus notare, quàm ſtatum religioſum. Unde dum cap. *porrectum*: de regularibus dicitur, *quòd Monachum, non facit habitus, ſed profeſſio regularis.* Ad ipſos quoque Canonicos Regulares hoc capitulum extenditur; quia *Monachus* plus hic non dicit, quàm *Religioſus.* Deinde,

 cùm

Digitized by Google

cùm Canonici ob diverſitatem inſtituti aliquando prætenderent ſibi jus poſtulandi competere, eò quòd id quidem Monachis olim interdictum eſſet, non Canonicis, opus erat peculiari Innocentii tertii ſententiâ, quâ ab hoc jure Canonicos quoqúe arcendos decerneret. ùt eſt cap. *ex parte* de poſtulando tit. 37. ex quo ipſo apparet, in iis, quæ ſpecialiter Monachos attingunt, in Canonicos non cadere, niſi ſingulare in illos tanquam à Monachis diſtinctos decretum feratur.

6. *Diſcrimina complura adducuntur Canonicorum regularium à Monachis, præter jam ſuperiùs relata.*

Profectò enim non tralatitia, neque colorata, ſed ſpecifica, ac fundata diſcrepantia Monaſticum inter, atque Canonicum inſtitutum rèperitur, dudúmque ab omnibus eruditis cordatis viris agnita eſt. Nam ut pluribûs intermiſſis, ſolùm aliqua, eáque obvia proferamus; quanta non diverſitas Monachum inter & Canonicum? inprimis quoad ipſam regulam, quæ ideò propriè à Canonicis recepta eſt, ut ſub ea Deo voveant, ac militent; quia eſt regula non qualiſcunque, ſed Clericorum: taliſque, præcipuè tum æſtimata eſt, atque extra omnem controverſiam habita, cùm primùm ſæculô undecimô paſſim à Canonicis recepta, ac demum ſervanda per Innocentium tertium in Concilio Lateranenſi firmabatur, ùt videre eſt apud Gratianum, qui medium ſæculum 12. vixit, quíque illam in inſcriptione ad cap. quando. diſt. 86. talem reſpectivè nuncupat, utpotè quòd ipſa tanquam tertius ſermo de vita clericorum antiquiſſimis codicibus inſertus fuerit. Adde, quòd eadem regula nihil planè Monachile, ùt tale referat, unde quamvìs aliqua D. Benedictus ex ea in ſuam tranſtulerit, multa tamen addere, & accumulare oportebat, ut Monachilis efficeretur, prout utramque conferenti patebit.

Vide etiam cap. cum ad. de St. Mon. &c.

Deinde Monacho ùt tali, velut Navarrus noſter obſervat ex cap. carnem de conſecr. diſt. 5. vetatur eſus carnis, ſaltem in refectorio, & ex ſpeciali privilegio ad hunc præcipuè in Germania noſtra diſpenſantur; at Canonico Regulari hic eſus eſt licitus, ùt per ſe patet. Et dum à quibusdam, velut de Aroaſienſibus habemus, mos abſtinendi à carnibus receptus eſt, id non contigit ex inſtituti ratione, ſed ex libertate propriæ pietatis.

Tertiò: monachis inhibitum eſt camiſeîs lineîs indui, ùt habetur expreſſis terminis cap. *cùm ad monaſterium*, ad quod neutiquam clerici obligantur. Præterea veſtitûs diverſitas Monachi à Canonico Regulari tanta eſt, ut major intercedere vix poſſit, & quia cuculla, atqúe ſcapulare proprius eſt Monachorum habitus, ùt eſt can. *mandamus* 19. q. 3. Canonicorum veſtitus proprius, & ordini, ſuô modô, eſſentialis eſt veſtis linea. Monacho totus veſtitus (Clement. ne in agro § ſtatuimus de ſtat. mon.) quoad omnes partes decernitur, & ſumitur ex S. Benedicti regula C. 55. Canonico nihil aliud determinatur niſi veſtis linea, & notabilis habitûs fuga, ſicut in hanc rem ſcribit, & explanat Hugo noſter Victorinus. *Talia*, inquit, *debent eſſe veſtimenta Clericorum, in quibus nihil notari poſſit novitatis, nihil quod pertineat ad ſuperbiam, & vanam gloriam. Non tenera veſtis ſacerdotem, ſed munditia mentis ornant Clericum.* Videatur de diſcrimine habitûs Monachilis, & Canonici Tamburinius.

De ſtat. Mon. c. 35.

in cap. 6. Reg.

Quartò: quidquid de Canonicis in jure ſtatuitur, exceptîs iis, quæ religioſo inſtituto ſuo refragari videntur, etiam ipſos Canonicos Regulares attingit, etiamſi expreſſa horum denominatio non fiat, hinc privilegia quoque eorum iſtis conferuntur, ùt docet Barboſa de Canon. declarans Canonicos Regulares eſſe propriè Canonicos, & nomine Canonicatûs (in favorabilibus tantùm) etiam Canonicatum Regularem venire, quod de Monachiſmo nemo unquam dixerit, hinc Renatus Chopinus in ſuo Mona-

De jure Abb. c. 1. Diſp. 26. q. 1. per tot.

Barboſ. de Can. & dign. c. 1. n. 7.

Digitized by Google

Monaſtico de Canonicis ſæcularibus, & regularibus junctim tractans ſic ſcribit: *quòd*, inquit, *promiſcuè iſthic Canonicos ſæculi cum Regularibus committam, & ſimilia utrinque producam rerum judicatarum exempla, facit utriusque ſodalitii affinitas, vetus communio, quam ſatis apertè indicat Arelatenſis quartæ ſynodi cap.* 8. *de monaſterio Canonicorum, qui votivæ religionis profeſſoribus adæquantur. Specialiùs verò Aquisgranenſis Concilii Proceres, Canonicis quibusque præſcripſerunt cœnobium, id eſt, cœnobitarum more communem victum, cultúmque veſtium plenè religioſum &c.* Michael quoque Franchez vir eruditiſſimus: *conveniunt*, ait: *Canonici Regulares cum ſæcularibus in omnibus privilegiis ſæcularium in eo, quod regula non contradicit, quare omnia, quæ de ſæcularibus dicuntur, regularibus profectò applicantur.* Quòdſi ergò vitam regularem, diſciplinámque religioſam excipias, quæ ſæculares non vinculat, aliàs non nomine tenùs, nec abuſivè, ſed jure, ac rationis identitate Regulares iidem Canonici ſunt, qui ſæculares: quod an de Monachis dici, aut ſomniari poſſit? quivis eruditus arbiter eſto! quòd itaque nomen *Monachi* noſtratibus Canonicis Regularibus frequentiùs attribui conſueverit, id ex eadem ratione provenit, quæ jam olim eosdem etiam ante ſæculum 11. fecit tales nuncupari: hanc aſſignat Nicolaus Primus ſæculô decimô, dum ait: *Non putamus, quod abſit, Canonicos Religioſos à Sanctorum Monachorum vita, & conjortio ſejunctos.* Concilium quoque Aquiſgranenſe nonô ſæculô eam ipſam ſtatuit dicens: *quòd in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus, Canonicorum à Monachorum non debeat diſtare vita.* Unde & ſubſequìs temporibùs hujus nomenclaturæ cauſa eruitur, ſic Innocentius tertius *Canonicos Regulares* edixit: *à Sanctorum Monachorum conſortio non putari ſejunctos*, ſic Concilium Colonienſe *clam non eſſe aſſerebit primam Canonicorum originem monaſticæ diſciplinæ fuiſſe.* Sic Richardus primus Dux Normaniæ. *Lugebat errores Canonicorum à Monaſticis præceptionibus decidentium.* Verùm, ùt apparet, hæc Monachilis nuncupatio Canonicis data aliud non inſinuat, niſi ſubſtantiam inſtituti religioſi, ex quo enim tempore Monachi nomen, quaſi identicè, ſimúlque individuè involvere cœpit vitam votivam, antonomaſticè hoc nomen in uſum venit, ut Religioſum hominem notaret, & quidem inde etiam clericis tribueretur, ſemper tamen id apud juris peritos cum debita cautela factum eſt, atque faciendum: quò illa Pellizarii doctrina reſpicit: dicentis: *nomen Monachi juxta* frequentiorem uſum *non tribui Clericis regularibus, ſed ſolùm illis religioſis, qui propriè ſunt Monachi, ſiquidem juxta primævum jus, ac inſtitutionem, Monachi à Clericis diſtinguebantur.* 16. *q.* 1. *per multa capita. Unde fit, ut quando jura, præſertim odioſa volunt comprehendere omnes religioſos, ſimpliciter loquantur de Regularibus: ut Concilium Trident ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de regul. & ſeq. (quæ vox eſt univerſalis) aliàs expreſsè nominando Monachos, &* Clericos, aut Canonicos Regulares *ut Clement.* 1. *de ſtatu Monach. quod tamen non procedit in favorabilibus, ac in iis, quæ per ſe ſolùm reſpiciunt ſubſtantiam, aut decentiam ſtatûs religioſi: in his enim nomen Monachi ampliatur, ut comprehendat etiam Canonicos Regulares, & alios quoscunque religioſos; ùt conſtat ex cap. ex parte. de poſtulando: & indicatur in cap, poſt translationem de renuntiat. qua de re Suarez t.* 4. *de relig. tr.* 9. *L.* 1. *C.* 7. *n.* 9. *Lezana t.* 2. *C.* 2. *n.* 1. *&* 2. *Peyrin. t.* 1. *privil. conſtit.* 12. *Julii.* 2. *num.* 2. *Miranda t.* 1. q. 10. *a.* 5. *Sanchez L.* 6. *Mor, cap.* 13. *n.* 1. hæc Pellizarius ad verbum, quæ ideò iſthuc tranſtulimus, ne hac in re aliquid videamur ex affectu ſcripſiſſe; patetque exinde, quanta non ſolùm olim, ſed continuatis temporibùs ad ætatem uſque noſtram diſcrepantia ſemper à quibuſ-

Marginal notes: L. 2. tit. 3. — L. de Cathed. Eccl. cap. 31. n. 21. — Cap. præſens 4. cauſ. 20. q. 3. — Can. 115. — Decret Greg. C. quod Dei timorem tit 35. — Conc. Col. part. 3. c. 4. — Dudo de geſtis Normanorum L. 3. p. 155. — Tom. 1. de regul. Tit. 5. c. 3. ſect. 1. q. 6. n. 11.

Digitized by Google

buſcunque viris eruditis agnita ſit inter Monachos, & Canonicos Regulares, & quæ demum ratio fecerit, ut ſæpius Canonici monaſticô titulô donarentur, neutiquam tamen ideò illis Monachiſmo in præjudicium ſui inſtituti adhærente.

7. *Diſcrimen modicum inter duorum inſtitutorum actualem vitæ converſationem non facit ipſorum æqualitatem quoad rationem præſtitutorum diverſorum finium particularium.*

Quintò: licèt his temporibûs modicum videatur diſcrimen, inter quoſdam Monachos, & Canonicos Regulares S. Auguſtini, ſi regulam, habitúmque excipias, id tamen nequaquam evincit Canonicos Regulares in Monachiſmum abiiſſe, ſed fortaſſe, quibusdam Monachis illud Caroli Magni dici poſſet, quod de Martinianis Monachis ſuperiùs adductum eſt. Præterea nihil ad immutationem inſtituti refert, ſi ejuſdem ſectatores, atque Profeſſores, ſtrictiorem quandam ſibi aſſumant normam vivendi, quæ nec citra, nec ultra regulam, ipsúmque inſtituti finem particularem exorbitat. Unde quamvis quidam noſtrûm maximè in Congregationibus conſtitutiones ſeveriores ſtatuerent, quàm vita clericalis per ſe admittere videatur, cùm tamen in modernis circumſtantiis huic non obſiſtant, potuêre illas in firmiorem aſſumptæ diſciplinæ ſubſiſtentiam condere, & amplecti. Neque unquam auditum eſt, ideò aliquod monaſterium Canonicorum Regularium ſuum inſtitutum clericale amiſiſſe, quod ſtrictiùs diſciplinæ regulari tuendæ inhæſerit, laxitates illas in evagationibus, & converſationibus inutilibus cum mundanis, in ornatu veſtium, in comendis capillis, in luſibus, jocis, ac ſcurrilitatibus, nec Chriſtiano quandóque homini, ne dicam, religioſo convenientibus, refrænans, & ſeveriori etiam cenſurâ animadvertens &c. non, inquam, id unquam auditum eſt, niſi fortè, ab illis ipſis, qui ſolùm ſibi gloriæ ducunt, & Canonicæ inſtitutioni conforme prætendunt, quò magìs ad ſæculares mores accedunt, ùt ſuprà diximus.

Deinde conſtat, ex oppoſito fieri poſſe, ut aliquod inſtitutum in multis quaſdam ſuæ primævæ reſtrictionis remiſſiones obtineat, quales à ſummis Pontificibus ordini Monachorum conceſſæ cuique jus Canonicum perquirenti in patulo erunt, neque noſtrûm hìc eſt peculiariter ea recenſere, in quibus temporum ſucceſſu Monachi utcúnque normæ Canonicorum propiores ſunt facti, pro quo noſcendo adeat, cui ſcrutari vacat, præ cæteris Alexandri natalis hiſtoriæ Eccleſ. tom. 7. ſæc. 13. & 14. Petri Bleſenſis t. 24 Bibl. SS. PP. ſer. 50. Petri Abb. Cluniac. ibid. tom. 22. Librum 2. Epiſt. 2. Tractatum Joannis Abbatis de profeſſione Monachorum apud Pezium Anecdot. tom. 1. part. 2. & præcipuè partem illius tractatûs tertiam. Landſpergium, Nebridjum Mindelheimium, alióſque tum Aſcetas, tum Canoniſtas abundè hac de re agentes. Id fortaſſe patentius eſt, quàm quòd à nobis volentibus diſſimulari poſſit, etiam quibuſdam è Monaſtico pro ſe verè ſanctiſſimo, ac laudatiſſimo inſtituto, neque unquam prærogativis eximiis indigo, nomen Monachi (quod tamen ſummæ Sanctitatis eſſe, ſancti Patres paſſim atteſtantur) adeò viluiſſe, ut longè malint Canonici; & à ſe, & ab aliis dici, neſcio, an & haberi, taléſque eſſe &c. Cæterùm, & illud hìc non omittendum, quod præfatus à nobis Pellizarius n. 10. præcedenti, inter Canonicos regulares, Monachóſque diſcrimen conſtituit, reſpondens quæſito, per quæ maximè religio conſtituatur monachilis? aitque conſtitui *tum ex eo, quòd per ſe ordinatur ad ea, quæ aguntur in divino cultu; cùm aliàs clericalis religio per ſe ordinetur ad ſpiritualia miniſteria verſantia circa proximos: tum quia utens mediis proprio fini accomodatis ex vi ſui inſtituti non vacat ſtudiis, neque aliis exercitiis ordinatis ad ſalutem proximorum: tum quia habet proprium habitum, nempe cucullam juxta illud:*

enſis

enſis militem, cuculla Monachum, ſtola ſacerdotem indicat; tum quia ſervat genus vitæ auſterioris, quò ad victum, veſtitum, lectum, & ſimilia, quô modô Suarius ex S. Thoma ſupponit tanquam differentiam certam inter Canonicos Regulares, & Monachos, quòd Canonici non tenentur abſtinere à lineis indumentis, *à quibus Monachi tenentur abſtinere, colligitur ex Suar. ſup. tr. q. L.* 1. *c.* 7. *n.* 6. 7. 8. 9. Hæc ille.

Quòdſi verò deprehendas, Monachum & uti lineis, & æquali cum Canonicis moderamine victum, veſtitum, lectúmque obtinere &c. non tamen inde concluſeris, Monachum ejuſdem ideò eſſe inſtituti cum Canonico, rationem diſparitatis ſumpturus ex ipſius juris, legíſque diſpenſatione, in qua certô certiùs omnis diſcretio fundatur: inde enim ſole meridiano elucebit clariùs illud, quod Canonicus Regularis ſecundùm ſui Ordinis ſpeciem jure, & ex inſtituto obtinet, Monacho ex privilegio, & eorum, quorum leges, aut interpretari, aut remittere intereſt, gratiâ advenire. Hinc quamdiu ſpecifica monaſtici inſtituti ratio non tollitur, tamdiu Monachus alius à ſuo inſtituto ſupponi non poteſt, & id, quod ex privilegio obtinuit, nunquam ejuſdem eſſentiæ proprium aſſervari valebit. Cùm enim *ad privilegii dati uſum nemo cogatur*. Abb. Cap. quod Clericis num. 41. de foro compet. Ideò monachus nullus obligatur ex ſe ad clericalia munia obeunda. Atque hoc ipſo obligatio clericalis nunquam erit, aut aſſeri poterit Monachiſmi conſtitutivum; finis enim Monachi particularis, per quem in ſua ſpecie conſtituitur, eſt cura ſalutis propriæ, non alienæ; quod tamen neutiquam excluſivè intelligendum velim, non enim Monachiſmi finis eſt excluſivus immediatè finis particularis clericalis (quamvis utriusque conjunctionem tanquam rem difficilem ſemper antiqui Patres æſtimaverint) poteſt enim id participativè fieri, ut, cùm Amor perfectus docente S. Thoma ſit ſummè activus, ac communicativus ſui, ubi ſe contemplatio per bonam, ac fundatam radicem in Monachiſmo firmavit, facilè illa dein exiliat, effundátque in utilitatem proximi. Quapropter piiſſimus Alvarez de Paz contemplationis effectus laudabiles enumerans dicit: *quia anima hac pace* (id eſt internâ per contemplationem acquiſitâ) *cumulata, jam perfecta eſt, & Cor Filiæ, & ſponſæ habet, ideò nititur reliquias hujus pacis, quam ſentit, in proximos effundere, eóſque ad omnem profectum juvare: id cupit, & obtinet. Nullas enim vidi proximis utiliores, nullas verbô potentiores illis, quas Deus in perfectam contemplationem admittit &c.* atque ideò nequaquam æſtimati unquam ſunt Monachi vi ſuæ Profeſſionis, ut ab animarum cura excluderentur. Aliud enim eſt, inſtitutum aliquod eſſe incompatibile cum altero, alliud, ſecundùm ſuam ſpecificam rationem, & in eſſentia ſua non involvere; illud de Monachiſmo nunquam aſſeremus, iſtud cum omnium Doctorum calculo propugnamus. Hinc eruditè iterum obſervavit ſæpè citatus Pellizarius, quòd, quamvis non repugnet, ut Monachi quoque inſiſtant miniſteriis ſpiritualibus, quæ circa proximos exercentur: *at id*, inquit, *non faciunt, niſi prout participant de vita activa, quod utique non repugnat.* Unde in hoc, idem Author diſcrimen inter *religionem monaſticam*, ac *veram clericalem propriámque* ponens, ait, quòd *iſta per ſe ordinetur ad Divina miniſteria circa proximos exercenda*, illa verò ſolùm *participativè*, indéque iſtam dividi aſſerit in *Canonicos Regulares, presbyteros ſimplices*, ac demum *presbyteros Regulares*, nunquam autem in *Monachos*, quaſi ſcilicet hi aliquam inter veros, propriósq; clericos claſſem conſtituerent.

Vide Gregor. M. l. 3. Ep. 11. & Frodoard. L. 2. c. 8.

Tom. 3. de Inquiſ. pacis l. 5. parte 2. cap. 6. n. 12.

Loc. cit. n. 16.

Ex his verò univerſim hactenùs deductis colligimus omninò, quid de illo aſſerto ſentiendum? quô à 8.

Mox ex

planatur marginalis numerus ampliùs elucidatur. P. Fr. Schmier. in ſua juriſprud. l. 3. tr. 1. p. 163. ſect. 1. §. 2. n. 14.

quopiam recentiori dicitur: *ex Religioſis alii dicuntur Monachi, alii Canonici Regulares. Has inter varii varias differentias aſſignant, quorum tamen in jure Canonico vix ulla probatur, præterquàm, quòd Canonici minus ſtrictam regulam, quàm Monachi profiteantur juxta text. in cap. quod Dei timorem &c. qua de cauſa Gonzalez ad dict. cap commemorat, Canonicos Regulares verè Monachos eſſe, Monachorúmque jure, & nomine, exceptis nonnullis caſibûs ubique cenſeri per textus irrefragabiles in cap. præſens Clericus* 4. *XX* q. 3. *cap. poſt translationem* 11. *de renuntiat. cap. ex parte.* 2. *de poſtulando. Cap. ad noſtram* 5. *& cap. ſeq. de Confirmat. util. vel iuutili cap. de regular.* 25. *de ſimonia Extrav. viam Ambitioſæ* 1. *de Regular. inter Comun.*

Nam præterquàm, quòd hoc effatum ex hactenùs dictis ſatìs labile, ac infirmum appareat; adducta quoque ex Gonzalez probatio, & prætenſa irrefragabilitas textuum nuda eſt, atque inanis jactantia: quòdſi enim omnes adductos textus perquiramus, liquebit ad oculum, primò: ea omnia præcisè Canonicos Regulares ùt Religioſos, ſeu, proùt Pellizarius notaverat, ùt regulares reſpicere, atque obligare. Secundò his ipsis textibûs potiùs comprobari contrarium, & maximè diſcrimen Canonicorum declarari à Monachis: nam, ſi eadem eſſet ratio Canonicorum in ſpecie infima cum Monachis, ùt quid hi allegati textus ſpeciatim de Monachis loquuntur, iterúmque Canonicos ſuo nomine ſpeciatim nuncupant? niſi quia alioquin ſub nomine Monachorum non veniunt, adeóque jura, dum Canonicos obligare volunt, peculiariter denominant, quô opus non eſſet, ſi Canonici per ſe inter Monachos ſtrictè tales computarentur. Sed brevî Analysî præſtat ipſa allegata capitula diſquirere. Igitur cap. *Præſens Clericus.* eſt decretum Nicolai primi, qui prædedit ab anno 858. ad an. 867. adeóque ſæculô nonô, quòdſi tum prætendat allegatus Author Canonicos ejuſdem ſpeciei fuiſſe cum Monachis, certè habebit tot ſibi refragatores, quot rerum veterum ſcriptores. In hoc capitulo textus irrefragibilis hic eſt. *Non enim putamus (quòd abſit) Canonicos religioſos à ſanctorum Monachorum vita, & conſortio ſejunctos.* Gloſſa ait per Canonicos religioſos intelligendos quidem Canonicos regulares, at eô conſiliô, ut Pontifex velit illud (de quo Capitulum loquitur) Clericum aut fieri Monachum, aut Canonicum, cùm non minùs hic religioſus ſit, quàm ille, & obſervat Guido in hoc Capitulum, verbô: *quia unusquiſque*, per hunc textum Pontificem innuere diſcrimen inter Monachum, & Canonicum, *nam*, inquit, *certum eſt, quod alia eſt regula Monachorum, alia Canonicorum regularium ſecundùm cauſam præcedentem q.* 3. *c.* 1. *&* 2. ex quo habemus, quàm irrefragabilis ſit hic textus pro identica ſpecie Monachi, & Canonici regularis; nempè in una, & ſola generali convenientia inſtituti religioſi fundata, ùt ſæpè notavimus ex irrefragabilibus textibus tam juris, quàm D. D. Cæterùm eruditiſſimis viris diverſitas Canonicos inter, & Monachos tam certa eſt, & obvia, ut Rodericus decretum Concilii Tridentini de ordine ſacro inſignitis activam vocem in Eccleſia regulari habentibus ad ſolos Canonicos regulares inter religioſos extendi docens, hanc cauſam imprimis aſſignet, quòd illa verba, *vel à regulari Eccleſia*, ſolùm in Eccleſiis Canonicorum regularium verificentur, *quæ vocantur propriè Eccleſiæ*, inquit, *prout ait quidam Canon. C. nullus* 19. *q.* 3. dein mox ſubdit ad rem noſtram dicens: *Et in hoc à domibus religioſorum differunt, quæ monaſteria, pia loca, vel religioſa vocantur, ùt ait Paulus de Caſtr. in Auth. ingre. in princ. & hæc eſt una differentia inter Canonicos Regulares, & Monachos inter multas alias* (nota hæc verba qui dicis: quòd *in jure vix ulla probetur*) *quæ colliguntur*

Queſt. Can. & reg. t. 2. q. 5 1. art. 5. Seſſ. 22. c. 4. de reform.

tur per Doctores. Ne verò hanc differentiam quis exiſtimet eſſe inanem, ac frivolam, obſervanda eſt cauſa ejusdem, quam ibidem allegat: ſic ſcribens: *Certum eſt, quòd Ordini Canonicorum Regularium per ſe competit, ut ſint Clerici, ùt docet D. Thomas, & colligitur ex quodam Canone, & ita in principio Monachi non erant Clerici, ùt inquit quædam Gloſſa, Abbas, Innocentius, Calderinus, & probant Archidiaconus, Cardinalis Florentinus, & Sylveſter. Monachus enim non præſupponit Clericatum, nec ſufficientiam, & idoneitatem ad ordines, ùt inquit quidam textus junctâ ſuâ Gloſsâ, ideò omnino Laico poteſt conferri Monachatus, ùt inquit Abbas, ex quibus veriſimiliter colligitur, quòd Concilium Trident. non prohibuit religioſis, ut voce activa non gauderent, niſi ordine ſacro fuerint inſigniti: & licèt in multis æquiparentur Canonici Regulares, & Monachi, quia regula non eſt ſejuncta à ſanctorum Monachorum conſortio, ùt multis juribus junctis ſuis gloſſis probatur, & tradunt Abbas, & Jaſon, & Petrus de Ruberto inter conſilia Federici, & Oldradus. At in hac materia correctoria, & pœnali, non eſt cur verba Concilii loquentia in Eccleſiis Canonicorum Regularium extendantur ad monaſteria Monachorum.* Hæc Rodericus.

Itaque rationem hujus differentiæ figit vir doctiſſimus in Clericatûs eſſentia Canonicis regularibus propria, non Monachis: hoc eſt in fine particulari, quô ſi iſti ab illis præter *alias multas* differentias non diſcrepant, haud video inter omnes religioſos ordines ullum dari ſpecificum diſcrimen. Cùm igitur hæc diverſitas tam certa ſit, ac evidens omnibus jura penitiùs nec lippienti oculô ſcrutantibus, certè textus illi, qui ex oppoſito videntur Monachiſmum cum inſtituto Canonicorum Regularium confundere, ſunt accomodè ad ipſam ſcilicèt ſubſtantiæ religioſæ æqualitatem interpretandi, quod in ſecundo textu cap. *poſt translationem* obſervatur: ubi quamvìs expreſsis terminis habeatur, ideò Joachimum (quem Laymanus Ignatium vocat, neutrum tamen Ughellus in Epiſcopis Sarzanenſibus, ſeu Lunenſibus collocat, quamvìs hujus ipſius Joachimi meminerit in Epiſcopis Faventinis) antea Epiſcopum Lunenſem, dein Canonicum Regularem S. Frigdiani licèt poſtulatum non poſſe ad Epiſcopatum Faventinenſem aſſumi, quòd Conſtantinopolitani Concilii Capitulum videbatur obviare, in quo ſtatutum eſt, *ut quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ locum deſcenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum reſurgat. Unde contra dictum Concilium nullatenùs videbatur eorum poſtulatio admittenda.* Hic caſus ergò, quia emerſit de Canonico Regulari, quorumdam mala intelligentia cauſavit, ut dicerent, ex hoc capitulo clarè innoteſcere Canonicos Regulares eſſe irrefragabiliter Monachos etiam ſtricto jure; dum tamen manifeſtè patet, Innocentium ſoli inhæſiſſe illi principio, quô receptum eſt, ne quis regularem, aut religioſam vitam ob crimen commiſſum ex Epiſcopo profeſſus ad Epiſcopatum aſſumatur, unde ideò in Summa diſſertè dicitur: *Epiſcopus, qui propter crimen renuntiavit Epiſcopatui, & ad* religionem *tranſivit, ad Epiſcopatum reaſſumi non poteſt. Secùs, ſi renuntiavit propter perſecutionem, infirmitatem, defectum ſcientiæ, ſimoniam ipſo ignorante commiſſam, vel aliam ſimilem cauſam.* Ad *religionem* inquit Summa, non ad *Monachiſmum.* Quod univerſim apud omnes Juriſperitos, quotquot plurimos perquisieram, reperi, Religioſos nempe omnes hoc decretum complecti, & per illud, non ſtrictum Monachiſmum, ſed generaliter religioſum ſtatum intelligi: videatur Gloſſa in hoc C. Barboſa, Laymanus, Abbas &c. Quòd ſi igitur ob hoc Capitulum Canonicos Regulares ſpecie identica inter Monachos reputaveris, ratio adverſa allegari nequi-

quibit, cur inde non omnes Clericos regulares ſtrictè Monachos facias, cùm iſtud non ſolos ſtrictè Monachos, Canonicóſque regulares, ſed omnes religioſos obliget.

Cap: *ex parte* Adverſariis evidenter refragatur: nam in eo Innocentius Canonicis Regularibus opinantibus vî ſui inſtituti licere (quamvìs jam ſemper Monachis prohibitum fuerit) tanquam clericis in forenſibus *advocati officium* exercere, interdicit: ſed nunquid ideo, quòd eos inter Monachos Pontifex collocet? minimè certè: hæc ejus clauſula: *conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd idem judicium de Canonicis Regularibus, quod & de Monachis*, quantum ad ſupradicta *credimus obſervandum, licèt de Monachis in Canone ſpecialiter ſit expreſſum.* Cùm ergò exceptio firmet regulam in contrarium, ubi Innocentius ait: *quantùm ad ſupradicta*, innuit differtè ſe in aliis Canonicos eidem judicio, cui Monachos, utpote ab his diverſos non ſubijcere. Quòd verò hac in re idem judicium ferendum aſtruat de Canonicis, quod de Monachis, doctiſſimè advertit Laymanus dicens: *quæ de Monachis in jure ſtatuta reperiuntur, non ob propriam qualitatem ſolitudinis, ſed ob generalem rationem Religionis, per quam à mundo abſtracti, Dei Cultui ſe totos tradiderunt, ea de omnibus ſaltem clauſtralibus Religioſis intelligenda ſunt, ita ſumitur ex hoc C. & notat ſingulariter Abbas hic n. 1. ſæpe enim fit, ut in conſtitutione aliqua ſpecies aliqua præcipua pro genere ponatur, ita ut ob identitatem rationis* (hoc notes velim, ne identitatem rationis cum identitate ſpecifica inſtituti religioſi confundas) *etiam in aliis ſpeciebus locum habere debeat. Quemadmodum in hoc ipſo cap. nomen Abbatis ſumitur pro quocunque Prælato regulari.* Hæc vir iſte clariſſimus, clarè diſcurſu iſto indicans, quàm irrefragabilis ſit hujus capit. textus ad evincendum, *diverſitatem inter Canonicos, & Monachos vix ullam probari.* Unde & in juris Canonici repertorio, ubi Advocatos agere etiam Clericis in minoribus conſtitutis inhibitum eſſe dicitur, hoc ipſum capitulum *ex parte*: citatur; ut appareat, ſicut Canonicis Regularibus, ita & Clericis ipſis ſæcularibus hoc capitulum eſſe decretum.

Vide Repertorium Stögeri titulô advocati, qui eſſe poſſint, verbo Clerici in ſacris &c.

Denique capitulum iſtud, quàm ſiniſtrè adferatur in adverſæ partis ſubſidium, ſolus ſuffecerit Doctor Angelicus, qui, ut probet diverſitatem inter Canonicos Regulares, ac Monachos, hoc ipſum capitulum citat: hæc ejus verba 2. 2. q. 188. art. 2. ad 2. *licèt*, inquit, *eadem ſit ratio de Monachis, & omnibus aliis religioſis quantùm ad eſſentialia vota religionis, tamen ſi attendatur decretalis* de poſtulando, *diverſum judicium ferendum eſt de* Canonicis *Regularibus, ac de Monachis.*

Capitula *ad noſtram*: & *porrecta*: incongruè citantur ad propoſitum, nam, dum ibidem de Canonicis ſtatuitur, ut confirmatio à Regularibus ſuper temporali adminiſtratione etiam à Papa impetrata (ſuppreſſo regularitatis nomine in ſupplici) nulla ſit, id ſic de regularibus omnibus decernitur, ut ne nomen Monachi memoretur: ùt patet ex omnium Doctorum ſenſu. Idem de capitulo *de Regularibus* ſentiendum: ſcilicèt eundem reſpectum haberi Canonicorum Regularium cum Monachis in iis, quæ ſub ſtatûs religioſi ratione in jure ſtatuuntur de Religioſis omnibus in commune viventibus, niſi ſpecialia obſtent, ùt ſuperiùs advertimus, & apud Laymanum eſt reperire, dum conſultò cavet: *ſecùs dicendum eſſe de iis, quæ de Monachis decreta ſunt, ob ſpeciale eorum inſtitutum, quo à Regularibus Canonicis diſtinquuntur. Videlicet ut magis vitæ contemplativæ, & ſtrictiori Diſciplinæ addicti ſint.*

In 3. decret. C. quod Dei timorem ſummar. n. 3.

Ex quibus denique patet etiam reſponſio, atquè explanatio ultimi adducti capituli Extravag. tit. 8. de regular. *viam ambitioſæ* C. 1. neque

que

Digitized by Google

que enim ibidem alius ſenſus, aliúdque jus, qùam in citatis erui poteſt, ubi Martinus quartus mendicantibus univerſis viam præcludit, convolare *ad religionem non mendicantium*, prout diſſertè hujus capiculi titulus, ac ſumma dicit, & patet ex gloſſa. Porrò hinc conſpicimus illam textuum irrefragibilitatem, quam ex Gonzalez pars adverſa prætendit. Neque juvat dicere praxim hodiernam, & ſtylum curiæ Romanæ hanc identicam rationem Canonicorum cum Monachis confirmare, quô Monachi prædicatum Canonicis Regularibus ſolet adjungi, licèt omittatur in aliis expeditionibus ad alios clericales ordines. Hæc enim ipſa aſſeruntur quidem, ſed nullô argumentô probantur, & quamvis id admittamus, certum eſt, Curiam Romanam inhærere ſtylo ſemper veteri, & aſſumere (quantum materiæ præfixæ expeditio patitur) methodum ſcribendi antiquam, ipsíſque verbis planè in Jure olim receptis uti. Unde facilè diſcrimen apparet, cur in litteris ad clericales ordines reliquos datis, eadem curia Monachi nomen non memorat, ſecùs in aliis ad Canonicos Regulares directis: quotquot enim præter hos aſſignaveris, recentiores ſunt, ad quos, cùm veteris ſtyli norma nulla exſtet, recentiori modô ſcribendum erat, intereà tamen ineluctabili manente omnium Doctorum ſuffragiô, non ſolos Canonicos Regulares, ſed etiam reliquos Clericos Religioſos *nomine Monachi* venire, in iis quæ ſtatum religioſum in communi attingunt. Prætereà ſicut fortè allegari, quod aſſeritur, poteſt, ſic ex oppoſito proſtant Bullæ ſummorum Pontificum tam dilucidè inter Clericos genuinos recenſentes Canonicos Regulares, ut ne una adferri valeat, quæ eodem ſtylô, eâdem ſententiâ, ac denique æqua paritate inter genuinos Clericos, Monachos collocet. Nobis difficile non eſſet teſtimonia hujus aſſerti noſtri peculiariter producere, ſi expedire judicaremus paginas has re omnibus eruditis aliundè perſpectâ, & patulâ ex Bullis Eugenii quarti, & quinti, Innocentii tertii, &c. depromptâ, inutili penè labore implere. Quare ſuffecerit ſolùm horum hìc memoriam feciſſe, & invincibilibûs argumentis monſtrâſſe, ſeu veterî, ſeu recenti ſtylô Canonicis Regularibus Monachi nomen attributum repereris, plus inde ſanô, atque juribus accomodatô judiciô te non collecturum, aut probaturum, niſi Canonicos Regulares, ſub generali religioſorum nomine etiam Monachi nuncupationem, obligationemque capeſſere.

Atque ex his omnibus tandem elucet, ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini, per accidentia illa, in ſubſidium firmandæ demùm ſtabili ſucceſſu reformationis aſſumpta, neutiquam ſpeciem Monachilem induiſſe, neque cenſeri poſſe ejuſdem, cum Monaſtico inſtituto ſtrictè ſumpto, ſpeciei, ſed ſicut illum ſummi Pontifices, omnes à partium ſtudio expediti ſcriptores, Doctoréſque Clariſſimi, genuinè clericalem, & ex eſſentia ſua diverſum ſemper à Monachiſmo cenſuêre, ita ipſi quoque Canonici Regulares S. Auguſtini, prout à primæva inſtitutione ſua continua ſucceſſione deſcendentes, tanquam veri, ac genuini clerici, & penitùs à Monachis (ùt ſpeciem certam, infimámque ordinis religioſi conſtituentibus) diſtincti habendi ſunt, atque ſuſpiciendi. Dixi *à Monachis diſtincti, ùt ſpeciem certam ordinis conſtituunt*. Ne ſcilicet inſtitutum noſtrum omninò ab omni Monachiſmo exorbitare incautus aſſererem. Sicut enim illud tanquam veritati, ordiníque noſtro diſſonum adſtrui nunquam poſſe, hactenùs demonſtravimus, ſic ſimul ex adductis argumentis inſtruimur, iſtud negari nequaquam poſſe, quamdiu ſcilicet, ille vigor, illáque obſervantia in ordine noſtro floruerit, ut ſe ab

9. *Nulla ſtrictior obſervantia Canonicos Regulares ad Monachiſmum, ùt oppoſitum Clericatui, transfert: at laxata habena propè manifeſtum periculum eſt ad ſecularitatem.*

ab antiquiſſimo inſtituto votivo-clericali deſcendere per continuam propagationem, & illibatam primæ Diſciplinæ Regularis conſervationem ex teſtimoniis, & argumentis evidenter productis poſſit gloriari.

Unde hîs omnibûs accurratè perpensîs, & diſcrepantiâ Canonicos Regulares, inter atque Monachos ad trutinam examinatâ, manet certa illa, atque inconvulſa aſſertio, eoſdem noſtrates Canonicos, Clericos licèt genuinos, atque ex inſtituto ſuo, tamdiu Monachiſmum à ſe penitùs abrogare nequidquam poſſe, quamdiu ſe votivæ vitæ ſectatores profitebuntur, & regularis diſciplinæ cultores: aſt neutiquam ideò, quaſi Monachiſmus vitam votivam ex eſſentia ſua importet, hoc enim inaniter, ac frivolè aſſereremus, cùm conſtet, Monachos multos fuiſſe, quamvis nec regulam, nec Conſilia Evangelica votivè profiterentur, ac primitùs, ſeu originariè per Monachum, non denotatum fuiſſe hominem religioſum, ſed ſolitarium, ac à mundi curis utcunque abſtractum, neque hæc ſolitudo tam preſsè requirebat ſeparationem corporalem (qualis potiùs eremiticæ, vel anachoreticæ vitæ propria erat) ſed quamdam ſolitudinem in unitate ſpirituali, id eſt, fraterna Charitate firmatam, prout eam adductus alibi S. Auguſtinus deſcripſit. Unde & Cænobitæ vocari ſolebant Monachi, parúmque intererat hoc ſignificandi modo etiam clericos Monachi nomine inſignire, præcipuè, cùm paſſim etiam tempore Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, occidentalis Eccleſia doceret Monachos ad imitationem orientalium ex Baſilii præſcripto contemptum terrenorum votô profiteri: verùm quomodocúnque talis votivus Monachus ſolus eſſe dicebatur, expoſcebat vi ſui inſtituti, ut ſuæ ſolùm ſaluti incumberet, & quæ alienam attingeret, illis curandam relinqueret, qui Clericatui deputabantur, quæ omnia ex hactenùs dictis manifeſta ſunt. Hinc Monachi nomen ideò, vel maximè ad clericos quoque votivos non rarò ſignandos translatum eſt, quòd & iſti in unitate viverent, terrena contemnerent, ac demum, cùm Monachi maximo niſu præcipuè quintô, ſextóque ſæculô votis, ſeu Evangelicis Conſiliis profitendis, ac obſervandis inſiſterent, ubi in comparatione eorum clerici perpauci hanc vitam, ſaltem tam ſtrictè, & cautè cuſtodirent, Monachiſmus tum paſſim ad ſignificandam vitam votivam, & religioſam aſſumptus eſt. Neque jam ſuos clericos Auguſtinus ab hoc nomine eximere voluit, cùm dixit: *quare non appellemus nos Monachos, cùm dicat Pſalmus, ecce quàm bonum &c.* atque ſub hac nominis notatione, næ ego injurius in omnem ſtatum religioſum ſum, ipſúmque inſtitutum meum, ſi illud à Monachiſmo, fratréſque meos à Monachi appellatione vindicare præſumam, ut aſſerere exinde cogar, nullos Clericos, aut unquam antea, aut hucusque religiosè, regulariterqúe vixiſſe? quia enim *clam non eſt*, ut inquit Concilium Colonienſe, à nobis aliàs citatum, *Canonicorum primam Originem Monaſticæ diſciplinæ* (hoc eſt regularis, ac votivæ) *fuiſſe*, hominis ignorantis eſſet, imò vitæ religioſæ oſoris, qui, ubi ſe Canonicum Regularem profitetur, hac ratione tamen à Monacho penitùs diſtare ediceret: *neque credatis*, inquit ad ſuos Canonicos Nicolaus Cuſanus, *multum inter vos, & Monachos differre: nam una fuit conſideratio Sanctorum, quòd in abdicatione proprietatis rerum mundi, in mortificatione carnis, atque in reſignatione libertatis arbitrii conſiſteret receſſus de hoc mundo, ut Deo adhærere in ſpiritu poſſent.* Hinc Hugo noſter Victorinus, dum de religioſorum abuſionibus quibuſdam agit: ac inter reliquas pro quintà in eos invehitur, qui ſæcularium hominum conſortia diligunt, & ſe Conciliis Principum, atque nobilium libenter in-

In Pſ. 131.

L. 3. ſerm. accepiſtis.

L. 2. de clauſtro anim. c. 16. in princip.

ingerunt, quos uno nomine curiales nuncupat, hæc eruditè, ac ſanctè ſcribit: *quoniam*, ait, *de curiali Monacho pauca dicturi ſumus, notandum fateor, ut de Canonico, ſeu converſo curiali eadem ſentiamus. Licèt enim diverſus ſit habitus, idem tamen debet eſſe religionis affectus, ut non affectent veſtibûs placere, ſed moribûs.* Nihil omninò inter Monachum, & Canonicum Regularem differt, ſi morum requiſitam pietatem, converſationis modeſtiam, votorum obſervantiam attendas, utrobíque æqualis eſt ſupremo Regi nuncupata promiſſio, æquale vinculum, & utrobíque quoad religionis ſubſtantiam exſpectandum, aut violati juramenti ſupplicium, aut ex illo obſervato præmium meritorum.

Scio quidem, ſicut diſcrimen per ſe eſt Canonici à Monacho, ſic fortaſsè ex majori, minoríve obligatione ſanctitatis Monachilem ſtatum jam olim æſtimatum fuiſſe perfectionis majoris, unde Helmoldus ſæculi duodecimi ſcriptor agens de Epiſcopis Raceburgenſibus, dum narrat Evermundo ſucceſſiſſe Iſfridnm Canonicum Regularem. *Succeſſit*, inquit, *Iſfridus priùs quidem Præpoſitus in Jerechovve, vir magnæ religionis, quia in eadem præpoſitura non ùt Canonicus, ſed ùt Monachus vixerat. Quod tamen in pace Canonicorum Regularium dixerim; quia quamvìs plerique Canonicorum ſanè, & juſtè vivant, Monachus nomen eſt ſummæ ſanctitatis, & huic nomini nihil perfectionis deeſſe debet: ſed hoc paucorum eſt. Inde eſt, quòd ſæculares ignorantes diſcretionem Ordinis Monachorum, & Canonicorum Regularium ipſos Canonicos Monachos appellare conſueverunt.* Verùm non in hoc diſcrimen quiſpiam ponendum exiſtimet, eadem enim via perfectionis (quæ in Monacho intenditur, imò, quæ à Monacho exigitur) in Canonico Regulari quaſi ſupponitur, non tam pænitentiæ, quàm innocentiæ prærogativâ, ùt docent Canones: hinc neutiquam Canonicus ſibi blandiri de liberiori vita

Chron. ſclav. apud Leibuit. t. 2. f. 642. L. 2. c. 26.

poteſt, *eò quòd regulæ inſerviat laxiori*, ùt inquiebat Innocentius Papa. Obſervandum namque eſt, quid ſummus Pontifex per hanc intellexerit *laxitatem*; ſcilicèt non eam, quam quidam Libertini interpretantur, effrænem, diſſolutam quidquid agendi poteſtatem, ſed eam diſcretionem, qua in omnibus mediam viam religioſæ diſciplinæ amplectendæ regula proponit, ſícque reſpectu rigoris, ac arctitudinis majoris ab aliis tribus regulis præſcriptæ hæc laxior, id eſt, moderatior eſt, atque indulgentior. Laxitas enim juxta Canoniſtas idem eſt, ac *opportunior*, & *commodior* agendi ratio, ùt habetur apud Archidiac. cap. ſi quem de procur. L. 6. hinc peſſimè ſibi conſulit, qui ex regulæ diſcretione viam laxitatis parat, & mundanæ converſationis: legendus hac in re Hugo noſter Victorinus, Joannes Trullus, Simon Berlinus, & ex noviſſimis Philippus Picinellus Abbas Generalis Congreg. Lateran. apud quos reperietur, quàm ſanctè, regulariter, & ſecundùm vulgarem loquendi modum etiam monaſticè cuique Canonico Regulari vî regulæ ſuæ ſit vivendum: nam, ùt inquit mox dictus Picinellus, in *Auguſtini regula excellenter delineatæ viſuntur religioſæ virtutes, & exemplar abſolutæ perfectionis illic olivis coronata apparet pax, & concordia*: **unanimes habitetis in domo:** *illic Apoſtolica paupertas longiſſimè à compendiis ſæculi, & ſordibus vanitatum remota emicat &c.* unde & Mauburnus noſter Aſceticæ, & Canonicæ diſciplinæ dignoſcendæ Magiſter eximius omnem poſſibilem diſciplinam regularem docens ſuos Canonicos, eíſque commendans, illud denique ait: *Diſciplina eſt converſatio bona, & honeſta, cui parum eſt, non mala facere, ſed ſtudet etiam in his, quæ benè agit, per cuncta irreprehenſibilis apparere, ut fiat illud beatiſſimi Patris Auguſtini, ut in inceſſu, ſtatu, habitu, & omnibus moribus*

ribus

Cap. quod Dei timorem de St. Mon. & Can. Reg.

Roſet ſpir. p 1. diſt. 1. cap 4. per tot. §. 13

bus nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod deceat Canonicam ſanctitatem. Hæc (quam à nobis magnus Auguſtinus expoſcit) ſanctitas iiſdem fundamentis firmatur, eadem diſciplina erigitur, quâ & ſanctitas Monachorum, nihil in hac ab eorum obligatione ſejungimur, qui non minùs, quàm illi, religioſi, id eſt, Deo religati ſumus, nam ùt inquit Odo noſter:

Spicil. Dach. t. 3 f. 531. ep. 4.

Si noſtrum nomen, & habitum conſulamus, non benè convenit vocari regularem Canonicum, & verbis, & operibùs illicitis diſtortum, non unquam benè concordat caput raſum, & cor ſuperbum, cappa religioſa, & lingua litigioſa: parùm proſunt ea, quæ foris ſunt humilitatis indicia, ſi intùs in mente dominatur ſuperbia: parùm prodeſt, in modum pænitentis caligas truncatas habere, & de perpetratis malis nullum dolorem pænitentis ſentire, parùm prodeſt, quòd corona in capite dilatetur, ſi in corde refrigeſcens charitas coarctatur: parùm prodeſt, alta tonſura, ſi non tenetur in ſermone menſura. Igitur noſtrum exteriorem habitum attendamus, & quid nobis admoneat intendamus. Sic Odo. At tu forſan reponis, hæc ipſa omnia dicta ordinis, maximè quæ veſtitum concernunt, Monachiſmum olere; cùm paſſim jam apud Canonicos, & cappæ illæ, & dilatatæ tonſuræ ideò ſuperiorum qnoque ordinatione non ſolùm abolitæ ſint, verùm & veſtitus honeſtior, & inceſſus pollitior, & tonſuræ illius locò capillorum fictorum invaluerit uſus, & qui Canonici, ſe minùs civilitati modernæ in remiſſione diſciplinæ accomodant, jure inde inter Monachos fore computandos. Verùm ſi iſta ſolidiùs ruminentur, dudum experimur, neminem adhuc è noſtris ideò, quòd, ſæcularibus moribus ſua converſatione propior, imo ne integrum monaſterium (ſi, quas neſcio laxitates admiſit, & tantum non omninò, ſaltem ſpecie tenùs, votorum profeſſionem in ſuis neglexit, atque inter Clericorum ſæcularium collegia computatum eſt) à viris doctis Monachiſmô fuiſſe abſolutum: quin ſemper adverteram, ut jam antea notavi, diſciplinæ obſervantiam quibuſque ſcriptoribus nullum planè offenſionis lapidem exſtitiſſe, ut ob eam nobis clericatûs prærogativas, juráque abnegarent. Prætereà, dum fortaſſe etiam ab imperitis ſæcularibus, tales Canonici veſtitu mundano ſe ornantes, clauſtrum effugientes, & mundanæ diu, noctúque converſationi adhærentes, à Monachiſmo alieni quidem (tanquam prærogativæ causâ, ſed ſat ludicræ) cenſentur: à prudentioribus intereà, maximè poſt tergum, effrænes, & religioſi ſtatûs prævaricatores culpentur. Nam ſi verum eſt, quod idem præfatus Odo etiam *ad diſciplinatos Canonicos* ait: *oculos detrectatorum vitioſè, & malitioſè frequenter reſpicere, & ad ipſos diligenter, ſed non causâ dilectionis intendere, opera non ad imitandum, ſed ad lacerandum conſiderare, verba eorum non causâ ædificationis, ſed potiùs causâ detractionis auſcultare, & ſi in eis aliquid reprehenſibile viderint, exultantes, & inſultantes deridendô, & ſubſannandô blaſphemare*: quantò magis de talibus ejuſdem Ordinis verba audientur, quæ ille mox ſubjungit: *videte quales Regulares Canonici, videte quantùm ſint cupidi, quantùm ſuperbi, quàm iracundi, quàm invidi. Ecce Regularis ille cupidè aliena diripuit, ecce illi contumelioſa verba reſpondit, ecce non ſolùm cum extraneo, ſed & cum fratre ſuo litigium habuit.* Si, inquam, verum eſt, hæc, ſimiliáque judicia in innocentes, aut ſaltem innocentiam religioſam tueri volentes, & ex ſola fragilitate labentes à ſæcularibus ferri, an ab obtrectationibus illos liberos opinabimur, quos totus mundus manibûs palpare poteſt ab inſtituti ſui ratione vanô evitandi Monachiſmi effugiô, reipſa autem vetitæ libertatis, ac aſſuetæ temeritatis causâ deſciſcere, & ad eos mores ſæculares declinare quos in ipſis Laicis Chriſtianis dignum

num

Digitized by Google

num eſt reprehendere. Et quid quæſo, in tutamen noſtræ perverſitatis ſuperiorum ordinationem, atque licentiam nobis arrogamus? quaſi nempe Canonum decreta, votorum obligationes, regulæ denique præcepta non palàm oſtenderent, neque ſuperiorum jus, authoritatémque tam alti Dominii eſſe, & abſolutæ potentiæ, ut quod in vinculi regularis diſſolutionem, & Profeſſionis religioſæ violationem cedit, unquam ab iis ſine gravi noxa concedi poſſit, aut diſponi: unde Concilium Trident. adhortans ſuperiores religionum omnium, ait: omnis cura, & diligentia à ſuperioribus adhibeatur - - - *ut ab illis* (*quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem ùt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi qua alia ſunt alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervandum pertinentia ſunt*) *non recedatur; cùm compertum ſit ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſis ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata; totum corruat ædificium, neceſſe eſt.* Neque unquam metuendum, Canonicum Ordinem noſtrum è nativo ſuo Clericatu in Monachiſmum dilapſurum eorum judiciô, quorum intereſt cujusvis inſtituti rationem, finem, ac prærogativas in antiquitate originis ſuæ tueri, ſi in hoc ſolùm aut monachi habeamur, aut ſimus, quòd Monachorum Chariſmata meliora æmulantes diſciplinam regularem etiam ad illorum æqualitatem ſectemur. Etenim monet Aquisgranenſe Concilium: *Ut ſanctorum Patrum ſententias, quibus Clericalis ordo ad benè vivendum inſtruitur, ſedulè perlegat, & diligenter pertractet, quiſquis Canonicam profeſſus eſt vitam. Quas, cùm bene perſcrutatus fuerit, patenter inveniet, quòd illi non enervatè, ſed religioſè vivendum ſit.* Religioſè, inquam, quæ vita, quia tum ipſorum Canonum calculô, tum communi SS. Patrum, Doctorúmque uſu *monaſtica* dici ſolet, ſicut ea omnibus Canonicis regularibus, ac ipſis Monachis, Religioſiſque univerſis præcipitur, ſic à quovis Canonico regulari ſine ullo unquam ſui clericalis inſtituti à ſtricto Monachiſmo penitùs diſcreti præjudiciô ambobûs brachiis ſecurè complectenda ſuadetur, atque conſervanda.

Seſſ. 25. c. 1.

C. 113. ad calcem Auguſtinianæ Regulæ

CAPUT VI.

An aliquod notorium diſcrimen adferri poſſit, quô Canonici regulares à ſæculo undecimo ſpecie diſtincti habendi ſint à Canonicis prioris ævi.

MUlta hactenùs produximus, quæ Canonicorum Regularium exordium, non ſæculo undecimo, ſed antiquiſſimis, iíſque Apoſtolicis temporibus, ponderoſis vindicârunt argumentis; ſed necdum ab iis omnibus difficultatibus nos eliberavimus, quas tot ſæculorum evolutorum viciſſitudines generare potuerunt, ut illis, quaſi quibûsdam repagulis expediti viam planam in declaranda identica propagatione nanciſci valeamus, hinc dignum cenſui earum ſaltem præcipuas, quæ apponi, à quacunque demum adverſante parte poſſunt, retexere, & poſſibili explanatione, enodare.

Primum igitur, quod inter Canonicos quamvis Regulares ſæculô undecimô antiquiores, & alios eôdem recentiores diſcrimen indicare videtur, eſt votum ſolenne, quô iſti adeò illigantur, ut, teſte Navarrô, ad conſtituendum religioſum requiratur: hinc, cùm hæc votorum ſolemnitas ante ſæculum undecimum nullatenùs apud Canonicos, quamvis dictos Regulares, viguerit, alia certè modernorum ab iis afferenda ſpecies apparebit.

1. *Voti ſolemnitas vel ſimplicitas nil faciunt ad ſpecificandum inſtit. relig.* Comment. 1. de regul. n. 18. §. vigeſimum tertium, quod ad &c.

Huic difficultati obviavimus ſe-
cundùm potiorem partem, dum de
votis priſtinorum Clericorum di-
ſputavimus, quæ ideò recolenda
erunt: intereà adiicimus, ſolenni-
tatem votorum dupliciter conſide-
rari poſſe, ſubſtantialem ſcilicet, &
accidentalem; illam diverſimodè
conſtitui, Authores tradunt, qui-
dam, ùt Pellizarius, aliíque eam fun-
dant in ipſa profeſſione emiſſa
cum certis ceremoniis, ac ſolennita-
tibus in religione approbata, quæ
profeſſio ſimul conjuncta habeat
votorum eſſentialium nuncupatio-
nem. Alii. Bonacina, Caſtropa-
lao, & noviſſimè clariſſimus Au-
guſtinus Michel cum communi
eam conſiſtere ajunt in duplici ef-
fectu juris, ſcilicèt in *indiſſolubilita-
te*, & *inhabilitate*. Cùm econtrà
vota ſimplicia hunc neutrum juris
effectum ſortiantur: huic ſenten-
tiæ tanquam communi nos ſuperi-
ùs ſubſcripſimus, Accidentalis ſo-
lennitas, juxta omnes, conſiſtit in
illa ſolennitate extrinſeca, & pub-
lica acceptatione Eccleſiæ; ſoleni-
tatem votis clericalibus fuiſſe à prin-
cipio Eccleſiæ ſuô modô annexam
facilè eſſet probare, ſi hac in re tan-
tô dubiô urgeremur, cùm certum
ſit nuncupationem expreſſam voti
ſaltem caſtitatis, & ſtabilitatis, ſive
obedientiæ ab ipſis Eccleſiæ pri-
mordiis publicè, & in facie Eccleſiæ,
corámque Epiſcopo fieri conſue-
viſſe, de qua re latè Thomaſſinus
in ſua veteri, nováque Eccleſiæ diſ-
ciplina, at ſolemnitatem eſſentia-
lem, ſicut poſterioribûs tempori-
bûs inductam, ita non eſſe religio-
ſo ſtatui eſſentialem, indubita-
tum videtur, hincque non convin-
cit Navarrus, dum ait, vitam re-
ligioſam ſolennitate conſtitui vo-
torum, neque enim ipſe difficul-
tatem reſolvit tum cit. loc. n. 19.
v. dixi. tum in Conſil. regul. 49.
n. 4. cur ſummus Pontifex decla-
raverit Scholaſticos Societ. verè eſ-
ſe religioſos, quamvis vota non niſi
ſimplicia emittant. Certum enim,
ſummum Pontificem ſine lege non
locuturum; niſi eidem comper-
tum fuiſſet religionem ſubſiſtere,
& talem eſſe poſſe cum votis me-
rè ſimplicibus, nunquam id in ſo-
cietate aſſeveràſſet. Solennitas enim,
ùt aliàs diximus, & ex jure con-
ſtat cap. unico de voto in 6. ex
ſola inſtitutione Eccleſiæ eſt inven-
ta, conſtátque de Monachis tan-
quam certum; eos, dum veri re-
ligioſi eſſent, necdum tamen ſo-
lennitatem hanc ſuis religioſis vo-
tis adjectam habuiſſe: quis enim ea
aſſerat in S. Benedicto, S. Mauro,
aliíſque? nemo tamen ſapienter ne-
gaverit, ideò religioſos non fuiſſe:
quamvìs ergo ex moderna Eccleſiæ
ordinatione, exceptâ præfatâ So-
cietate, religio non agnoſcatur ſine
ſolennitate votorum, talem tamen
exſtitiſſe etiam diù in ipſis Canoni-
cis regularibus S. Auguſtini in com-
perto habemus, & licèt id factum
non fuiſſet, demonſtro tamen inc-
luctabilî argumentô Canonicos re-
gulares S. Auguſtini, etiam prout
ſolennibus votis emittendis adſtri-
ctos, nec ſpecie infima diſtinctos
eſſe à Canonicis ſola ſimplicitate
votorum ſe Deo ſacrantibus. Cer-
tum eſt, & nos idipſum ex antedi-
ctis ſupponimus, differentiam ſpe-
cificam compoſitorum moralium
deſumendam eſſe à merito obje-
ctivo diſtinctionis moralis, ſed in-
ter Canonicos ſimplici voto, &
Canonicos ſolenni adſtrictos nul-
lum intercedit meritum objecti-
vum ex ſimplicitate, & ſolennita-
te votorum deſumptum, ob quod
illi involverent inter ſe differentiam
ſpecificam, ergò iſti ab aliis ob di-
verſitatem ſolennitatis & ſimplici-
tatis votorum nec in ſpecie infima
diſcernuntur. Quòdſi enim ex hac
diverſitate per ſimplicitatem, &
ſolennitatem votorum reſultante
meritum objectivum cauſare poſ-
ſet inter geminos Canonicos regu-
lares ſpecificam differentiam, ea
fundaretur in ſpecifica diverſitate
voti ſolennis, & ſimplicis, ſed ſim-
plicitas, & ſolennitas votorum ne
quidem inter ſe ipſas ſpecie diffe-
runt,

De vot. relig. tr. 4. c. 1. ſect. 1. n. 11.

Theolog. Can. mor P. 1. ſect 3 punct 3. n. 17.

Digitized by Google

runt', ſed ſolùm accidentaliter, & ex inſtitutione Eccleſiæ, ùt habetur in cap. *rurſus*. Docétque Hyacinthus donatus, eò quòd liqueat, *cùm ſimplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm ſolenne pro eo, quòd juravit temerè, pænitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare* ùt ait Canon. prætereà differentia ſpecifica compoſitorum debet ſumi à diverſitate principii pro diverſitate temporum, aut locorum diverſas partes eſſentiales exigentis, hinc ſi idem principium exigeret partes eſſentiales diverſas pro diverſitate temporum, & locorum, illæ diverſæ partes non arguerent differentiam ſpecificam: rursùm, ſi idem principium non exigeret quidem diverſas tales partes, illæ tamen pro diverſitate locorum, & temporum accidentibus ſpeciem non immutantibus efficerentur, neque tunc differentia ſpecifica orire-tur, hoc autem fit per ipſam votorum ſolennitatem, utpotè, quæ ſolùm accidentaliter votis adveniens in ipſa quoad ſpeciem ſuam nihil immutat, alióquin ſequeretur Monachos S. Benedicti poſtremi ævi ſpecie eſſe diſtinctos ab iiſdem Monachis medii ævi; inſuper, & in ipſa Societate JEſu dari duplicem inſtituti ejuſdem ſpeciem, utpotè inter ipſos Scholaſticos, & Profeſſos ſolenniter ejuſdem Societatis. Adde his, quæ ſuperiùs de ſimplicitate votorum diſcurrimus, & argumentationem habebis dilucidam, atque perfectam. Nihil itaque ad imutationem ſpeciei infimæ conferre poteſt votorum ſeu ſimplicitas, ſeu ſolennitas, cùm ipſi inſtituto per ſe, & ſecundùm ſuam exigentiam hæc planè accidat. Si enim illa ſola conſtitueret ſtatum religioſum in ſuo eſſe, prætereà autem ſtante, eam ex ſola inſtitutione Eccleſiæ invectam eſſe, ſequeretur neceſſariò hunc quoad ſuam ſubſtantiam inventum non eſſe divinum, ex eo, quòd Chriſtus principale quid intermiſiſſet, ſcilicèt ſolennitatem. Neque dicas, nec ipſam ſimplicitatem voti à Chriſto determinatam fuiſſe: dico enim illam certò quoad ſubſtantiam decretam fuiſſe (licèt non quoad modum) in quantum nempe vota religioſa ad hoc, ut religioſum ſtatum conſtituant, oportet neceſſariò eſſe ſaltem ſimplicia, ùt per ſe manifeſtum eſt. At ſolennitas illa, ſicut nec quoad ſubſtantiam, nec quoad modum, nec quoad nomen tempore Apoſtolorum, aut cognita fuit, aut uſitata, utpotè, quòd teſtante Bonifacio Papa voti ſolennitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, ita ad ſtatum religioſum ſimpliciter conſtituendum eam fuiſſe requiſitam nunquam dici poteſt. Hæc obſervanda cuperemus ab iis, qui priſtina tempora ex modernis ponderant, quibus recolendum eſt cap. penult. de conſecr. ubi dicitur: *juxta varietatem temporum, jura variari.*

Hyac. Don. de ſta. Rel in Com. t. 1. q. 9. n. 1.

Cap. unic. de vot & vot red. L. 3. decr. tit. 14.

L. 2. c. 16.

2\. Nec Dominii plena per paupertatem votivam, ſolenémque abrogatio, nec uſus rerum diverſitas, nec eam, reliquaque vota vo. endi nova forma ſpeciem immutare valent.

Secundum diſcrimen inter Canonicos Regulares modernos, & veteres ſeu prioris ævi, adſtruitur in ipſa paupertate votiva, ſpecie, ùt præfertur, diverſam normam, & quidem tripliciter ſibi obtinente. Primò in dominio: ſecundò in uſu: tertiò in forma vovendi. In dominio prætenditur à parte adverſa diſparitas, quòd modernis Canonicis illud per votivam paupertatem omninò tollatur, ſecùs ad veteres: in uſu verò, quòd idem his plenè fuerit conceſſus, cùm modernis ſit planè reſtrictus: ac denique in forma vovendi, quæ ante ſæculum ſaltem decimum ne quidem apud ullum Canonicum, vel Clericum uſu erat recepta.

Ad hæc diſcrimina ordine reſpondeo, primúmque in dominio rerum fundatum dico, nunquam apud omnes Canonicos tale fuiſſe, ſi ſtrictè ſumatur: quòd ſi ita? ut per illud non excludatur capacitas rei poſſidendæ, diſponendæ, ordinandæ, donandæ &c. attamen dependenter à ſuperioris voluntate, privétque poteſtate à Prælato independenter rebus tan-

Digitized by Google

quam propriis utendi, habeo, quod quæro; talem enim paupertatem multos voviſſe, & cuſtodiiſſe, in priori parte probavimus, quamvis nunquam abnuamus, ſemper Eccleſiam aluiſſe etiam Clericos ſine paupertatis voto viventes. Omnes igitur quatuor paupertatis gradus ex Suario aſſerti requirebant à voluntate ſuperioris dependentiam, & qui ultimô obligabantur, quamvis laxiſſimô, tum uſum rerum, tum poteſtatem habebant cum reſpectu ad ſuperiorem ſuum. Quòdſi verò modernis temporibûs teſte Pelizar. eſſentia voti paupertatis (non obſtantibûs reformationibûs iteratis) capacitatem hanc dominii non excludit, cur eam in Canonicis antiquis deſideremus? igitur in hoc prætenſo diſcrimine nullum firmatur diſcrimen. Certum enim eſt, quamvis fortaſſe pauci, aut nulli poſt Concilium Tridentinum reperiantur Canonici Regulares, qui hôc modô velut antiqui votum ſignatè paupertatis depromant: ſcilicet cum conditione capacitatis dominii retinendæ; attamen id fieri poſſe, & factum eſſe diù poſt ſæculum undecimum, duodecimúmque jam aliàs oſtendimus. Quòd ſi verò mox declaratum à nobis eſt, ſolennitatem, & ſimplicitatem votivam nihil in ſpecie infima immutare poſſe; etiam hæc capacitas, vel incapacitas dominii ſalvâ votivæ paupertatis ſubſtantiâ nullam in ſpeciem infimam Canon. regul. inducet diſcrepantiam. Unde ad ſecundum devenientes diſcrimen quoad uſum rerum, ne minimam reperio latere difficultatem; uſus iſte apud hodiernos Canonicos Regulares (quos totus eruditus mundus ejuſdem ſpeciei infimæ agnoſcit) adeò tamen diverſus eſt, ut in quibuſdam collegiis priſtinum omnimodis adæquet, hujus teſtimonium aſſerti, qui dilucidè cupit, adeat Navarrum noſtrum, apud quem reperiet, quis uſus rerum Canonicis regularibus Hiſpaniæ ſit ſolitus, imò non ſolùm Canonicis, ſed & ipſis Monachis, ita quidem, ut (verba ipſius admetior) *certa portio panis, vini, & reliquorum neceſſariorum pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro veſtitu, iis diſtribuatur, alibi per portiunculas quotidianas, alibi per portiones menſtruas, vel annuas, ita, quòd nil ultra teneantur eis Eccleſia, & Monaſteria ob ullam neceſſitatem tribuere, nec contra ipſi teneantur eis reſidua reddere, ſed ſuô comodô vel damnô ea reſervent, vel inſumant, modò nil profanè impendant, & reſidua in uſus pios convertant.* Hic modus vivendi, conceſsúſque rerum uſus, neſcio, an diſpar argui poſſit à modo veterum Canonicorum? ut adeò hæc una inſtantia ad totum allegatum diſcrimen ſubvertendum ſufficiat. Addamus tamen ex abundanti, quid etiam in modernis tum Canonicis, tum Monachis, tum qualibuſcunque religioſis non medicantibus uſus admittat? Docet id Doctiſſimus Pelizarius tota quæſtione ſecunda diſſertè de Canonicis Regularibus diſcurrens. Nos id, quod ad præſens negotium præcipuum eſt proferamus: ſcilicèt, an non obſtante decreto Conciiii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 2. de regul. inhibente, ne ulli regularium liceat bona immobilia, cujuſcunque qualitatis fuerint, tanquam propria poſſidere, vel tenere &c. an inquam Canonicus Regularis, cui externus amicus, Conſanguineus, vel quiſcunque dedit centum aureos ad ſuum libitum expendendos, poſſit ex licentia Superioris ſui eos tradere alicui ſæculari, ut cenſum, ſeu prout vocamus, intereſſe, ſibi quot annis ſolvat, dum vixerit, ipsóque Religioſô defunctô, ſæcularis hos aureos ſibi retineat? Quæſtionem habemus pro Religioſo Canonico quoad uſum (certè ſi affirmativè ſequatur) laxum ſatis, & haud diſtinctum à veterum Canonicorum hunc uſum eſſe, concedere oportebit, ùt patet conſideranti. Igitur Pellizarius reſpondet, & ait, *poſſe*, ſi centum illi aurei ita conceſſi ſint, ut concedens no-

T. 1. tr. 4. c. 2. ſect. 1. n. 17.

Comment. 3. de regul. n. 25.

Supra n. 11. & ſeq.

noluerit Dominium transferri in monaſterium, ſed omninò cedere in uſum ipſius Canonici, & ipſe hoc idem intenderit, ſecùs, ſi ita dati ſint, ut eorum Dominium tranſierit in Monaſterium. Ratio reſponſionis eſt, quòd in priori caſu illi centum aurei nullatenùs ſint Monaſterii, adeóque ex præfata ipſorum diſtractione nullum ei infertur damnum, in poſteriori autem caſu illi aurei ſunt Monaſterii, nec in eorum diſtributione, nempe, ſi poſt mortem religioſi cedere ſæculari illi deberent, res ejus utiliter geritur, niſi fortè ille ſæcularis eſſet benè meritus de Monaſterio: tunc enim de licentia Superioris legitimi fieri poſſet talis donatio, utpotè non gratioſa, ſed remuneratoria. hæc Pelliz. Eodem uſu gaudebant priſtini Canonici, quibus licebat uti rebûs ſibi donatîs, donare quoque aliis, quæ alióquin obtinebant, at res Eccleſiæ non licebat diſpergere, neque in alios, quàm pios uſus convertere, minùs donare extraneis, id colligimus ex regula Chrodegangi, id ex Juſtiniani Imperatoris legibus, id ex Gregorio Magno, id denique ex Auguſtino, dum inquit ad Bonifacium Epiſt. 50. *ſi quæ nobis ſufficiunt poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperûm, quorum procurationem quodamodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.* Hinc Pomerius productis exemplis Evangelicæ paupertatis in Paulino Nolano, & Hilario Arelatenſi: *unde* inquit: *datur intelligi, quod tales, ac tanti viri (qui volentes eſſe Chriſti Diſcipuli) renuntiaverunt omnibus, quæ habebant: & idcirco ſcientes, nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum non eas vindicaverunt in uſus ſuos ùt proprios, ſed ùt commendatos pauperibus diviſerunt, hoc eſt enim poſſidendo contemnere, non ſibi, ſed aliis poſſidere, nec habendi cupiditate Eccleſiæ facultates ambire: ſed eas pietate ſubveniendi ſuſcipere. Quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus habet commune.* Sic Pomerius.

[Cod. l. 1. de Ep & Cler. leg. 33 Greg. M. l. 5. ep. 1.]

[L. 2. de vit. contempt. c. 9.]

Quod utinam multi noſtrates Religioſi adverterent, quos, dum pauperes mundus novit, in Religioſo ſtatu opulentos ſuſpirat, quibus dici illud poſſet, quod Iſidorus de Peluſio: *unde ei tantæ opes, qui extrema paupertate laboravit, atque ab Eccleſiæ facultatibus divitias ſibi comparavit?* Sanè contingit id non infrequenter, ut tandem hoc modo, *fiant divites laborioſi* (qui ſua in religione dimiſerant) *fiant pauperes delicati*, dum invenerunt, quod in mundo nunquam habuiſſent. Quòd ſi tamen hic paupertatis defectus in quibuſdam Monaſteriis reperitur, non continuò arguendum eſt, id ex inſtituto inductum, ſed inferendum, nil mirum fore, ſi abundantior rerum uſus præcipuè ſæculô nonô decimóque in Canonicis votivis inoleviſſe legatur tanquam corruptela, non firma conſtitutio.

[L. 2. ep. 137.]

Deinde quod attinet formam vovendi, admitto eam omninò diverſam, præcipuè, ex quo certæ nobis formulæ profitendi patuerunt. Nego tamen inde inferri poſſe ſpeciei infimæ inſtituti Canonici cauſatum diſcrimen. Quid enim ad mutandam ſpeciem conferre poſſet diverſus vovendi ſtylus; cùm eadem perduret ſubſtantia? olim, certum eſt, ùt plurimùm ſub obedientiæ, vel caſtitatis ſolius voto, reliqua fuiſſe contenta, maximè cùm formulæ tales exſtent in quibuſdam noſtris Monaſteriis adhuc tum ſolitæ: nam Navarri tempore, dum in monaſterio Parracenſi Canonicorum Regularium quidam contendebant, ſe ideò non eſſe religioſos, quòd profeſſi fuerint per hæc verba, *voveo obedientiam ſecundùm regulam B. Auguſtini*, non vovendo expreſsè caſtitatem, & paupertatem, eoſdem cum Patronis ſuis idem vir doctiſſimus ignorantes arguit, parúmque ſapientes, ídque declarat ab eo, qùod juxta C. 1. de regula. in 6. §. pen. & fin. ſufficienter fiat profeſſio per ſolam delatio-

[Coment. 1. de regul. n. 18 verb. ſecundò quia.]

tionem habitûs longiori tempore, & ſeriò. Ex quo patet, nihil conferre ad ſpeciem inſtituti, quâ quis formâ ſe Deo in eodem devoveat, ſeu verbîs expreſsîs, ſeu interpretativîs, ſeu ſignô &c,

3. *Ad inſtitutum religioſum in-fima ſpeciale non requiritur profeſſio ad certam regulam.* ibidem,

Quòdſi reponas diſcrimen in eo eſſe, qùod juxta eundem Navarrum nulla ſit profeſſio, quæ non ſit ad certam regulam, hæc ejus verba: *non ſufficit vovere in modo vivendi, etiam approbato pro bono, etiam per ſedem Apoſtolicam, niſi approbaretur etiam pro regula religionis propriæ inductiva:ùt colligitur ex Gloſ. Clem. &c. eodem de ſent. excom.* Reſpondeo: hanc profeſſionem ſecundùm regulam à tempore Innocentii tertii præſcriptam tam parùm immutare ſpeciem ordinis, quàm immutet voti ſolennitas, cùm æquè iſta, ùt illa ſit religioſo inſtituto extrinſeca, nec ſpeciem conſtituat, ùt aliàs diximus. Quòdſi verò requiras, regulam ſaltem aliquam anteà fuiſſe requiſitam, ad quam jurare oportebat eos, qui religioſo ſtatui ſe devinciebant, ajo, hanc in Canonibus, & vel inde proùt regulam S. Auguſtini, illam ſcilicet, quam ſub tertio ſermone de vita Clericorum in ſuis collectionibus Gratianus retulit, continentibus, omnìnò talem exſtitiſſe, cui ſe profitendo ſubmittebant, quotquot veteres Canonici ſub Epiſcopis ſuis, aut Abbatibus, Prælatíſque profitebantur: meminit talis profeſſionis Hildebrandus in Concilio illo Romano ſub Nicolao ſecundo annô 1059. habito, dum ait: *ſimul quoque placeat ſanctitati veſtræ, ut recitetur profeſſio illa, quâ uſque nunc in hac Romana urbe Clerici inſtar primitivæ Eccleſiæ communiter victuri, ſeipſos obligare ſunt ſoliti.* Exſtat talis antiquiſſima profeſſionis formula in quodam pervetuſto codice Corbejenſi, quam hìc inſerere dignum duximus: éſtque tenoris ſequentis: *cùm aliquis ſæcularis ſæculo renuntiare voluerit, vitámque Canonicam elegerit*, convocatis omnibûs fratribûs in Capitolium, illum in medio ſtatuat, ejúsque deſiderium, ac petitionem cunctis pateſaciat, atque præcepta regulæ, & morem Eccleſiæ proponat, & ut ſecum benè recogitet, ſi hæc ſervare velit, admoneat: melius eſt enim non incipere, quàm poſt inceptum apoſtatare. Quòdſi hæc omnia ſe ſervaturum, Deo annuente ſpoponderit: ducatur in Eccleſiam, eóque ante Altare proſtrato, & dicente tertiò; ſuſcipe me Domine, ſecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exſpectatione mea. Reſpondeatur verſus: ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Pſalm. Magnus Dominus. Miſerere mei Deus. Ecce quàm bonum. Cum gloria Patri. Kyrie eleyſon, Pater noſter - - - - Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus. Mitte ei Domine &c. Eſto ei &c. Nihil proficiat &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere populo tuo &c. alia: Deus qui renuntiantibus ſæculo &c. alia: Deus, qui non mortem peccatoris &c. tunc eum oſculentur omnes, & tradant ei per codicem ſuam ſocietatem. Deinde ſeipſum, & res ſuas, quas Deo devovit, in manibus Præpoſiti offerat. Profeſſio ſequitur.

Apud Mabillonal. Ben. tom. 4. in Append. n. 76. & 77.

Ego Frater N. Sacerdos, aut Clericus, vel converſus, ſtabilitatem corporis mei Eccleſiæ B. N. promitto coram Deo, & Sanctis reliquis ejuſdem Eccleſiæ in Præſentia Prælatorum Domini N. & N. & cæterorum fratrum, & emendationem morum meorum, præcipuè in caſtitate, in communione, in obedientia ſecundùm gratiam mihi collatam à Deo, & facultatem virium mearum. † Ipſe ſubſcripſi.

Hujus profeſſionis formulæ videtur meminiſſe in ſua prima Epiſtola Odo Richardinus, qui vixit, ſcripſítque ſæculô duodecimô. In qua Profeſſionis Ceremonia, habemus mentionem regulæ: *præcepta regulæ, & morem Eccleſiæ proponat.* At qualis ea ſit regula omninò reticetur,

tur, ſimilem formulam L. 1. regulæ Portuenſis reperimus: cum dicitur: poſt hæc præſentibûs fratribûs, proſtrati in medio legant Chartulam continentem hæc, vel ſimilia verba: *Ego N. meipſum omnipotenti Deo offero, & ſervitium, ac ſtabilitatem meam his Sanctorum pignoribus, obedientiam quoque Prælatis hujus Eccleſiæ ſecundùm Deum, & ordinem veſtrum in eo promitto.* Neque aliter profiteri ſolebant Canonici Carnotenſes de Valleja, niſi quòd adderent *ſe ſervaturos caſtitatem, & communis vitæ ſocietatem* &c. *ſecundùm Canonicam inſtitutionem.* Et hoc diù poſt regulam S. Auguſtini jam receptam: ex quo patet, Canonicorum Regularium formam profitendi, tam veterum, quàm recentiorum eandem fuiſſe, & eam non ſecundùm aliam expreſsè regulam, quàm Canonicam inſtitutionem. Quamvìs non ignorem, etiam exſtare antiquiores formulas, quæ regulam S. Auguſtini nuncupent, ſed hanc ipſam ùt Canonicam: exempli causâ qualis eſt illa Canonicorum Aureæ Vallis apud Pictones: *Ego Frater N. trado me Eccleſiæ S. Petri de Aurea-Valle coram Domino Abbate N. & reliquis Fratribus, ita ut ab hac die jam non liceat mihi collum excutere à jugo Canonicæ Regulæ, de cætero caſtè, & communiter, Deo Authore victurus: & in hoc loco ſub regula S. Auguſtini totâ vitâ meâ Deo ſerviturus.* Aut illa, quam multæ Eccleſiæ tam Cathedrales, quàm aliæ in in uſu habuêre. *Ego Frater N. offerens trado meipſum Eccleſiæ B. Mariæ Piperaci, & promitto obedientiam ſecundùm regulam B. Auguſtini &c.* aut denique illa Abbatiæ de Malo-Leone. *Ego Frater N. offero meipſum divinæ pietati ſerviturum in Eccleſia ſanctæ Trinitatis Mali-Leonis ſub Canonica Regula S. Auguſtini ſine proprietate &c.* omnes hæ formulæ docent, profeſſionem ad infimam ſpeciem Ordinis Canonici factam, non cum reſpectu ad regulam primô, ſed ſecundô modô ſumptam, ſcilicet intelligendo *Canones* per *Canonicam inſtitutionem*, aut ipſam quoque *Canonicam* regulam S. Auguſtini; patêtque inde, ſi Canonicorum Regularium ſæculô undecimô reformatorum, ùt prætenditur, per regulam S. Auguſtini nova ſpecies infima, diſtinctáque à prioribus Canonicis ſurrexiſſet, profectò, hanc tam ſubſtantialem partem, quâ ad talem ſpeciem determinabantur, nunquam in ſua profeſſione enunciare omiſiſſent, quia verò eadem hæc regula non tam ad ſpeciem infimam determinat, quàm ex decreto ſummi Pontificis legitimum, approbatúmque ordinem religioſum denotat, ideò ex hinc reſpectus ille ad hanc regulam factus eſt, ut ſcirent profitentes, quam ex quatuor approbatis ab Eccleſia regulis à tempore conſtituti Innocentiani Decreti, Canonici ſecundùm ſuam inſtitutionem Canonicam amplecterentur.

Cæterùm, quod dicitur, formulam certam vovendi apud veteres Canonicos non fuiſſe conſuetam, malè ex ſilentio veterum documentorum conficitur, nam exſtat diſſertum teſtimonium, ſæculô quintô Clericorum Profeſſiones (quas Epiſcopis) & Epiſcoporum obedientiæ promiſſiones (quas ipſi Metropolitanis exſolvebant) ſcriptis ſignatas non fuiſſe: cùm enim dictô ſæculô Anaſtaſius Metropolitanus Theſſalonicenſis promiſſionem obedientiæ ſcriptô extorqueret ab Attico, qui noviter creatus erat in Epyro Metropolita; Leo Papa hoc pro injuria reputabat: *Legebatur in litteris tuis, quod frater Atticus chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat, in qua ſignum prodebatur injuriæ. Hinc concluditur*, inquit Thomaſſinus: *Ad Pontificatum uſque Leonis Magni, & ad annum Chriſti 450. inauditas fuiſſe has obedientiæ promiſſiones ſcriptô editas, nec vel ab Epiſcopis, vel à Clericis* Unde facilè ex paritate rationis concluditur, cur antiquiſſima primitivæ, aut etiam ſuccreſcentis à tempore Conſtantini Eccleſiæ, carthularia

4. *Neque certa vovendi formula.*

Epiſt. 84.

Vet. & Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 44. n. 1.

laria profeſſionis deſiderentur; utpotè, quòd ea ſcriptô non fieret. Verùm in Concilio Tolentano undecimo annô 675. jam expreſſæ profeſſionis emittendæ fit mentio: *placuit huic ſanƈto Concilio*, inquit Can. 10. *ut unusquisque, qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt acceſſurus, non ante honorem conſecrationis accipiat, quàm placiti ſui annotatione promittat, ut fidem Catholicam ſincera cordis devotione cuſtodiens, juſtè, & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus ſuis Canonicis Regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem, atque obſequii reverentiam preaminenti ſibi unusquisque dependat.* Huic non diſſimiles formulas profeſſionis clericalis plures eſt reperire, at an ſcriptis, ſub genuina profeſſionis ſolitæ norma? necdum deprehendi: neque id multùm refert, cùm fortè nec Monachi tales à tempore S. Benedicti ſint de facili producturi, licèt ex regulæ inſtituto ſaltem petitionem ſuam cap. 58. manu ſcribendam legamus fuiſſe præceptam, ſufficítque profeſſionis clericalis apud antiquiſſimos Canonicos memoriam exſtare: qualiscunque demum illa fuerit, diſcrimen ideò inter illos, & noſtros minimè urgebit.

Vide Nebr. Mindlh. fol. 125. de ſcripta profeſſione per hoc Concil intelligenda.

5. Tertium diſcrimen adducitur in cauſa finis particularis, qui quemadmodum juxta nos ipſos propriè unum inſtitutum à ſui Origine, & quoad ſpeciem infimam diſtinquit ab altero, ſic Canonicos Regulares modernos diſtinquet à priſtinis, teſte enim Mauburno in ſuo Roſeto ex Guilielmo Pariſienſi, *Canonici Regulares moderni ad officium divinum conſecrati ſunt, & ordinati*, imò ùt quidam decernunt, eſt eorum finis propriè particularis chorus, ut ſine eo nec Canonicus eſſe poſſet Regularis: quod tamen olim non fuiſſe ſe patet, cùm finis particularis, ísque principalis eſſet ſalus, ſeu cura animarum, & chorus tanquam pars vitæ contemplativæ relinqueretur peragendus Monachis.

Canonico: Regul. finis Particularis ſimpliciter Princi palis eſt vita mixta, adeòque vita tam contemplat. in choro, reliquisque ſpiritual. exercitiis conſiſtens, quàm vita activa. Vide Cornel. Barth. pond ſanct. n. 14.

Deinde, non videtur Apoſtolos, quemadmodum vitam activam, ſic & contemplativam ex inſtituti peculiaris ratione; ſed ſolùm liberè obſervâſſe, nec iſtam, quemadmodum illam fuiſſe profeſſos, neque enim hujus ulla, aut in ipſis Apoſtolicis actis, aut Patrum aſſertis teſtimonia proſtant. Reſpondeo: me ſupponere ex S. Thoma, & communi D D. apud Navar. & S. Antoninum. vitam contemplativam aliam eſſe *publicam*, aliam *privatam*, illa ſe habet circa divina myſteria, iſta circa vitæ propriæ, ac ſalutis curandæ rationem, illa dirigitur ad gloriam Dei, & cultum ejus publicè apparandum, ac promovendum, nec non ad ſalutem proximi: iſta ad eundem cultum inter ſolius cordis penetralia fovendum, nec extenditur ultra propriæ ſalutis limites. Quemadmodum autem negari non poteſt, Apoſtolos divina myſteria, cultúmque Dei ex inſtituti ſui ratione coluiſſe, ſic adſtruenda pariter in illis eſt contemplativæ vitæ publicæ, adeóque vitæ verè mixtæ profeſſio: unde patet in hac vitæ mixtæ obſervatione, Canonicos Regulares cum Apoſtolis omninò convenire: nam quamvis religio tam Monachorum, quàm Canonicorum ordinetur ad opera vitæ contemplativæ, dum tamen Sanctus Thomas ait, quòd *inter illa præcipua ſunt ea, quæ aguntur in divinis myſteriis*, mox ſubjungit: *ad quæ ordinatur directè ordo Canonicorum Regularium, quibus per ſe competit, ut ſint clerici religioſi, ſed ad religionem Monachorum non per ſe competit, ut ſint clerici, ùt habetur in decreto* 1. c. q. 1. hæc S. Doctor. exinde habemus, eandem vitam contemplativam publicam ex fine ſui inſtituti convenire Canonicis, quæ conveniebat Apoſtolis, & quidem directè, ac per ſe; prætereà vitam hanc Monachis non competere per ſe, ſed alteram, id eſt privatam: quòd verò Canonici huic quoque, ſeu privatæ incumbant, eô modô fit, quô Monachi incumbunt publicæ,

Nav. comment. 4. de regul. ab init. S. Anton. p. 3. tit. 16. c. 4. §. 1.

2. 2. q. 189.

Digitized by Google

licæ, nempe ſolùm accidentaliter. Quod ipſum feciſſe Apoſtolos, qui ea (quæ Lucas act. c. 4. notat.) cum Patrum commentatione perlegerit, dubito, an negaturus ſit.

Vide Cornel in acta loco. cit.

Ad quæſitum verò ex chori obligatione diſcrimen dico, omninò falli eum, qui credit finem ſimpliciter principalem Canonicorum Regularium S. Aug. chorum eſſe. Dico autem *ſimpliciter principalem*; ut obſervem debitam in ipſis finibus Religioſorum ſtatuum particularibus diſcrepantiam. Ipſe enim finis particularis poteſt iterum geminatò diſpeſci, prout alibi diximus, & id certum eſt in religione noſtra, utpote, quæ finem particularem genuinum habet fundatum in vita mixta, quam ex inſtituto profitemur: quia autem finis unus præcedere ſolet alterum, hinc dici poſſet, vitam contemplativam intendi tanquam finem *quò*, vitam autem activam tanquam finem *qui*, cùm enim actorum 6. dicerent Apoſtoli: *nos orationi, & miniſterio verbi intenti erimus*: apparet, ideò eos orationem præmiſiſſe miniſterio verbi, id eſt, vitam contemplativam activæ, ut innuerent per hanc tanquam certum, ſecurúmque medium procedi ad alteram: unde Suarius: *Clarum eſt*, inquit: *cum illo* (id eſt, fine ſalutem animarum intendente) *conjunctam fuiſſe præcipuam partem vitæ contemplativæ, ſine qua non poterat eſſe ſtatus ille undequaque perfectus, prout eſſe debuit.* Hic ergò genuinus finis, intrinſecus (ut ita dicam) ex origine inſtituto Canonico eſt, neque ſeparari poteſt, niſi ipſum inſtitutum aut ſpecificè mutetur, aut penitùs tollatur. Difficultas exinde autem emergit, quòd, cùm finis ille, *ùt quo*, ſeu vita contemplativa (quam ſaltem ùt pars, chorus conſtituit) ſolùm tanquam medium ad finem alterum ſcilicèt miniſterium verbi fuerit olim expetitus; jam intendatur tanquam finis *qui*, eò quòd Canonicus Regularis videatur totius obligationis rationem habere poſitam in peragendo choro, prout paſſim Canoniſtæ tradunt. At ſe vehementer decipiunt, qui ſic ſermocinantur; cùm certum ſit utrumque finem ſuô modô tanquam Principalem à Canonico inſtituto intendi, neq; præcisè finem contemplativæ vitæ unquam conſtitutum fuiſſe ſolumodò ùt medium ad finem activum, ſed reverâ æquè tanquam finem *ùt qui*, ſicut alterum (loquor de vita contemplativa publica) hinc finis ille, qui eſt ſalus animarum procuranda, non tanquam ſimpliciter principalis, id eſt, ſolus, & unicus præfixus erat, ſed & finis vitæ contemplativæ; ubi hoc modo objicientes videntur offendere in intelligendo hoc fine, opinantes totam vitam contemplativam conſiſtere in propriæ vitæ ſalute, per duplicem illam viam purgativam, & illuminativam ſic procuranda, ut unicè conſtituatur in extirpandis vitiis, & implantandis virtutibus, quod tamen erroneum eſt: ipſa enim vita contemplativa verum, ac nobiliſſimum finem habet amorem, laudémque Dei. Hinc Caſſianus vitam potiùs activam in emendatione morum ponit, & vitiorum expurgatione, theoricam verò, id eſt, contemplativam, in cognitione rerum divinarum, quæ ſe ſummè conjungit cum amore divino: cùm enim contemplatio ſit pars orationis, dicatúrque mentalis, hæc conjuncta cum vocali, perfectiſſimam componit vitam contemplativam, & quidem prout eadem innectitur divinis myſteriis publicè celebrari ſolitis, ipſa quoque publica eſt, & omnimodè illa, ad quam paulò antè ex S. Thoma audivimus Canonicos Regulares ex fine ſui inſtituti directè, ac per ſe ordinari. Cæterùm vita contemplativa, in quantum chorum, ſeu laudem divinam decantandam reſpicit, eſt omninò ſic cum vita activa componenda atque penſanda, ut neutri religioſus vitæ mixtæ addictus, minùs, ſaltem, quantùm in ſe, attribuat: quod ipſum legimus feciſſe Salvato-

r 3. de Rat. relig. c. 2. n. 10.

Collat 14. c 1.

Serm. 230.

Digitized by Google

vatorem noſtrum, cujus alternatas vices jam in pernoctando in oratione, jam iterum in verbo Dei prædicando Evangeliſtæ identidem commemorant. Porrò chorus ſecundùm Canonicam inſtitutionem, imò antiquiſſimorum Patrum traditionem adeò Clericis ſemper ſolitus erat, atque conſuetus, ut non opiner, fore eruditum, qui eandem ignoret, aut ſe legiſſe neget. Exiſtimo itaque hac in re, nec operæ pretium eſſe teſtimonia producere, cùm paſſim, & penè in omnibus libris de orationis publicæ, & de chori frequentia, & vetuſtate tractantibus iſta inveniantur. Quod igitur objicitur, Canonicos regulares S. Auguſtini hodiernos pro fine ſuo ſimpliciter principali ſolum, & unicum habere chorum, omninò negatur: habere tamen ex priſtina Canonum inſtitutione, & à longè plùs, quàm mille annis chorum pro fine partiali tanquam in vita mixta (contemplativam publicam ſuô modô conſtituente) certiſſimum eſt. Hoc verò ſuæ antiquiſſimæ inſtitutioni adverſari, neſcio, an eruditus quis aſſerere poſſit? niſi id etiam de omnibus Canonicis ſæcularibus aſtruat, quorum obligatio horas in choro decantandi perſpicua eſt. Neque jam video huic debili objectioni multùm inhærendum. Hinc ad aliud tranſimus.

6. *Canonicorum regularium inſtitutum non poteſt dici tertium quoddam genus in ſtatu religioſo, id eſt, Monacho-Clericale.*

Quartum diſcrimen quidam effingunt in eo, quòd dicant nos Canonicos Regulares S. Auguſtini eſſe quoddam in ſtatu religioſo tertium genus, nempe nec puros Monachos, nec puros Clericos, ſed *Clerico-Monachos:* Econtrà priſtinos Canonicos fuiſſe abſolutè, & ſine omni Monachiſmo Clericos: quod probare ex ipſis Canonibus, & Pontificum decretis conantur: ajunt enim, omnes conſtitutiones, quotquot emanârunt, quibus Canonici regulares in æquali forma cum Monachis definiuntur, recentiores eſſe ſæculô undecimô, ſeu illa reformatione in ordinem Canonicum inductâ; atque hanc cum Monachis æqualitatem neutiquam ante tempora iſta oſtendi poſſe, cùm tunc Canonicos nullum poſſet decretum attingere in Monachos latum, utpotè longè ab illis diſtinctos: hæc autem benè perpenſa, profectò non qualecunque, ſed ingens arguunt inter utroſque diſcrimen. Hunc dirum Achilem in ordinem noſtrum ſaltem ſecundùm potiorem partem Eminentiſſimus Cardinalis de Luca animavit, ſuô ſubtiliſſimô, ac divinô planè ingeniô partum non indignum. Cui, æquum eſt, ut penitiùs imoremur.

Supplem. tr. debeo. fic. diſc. 1. §. per toc & in annal. ad Conc. Trid. diſc. 35.

Certiſſimum equidem eſt, Monachorum quotquot decreta emiſſa, quæ in Canonicos regulares devoluta ſunt, reformatione illa notiſſimâ recentiora eſſe, & monſtrari nequire ante illa tempora Canonicos unquam ex decreto juris ſic Monachis æqualiter habitos fuiſſe, ùt factum eſt eadem reformatione tranſacta: & rem longè magis urget ea circumſtantia reductionis Canonicorum regularium ad certam religionem clauſtralem, ut in hoc planè analogicè vivere comprobentur cum Monachis, quod antea nunquam contigit. His tamen non obſtantibûs, dico, nullatenùs tertiam hanc ſpeciem à Canonicis regularibus conflari, imò nec ullam, per iſtos, talem dari poſſe: jam enim copioſiſſimè declaratum eſt in prioribus duabus partibus, nihil planè adferri ab adverſariis quoad inſtitutum, imò nec quoad complures ritus, modóſque vivendi clauſtraliter, pro quibus non exhibeantur exempla, ac teſtimonia, etiam à priſtino Clero unâ ſociali vitâ Canonicè coadunato obſervata. Unicum pro valido argumento aſſumamus Metenſe Collegium, imò non erravero, ſi me extendam ad totam Diœceſim, quam S. Chrodegangus illâ ſuâ notiſſimâ regulâ erudivit. Secundùm hanc debebant vivere omnes Canonici omnium collegiorum Diœceſis Metenſis; ſed quâ normâ putamus, eam

re-

Spicil. t. 1. in monito ad reg. Chrodeg.

regulam fuiſſe inſtructam? cogor verba viri eruditiſſimi adducere Lucæ Dacherii Benedictini, *adeò*, inquit, *ipſi Codegrando altè menti, ac memoriæ inſita fuerat regula S. Benedicti - - - ut verba illius, ſententias, periodos, quin etiam capitula identidem, Canonicis condendo leges, ſua effecerit, tacito duntaxat Monachi - - - Canonici nomen ſuppoſuit.* Hæc Dacherius, & profectò rem ſic eſſe, ipſa collatio utriusqne regulæ dabit. Confer etenim proùt ea à Labbæo edita eſt caput primum Codegrandi, ubi de humilitate cum 7. S. Bened. ſecundum, ubi de ordine congreg. cum 63. tertium ubi de cuſtodia clauſtri cum 22do. quintum, ubi de officio divino in nocte, cum octavo. Septimum, ubi de diſciplina pſallendi cum 19. Decimum nonum, ubi de opera manuum quotidiana, cum trigeſimo quinto. Decimum octavum, ubi de his, qui in levioribus culpis delinquunt, cum quadrageſimo ſexto. Undecimum, ubi de Zelo Dei, quem debent ſervi Dei habere, cum ſeptuageſimo ſecundo. Duodecimum, ut non præſumat alter alterum cædere: cum ſeptuageſimo. Vigeſimum quartum, ubi de ſeptimanariis coquinæ: cum trigeſimo quinto. Vigeſimum ſextum, ubi de cellario: cum trigeſimo primo. Vigeſimum ſeptimum, ubi de de portario: cum capite tertio &c. & Dacherium veriſſima locutum fuiſſe reperies: ſed hem! ſi his temporibûs talis ab aliquo ſuperiore poteſtatem habente omnibus per integram Diœceſim ſubjectis Monaſteriis Canonicorum Regularium conſtitutio præfigeretur, nunquid jam quarta ſpecies (ne dicam tertia) effingi deberet pro his Canonicis, utpotè, quòd in re penè totam regulam Benedictinam haberent, quam vitâ, & converſatione imitarentur. Cur autem, quæſo, non illi Metenſes Canonici, nova tum ſpecies aſſerti? cur, cùm Paulus Diaconus librô de Epiſcopis Metenſibus de hac regula à Chrodogango tradita ſcriberet, effatus eſt: *Quòd hic Clerum adunavit, & ad inſtar cænobii intra clauſtrorum ſepta converſari fecit, normámque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent, quibus annonæ, vitæq; ſubſidia ſufficienter largitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes divinis ſolummodò officiis excubarent, ipsúmque Clerum abundanter lege Divina, Romanáque imbutum cantilenâ, morem, atque ordinem Romanæ Eccleſiæ obſervare præcepit, quod uſque ad id tempus in Metenſi Eccleſia factum minimè fuit.* Cur inquam, non addidit, hos ipſos Clericos Metenſes hôc modô novum Ordinem conſtituiſſe Monaſtico-Clericalem. Quódque ampliùs advertendum; legimus veteres ſeu Epiſcopos, ſeu alios Zelatores ſanè plurimos (quales fuêre ſanctus Amandus, S. Rigobertus, S. Paulus Leonenſis, S. Ludgerus, Carolus Magnus, Ludovicus pius, aliíque) quòd Canonicos clericos in talem vitæ normam, talem diſciplinam coarctaverint, ipſam monaſticam, ſi non quandóque excedentem, certè adæquantem; ut ideò Canonicorum collegia, Monaſteria, quin & ipſi Canonici, *religiosè, regulariter, clauſtraliter*, imò & *monaſticè*, converſari dicerentur, pro quo totus hodiernus Monaſterienſis Epiſcopatus, certè juxta doctiorem, fideliorémque criſim, ùt alibi docebimus, ex ſuo nomine perhibet teſtimonium. Attamen nullus antiquus ſcriptor ideò vel ſomniâſſet de ſimili reformatione dicere, quòd novum clericalem ordinem, tertiam quandam ſpeciem inter puros Monachos, & puros clericos fundaverit, inſtituerítve: ſed aut, quòd clerum ad meliorem vivendi formam reduxerit, aut quòd reſtituerit in illo collabentem, ſeu penitùs collapſam &c. cur verò iſtud? profectò non aliam comperio latitare cauſam, niſi quòd ſcriptores illi, clericalis inſtituti obligationem, in quo propriè conſiſteret, penitiùs adverterent, & fideliùs explicarent, optimè gnari, quid

Apud Labbæ t. 10. conc. in præfa. ad hanc reg.

quid in ſua ſpecie infima religionem aliquam conſtitueret: neque iis ratiocinationibus inhærentes, quas per ſæcula undecimum ſubſequentia annuatim penè ſuppeditârunt novi in Eccleſia exſurgentes ordines, per quos quaſi ſpecies in ſpeciem dividebatur, & nova identidem excogitanda dabantur prædicamenta, ut non ſolùm novus ordo unus ab altero diſtinqueretur, ſed, ut per ſimiles advenientes qualitates optimè quidem à viris piiſſimis pro varietate decoris Eccleſiæ adinventas, ab inquietis, prurientibúsque ingeniis autem diſtortas, novæ identidem formalitates prætenderentur, quaſi, dum tales neceſſariò adſtruuntur in ordinibus novis, requiſitæ quoque ſint in antiquiſſimis. Cuperem ſanè ſcire ab his effingendarum ſpecierum patronis, ſi ſæculô undecimô vixiſſent, cùm alius in tota Eccleſia Catholica ordo non exiſteret, proùt ex Langio ſuprà notavimus, niſi ordo Canonicorum Regularium S. Auguſtini, & Ordo S. Benedicti, quasnam ipſi partes conſtitutivas in Ordine Canonicorum Regularium allegâſſent, ut in ſua ſpecie idem infima agnoſceretur, ut acutiorî ingeniô, quàm ipſe Angelicus Doctor, determinâſſent hanc, ne unquam cum alia futura nova ſpecie confunderetur.

Longè aliter igitur in reperiendo diſcrimine unius ordinis ab altero, & in declaranda ſpecie infima cujusque inſtituti diſcurrendum eſt. Monſtravimus equidem id ipſum jam in prima parte ex præfato Angelico Doctore, dum diximus eundem diſcrimen Ordinis Canon. Regul. & Monachorum hoc ponere:
22. q 180. art 8 ad.. *quòd Canonicis Regularibus per ſe competat, quòd ſint Clerici Religioſi, ſed ad religionem Monachorum, non per ſe competat, ut ſint clerici.* Atque in hoc diſcrimine ſpeciem infimam collocavit Canonici Ordinis, & meritò quidem: nam, cùm idem viveret usque ad annum 1274. tunc complures jam ordines tum Monachorum tum mendicantium, tum militarium exſtitêre in Eccleſia, nulla tamen ſibi obrepente difficultate, ſolùm particularem Canonicorum Regularium finem iſthic allegat, per quem iſtos à Monachis diſtinguat: & cui ſuppetit judicii, diſcretioníſque æquitas, facilè apprehendet, eum de Canonicis Regularibus non qualibuscunque, ſed de iſta ſpecie infima, quos vulgus Ord. S. Auguſtini nuncupat, fuiſſe locutum; quamvis fortè tunc potiori jure, quàm nunc (à quodam recentiore ſcriptore) & ipſe Ordo S. Dominici ſub ea potuiſſet computari, utpotè qui verè clericalis eſt; Vide Gravison in ſua hiſt. Eccl. t 4. p. 17. & t. 5. p. 131. col. 2.
ſed quia idem præter finem iſtum etiam habet alium particularem, nempe paupertatem in communi, utpotè, quòd hic ordo ſit mendicantium, ipſe Sanctus Thomas eundem hunc ſuum ordinem diſtinguit ab ordine Canonicorum Regularium, non ſcrutans in iſto aliquod medium, aut qualitatem, vel finem diſcrepantem, ſed eum ſcit reſidere in ſuo, quippè quòd certum ſit & cuique rem penſiculatiùs inveſtiganti pateſcat, recentioribus, & ſuccedentibus ordinibus acceſſiſſe nova media, novâque Conſilia, quibûs ſe diſcernerent, neque has qualitates in priſtinis eſſe quærendas, præcipuè verò id locum habet in clericali.

Salvô igitur Doctiſſimo alioquin eminentiſſimi Cardinalis de Luca, & omnium cum ipſo ſentientium judiciô, atque opinione, huic ſuffragari in illa tertia ſpecie Canonicorum Regularium tanqnam *Monachorum - Clericorum*, non video cur, aut quô modô quis poſſit. Ad hanc enim aſtruendam concurrere aliud nequit, niſi periculum alioquin confuſionis in diſcernendis ordinibus; at hanc inſtitutum noſtrum ſicut nunquam cauſaverat, ita neque his temporibus ullo modo cauſabit. Perſiſtit enim jure, ac meritò in prærogativa ſuæ antiquitatis, qua ſaltem etiam juxta adverſarios alius ordo non evaſit,

quàm

Digitized by Google

quàm fuerat ſæculô undecimô, duodecimóque; aſt tunc nemo illum tanquam tertiam quandam ſpeciem aſſeruit inter Clericos Regulares purè tales, & inter Monachos puros. Inquirantur enim omnes ſummi Pontifices, Epiſcopi, Fundatores, Hiſtorici &c. ſinguli conclamant pro ejuſdem puro, ac mero clericatu, eúmque fortuitò potiùs, quàm conſultò Monachos dicunt, eò demum res dilabitur, ut ſe firment in antiquiſſima. tum Aquiſgranenſi, tum Innocentii tertii aſſertione, quâ dicere placuit: *Canonicorum in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus à Monachorum non debere diſtare vita.* Cæterùm eos ſemper tanquam primæ diſciplinæ Regularis Apoſtolicæ, ac clericalis agnoſcentes genuinos ſucceſſores.

Aquiſgr. concil. c. 115.

7. *Rationes ab adverſa parte propoſitæ diſſolvuntur.*

Verùm ne videamur hujus adverſæ aſſertionis rationes effugere, ad illas quoque expungendas progredimur. Et quia ſe iſtæ, aut in ipſis Canonum allegationibus (ùt ſupra retulimus) firmant, aut in iis, quæ circumſtantiam illam clauſtralis religionis concernunt, eadem hic diſſolvenda ſunt. Canones à ſæculo undecimo Monachiles in Canonicos lati, quid in illis diſcriminis fecerint, quídque ad talem tertiam propugnandam Monacho-clericalem ſpeciem conferant, nobis potiſſimùm ſubſequens caput quintum oſtendet. Porrò prænotamus ex Divo Thoma, differentiam unius religionis ad alteram principaliter quidem attendi ex parte *finis*, ſecundariò autem ex parte *exercitii*: ubi obſervandum cùm Pellizar. per iſtud exercitium nihil aliud intelligi, niſi media ad finem convenientia, hæc verò univerſaliter firmantur præcipuè in omnibus Conſiliis traditis à Salvatore noſtro per ſuum ſacrum Evangelium, quorum triginta enarrat Cornelius à Lapide in ſuo commentario prævio ad Evangelium Math. his innixi omnes ſacrorum ordinum fundatores, conſiderato inprimis fine principali, quem intenderant, præſcripſerunt jam plura, jam pauciora, eáque, ùt plurimùm, talia, quæ ipſis videbantur ad finem præfixum obtinendum efficaciùs conducere. Hinc S. Thomas docet, ipſum quidem finem principalem eſſe de ſe loquendo abſolutum, econtrà exercitium eſſe reſpectivum ad finem: *quia* inquit, *exercitium non quæritur propter ſe, ſed propter finem.* Unde & infert, unam religionem præeminere alteri, non ſecundùm quantitatem exercitii, ſed ſecundùm proportionem ejus ad finem intentum, eò quòd in collationibus Patrum introducatur ſententia B. Antonii, qui prætulit diſcretionem (per quam aliquis omnia moderatur) jejuniis, vigiliis, & omnibus hujuſmodi obſervantiis.

2. 2. q. 188. art. 6. de varies. Relig. tr. 16. §. n. 4.

Ibidem.

Primaria, & de ſubſtantia religionis omnis diximus eſſe tria conſilia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Hæc ex ſe nullam faciunt religionum diſcrepantiam, verùm accedunt in quavis religione alia obſervanda conſilia non ſub tali formali obligatione, velut illa tria, ſed ſuô modô ſub culpa aliqua, vel pœna, & quidem arctiùs in aliquibus religionibus, in aliis mitiùs. Hæc omnia prudenter combinanda ſunt, ac diſcernenda, à quibus tota noſtra reſponſio dependet. Ordo Canonicorum Regularium quomodocunque conſideretur quoad ſubſtantiam, eò quòd Ordo Religioſus ſit, debet convenire cum Monachiſmo in iis, ſine quibus religio, aut omninò exiſtere nequit, aut ſuo vigore privatur, talia ſunt tum finis, ad quem quævis religio dirigitur, tum media partim ſubſtantiam ejus conſtituentia, nempè vota, partim cooperantia ad finem: at dum finis jam iſte, jam ille à religionibus diverſis intenditur, dúmque media ipſa diſparata eliguntur, hinc oritur religionum diſcrepantia, non quoad exercitium abſolutè, ſed reſpectivè ad finem conſideratum: ipſa enim media relata ad finem, ejus quaſi naturam

Lector amice confer iſta cum iis, quæ prima parte diximus, ut ea magis dilucidentur.

Digitized by Google

curam induunt; quod patet ab inſtantia, nam oratio exempli causâ ſacerdotis publicè Deum deprecantis aliâ formâ veſtitur ratione finis, quàm eadem oratio, quæ peragitur à quodam privato laico. Ex quo certum eſt, Ordinem Canonicorum Regularium non ſolùm ab origine ſuæ inſtitutionis habuiſſe finem ſuum particularem, ſed & præter conſilia tria Evangelica, alia quoque, quibûs tanquam mediis faciliùs ad aſſequendum finis ſui particularis effectum perveniretur: cùm autem dubitari non poſſit, hunc ordinem proùt altiſſimum, ſibi finem quoque præclariſſimum præfixum habuiſſe ſcilicet partim divinum cultum, & vitam contemplativam, partim curam ſalutis animarum; hinc requirebantur non obvia quæque conſilia, ſed ſelectiſſima ad eundem, non quidem abſolutè in ſe conſiderata, ſed reſpectivè, exempli causâ ad animarum curatorem requiritur cumprimis innocentia vitæ, & perfectiſſima tum corporis, tum animæ caſtimonia, hanc Canonicus Regularis ideò vovet, ſed ad eandem ipſam aſſequendam, & tutè conſervandam requiruntur media, in conſiliis Evangelicis contenta; ſunt ea diverſa, afflictio corporis per labores aſſiduos, per nuditatem, per jejunia &c. jam quæritur, non quænam ex his conſiliis, ſeu mediis in ſe ſint arctiora, ſed quæ ad caſtitatem obtinendam efficaciùs concurrant? ſic certum eſt, duriſſimè homini cadere, gravem laborem, aut nuditatem, maximè frigore urgente: ſed ad hanc virtutem conducere videtur magìs jejunium, quamvìs non adeò caſtigativum, unde Cajetanus in reſponſione ad tertium inquit: *in exemplo de mediis ad continentiam ſervandam attende, quod non exempli tantùm, ſed veritatis doctrinam continet. Nam pauperes nudos vacare etiam generationi perſpicimus, famelicos autem, & ſitibundos nequaquam, juxta illud: ſine cerere, & Bacho friget Venus: meliùs ergo medium ad continentiam ſervandam eſt abſtinere à cibo, quàm carere caligis, aut calceis, & quàm laborare, & hujuſmodi.* Igitur conſilia, quæ videbantur maximè huic inſtituto congruere, excogitabant identidem SS. Patres, & ea in Canonum formam redigebant, Canonicíſque obſervanda ſuadebant; ac quandóque demandabant, neque multùm hærebant, unde aut ex cujus viri ſancti, doctíve ſententia talia eruerent, quaſi timerent, ne fortè impingerent exindein quandam confuſionem, aut commixtionem unius ordinis cum altero: quia enim totam diſcriminis rationem ipſi ponebant in fine particulari cujusque inſtituti, non angebantur, ſi jam aliqua decerperent ex regula S. Benedicti, ùt fecit Chrodegangus, jam ex regula Hieronymi, Euſebii, Sylveſtri, Gregorii: ùt Aquisgranenſes Patres. Ex quibus demum elucet, cur poſt ſæculum præcipuè undecimum Canones tot editi ſint Canonicos Regulares cum Monachis æqualiter ſtringentes: prima ratio educitur ex illa ab omnibus penè Eccleſiæ proceribus attentata, ac expetita Canonicorum in priſtinam diſciplinam regularem non qualiscunque, ſed ſtabilis, & obfirmata reductio. Tot hactenùs editi Canones Patrum, Conciliorúmque tum æcumenicorum, tum Provincialium, tum Synodalium, necdum tamen potuêre inconcuſſum adeò murum relaxationi opponere, quin malis quorumdam effrænium artibus diffringeretur: conniventia verò, ac clementior eorumdem canonum interpretatio, remiſſióque, quem in hoc paſſu demum effectum ſortita ſit ex Hildebrando, Petro Damiano, Ivone Carnutenſi perſpeximus. Ergò ad radicem ſecuris ponenda erat, & ferrô recidendum malum, ne pars ſincera traheretur: hinc canones ſeveriores conſtituti, regularis obſervantiæ meta ad limites arctiores contracta eſt. Neque opinandum, adeò cæcè à Patribus inſtituti Canonico-

nico-

nico-Clericalis optimè gnaris, iſta Monachis communia decreta etiam ab hoc tempore Canonicis impoſita fuiſſe, ut aut non attenderent, eadem ſic iisdem aliquando obfutura, ut è prærogativa ſuæ antiquiſſimæ inſtitutionis in recentiùs excogitatum, inventumqúe tertiæ ſpeciei ordinem Monaſtico-Clericalem deturbarent. Aut miſcentes quadrata rotundis mallent ex Canonicis talem novam ſpeciem ordinare, quàm priſtinam reformare: nequaquam planè iſtud. Sed nôrunt viri doctiſſimi, nihil omninò inde clericali religioni præjudicandum: & ut rem acu tangamus, quod pridem notum erat omnibus, imò & conſultum, tunc, cùm hæc laudatiſſima reformatio ramos ſuæ indeficientis viriditatis in omnem planè terram extendere ordiretur, etiam ſummi Eccleſiæ Præſules adjutrice manu, ſcriptis dare, & explicare in perpetuum roboris monumentum conſtituerunt. Adducantur enim omnia à ſæculo undecimo Pontificum decreta, nihil in iis novi reperiemus, nihil adeò ſingulare, quô Ordo Canonicus ad aliam inſtitutionem translatus argui poſſet: ſolùm quædam conſilia ad ſtatum ſuum ſervandum ſolidiora perquiſita fuêre, atque adjecta, quæ nunquam aſſeri poterunt, eum in ſua individuitate antiquitatis mutâſſe, vel maximè ex eo, quòd quæcunque demum media etiam ex monaſticis ritibus deflorata Canonicis obſervanda præſcriberent, neutiquam ex ſe ſufficere poſſent ad aliquam novam ſpeciem conſtituendam, utpotè, quòd hôc ipsô, ac aſſumpta eſſent cum reſpectu ad finem Canonicum, ac Clericalem, non jam formam monaſticam haberent, ſed eam, quam ipſe finis (cujus reſpectu aſſumebantur) complectitur, induerent. Hæc autem ipſa

8\. *Oſtenditur: Canonicos ad quietem claustralem ſe recolligentes non ideò aliam ſpeciem Clerico monachilem aſſumpſiſſe.*

Rationem ſecundam produnt, nempè, cùm præcipuè ſæculô ſeptimô, ac deinceps numerus Clericorum ſic augeretur in Italia, Gallia, atque Germania, ut operarii abundantes reperirentur, colligi aliquantò quietiùs quidam quærebant Canonici in Eccleſiis præcipuè Cathedralibus, otiô ſpirituali magìs, magìſque fruituri: ſed quia inimicus homo dormientibus ſuperſeminare ſua ſolet zizania, quò plùs congregationes tales ab externa animarum cura vacabant, eò magìs nullis tùm peculiaribus conſtitutionibus reſtrictæ, torpere quâdam inani deſidiâ cœperunt. Occurrebant ſolertiores Epiſcopi, inſultabat, ac obſtrepebat quorumdam diſſoluta pervicacitas; hæc cauſa prima fuerat inductarum peculiarium regularum, Canonum, ac inſtitutionum diverſarum, verùm iſtas ſæcula ævum ſupremum longè antecedentia experta ſunt; inducti monaſtici ritus in Collegia Canonicalia diù ante ſæculum undecimum, ſolùm quòd necdum legali totius Eccleſiæ more in Canones redigerentur. Dyoniſium exiguum ſæculô ſextô, necnon & Ferrandum, Creſconium, Martinúmque Braccarenſem collectionem Canonum edidiſſe ſcimus: ſed cujus præcipuè curâ laudabatur, atque excipiebatur primùm, Ivo Carnotenſis in Gallia fuit ſæculô undecimô, & poſt hunc Gratianus ſæculi duodecimi mediô. Uterque horum multa jam inſeruit diſciplinam regularem monachis communem concernentia, quæ præcipuè fundantur in obligatione votorum: apprehendebatur enim à reformatoribus ordinis noſtri ſanctiſſimis æquè, ac doctiſſimis, quantùm ad finem particularem conduceret, etiam providere de mediis illis, quibus ſubſtantia religionis optimè conſervaretur; hinc ſi quid perſpicerent huic ſeu in voto obedientiæ, ſeu caſtitatis, ſeu paupertatis obeſſe, quô procliviùs violaretur, ſtatutum, vel Canonem aliquem in occurſum talis mali condebant, quod ùt diximus, eò faciliùs ordinare poterant, cùm Canonici in congregationibus conſtituti

tuti

Digitized by Google

tuti magis intra ſeipſos domi collecti vivere conſueſcerent, & ſolùm aliqui eorum ad Parochias exteras, vel etiam urbanas exponerentur, reliquis choro, divinóque miniſterio in clauſtro deſervientibus, & ſuo tempore (non aſſiduè, ùt olim, cum pagana, hæreticáque illuvies omnia penè loca inundaret) animarum curæ deputandis. Abſque dubio autem mox, ùt talis reſtrictio Canonicorum inter ſepta regularia, atque ut ita dicam, monaſtica facta eſt, ſe quidam hujus reformationis aut inimici, aut ſaltem faſtidioſi, utpotè Monachiſmum in talium animo nimiùm redolentis, cæpêre velut inſolitum clericalibus inſtitutis, & præjudicioſum reprimere, atque execrari, tales Regulares viros ex cætu clericali proſcribere, jurium, ac prærogativarum clero debitarum incapaces proclamare, ob analogiam nempe cum Monachis, quâ illigatos cenſebant præcipuè à tempore Romani Concilij annô 1063. habiti, in quo dum Alexander ſecundus Canonem illum vulgavit: 35. *præcipientes ſtatuimus, ut hi prædictorum ordinum, qui iiſdem prædeceſſoribus noſtris obedientes caſtitatem ſervaverint, juxta Eccleſiam, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos clericos, ſimul manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſia competit communiter habeant.* Petrus Damiani huic Concilio præſens, canoníſque præfati ſeduliſſimus executor peculiarem methodum hujus communis, caſtæque vitæ tradebat: nec id ſine optato effectu, proùt ipſe fatetur opuſc. 34. aliàs 35. & de eo Joannes Monachus in vita cap. 15. nec minùs Romæ Hildebrandus, in Gallia Ivo Carnutenſis, qui ut adhuc arctiùs diſciplinæ regulari devinciret Canonicos, primus fortè fuerit, ut ſpeciali affectu regulam S. Auguſtini ſervandam, & eligendam ad ritum quaſi Monaſticum Canonicis ſuis perſuaderet, proprium omne habendum interdiceret, diſceſſionem aut evagationem ſine Præpoſiti, vel congregationis licentia extra clauſtrum vetaret &c. verùm omnes talium adverſantium rumores, quàm impotentes fuerint ad qualecunque his (ſanctiorem, Apoſtolicámque communem vitam ſuſcipientibus Canonicis) novæ originis præjudicium, antiquorúmque jurium ſurreptionem imponendam, ſatìs ipſi tum ſummi Pontifices tunc præſidentes, tum Ivo demonſtrat. Cùm enim quæſtio hanc ob cauſam apud Paſchalem ſecundum annô 1100. moveretur, an Canonici Regulares poſſent, ùt antea (cùm liberiore diſciplinæ aurâ fruerentur) ad curam animarum applicari, reſpondit Pontifex in Concilio Pictavienſi hôc annô celebratô, poſſe omninò, hic ejuſdem Canon. *Clericis Regularibus juſſu Epiſcopi ſui baptiſare, prædicare, pænitentiam dare, mortuos ſepelire liceat.* Canon. 8 ejusdem Conc. pict.

Oppoſuerat ſe omnibus Canonicis Regularibus in Diæceſi Lemovicenſi conſiſtentibus ejuſdem Epiſcopus, ùt videtur Humbaldus, inhibuerátque illis eandem animarum curam exercendam, eò quòd ſe *Regulares* dicerent; fortè deceptus opinione *Regularitatis*, quam ita vulgus æſtimabat Monachiſmo ſtrictè ſumpto æquivocam, ut hoc ipſô, quòd quis ſe regularem diceret, Monachus crederetur, neque id de Humbaldo mirum, qui ejus acta legerit. Diſſolvit errorem patentiſſimô argumentô Ivo in Epiſtola ad Galterum Præpoſitum Stirpenſis Eccleſiæ hac de injuria ab Humbaldo illata conquerentem: *quantum*, inquit Ivo, *intellexi ex litteris à veſtra parte mihi nuper oblatis, graviter fert veſtra fraternitas, quòd Lemovicenſis Epiſcopus, in ſynodo agens, interdixit Regularibus Clericis, & regimen animarum & confeſſionem pænitentium; qui rectiùs quidem feciſſet, ſi omnes ſacerdotes ad regularem vitam invitaſſet, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodia penitùs removiſſet, quibus tantò plùs diſplicet aliena malitia, quan-* Epiſt. 69.

quantò longiùs diſceſſerunt à ſua: hac tamen prohibitio licèt aliquo forſitan livore Canonici Ordinis facta eſſe videatur, quantò ſalubrior, tantò fraternitati veſtræ debet eſſe acceptior - - - - hoc interim ad inquiſita reſpondeo, quia Clerici Regulares ab hoc officio nec penitùs ſunt removendi, nec indiſcretè admovendi: nam ſi penitùs removerentur, Canonico ordini indigna fit injuria, cui tantò ſecuriùs eſt credenda correctio vitæ alienæ, quantò majorem diligentiam adhibuit vitæ ſuæ corrigendæ &c. ubi præcipuè adverto, ex hoc Epiſtolæ contextu elucere, primò: quid cauſæ fuerit, cur ſæculares clerici, regulares arcere conarentur à regimine animarum, uti & ab aliis clericali ſtatui competentibus prærogativis? exiſtimabant jam tum hunc ſtatum regulari diſciplinâ veſtitum ſtatum eſſe pænitentiæ, quem adeò alienum eſſe volebant à clericatu, ut ſoli Monachiſmo proprium dicerent; authoritate hujus opinionis ex Hyeronimo deſumptâ: dum dixit: *Monachus*
C. Monachus 16, q. 1. *non docentis, ſed plangentis* id eſt, pænitentis *habet officium.* Intereà non intelligentes duo in regulari inſtituto præcipuè fore obſervanda, nempe; quæ in eodem ex *inſtituti ratione* præſtantur, & quæ ex *occaſione* ejuſdem inſtituti fieri poſſunt. Quamvis ergò ex inſtituto Monachi *plangentis*, non *docentis* habeant officium, exinde non ſequitur, quòd Regulares Canonici dum *docentis* officium continent, *plangentis* nequeant habere aut exercitium, aut facultatem, cùm & ipſos ſæculares clericos, ſæpè ad pænitentiæ graviſſimæ lamenta legamus confugiſſe; qualis ille fuerat Joannes recluſus ad ſancti Martini de campis Baſilicam clericus, atque ſacerdos, & ſanctus Bulfi-laicus, de
Annal. Ben l. 61. n. 55. quo Bollandiſtæ, ac denique alii ſexcenti: qui quamvis genuini clerici eſſent, nec regularibus tum in communi ſocietate votis adſtricti, ad loca deſerta pænitentiæ causâ confugerant, non tamen animarum ſolicitiſſimam curam deponebant.

Neutiquam igitur ex ſe unum officium excludit alterum, niſi ipſum adverſetur inſtitutum, quale eſt Monachiſmus. Hinc autumo, cùm Innocentius tertius decreviſſet, Joachimum illum (de quo ſupra) vel juxta alios Joannem ex Lunenſi Epiſcopo Canonicum factum Regularem, expetitum ad infulam Faventinenſem, non eſſe aſſumendum, eò, quòd ſibi pænitentiæ locum reſignato Epiſcopatu priori elegiſſet: id Canonicorum Regularium Ordini in ſuo clericatu nihil planè officere. Quod enim in Monachis reale eſt, & ex inſtituti ratione, in Canonicatu poteſt eſſe perſonale, & ex occaſione exercendæ virtutis: certiſſimum námque etiam in Ordinis Canonici monaſteriis dari occaſionem ampliſſimam pænitendi; ſed neque hanc defuiſſe priſtinis temporibus in Clero indubitatum eſt. Qui ergò etiam ad monaſteria Canonicorum ex Epiſcopatu deflendorum criminum causâ deſcendit, dignum eſt, ut Innocentii judicium ſuſtineat; non, quòd Ordinem Canonicum elegerit, ſed quòd in Ordine Canonico pænitentiæ ſe ſubmiſerit, *Monachorum more*, quorum dum poteſt, & oportunitatem habet, pænitendi aſſumere diſciplinam, debet & reſtrictionis ſubire ſententiam. Patet igitur, Clericos illos imperitò planè laborâſſe ſuppoſitô, quos omnes Ivo perſtringit, dum de Epiſcopo Lemovicenſi inquit: *Quòd rectiùs quidem feciſſet, ſi omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitâſſet, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodia penitùs removiſſet, quibus tantò plùs diſplicet aliena malitia, quantò longiùs diſceſſerunt à ſua.* Hæc à propria malitia diſceſſio nihil eſt aliud, quàm regularis vitæ ſuſceptæ ſtudium, quod dum Clericatui jungebatur, ne minimè quidem eundem in Monachiſmum (docentis officium excludentem) transferebat. Secundò: diſſertè Ivonem memorare *indignam Canonico Ordini injuriam fieri,*

ſi ideò ejus Profeſſores ab officio regendarum animarum removeantur, quòd regaliter viverent, utpotè tali eò certiùs in totum ordinem redundante, quò convenientiùs regulariter viventibus hic ordo propriè aſſeritur: quòdſi enim agnoviſſet Ivo, per hanc regularem reformationem, novam ſpeciem Canonici Ordinis, & quidem Monaſtico-Clericalem fuiſſe exortam, nunquam tam generaliter, maximè in ipſius facti, imò & juris quæſtione aſſeveràſſet, ſimpliciter Ordini Canonico inferri injuriam: nempè, quòd ab eo jure deturbaretur, quô tot ſæculîs imperturbatè gaudebat. Hinc, ut idem S. Præſul clariſſimè monſtraret, neque ſe, neque Alexandrum ſecundum, neque Petrum Damianum, nec alium quemcunque huic reformationi incumbentem intendiſſe novam erigere ſpeciem alicujus religionis, ſed inhæreri antiquis veſtigiis, & reſuſcitari ſolùm, quæ erant collapſa, firmioribûſque nonnullîs fulcimantîs pro duratura perſeverantia illud muniri, cùm idipſum quoque in Aurelianenſi Epiſcopatu controverteretur, Ivo ad Joannem Epiſcopum ſequentia exaravit: *Venerunt ad nos quidam fratres, qui in Epiſcopatu veſtro communitèr vivunt, ſolicitè quærentes, utrùm Clerici regulariter viventes Parochias regere poſſint, & animarum habere cuſtodiam? quibus hoc reſpondi, quia in primitiva Eccleſia nullus conſtitutus eſt rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus, quia nemo rectiùs cuſtos præponitur vitæ alienæ, quàm qui priùs cuſtos eſt factus vitæ ſuæ, quod nullo in loco meliùs probatur, quàm inter eos, in quibus regularis vita vigere videtur, quibus tantùm diſplicet aliena malitia, quantùm priùs diſplicuit ſua. His rationibûs freti conſtanter aſſerimus, non eſſe audiendos, qui Clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia ſæculo renuntiaverunt; ſed ideò potiùs ad hoc aſſumendos, quia voluptates, & pompas ſæculi contempſerunt. Non enim mundi contractus eſt animas à vitiis avocare, & ad virtutum celſitudinem provocare; ideò convenientiùs iſta docent, qui ea, quæ dicunt, opere complent, quàm ii, qui ſunt Doctores legis, & non factores. Non tamen ad hoc officium alii aſſumendi ſunt, niſi quos vita, & doctrina commendat, & Epiſcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat. Hæc fraternè ſcripſi dilectioni veſtræ, ut eorum, qui ſua quærunt, rapacitatem adversùs puſillum Dei gregem compeſcatis, & in clericali militia quietè vivere faciatis.* Vides ex his communem vitam, quam primitivæ Eccleſiæ propriam agnovit Ivo, & ſuorum Canonicorum dicere; adeóque eandem, nec diſſimilem ſpecie diſtinctam, eadémque jura his appropriare ob æqualitatem rationis, quæ Clericis primitivæ Eccleſiæ. Clerici autem ab Ivone per decurſum, & Canonici ſemper dicuntur, ſanè genuini, nec Monachiſmo commixti: ut doceat vir ſanctus, injuriam fieri illis inhibitione finis ſui præſcripti curam animarum exercendi, à quo ſolùm Monachi arcebantur, & quidquid eſſet regularitatis in Canonicis Monachiſmum ſapientis, per reſpectum ad finem purè clericalem etiam Clericale eſſe, neque Monaſticum, ſolúmque tale per quandam æquivocationem nuncupari.

Epiſt. 213.

Cæterùm tertiò: optimè idem obſervat, non tamen ad hoc officium alios aſſumendos eſſe, niſi quos vita, & doctrina commendat, nam hæc præcipuè cauſa fuerat, cùm paſſim ad parochiales curas homines avolarent nullis meritis, nulla pietate, ſcientiáque inſtructi; ut compluribûs comitantibûs vitiis laxitas morum, & Eccleſias, & contentas ſub illis oviculas in baratrum præcipitaret miſeriarum: labes ſimoniaca, fornicaria contubernia, aliáque crimina ſæculis decimô, undecimôque adeò in clero quaſi ingraveſcebant, ut in conſuetudinem, imò legem apud nonnullos cogerentur. Teſtis omnium locô Arialdus Martyr ſit, qui

Digitized by Google

qui cùm in concubinarios Clericos (jure ſibi conjugia prætendentes, beneficiáque Eccleſiaſtica hæreditaria tranſcriptione prolibus, nepotibúſque relinquentes) graviùs inſectatur, ab iiſdem execrandâ planè impietate occiditur an. 1066. His itaque malis viri virtute, dignitatéque Eccleſiaſtica inſignes obviare conantes, dum cupiebant non qualeſcunque ex ſcabioſo grege, ſed ſelectos, & dignos regimini animarum præficere, priſtinam illam legem, moremque Apoſtolicum revocârunt, *ut nullus conſtitueretur Rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus*. Sed graviſſimos motus hic modus in relaxatis Clericis excitavit, ùt vidimus, & ex tunc ſemper quædam conamina ex utraque parte adhibita: hinc, ne (qui regularitatem amplectebantur) inter genuinos, & juribus conſuetis gaudentes Clericos haberentur: inde, ut generalis totius Cleri reformatio fieret, vel ſaltem omnes Canonicæ Congregationes ad hanc redigerentur. Quod patet ex Petri Damiani Ep. 6. l. 1. ex quo, cujus quæſo animo occurrere poſſet, ut crederet, ſeu ſummos Pontifices, ſeu alios quoſcunque Præſules attentare aut voluiſſe, aut potuiſſe, Canonicos omnes ad novam ſpeciem monacho-clericalem adducere? cùm ipſi potiùs horum Regularium genuinum Clericatum contra laxatos defenderent, atque tuerentur, ſemper iiſdem principiis inhærentes, ſe ſtatum Canonicum neutiquam à ſuo inſtituto priſtino avocare, ſed reſtituere ad amiſſam diſciplinam. Hæc verò útùt erant certa, diverſa ſemper agebant in hominibus judicia, & quò ampliùs alióquin tam felix, & ab omnibus piis exoptatiſſima reformatio excipiebatur, eò magìs impediebatur ab adverſariis, & oſoribus regularis diſciplinæ. Ex quibus perſpicimus fontem genuinum, unde ſucceſſu temporis uſque ad noſtram ætatem tot inſtituto noſtro contrariæ, præjudicioſæque opiniones à multis viris quoque doctiſſimis propugnatæ emerſerint! inſtabant ordinis Canonici Præſules ipſi, ac Patres (quotieſcunque cernerent, irrepere in eum cujuſdam maliciæ occaſionem) ut mox authoritate pontificia abſcinderetur: ſícque magis magìſque regularitas quidem ipſa ſtabiliri cœperat, ſed & ex altera parte manes ſuos patiebatur clericalis inſtituti integritas; quò enim ferventiùs invigilabatur per nova adita decreta diſciplinæ, eò callidiùs reperiebant hujus reformationis hoſtes, ut eidem jura clericalia derogarent. Ut enim plurimorum, quæ nobis ſuppeterent, exemplorum unum ſolùm adducamus: cùm Ivo ſufficienter vindicâſſet ſuis Canonicis ingenitum clericatum, júſque ad regimen animarum; ecce tibi, mox ex ipſis Regularibus his, ſeu reductis Canonicis quidam dilatabant fimbrias ſuas, & neſcio, qua ambitione prætendebant jus ſibi quoque competere perpetuitatis, ſeu dein ad proprias ſuis collegiis tanquam matricibus unitas, ſeu alienas Parochias, vel beneficia applicarentur. Graviſſima hæc erat præmiſſæ obedientiæ labefactatio, quæ ſi diſſimulandô tolerata fuiſſet, haud dubiè ſola ſuffeciſſet, ut omnem conatum inceptæ reformationis corrumperet, hinc malo huic jam ſummi Pontifices ipſi ſuppoſuêre manum. Sed nemo clariùs nobis hujus negotii fata ſuggeret, quam Ivonis in fervore Canonicæ reformationis præclariſſimus æmulator Stephanus Tornacenſis. Erigebant ſe, ùt dixi, ſub hoc viro ſanctiſſimo tales Canonici, detractabántque obligationem dimittendi, quod ſemel obtinuerant, Eccleſiaſticum beneficium; urſit rem, nec inani conamine, Stephanus epiſtolâ 109. ad Alexandrum tertium, in qua ſic loquitur: *præter communes Eccleſiæ Dei preſſuras, quibus nova monſtra diebûs noſtrîs Chriſtum iterum crucifigunt, & de Patrimonio ipſius animarum tributa in delicias laſcivientes effundunt*, clamat regularium Pater Auguſtinus re-

Vide Bar. ad annum 1001. & eric Pagii ad eo. præf.

gulam auream, quam ab Apoſtolis mutuò acceperat diripi, frangi, & pedibûs conculcari, inter hujus corruptionis, & inſaniæ filios tanquam mortiferæ cohortis duces erigunt capita Canonici S. Joannis Sueſſionenſis, regularem in ſe præferentes habitum, & ſæcularem obitum inferentes &c. per obedientias, inobedientes vivunt, nec Abbati revocanti, nec corrigenti volunt acquieſcere, nec credere corripienti, hujus nequitiæ ſuæ velamentum, & excuſationis opponunt cauſam, auctoritatem Epiſcopi &c. ſuccurrit lamentanti Stephano Alexander, decrevítque mox, ut poſthàc absque contradictione alicujus Perſonæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, in poteſtate ſit Abbatis, liberè religioſos ſuos ponere in obedientiis, vel ad clauſtrum revocare. Verùm cùm hæc manualitas ad ſimilitudinem iterum Monachorum Canonicos afficeret, ac intereà indies ſtrictior ſuſciperetur norma vivendi à quibusdam eorum, nova commentandi pro his Monachiſmi exorta eſt occaſio; præcipuè cùm ipſi aut nimiùm anxii, aut potiùs juri ſuo robuſtiori clypeô proviſuri in omnibus propè emergentibus caſibus, ubi Monachilis obſervantia alumnos ſuos àrcere ſolebat, & non niſi Pontificii oraculi definitio expetenda erat, pariter ad hanc communem ſedem recurrerent: hinc jam ſub Alexandro tertio (ſed incaſſum: ùt inferiùs pluribûs exponemus) conabantur quidam probare Canonicos Regulares ad Epiſcopatus promotos non poſſe uti iis communibûs veſtimentis, quibûs utuntur ad hanc dignitatem evecti genuini clerici, ſed oportere eos ſequi ritum Monachorum. Recrudeſcere lis iſta ampliùs cœpit ſæculò decimò quintò, deciſio à Leone decimo in favorem lata eſt Canonicorum Regularium. Verùm quidquid in his, ſimilibúsque cauſis iidem à ſede Pontificia obtinerent, notam Monachiſmi affictì abolere apud Cenſores plùs quàm nimios non poterant: quin eò magis ſemper ab adverſantibus huic inſtituto reſuſcitabatur, quò plures edebantur Canones, quibûs illi inter arctiores, & Monachis communes conſuetudines conſtringebantur: ſuggerentibus illis, hæc omnia ſummorum Pontificum effata, quæ clericatûs jus Can. Reg. affirmabant, non eſſe juris aſſerti, ſed gratiæ, aut privilegii ex favore conceſſi.

Porrò ſi rem penitiſſimè perſpiciamus, cur Canonicis Regularibus tam preſsè jura ſua in diſceptationem vocentur, atque qui tot graviſſimis ſummorum Pontificum oraculis participes facti ſunt Monaſticorum favorum, ad odioſa quoque, ùt dicere ſolemus, adigantur, tota ratio verſari comperietur in propria ſua, eáque laudabiliſſima (licèt in principio liberrima) voluntate, quâ, dum aliàs neutiquam niſi ad communem Apoſtolicam vitam, ùt inquit Alexander ſecundus *reaſſumendam* rogabantur, potiùs quàm compellebantur, poſtmodùm novis identidem in ſubſidium perſeveraturæ, ùt diximus, diſciplinæ conſtitutionibûs, medíſque præſcriptis, atque aſſumptis, illud propemodùm hac ſua pietate reportârunt, ut à prima ſua inſtitutione ob eam ipſam cauſam, quâ illam tueri firmiùs ſperabant, pertinaciùs perturbandi quærerentur. Verùm quàm inſolidè, nullóque veritatis evincentis argumento? ex adductis à nobis ſolutionibus, atque reſponſis clariſſimè apparet.

Ultimum demum diſcrimen inter hodiernos Canonicos Regulares, & clericos præcipuè à magno Auguſtino ad regularem vitam reductos movet Doctiſſimus Thomaſſinus, quod hic adducere ideò conſultum putavimus, ut (cùm quibusdam placeat, Auguſtinum ordini noſtro ſeu authorem, ſeu reſtauratorem negare, aſſerentibus, hunc ſanctum Doctorem inſtitutum formâſſe à noſtro ſpecie omninò diverſum, eorum verò argumenta penè in unum congerat præfatus Thomaſſinus) in hujus contextu

textu perſcrutando reliquis etiam à quocunque moveri ſolitis difficultatibus reſpondeamus. Sic ergò ille.

Supereſt, inquit, *paucis perſtringenda Seminarii Auguſtiniani Clericorum diſſonantia vel conſonantia cum Canonicis Regularibus extremæ hujus Eccleſiæ ætatis. Et hi enim nomine, & multò magis Auguſtini virtutum æmulatione gloriantur. Magna eſt autem imprimis conſonantia, ultrò enim Clerici ſunt, triplici ſolenniori votô obligati, communem vitam agentes, clericalibúsque functionibus omnibus deditiſſimi. Sed & diſſonantia eſt nonnulla, Auguſtini enim clericos nulla à clericis aliis veſtis ſpecialis diſsjungebat, niſi communium veſtium modeſtia quædam ſingularis, menſæ eorum non inferebantur niſi olera, & ſi quid carnium ibi adderetur, iis non alii, quàm vel hoſpites, vel infirmi veſcebantur. Vinô quidem non penitùs abſtinebant, & eò diſcrepabant à Monachis, quibus perpetua tam quidem carnis, & vini abſtinentia indicebatur. His adde, quòd ſeminarii Auguſtiniani clerus, clerus erat ipſe Eccleſiæ Cathedralis, una domô, menſáque cum Epiſcopo utens, continentiam non vovebant, niſi dum ſacro initiabantur ordine. Obedientiam non profitebantur niſi Epiſcopo ipſi, qui ſuperior, Præpoſitúſque eorum ipſe erat immediatus; nec eam profitebantur niſi in ordinatione ipſa ſua. Unde & quod ad obedientiam, & continentiam pertinet, omnia ipſis cum clericis quibuslibet aliis majoribus communia erant. Evangelicam paupertatem clerici Auguſtini tum profitebantur, cùm ordines ſacros ſuſciperent, qui eâ demum lege eis conferebatur.* Hæc univerſim diſcrimina profert Thomaſſinus. Fortaſſe tamen iſtis adhuc ab adverſa parte adjungi poſſet diſcrepantia quædam, eáque non exigua ſeſe inſinuans in ipſis S. Auguſtini clericis religioſis, & iis, quos noſtra Canonica religio complectitur. Nam cùm ex ipſis Thomaſſini verbis appareat, vota ab Auguſtinianis clericis priùs emiſſa non eſſe, quàm ſacrô ordine initiarentur, exinde inferendum liquidò eſſet, nullos planè in ea congregatione converſos aut ſuſceptos fuiſſe, aut ſuſcipi potuiſſe, eò quòd clericali inſtituto repugnet, ut illud converſi laici, finíſque Principalis in hoc intenti incapaces profiteantur: hinc neceſſariò ſequi, inſtitutum modernum Canonicorum Regularium, quod converſos Laicos in ſuum gremium aſſumit, longè ab Auguſtiniano diſtinctum exiſtere. His ergò propoſitis dubiis, opus eſt, ut ordine reſpondeamus.

Primam de diſcrepantia veſtitûs difficultatem ex parte jam alibi expedivimus: Auguſtini veſtitum diſtinctum non ſolùm à Laicali fuiſſe, ſed & talem, qualem complures moderni Canonici portant, antiquitatis laudatiſſimæ veſtigia in candoris integritate retinentes; breviter explanabimus, cùm quæſtionem agamus exilis negotii: quia enim ex ipſius ſancti Auguſtini teſtimonio diſtincto à laicis veſtitu clericos ſuos inceſſiſſe novimus, nil obſtat, ut à paritate rationis, idipſum de ſancto Patre affirmemus, utpore qui diſſertè inquit, *de communi accipiam mihi ipſi, cùm ſciam commune me habere velle, quidquid habeo. Nolo, talia offerat Sanctitas veſtra quibûs quaſi ego ſolus decentiùs utar.* Cùm autem eodem in ſermone diceret, *talem habere debeo, qualem poſſum, ſi non habuerit, fratri meo dare, qualem poteſt habere Presbiter, qualem poteſt habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere; quia in commune accipio.* Manifeſtè innuit, ſe de veſtitu quotidiano clericis congruenti, non laicali diſſerere: alióquin neutiquam ſolos Presbiteros, Diaconos, Subdiaconos nominaſſet, ſed ſimpliciter, de veſtitu homini cuicunque modeſtiæ ſtudioſo competente diſcurriſſet. Præterea ſcriptorum communis alióquin eſt ſenſus (proùt alibi fuſiùs loquebamur) per lineam, de qua in eodem ſermone Auguſtinus: *nemo det Byrhum vel lineam tunicam, ſeu aliquid niſi in commune*, veſtem ſe illam intellexiſſe

ſe, quam usque nunc Canonici in ſignum ſuæ inſtitutionis portant, quámque antiquiſſimis temporibûs diſcretivam monſtravimus eſſe clericalis profeſſionis; hâc ſanctiſſimum Patrem, uſu quotidiano & extra ſacra, veſtitum inceſſiſſe, diſcimus ex Epiſtola 218. ad Sapidam Virginem ſcripta, ubi dicit, ſe *tunicam illam* (haud dubiè lineam) quam illa ſuo Germano inter Auguſtinianos clericos induendam, ſed jam antea defuncto miſerat, pro ſuo uſu accepiſſe, *feci*, inquit, *quod deſiderâſti - - - miſſam abs te tunicam accepi, & quando hæc ad te ſcripſi, eâ me veſtire jam cœperam.* Ut nil hic de interiori habitu memoremus, quem non minùs diſtinctum colore certô fuiſſe, non pauca ſunt, quæ perſuadent. Et dum nos aliàs pro candido peroravimus, eò firmiùs in hac opinione perſiſtimus, quò certius eſt, nullum tempus aſſignari poſſe, quo hic candidus veſtitûs clericalis color primùm clericis proprius factus ſit: ita quidem, ut ad hodiernum diem ſummus Eccleſiaſticæ Hyerarchiæ Præſes non alio niſi albo colore in ſuo communi indumento utatur, nec ejus rei ullum conſtet initium: ex quo concludi legitimè poteſt, antiquiſſimum hunc coloris ritum eſſe, & nullâ ejus Initium memoriâ aſſequendum. Atque hæc de veſtitu Auguſtini, ſuorúmque clericorum diſtincto dixiſſe ſatis ſit, ſimúlque remonſtrâſſe Thomaſſini primam diſſonantiam de veſtitu inter Auguſtinianos Clericos, & Canonicos noſtrates obſervatam nullam eſſe.

Novæ edit. 218. veter. 148.

Secundum diſcrimen, menſam S. Auguſtini ſolis oleribûs proviſam aſſerens, idem forſitan eſſe poſſet, quod & veteres Benedictinos à modernis diſcerneret, utpotè apud quos, dum paſſim tam ſanctè per B. Benedictum obſervata regula fuerat, *ut carnium quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omninò debiles, & ægrotos.* Nunc ea penè communiter recepta eſt cum ſuperiorum abſque dubio legitima diſpenſatione, quod ſi non immutat ſpeciem infirmam in inſtituto monaſtico, cur in clericali? quibus longè magis liberum eſt ex ſui inſtitutione aut veſci carnibus, aut abſtinere: fecit id Auguſtinus, fecêre & tempore aliquo Windeſemenſes, Portuenſes &c. quod ſicut non ex inſtituti eſſentia, ſeu præſcripto ritu, ſed libera voluntate receptum eſt, ſic potuit ſine ejuſdem immutatione dimitti, quamvis & hæc à carnibus abſtinentia prout Monachis tunc ſolita, nunquam in Auguſtino tam patulè probari poſſit: *neque in dexteram*, inquit: Poſſidius, *neque in ſiniſtram declinans, menſâ uſus eſt frugali, & parcâ, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites vel quoſcunque infirmiores continebat.* Si propter quoſcunque infirmos, ergò & propter ſe ipſum, utpotè qui teſtatur ſerm. 1. de vita & mor. cler. *ſe per ætatem quidem ſenuiſſe, ſed per infirmitatem corporis olim ſenem eſſe.* Et eandem imbecillitatem, ſeu ægritudinem corporalem confirmat Epiſt. ad clerum hypponenſem, apud quem ſe de dilatione ſui adventûs excuſat. *Noverit*, inquit, *dilectio veſtra, nunquam me abſentem fuiſſe licentioſa libertate, ſed neceſſaria ſervitute, quæ ſæpè ſanctos Fratres, & collegas meos etiam labores marinos & tranſmarinos compulit ſuſtinere, à quibus me ſemper non indevotio mentis, ſed minùs idonea valetudo corporis excuſavit.* Denique Ep. ad Profuturum innuit ſymptomatis ſe affligentis qualitatem, ex qua ſatis colligi poteſt aſſiduus quidam corporis languor. *Secundùm ſpiritum*, inquit, *quantùm Domino placet, atque vires ipſe præbere dignatur, rectè ſumus. Corpore autem ego in lecto ſum, nec ambulare enim, nec ſtare, nec ſedere poſſum Rhagadis vel Exochadis* (obſtructas ſeu intumeſcentes Hæmorrhoides intelligit) *dolore & tumore.* Dein rursùs certum eſt, ex ipſius Poſſidii teſtimonio, eum ſemper vinô uſum fuiſſe ſem-

Cap. 39. reg. Bened.

De vita S. Aug. c. 22.

Ser. 355. n. 7.

Ad popul. & Cler. Hyp. Ep. 122.

Ep. 38. ad profuturum.

In vita c. 22.

ſemper autem, inquit: *vinum habebat, quamvis modicè, & temperanter, quia noverat, & docebat ùt Apoſtolus dicit, quòd omnis Dei creatura bona ſit, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Et ùt idem Auguſtinus in ſuis confeſſionum libris poſuit, dicens: non ego immunditiam Obſonii timeo, ſed immunditiam cupiditatis. Scio enim Noe omne genus carnis, quod cibo eſſet uſui, manducare permiſſum, Eliam quoque cibô carnis refectum. &c.* Hæc & plura in teſtimonium manifeſtum (Auguſtinum, & carnibûs, & vinô uſum fuiſſe) Poſſidius.

Verùm quod jam diſcrimen in eo ſtatuit, Auguſtiniani Seminarii clerum illum ipſum Cathedralem fuiſſe, unâ domô, menſâque cum Epiſcopo utentem, non ſatis apprehendo, in hoc ſpeciem velle diſtinctam aſtruere, aut tantam diſcrepantiam, quaſi Canonici Regulares hodierni non Cathedrales, eſſent diverſi ſpecie à Cathedralibus, licèt Regularibus: quod tamen (quia quibuſdam ipſis Canonicis Regularibus Cathedralibus hoc tempore affirmare lubet) expedit Authorum claſſicorum indubitatâ ſententiâ diluere. Itaque hac in quæſtione audiendus Emanuel Rodericius vir ſanè omnium calculô doctiſſimus.

Magnum, inquit, in præſentiarum ſolet dubium agitari, utrum Regulares Canonici Cathedralium Eccleſiarum ejuſdem ſint ordinis, & conditionis cum reliquis Canonicis Regularibus. Pro cujus gravis dubii explicatione advertendum eſt, quod Joannes Trullus aſſerit: quòd non defuerunt olim, nec hodie deſunt, qui hanc levem opinionem ſint ſecuti, ſibi ſuadentes Canonicos Regulares Eccleſiarum Cathedralium non eſſe ejuſdem religionis, & ordinis cum Reliquis Canonicis Regularibus, Monaſteriorum & collegiatarum inſignium Eccleſiarum. Ad quam opinionem refellendam, duo fundamenta jacit idem Author. Primum fundamentum eſt, quamvis Eccleſia Cathedralis Canonicorum raro, aut nunquam monaſterium, aut cœnobium appelletur, quia tamen regularis eſt, veriſſimè monaſterium eſt, atque cœnobium, & conventus, ſi quidem vulgare eſt, ſub nomine Eccleſiæ Monaſterium etiam intelligi, atque comprehendi. Hinc eſt, quòd divus Auguſtinus in ſua regula, octo in locis, regularium Canonicorum domum, & monaſterium nuncupaverit, quæ tamen Eccleſia Cathedralis eſt. Secundum fundamentum eſt, ubi eſt idem religionis habitus eſſentialis, eadémque ſolemnis profeſſio, ibi idem eſt ordo, & ratio, hac enim ratione, atque diſcrimine univerſæ religiones à ſe invicem diſcrepant, & ſecernuntur. Quibûs præjactis fundamentis hanc firmam proponit concluſionem dictus Author. Omnes Canonici Regulares tam Eccleſiarum Cathedralium, ſive monaſteriorùm, ejuſdem ordinis, & religionis ſunt, quoniam ubi eſt eadem habitûs eſſentialis, & profeſſionis ratio, ibi eſt eadem juris diſpoſitio, ſed univerſi Canonici Regulares eandem profeſſionem emittunt, eundémque habitum gerunt, nempe togam lineam, igitur omnes Regulares Canonici etiam Cathedrales ſunt cum reliquis ejuſdem ordinis, & religionis. Et hoc conſtat ex traditis à D. Antonio Florent. dicente in Eccleſia Cathedrali Oxamenſi in regno Caſtellæ ſub Didaco Epiſcopo inſtituti ſunt Canonici Regulares, è quorum numero, & Canonicus, & Superior B. Dominicus, qui erat profeſſus ſecundùm regulam B. Auguſtini, quam poſteà ſuis Fratribus Prædicatoribus tradidit. Et Innocentius tertius hanc rem nobis inſinuavit, Cantuarienſi Epiſcopo ſcribens: innotuit nobis, quòd Wigorenſi Eccleſiâ deſtitutâ Paſtore, Prior, & Conventus ejuſdem loci Magiſtrum M. Archi-Diaconum Eboracenſem in Epiſcopum elegerunt. Et idem Innocentius ait, cùm Wintonenſis Eccleſia Paſtore vacaret, Archidiaconus cum ſuis fautoribus Salubien. Decanum, Prior verò, & complices ejus præcentorem Lincon. in Epiſcopum elegerunt. In quo loco gloſſa ſummaria Vintonenſem Eccleſiam, & Priorem habere, & Conventum eſſe affirmat, ergò Canonici illarum Eccleſiarum Cathedralium Regulares erant, id, quod & Joannes

Digitized by Google

annes Andreas aſſerit. Id ipſum etiam probatur ex alia decretali. ibi G. qui in tua, & Toloſana Eccleſia eſt Archidiaconus conſtitutus, & in utraque Eccleſia regulariter profeſſus, quo in loco ait gloſſa Canonicum Regularem poſſe fieri Archidiaconum. Prætereà id conſtat ex aliis juribus C. cùm ſuper electum, & in C. ſicut nobis de regul. juncta gloſſa, in quibus legibus Canonicos Bethlehemiticos & Nazarenſes emittere ſolitos profeſſionem ſecundùm regulam divi Auguſtini, dareque conſueviſſe habitum lineum, qui proprius eſt habitus Canonicorum Regularium, & ſic in diſpoſitione illorum jurium locus ille Canonica vocatur, & pro verbo profiteri, *gloſſa utitur verbô Monachari: ſed has prædictas Eccleſias Cathedrales eſſe, compertum eſt ex regiſtro Innocentii tertii, ergò Canonici Cathedrales ſunt etiam regulares cum cæteris. Sunt & alia quàmplurima juris Canonici loca, quæ rei prapoſitæ ſtabiliendæ non parùm conducunt, ea tamen ad amputandam faſtidioſam prolixitatem prætermittimus: ſi quis verò ea de re plura noſſe cupit, perlegat Auguſtinum Ticinenſem in propugnaculo Canonici Ordinis, qui rem & copioſè, & luculenter perſtrinxit:* Hæc Rodericius.

Addamus hìc: ſi Cathedrales Canonici Regulares diſtincti eſſent à reliquis in ſpecie inſtituti, ſeu ordinis, hæc diſtinctio aut ſe haberet (præter ea, quæ ſupra ex Trullo Rodericius meminit) ex parte majoris, minorisve laxitatis, qualis allegatur in capitulo, *quod Dei timorem,* inter Monachos, & Canonicos quoad regulam laxiorem &c. aut ex parte præeminentiæ tum ipſius Eccleſiæ, tum Præſidentis? utpotè, quòd ibidem ſoleat ſaltem in Eccleſiis non exemptis, Epiſcopus Prælati, ſeu Superioris Principalis prærogativam tenere. Sed neque iſta vel in minimo obſunt analogicæ rationi Canonicorum Cathedralium, & non Cathedralium: non excellentia Prælatorum, quid enim ad ſpeciem ordinis refert, an Epiſcopus, an eô minor præſit? nec unquam auditum eſt, ex superiorum dignitate (ordinem aliunde non attingente) ipſius religionis ſpeciem diſcerni. Neque etiam laxior vivendi ratio, quæ quomodocunque eam fortaſſe Cathedrales prætendant, libertatis, non juris ullius eſt indicium. Et certè, ſi ex laxitate diſcrimen eruimus, aut nunquam ſæculô duodecimô Eccleſiæ celeberrimæ Arauſicana, Albienſis, Arelatenſis, Caturcenſis, Eugubina, Narbonenſis, Toletana, Toleſana, Oxamenſis, Barbaſtrenſis, Saliſburgenſis &c. Cathedrales tunc, dum Regulares erant, aut nunquam regulares, etſi ùt Cathedrales non ſolùm regulam S. Auguſtini earum Canonici profiterentur, ſed eâ morum quoque, vitæque integritate, diſciplinæque religioſæ obſervantiâ præeminerent, ut fortè vix, ac ne vix permultos inferiores, quamvìs ſanctè, piéque uſquedum converſantes, Regulares Canonicos æſtimare poſſis eorum inculpatam vivendi normam adæquare. Apage igitur, cum hoc laxioris modi vivendi diſcrimine, quô ſe tales (prô dolor) Cathedrales jam ſæpiùs non in aliam religionis, vel ſacri inſtituti, ſed ſæcularitatis ſpeciem commutatos, fuêre experti.

Aliam iterum diverſitatem inſinuat Author in qualitate emiſſionis votorum, imprimis hanc ipſi ordinum ſacrorum ſuſceptioni affigens; dein obedientiam non niſi Epiſcopo dicens præfatos Clericos Auguſtinianos fuiſſe profeſſos: ex quo forſitan quidam inducti ſunt, ut iiſdem omnem omninò votivàm vitam abjudicarent, utpotè, quòd Clerici S. Auguſtini votum Evangelicæ pauperratis, & ipſam obedientiam non immediatè Deo, ſed ipſi Epiſcopo, vel Præpoſito nuncuparent; cùm autem votum ſit promiſſio deliberata Deo facta de meliori bono, ſi fiat promiſſio ex cauſa obedientiæ ſolùm Epiſcopo, vel Confeſſario, vel Parocho, talis voti rationem non obtineret.

At

At qualiſcunque difficultas utrinque appareat, in re aut levis eſt, aut omninò nulla, quid enim gratis aſſeritur Clericos Auguſtini vota ſua nonniſi ad ſuſceptionem ordinum Deo litâſſe, cùm contrarium ipſe nos doceat Auguſtinus, ſic loquens in citato ſermone de vita Clericorum: *Sanè, inquit, hoc noverit charitas veſtra, dixiſſe me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, & commune illud faciat: Eccleſiam habet, per quam Deus nos paſcit. Ego dedi dilationem uſque ad Epiphaniam, propter eos, qui vel cum fratribus ſuis non diviſerunt, & dimiſerunt, quod habent apud fratres ſuos, vel nondum de re ſua aliquid egerunt, quia expectabatur ætas legitima.* Nihil hìc de ordinatione, aut ſuſceptione majorum Ordinum S. Pater memorat, ſed ſolam inducit, aut *diviſionem rerum*, quam ante profeſſionem peragendam deſiderat, lapſu Januarii commotus: aut *legitimam ætatem*, quæ præfixis ordinum ſacrorum annis neutiquam alligata erat. Ordinum, inquam, ſacrorum: ipſo enim Thomaſſino teſte, Subdiaconatus non ſolùm per priora quinque ſæcula, ſed & Gregorii tempore necdum inter ſacros ordines computabatur, hujus primùm decretô ad continentiam obligabantur profitendam. Itaque Auguſtini tempore nepos ejus Patricius, Subdiaconus ideò ſolùm de ſua qualicunque paupertate, quod ſtatuerat, nondum fecit, partim, quòd Matris vita impediebat, quia inde vivebat: partim verò, quia exſpectabatur in illo etiam legitimæ ætatis acceſſus, ut, quod faceret, firmiſſimè faceret: Auguſtini ergò decretum non erat, admittere ad votorum emiſſionem tum, ubi in ſacris ordinabantur, ſed cùm legitimam ætatem accedentem haberet vovere intendens. Ætatem attendit Auguſtinus non illam, quam jura requirunt ab impubertate liberam, ſed quæ adeò ſufficiens eſſet ad diſponenda teſtamenta, & legata, ùt vocamus, pia, ut nulla cura, aut occaſio obtrectantibus præberetur. Certam ergò profeſſionis religioſæ epocham aſſignare in Clericis Auguſtini non video, an quis poſſit? ſed quid hæc ad inſtituti religioſi iis temporibûs conſtituendam ſpeciem, ſubſtantiámque? utpotè, cùm nil intererat, quando, ſed utrùm voverint, & nec iſtud modernis attendatur temporibûs, cùm quivis ad vota religioſa profitenda ſit aptus, ſi modò Concilii Trident. decretô 16. annum compleverit: ſeu dein multis luſtris eundem ſuperaverit, ſeu in ſacris conſtitutus diù jam Presbyterum egerit. His igitur facillimè dimiſsis, ad alteram partem tranſeundum de votis Epiſcopo, non Deo præſtitis ab Auguſtini Clericis.

P. 1. c. 51. n. 2. 3.

Notat ex Leſſio Laymannus profeſſionem talem fore nullam, quæ fieret Confeſſario, vel Epiſcopo, *cùm*, inquit idem, *tali votô non ſubjiciantur ſpirituali jurisdictioni, quippe, quæ à Chriſto medio eius Vicario ſummo Pontifice provenire debet, quare cùm ejuſmodi hominum ſubjectiones Eccleſia, ejúſve ſupremus Paſtor non acceptet, & approbet, ideò nec Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur.* Et Leſſius invalidæ Profeſſionis eum decernit, qui Prælato eandem deſpondet poteſtatis ſibi à Chriſto in taliter profitentem datæ excorri: objicítque ſibi, poſſe ſcilicèt quempiam ſe alteri ſubjicere, eligendo eum in Superiorem, eíque promittere caſtitatem, obedientiam, & paupertatem: ſed reſpondet, eô caſu non habiturum poteſtatem ſpiritualem, ſed ſolùm naturalem, quam nemo alius, niſi vovens ipſe detulerit, hanc verò non fore jurisdictionis requiſitæ. Hæc ex duobus iſtis Authoribus attuliſſe, refutâſſe eſt, quod de nullitate voti obedientiæ in Clericis S. Auguſtini prætexitur, apparétque, totam objectionem fucô illitam eſſe, & inani commentô. An enim Clerici illi Auguſtino voviſſe dicuntur, tanquam

Lib. 4. tract. 5. c. 1. n. 7.

Leſſ. l. 2. c. 41. de St. relig. dub. 1. n. 10. & 11.

quam extraneo homini, & Epiſcopo eoſdem non attingenti? an tanquam legitimo, certóque Superiori, atque Prælato? cui tanta in ſubditos ſuos Clericos jurisdictio competebat, quantam vel in quocunque Abbate, aut religioſo Prælato fas eſt reperire: utpotè, quòd eorum tunc authoritati ab Eccleſia pleniſſimè committeretur inſtituta religioſa approbare, Monaſteria fundare, & ſeipſos quoque tanquam legitimos Superiores præficere. Fecit id Baſilius, Gregorius Nazianz. Joannes Chriſoſt. Athanaſius in Oriente, Euſebius Vercellenſis, Ambroſius, Cæſarius, Arelat. aliíque in occidente, quin quod Didacus de la motta apud Barboſam obſervat, ante Concil. Lateranſ. ſub Innocent. III. *Non erat neceſſe quærere approbationem religionum à Papa, ſed approbatione Epiſcoporum inſtituebantur.* Quòdſi jus iſtud Epiſcopis fuit, ut religionem approbarent, quantò magìs concedendum erit, ut pridem ab Eccleſia approbatam, aut in ſuam Diœceſim, aut in propriam Cathedralem inducerent, eſséntque ipſi immediati Prælati, eò potiori poteſtate, quò evidentiori gaudebant in ea inſtituenda authoritate? Et quod amplius eſt, ſi jus iſtud legitimi Superioris perſonam in aliqua religione ſuſtinendam Epiſcopis denegemus, certè longè magìs illud abjudicandum erit viro privato quantúmcunque etiam pio, ac ſancto, quid igitur de ſanctiſſimo in Occidente Monachorum Patriarcha Benedicto? quid de eius fulgentiſſimo ordine pronuntiabimus? cujus dum paſſim ad annum 520. ſcriptores initium affigunt, profectò ſententiam ſuam eò minùs ſalvare poterunt, ſub ſancto Benedicto profeſſos veros Religioſos fuiſſe, quò certiùs conſtat hunc ſanctum virum nec ulla Epiſcopali jurisdictione aut ornatum fuiſſe, aut munitum: neque ullis ſummorum Pontificum decretis ante magnum Gregorium ſpecialiter ejuſdem

De offic. & poteſt. Ep. p. 3. alleg. 56. n. 47.

Vide Tambur. de jure Abb. t. 2. diſp. 24.

ordinem approbatum reperimus. Intereà annîs plùs minùs octoginta fluentibûs, quorum intervallô hic idem quantùm in Italia, Galliáque profecerit, Oſtienſem hiſtoriam hujus ſancti Ordinis deducentem conſulenti patebit. Quamvìs enim Joanne tertio, vel Pelagio annô 548. aut 568. Longobardîs Caſſinenſe Monaſterium devaſtantibûs ejus loci Monachi Romam confugientes ab eodem Monaſterii cujusdam conſtruendi licentiam obtinerent, non tamen exſtat, illos ſub alia, quàm quorumcunque Monachorum forma in dicta urbe tanquam communi omnium Deo ſervientium præſidio fuiſſe receptos; maximè dum iſti ſcriptores hujus præclari ordinis teſtantur, regulam tanquam Monaſtici inſtituti animam non ante, quàm ſub præfato magno Gregorio fuiſſe approbatam. Manet ergò extra omnem aleam indubitata reſponſio, Epiſcopis, Confeſſariis, Parochis emiſſum votum nullô profitentem vinculô religionis ligare, ſi iidem non ſimul legitimi in religione Superioris perſonam ſuſtineant; ſi ſecùs? nemo Authorum id aſſeverabit; alióquin rursùm periculosô fluctuaret navigiô mox nominatus celeberrimus ordo, de quo teſtatur Caramuel, in Profeſſionis formula paſſim hæc verba neo-profitentes efferre. *Ego Frater N. promitto ſtabilitatem meam, converſionem morum meorum, & obedientiam vobis Reverendo Domino N. Abbati, & Succeſſoribus veſtris, coram Deo, & omnibus Sanctis ejus &c.* Vides hìc Profeſſionem, ſeu promiſſionem obedientiæ *Abbati* fieri *coram* Deo, quòd ſi ergò tam liberaliter Epiſcopo, non Deo promiſiſſe obedientiam Clericos Auguſtinianos dixeris, ideò eorum vota à vera religioſa Profeſſione excludens, non video, quam diſcrepantiam in hac Ordinis Benedictini Profeſſione deſignes, niſi dicas in eo haberi, quòd hæc Abbati fiat tanquam approbatæ religionis Prælato, econtrà Seminarium

Vide Annal. Mab. n. 1. & Onuphr de 7. Eccl.

Comment. in reg. S. Ben. n. 513.

rium Auguſtini Clericale fuiſſe, Religioſum non fuiſſe. Redis igitur eò, ubi primò ſiſtendum eſt, Auguſtinum, & Epiſcopum fuiſſe, & Clericalis religionis in ſua, ſeu Diœceſi, ſeu Cathedrali Eccleſia legitimum, immediatúmque Prælatum: neque effugies, niſi tunc ſæculô quintô (dicam penè, & ſextô) nullum ſtatum religioſum, ne quidem monaſticum exſtitiſſe contenderis contra torrentem omnium eruditorum.

Denique jam ad ſupremum deſcendendum eſt dubium, quod converſos in noſtra religione non rarò ſuſcipi ſolitos concernit; breviter illud expediamus, neque enim neceſſe eſt diù inhærere objectis illis, quæ dudum ante nos viri doctiſſimi diluerunt. Unum Pelizarium audiamus: quærit is, an religioſi Laici (quos vocant converſos) veniant in jure nomine clerici? Reſpondet, non venire in odioſis. Dein ad rem noſtram ſubdit: *hi námque dici poſſunt eſſe ex religione clericorum regularium, non tamen dici poſſunt clerici regulares, ſicut neque converſi Canonicorum Regularium dicuntur Canonici Regulares, eſto ſint de religione Canonicorum Regularium.* Hæc Pellizarius, eâ vel maximè ratione juris inductus, quòd divo Thoma Duce, ipſi-que ſummis Eccleſiæ capitibûs ſemper id affirmantibûs, omnes melioris notæ, nullarúmque partium ſtudioſi authores conclament, Canonicos Regulares vi inſtituti ſui Clericos eſſe, cùm igitur Canonicus non ſolùm ſanctitatem, id eſt, regularem vitam, ſed & clericatum includat, ſecundùm ſtrictiorem, & nativam Ethimologiam ſuam Canonicus ſine clericatu eſſe nequaquam poteſt, dixi ſecundùm nativam Ethimologiam ſuam, non enim ignoro etiam Laicos præbendarios non rarò Canonicos dictos, at remotiùs illud: ſicut & ſæcularis ſine voto, & ſolitudine Monachus appellari valet, imò & appellatus eſt, nomen illud ſolùm ex quadam ſimilitudine participans.

Diſſolvimus igitur, quæ adhuc dubia occurrere poterant diſcrimen moventia inter priſtinos Regulares, ſeu Clericos, ſeu Canonicos, & noſtros modernos: neque diffidimus ſatisfeciſſe nos iis, quibus tamdiu adverſari in animo eſt, uſque dum elucentem videant veritatem, quod certè omnium eſt ſcientiam cum virtute amantium. Verùm, dum ex his quidem eluctati ſumus, grandis adhuc nobis in alia difficultate reſtat via, quam, cùm potuiſſemus inter ipſa hæc relata dubia recenſere, conſultò in novum formandum caput diſtulimus, utpotè prolixiori calle metiendam. Sit igitur.

CAPUT V.

An Canonici Regulares moderni ſiquidem veterum Clericorum genuini Succeſſores, ſint capaces beneficiorum ſæcularium.

Cùm in rebus ſimilibus idem ſit ferendum judicium C. in cauſis 19. de ſent. & re judic. C. ſuper. 4 de ſtat. Monach & can. non difficulter præſenti quæſtione expediremur, dum per hanc totam exegeſim monſtravimus ſimillimam modernorum, ac priſtinorum Canonicorum ſui inſtituti rationem, ex quo concludendum omninò eſſet, ubi eſt par utrobíque, & analogica ratio, ibi par quoque debet eſſe jus, & conditio. Sicut igitur priſtinis Canonicis ex finis ſui præſcripto, nullo legum Canonicarum arcente limite, competebat capacitas ad qualecunque demum regimen animarum, ſic ſanè hæc ipſa derogari, aut abnegari ſine gravi præjudicio Canonicis Regularibus nec hodiernis poſſe videtur.

Verùm non tam facilis via panditur, quâ ex arena hujus ingentis controverſiæ abire liceat, utpotè

tot ſcriptoribûs, authoribûſq; adeò confuſam, perplexámque reddentibus, ut contra evidentiſſimum ipſorum Canonicorum Regularium jus (quô etiam ad ſæculum uſque 16. imperturbatè fruebantur) à recentioribus Doctoribus penè conclamatum ſit. Nos ipſius primò quæſtionis ſtatum, dein obortæ controverſiæ circumſtantias, modúmque, ac demùm opinionis noſtræ ſenſum, & fundamenta dabimus, adverſantium objecta ſat nervoſis argumentis expedituri.

1. *Origo hujus controverſiæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica, quorum natura, & modus ideò breviter hic diſquiritur.*

Beneficiorum Eccleſiaſticorum naturam, & qualitatem Canoniſtarum more iſthìc explicare, non fert inſtituti noſtri intentio, & operis hujus propoſita reſtrictio, ſaltem eò collimans, ne ultrà metam nimiùm excurramus: de his, qui ampliſſimam ennarrationem deſiderat, Thomaſſini prolixum de beneficiis tractatum requirat. Solùm ex eo ſequentia annotamus.

Beneficia in Eccleſiaſticis bonis, ea dicebantur, quæ ex agris, ac fundis Eccleſiæ alicui donabantur, aut legabantur, & exinde ab Epiſcopis, ac Præſulibus Eccleſiæ laicis ad uſum concedebantur, ut hi pro regni, Ecclesiæque tuitione ſtipendia facerent: eadem verò bona leguntur quoque clericis, monachíſque fuiſſe commodata, ut hi uſumfructûs ex iis perciperent, dominio in rem ipſam imperturbatè penès Eccleſiam permanente, unde in canone 23. Concilii Aurelianenſis primi annô 511. habiti legitur. *Si Epiſcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas clericis, vel Monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; etiamſi longa tranſiiſſe annorum ſpatia probantur, nullum Eccleſia præjudicium patiatur, nec ſæculari lege præſcriptio, quæ Eccleſiæ aliquid impediat, apponatur.*

Verùm ſucceſſu temporis beneficium Eccleſiaſticum demum dici cæpit, *jus illud perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum.* ùt videre eſt apud Pereyram: cùm enim paſſim conſtruerentur Eccleſiæ Parochiales, híſque annecterentur certi proventus tum ex decimis, tum aliis bonis Eccleſiæ illi ex liberalitate fidelium collatis, Epiſcopi aliquotam ex his portionem aſſignabant ad honeſtam ſuſtentationem unius, vel plurium Presbiterorum, qui ibidem conſtituti plebi, quæ animæ neceſſaria ſunt, conſtanter adminiſtrarent. Dicitur autem *jus perpetuum*, quia talî beneficiò donatus, ne quidem ad libitum Epiſcopi eòdem privari poterat: unde Concilium Nemauſenſe anni 1096. veſtigiis antiquiſſimis inſiſtens *ſacerdotes*, inquit, *quando regendis præficiuntur Eccleſiis, de manu Epiſcopi curam animarum ſuſcipiant, ubi & in tota vita ſua Deo deſerviant, niſi Canonicô degradentur judiciô.* Neque tamen ſub beneficii Eccleſiaſtici nomine ſolæ veniebant Eccleſiæ Parochiales, verùm etiam quidquid erat temporalium bonorum, quæ Eccleſiæ poſſidebant, ut ex iis fructus clerici perciperent, qualia ſunt, agri, fundi, domus &c. ſed quia iſthìc preſsè de beneficiis, proùt ea non ſolùm proventus, ſed & officium quoddam conſtituunt, loquimur, illam ampliorem de beneficiis ſuggerendam notitiam dimittimus.

Elucid. l. 2. Elucid. 19. n. 1284.

Can. 9.

Erant igitur Clerici quicunque in ipſa ſua ordinatione certo titulo affixi alicujus Eccleſiæ, ſeu collegiatæ, ſeu Parochialis, ſeu demum alicujus Capellæ Principis, aut Eccleſiaſtici miniſterii in aula ejuſdem perficiendi. Unde iidem vel annuos redditus percipiebant, juxta illud, *dignus eſt operarius mercede ſua,* vel ſi in communitate vixerant, cùm circa recentiora tempora inducerentur illæ præbendarum diſtributiones, ipſa quoque dein beneficia tali Eccleſiæ innexa ſuas partitiones ſuſtinere cogebantur, Luc. 10. 7.

2. *Beneficia quæcunque Monachis in propria*

Beneficia autem ex noſtro ſenſu alia dabantur regularia, alia ſæcularia, item alia curata, alia ſimplicia, & ſine animarum cura. Regu-

perſona olim providere prohibitum. gularia nuncupantur, quæ ſolis Regularibus ſolent eſſe propria, id eſt, quæ illis Eccleſiis, ſeu congregationibus uniuntur, in quibus vita communis, ſeu votiva viget, non ſolùm monaſtica, ſed & clericalis; hinc utriſque ex liberalitate Fundatorum, ac Benefactorum donabantur fundi, agri, aliáque bona quàmplurima, prætereà Eccleſiæ, oratoria, Parochiæ cum omni jure, & obligatione: illud conſiſtebat in perceptione redditu um tali loco annexorum, ex quibus reſultabat beneficium cum officio; iſtud in quodam onere, ob quod redditus con edebantur; quale eſt in beneficio curato, Sacramentorum adminiſtratio, Prædicatio Evangelii &c. in ſimplici autem, certus orationis penſus, ſacrificii miſſæ celebratio, certæ diei, locóque affixa, ùt & applicatio pro hac, illáve intentione &c. hæc univerſim beneficia regularia ſic conſtituta ſunt, ut ea extraneis non conferrentur. Et quamvìs Monachis dici inhibitum eſſet (ùt aliàs monſtravimus) per ſe Parochiis, ac Beneficiis curatis præſidere, à ſæculo tamen undecimo hac in re diverſimodè nutabatur, quibuſdam Monachis curâ animarum conceſsâ, negatâ aliis: certè ab Urbano III. circa annum 1186. decretum editum, *ut in Eccleſiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non rega ur, ſed capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per Conſilium Monachorum inſtituatur, ita, ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio, tam ordinatio ejus, quàm diſpoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.* Econtrà Urbanus IV. annô 1254 Abbati S. Audäeni conceſſit, ut à Monacho regi, & adminiſtrari poſſet Parochia, quæ ſui proprii monaſterii Eccleſia erat.

Can. 13. Concilium iterum Turonenſe an. 1239. graviter vetat: *ne Monachi in Eccleſiis Parochialibus deſerviant, niſi ab Epiſcopo in caſibus præmiſſis curam receperint animarum* Concilium quoque Colonienſe ſæculô adhuc 16tô renuit admittendos generaliter monachos, etiam ad Parochias proprio monaſterio incorporatas regendas, ſed voluit ea committi Presbiteris ſæcularibus. Quamvìs hoc decretum temperaret in *viris Monaſticis, quos,* inquit, *regularis vitæ exemplò, & doctrina ſalutis diſſeminatione inſignes comperiemus, apud Eccleſias parochiales relicturi, & confirmaturi ſumus.*

Hæc Monachorum à propriis etiam parochiis regendis arctatio fundabatur præcipuè in eorum notiſſima inſtitutione, ne ſcilicèt, qui vitam purè contemplativam profitebantur, per activam in ſuæ vocationis obligatione diſtraherentur. *Minimè tamen Canonicis Regularibus.* *Cœnobitæ, quos Monachos appellamus*, inquit Petrus Bles. *ne alter alterius onere premeretur, ſingularem quiſque ſui cuſtodiam elegerunt. Inde eſt, quòd nec baptizare, nec aliis prædicare, nec pœnitentias injungere eis licet.* *Serm. 36.* Verùm hæc omnia minimè Canonicos Regulares attingere mox idem ſubjungit, dum ait: *vos autem imitatores Apoſtolorum multitudinis, quorum cor eſt unum, & anima una, vobis & aliis providere poteſtis, & debetis.* Indubitatum igitur Parochias, ſeu beneficia curata Monaſteriis Canonicorum Regularium incorporata, ſeu in quantum regularia ſunt (quamvìs identidem Monachi hoc ſuper negotio, & laceſſerentur, & prohiberentur) ſemper liberè ab iiſdem fuiſſe proviſa, quibûſcunque inani velitatione, vitæque ſanctioris odiô adverſùm hoc jus inflammatîs, ſemper quoque repreſsîs. At, cùm illud quoque negari non poſſit, olim (ùt teſtatur Ivo Carnotenſis) nullum conſtitutum eſſe Rectorem animarum, niſi de communi vita aſſumptum, hæc conſuetudo, imò ſanctiſſima lex longè aliam obtinuit faciem, cùm beneficia proprio nomine inciperent *ſæcularia* nominari, profectò non antea, niſi dum ipſi quoque clerici, Canonicíve alii Regulares alii Sæculares dicebantur. Verùm priùsquam iſta deducamus, oportet beneficii ſæcularis obtinere notitiam. *Epiſt. 115.*

3. *Beneficium ſæculare cum regulari in ſubſtantia idem, inde tamen controverſiæ præſentis ſumpta origo, ut Canonicis Regularibus indies majori niſu quidam incapacitatem ad ſæcularia beneficia obtruderent, ex quo ſimul ejuſdem circumſtantiæ edocentur.*

Certum porrò eſt quoad ſubſtantiam unum ab alio, id eſt, regulare à ſæculari beneficio non diſcerni: ideò verò ſæculare dicitur, quòd conferri ſoleat clericis omni religioſorum voto,& regula ſolutis, ùt inquit Pereyra L. 2. Eluc. 19. n. 1284. ex quo facilè colligitur beneficii ſæcularis à regulari diſcrepantia, neque ullum beneficium ex natura ſua prætendere ſæcularitatem, aut poſſideri, adminiſtraríque quoad officium à ſæculari. Imò ùt annotavit Ivo citatus contra Humbaldum Epiſcopum Lemovicenſem Clericos Regulares à beneficiis curatis arcentem, quòd rectiùs feciſſet, *ſi omnes ſacerdotes ad regularem vitam invitâſſet, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodia penitùs removiſſet.* Nihil autem tempore Ivonis, ſæculôque undecimô, diſcrepabant inter ſe beneficia ſæcularia,& regularia: dúmque Canonicis noviter reformatis invidia, livórque demere jus ad curam animarum nitebatur, non ea quæſtio erat de capacitate ad beneficia *ſæcularia*, ſed, cùm ſe iſti inter limites regularis obſervantiæ continere inciperent, ab aliis tanquam Monachi ſimpliciter ab omni animarum regimine repellendi judicabantur, & hujus incapaces æſtimati ſunt non minùs, quàm Monachi ipſi. Atque inde Ivonis repetita obteſtatio, quâ Canonicos reformatos, Clericos dicit, & ob regularitatem ſuſceptàm, neutiquam clericatui obnoxiam, aut adverſam, potiùs aſſummendos remonſtrat eſſe ad regimen animarum: *Nam conſtanter aſſerimus*, inquit, *non eſſe audiendos, qui Clericos regulariter viventes, à regimine animarum judicant repellendos, quia ſæculo renuutiaverunt: ſed ideò potiùs ad hoc aſſummendos, quia voluptates & pompas ſæculi contempſerunt:* Et ratio hujus in promptu eſt, cùm enim usque ad ſæculum penè decimum tertium mirum in modum inveherentur non pauci ſcriptores,atque Doctores, quin & antiſtites multi contra nonnullos Clericos plùs æquô ſua quærentes, & nulla Eccleſiæ approbatione, ac ſenſu bona ejuſdem dirripientes, proùt quosdàm eorum acerbè adeò perſtrinxit Damianus, & hujus veritatis teſtimonia ex Gerhoho Reicherſpergenſi aliíſque dilucidè patent; ideò facilè tunc demonſtrari poterat, Clericum regulariter viventem, id eſt, quem vita, & Doctrina ſecundùm obſervantiam ſui inſtituti ordinata commendat, præ alio votis non obſtricto curæ animarum præficiendum. Præterquàm quòd tum non quærebatur, an beneficium, cui præficere oportebat regularem clericum, *ſæculare* ſeu tale eſſet, quod ſolis clericis ſæcularibus competebat? an *regulare*, ſeu quod monaſterio regulariter viventium uniebatur? qui enim unius capax eſt habitus clericus, ſive Canonicus regularis, nullum diſcrimen ſubire cogebatur in altero, diversè ſanè à Monachis, quibus, licèt concederetur in quibusdam Provinciis, aut Diœceſibus, ut curatis locis proprio monaſterio unitis præeſſent, arcebantur tamen ab extraneis; non, quòd illa regularia, iſta ſæcularia eſſent, ſed quòd Monachis de jure cura animarum non conveniret. Hinc ut Parochiis propriis præficerentur, privilegium erat præcipuæ benevolentiæ, eò laudabiliùs conceſſum, quòd Monachis utiliſſimum eſſet, quæ iis propria erant, à ſeipſis provideri: at nulla ſuppetebat cauſa, ut talis licentia etiam ad extranea beneficia extenderetur.

Occurres hìc dicendo, etiam Canonicis Regularibus diſſertè, & æqualiſſimè ſicut Monachis conceſſum ex privilegio fuiſſe, ut Parochiis proprio tantùm Monaſterio unitis præeſſent. Sic Urbanus Secundus ad Canonicos Regulares Sueſſionenſes: *Præſentium*, inquit, *litterarum authoritate concedimus, ut in Parochianis Eccleſiis, quæ ad veſtrum Monaſterium pertinent, regulares vobis liceat clauſtri veſtri clericos ordinare, qui Eccleſiis ipſis ſerviant,*

&

Digitized by Google

& populi adjacentis Parochiam, ſalvo Epiſcopi jure debito, ſolicitè procurare non negligant. Hinc Thomaſſinus: P. 1. l. 3. c. 22, n. 5.
Nova tunc, ajt: *Fuiſſe videtur ea Conceſſio. Si enim vetuſtus is fuiſſet uſus, aut arbitrarius, non adiiſſet Pontificem Abbas, ut ea poteſtate donaretur: aut non rogaſſet ſaltem, niſi ut ſuum ſibi confirmaretur jus. Nempe novitas tum ipſa Canonicorum Regularium inſtituti.*

Verùm hallucinatur vehementer Thomaſſinus, novam hanc conceſſionem æſtimans, & eam novitati Canonicorum adſcribens; utpotè, qui aut non advertit, aut advertere noluit, illis temporibûs tam certò, quàm quô nil certius, clericale inſtitutum intimè ſibi habuiſſe,innexam vitam mixtam adeóque curam animarum exercendam; hoc in Petro Damiano, hoc in Ivone, hoc in Petro Bleſenſi, hoc in Anſelmo Havelbergenſi, aliiſque paſſim legiſſe Thomaſſinum quis ambigat? ut adeò de inconſiderantia abſolvi non poſſit, talem conceſſionem novitati Canonicorum adſcribens, quos Clericos genuinos fuiſſe ipſe paſſim affirmat, quóſque vi inſtituti ſui à cura animarum prohibendos in nullo illorum temporum decreto invenerat. Aliter igitur hæc intelligenda eſt Urbani conceſſio, & cautiùs perpendenda: quod ut fiat, ponderanda eſt Canonicorum Regularium eâdem ætate apud omnes qualitas, & habitum de iis judicium. Primò ſcilicet, an æſtimati fuerint diſtinctum à clericali inſtituto conflare ordinem? ſecundò: an cenſerentur quibûsdam prærogativis clericatui propriis deſtituti? Tertiò demum: cùm in quibusdam ſedem pontificiam appellarent, an id fecerint Canonici, ut ſibi privilegium,novámque conceſſionem obtinerent, an alia de cauſa? Itaque indubitatum eſt ipsô ſæculô undecimô exſtare monumenta certiſſima, quibus convincitur Canonicos Regulares nihil novi & à Clericali inſtituto diverſi incepiſſe, hoc agnoſcebant omnes illorum temporum Scriptores, alióquin inaniter eos Clericos nominaſſent. Urbanus ipſe ſecundus Cluniacenſium Monachorum ſicut comprofeſſus, ita ſummus amator, in diplomate eis conceſſo, quô licentiam tribuit omnes cujuscunque ordinis,ac profeſſionis ſuſcipiendi, ajt: *Clericos quoque Regulares, quos Canonicos vocant, qui vel in locis ſuis ſalvari non poſſunt, vel pro neceſſitatibus ad loca veſtra confugiunt ſuſcipiendi, & ad veſtrum propoſitum admittendi licentiam impertimur.* Iſarnus Epiſcopus Tolaſanus, cùm annô 1083. ſuæ ſedis Canonicos Regulæ Auguſtinianæ addiceret, nequaquam voluit, ut inde novum ordinem amplecterentur, diſtinctúmque à Clericali, ſed ſolummodò, ut ad priſtinam diſciplinam reduceret, unde, *deliberavi*, inquit, *divina inſpiratione, Eccleſiaſticum vigorem ad priſtini ſtatûs lineam totis niſibûs corrigere. Statui ſiquidem, habitâ deliberatione, ut quicunque Clericorum abhinc & deinceps corpori voluerit communicare Eccleſiæ prælibatæ, mancipandum ſe noverit rigori Canonicæ vitæ: verbi gratiâ, ut nihil ſibi proprium habeat, vel etiam (quod abſit) dicat, omnes unâ prandeant &c.*

Bibliot. Cluniac. col 5126 dipl. an. 1098. edito.

Apud Catell. in monument. occid. p. 874.

Canonici territorii Condatenſis in monaſterio S. Antonini Mart. agente Amato Epiſcopo Oleronenſi regularem vitam aſſumpſerant, ſed non aliam, quàm Clericorum, id iterum Urbanus Secundus diſſertè præcipit in litteris ad hos Canonicos datis: *Canonici*, inquit, *regulariter vivere, & communiter vivendo, propriúmque non habendo, tam Apoſtolorum, quam Beatorum Hieronymi, & Auguſtini de converſatione communiter viventium Clericorum ſtudeant inſtituta ſervare &c.* Similia exempla paſſim leguntur in antiquis documentis: ut adeò omnem ambiguitatem exſuperet, ipsô ſæculô undecimô Canonicos Regulares inter clericos, nec qualitercunque, ſed jure, & antiquiſſimâ conſuetudine fuiſſe æſtimatos, ut-

potò

Digitized by Google

potè quorum erat, non novi cujuſdam ordinis fundamenta ponere, ſed, ùt dicebat Iſarnus, Eccleſiaſticum vigorem *ad priſtini ſtatûs lineam* totis niſibûs corrigere. Hoc verò dum fiebat, non video, quô præjudiciô iidem vel unâ prærogativâ Clericatui propriâ orbari potuiſſent, quos ſummi Pontifices Paſchalis ſecundus, ipſéque, qui nobis negotium faceſſere videtur, Urbanus Secundus adeò inter puros, verósque Clericos habuêre, ut ille apertè fateatur, *Canonicis*, & his, *Regularibus à Patribus diſpenſationem verbi Dei, prædicationis officium, baptiſmum, reconciliationem pænitentium ſemper creditam fuiſſe propter ordinis altitudinem.* Iſte verò ideò teſte S. Thoma, *Canonicos prohiberet* (exceptîs ſpecialibûs caſibûs, ùt ſuprà retulimus) *tranſire ad Monachos, quòd iſtis per ſe competat, ut ſint Clerici Religioſi, quia directè ordinantur ad ea opera, quæ aguntur in Divinis myſteriis, ſed ad Religionem Monachorum non per ſe competit.* Et novimus, quàm diſtrictè illa ætate Monachi arcerentur à regimine extraneo animarum. Quod ipſum confirmat Gloſſa, & Abbas, aliíque complures à nobis alibi citati. Denique Ivo ipſe Carnotenſis, quô nemo meliùs, nemo accuratiùs inſtituti noſtri rationem inveſtigavit, aut agnovit, quantùm omnem clericalem prærogativam ſartam, tectámque Canonicis Regularibus voluerit, ejus à nobis jam productæ Epiſtolæ clamant: Atque hunc ſanctum virum ejúſque Divinum in reformando Clero Spiritum, an putamus Urbanum ignoraſſe, cui Ivonis amicitia dudum in deliciis erat, ut eum propriâ manu in Epiſcopum Carnotenſem conſecraret? Dum itaque (ut ad tertium deveniamus) in quibuſdam aut Canonici Regulares ſedem pontificiam accederent, aut Pontifices ſummi peculiariter aliqua decernerent; ſanè improvidè exinde concluditur, ea privilegii obtinendi, aut concedendi gratiâ fuiſſe facta: exſtat Urbani Secundi altera bulla Canonicis ipſis Bellovacenſibus, quibus S. Ivo Abbas ad annum 1092. juxta Baronium, aut 1090. juxta Pagium (quod nos alibi diſcutiemus) præerat, data, ejuſdem planè formulæ, qualis, quæ ad Sueſſionenſes ſuperiùs laudata, ex quo colligendum, non potuiſſe hæc verba quibus Pontifex, ait. *In Parochianis itaque Eccleſiis, quæ ad veſtrum monaſterium pertinent, Regulares vobis liceat clauſtri veſtri Canonicos ordinare, qui & Eccleſiis ipſis religiosè ſerviant, & adjacentis populi Parochiam ſecundùm timorem Dei ſalvo Epiſcopi jure debito ſollicitè procurare non negligant.* Non potuiſſe, inquam, hæc Pontificis verba eſſe diſpenſatoria: non enim credibile eſt, Ivonem ſuæ reformationis Canonicæ jura occultâſſe Bellovacenſibus, ut hi crederent, ſe tanquam Monachos egere tali diſpenſatione. Imò patet ex Epiſtolis, quas iiſdem jam ùt Epiſcopus ſcripſerat, qualis eſt 31. & 32. & 288. ſe in ordine Canonico nihil immutâſſe, nec ullam abrogaſſe clericalem prærogativam, ſi unam excipias Beneficiorum perſonalem perpetuitatem: Atque hæc fortâſſe illud compluribus offendiculum fuit, quô crederent, eò certiùs Canonicos Regulares Monachorum more ad omnem curam obtinendam incapaces vigore ſuæ reformationis redditos, quòd velut illi ſtabiliri in beneficio aliquo adepto non poſſent. Verùm apparet ex bulla, ſeu decreto Alexandri Tertii ad Canonicos Regulares Noviomenſes, Innocentii Tertii ad Nemanenſes, & ejuſdem ad Uticenſes, Benedicti denique 12. in conſtitutionibus ſuis ad totum ordinem Canonicum: Apparet, inquam, hanc reſtrictionem neutiquam factam fuiſſe poſtulante inſtituti reformatione, ſed congruentiâ regularis diſciplinæ. Cùm enim, ùt Innocentius, inquit, Religioſi Prioratibus & aliis ſimilibus adminiſtrationibus præſidentes impetratîs confirmationis litterîs ſe aſſererent,

Tom. 1. Monaſtici Anglic. ad Canon. Colcheſtien. epiſt. 11.

2. 2. q. 189. art. 8.

Vide Sigebert. chron. ad an. 1092. *Non privilegii obtinendi in ſimilibus caſibus, ſed*

jura ſua firmiùs tuendi causâ Canonici ſummorum PP. decreta expetunt.

In Bar. ad an. 1092. n. 2.

Exſtat hæc Bulla integra apud Auth. diq. Ord. Can. in Append. f. 325.

rent, nulla ratione ſuis Prælatis ſubeſſe, ſicque ad libitum bona diſtraherent, & conſumerent monaſteriorum; malevola planè erat iſta libertas, religioſæque paupertati, atque obedientiæ imò toti communi vitæ ſummè injuria: indéque optimè factum, ut perpetuitas beneficiorum perſonalis etiam in Clericis Regularibus reſcinderetur. Neque inferri poteſt ex hoc, Canonicum Regularem penitùs ad omne beneficium reddi incapacem, cùm beneficium ex natura ſua ſit jus perpetuum. Reſpondet enim Leſſius, beneficia non officere manualitatem regularibus ſolitam: nam beneficia dicuntur perpetua, non quia non poſſunt auferri, ſed quia inſtituta ſunt, ut ſemper durent. Et quod præcipuum: perpetuitas iſta non ſe affigit niſi illi, cui beneficii poſſeſſio propriè congruit, qui eſt in quovis Monaſterio Prælatus ſeu Abbas, Religioſus verò beneficium adminiſtrat ſolùm vicariô modô: neque ipſe ſecundùm jus beneficiarius dici poteſt.

L. 2. c. 34. dub. 1.

Cæterùm ut ad priora revertamur. Urbanus, qui Sueſſionenſibus, ſicut Bellvacenſibus, licere dicit regulares clericos in Parochianis Eccleſiis ad monaſterium pertinentibus ordinare; nil aliud intendit, niſi declarare contra inſultantes, & livore in reformationem Canonici Ordinis armatos, jus priſtinum eidem perſtare incorruptum. Neque multùm velitamur, etiam Canonicos Regulares ipſos hac in cauſa ſummam ſedem appellaſſe, tanquam certum omnium controverſiarum, & præcipuè jurium conſervandorum Aſylum: ut, ubi infeſtarentur à quibusdam adverſariis tanquam beneficiorum, ac animarum regendarum (ex quo reformati, & quaſi Monachiles facti eſſent) incapaces, ſupremi judicis oraculô decerneretur imperturbata juris poſſeſſio, & inconvulſa ratio ſui inſtituti. Hæc ergò genuina cauſa fuerat emiſſi ab Urbano ad Sueſſionenſes Canonicos decreti: ſcilicèt, non ut iidem tanquam jure deficiente privilegiô donentur, ſed ut hôc ſolidè Ordinem Canonicum contra oppugnantes Pontifex tueretur. Mirúmque eſt, potuiſſe Thomaſſinum dicere, *quòd ſi vetuſtus is fuiſſet uſus, aut arbitrarius, non adiſſet Pontificem Abbas, ut eâ poteſtate donaretur. Aut non rogaſſet ſaltem, niſi, ut ſuum ſibi confirmaret jus* Nam ſi legiſſet vir doctiſſimus totam ad Sueſſionenſes Canonicos Bullam ab Urbano extraditam, ſimúlque obſervaſſet eandem confirmativam fundatæ Sueſſionenſis Canoniæ paulò antè, id eſt annô 1076. per Theobaldum Epiſcopum Sueſſionenſem, eâdem formâ, eôdémque tenore, quô dein annô 1093. confirmata eſt Eccleſia S. Quintini Bellovacenſis ab Ivone ad regularem ſtatum annô 1070. reducta: cognoviſſet ſimul hanc ipſam bullam nequaquam conceſſionem novam fuiſſe regendi Parochias per proprios religioſos, ſed jurium explanativam, proùt omnes confirmationum Bullæ eſſe conſueverunt. Nihil itaque novi Canonicis Regularibus hâc ſæpè dictâ Bullâ acceſſit, nihil pariter priſtini juris recenti Ivonis reformatione ademptum eſt, ſed ſi quid paululùm immutatum ad ſtabiliendum diſciplinæ vigorem, id nunquam clericali inſtituto præjudicare, aut potuit, aut debuit, ſicut ipſius Ivonis teſtimonia diſſertè explanant.

Beneficia ergò qualitercunque ſæcularia dicenda olim à Canonicis Regularibus adminiſtrata fuiſſe, indubitatum eſt, utpotè quòd à Monachis in jure clericali planè diſcernerentur, unde in Concilio Pictavienſi annô 1100. ſub Paſchali ſecundo decernitur Can. 10. ut *Clericis Regularibus juſſu Epiſcopi ſui, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos ſepelire liceat.* Econtrà Canone 11. ſtatuitur de Monachis: *ut nullus Monachorum Parochiale miniſterium Presbiterorum, id eſt, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare præſumat.* Inſuper usque ad ſæcu-

Digitized by Google

lum decimum ſextum comperimus Canonicos Regulares plures adhuc Eccleſias Cathedrales propriô jure poſſediſſe, atque nullo contradicente ad Parochias, & beneficia quæcunque promotos fuiſſe, neque minùs alios quoque Cathedralibûs inferiores, de quibus certam notitiam habemus, eoſdem ad beneficia, ipſóſque Canonicatus ſæculares accomodatos eô jure, ac ritu, ut quamvìs in profeſſione regulari produrarent immobiles, attamen veſte, & habitu ipſis Canonicis Sæcularibus conformarentur, ùt obſervat Eminentiſſimus Cardinalis Petra in ſuo commentario. Et qui Canonicorum maximè in Gallia regulariter viventium acta ſæculô duodecimô, atque decimô tertiô perquiret, reperiet ingentem planè numerum Canonicorum illorum non ſolùm Parochias ſuis monaſteriis unitas, ſed & extraneas, atque, ùt dicere ſolemus, ſæculares copioſiſſimè providiſſe, cúmque de his nedum ea perſpectio, ac providentia conſtituta eſſet, ſaltem non ubique, ut Canonici his beneficiis præpoſiti ad nutum ſui Abbatis, vel Prælati amobiles eſſent, atque inde non pauca religioſæ diſciplinæ infeſta obtingerent, hinc Stephanus Tornacenſis Epiſtolam Innocentio transſcripſit, quâ obteſtatur reſtringendam per ipſum talium Canonicorum temeritatem.

Epiſt. 179. Bibl. SS. PP. t. 23. f. 41. *Apud nos*, inquit, *regularium ordo in plenam vobis gratiarum actionem aſſurgit. Laborat, & murum ſe opponit contra filios inobedientiæ, qui extra clauſtrum ſub obtentu Parochialium curarum morari deſiderant, atque mori. Satagentes, ne per Abbatem ſuum quando exceſſerint corripi valeant, & corrigi, ſed ad defenſionem Epiſcopi ſe vertentes, per pecuniariam pœnam Canonicam redimunt diſciplinam; ſi peſtis iſta convaluerit, perit Ordo Canonicus, pereunt & ſanctorum Patrum regularia inſtituta, ſolvuntur fines, & funes obedientiæ, & erunt Collegiis noſtris tot Abbates, quot Presbiteri Parochiales. Verùm perhibemus teſtimonium, quod ab exordio ordinis noſtri Parochiales Canonicos noſtros in Epiſcopatibus, in quibus ſunt, liberè, & abſque ulla contradictione pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiarum noſtrarum, vel pro ſuarum correptione culparum conſuevimus amovere &c.* hæc Stephani verba (dum inquit, ad defenſionem Epiſcopi ſe vertentes) innuunt, Canonicos ab ipſo præprimis illos argui, qui Parochias ſæculares Epiſcopis, non verò Abbatibus Canonicis ſubjectas quoad juriſdictionem immediatam tenebant. Atque hos non minùs poſcit vir ſanctus lege manualitatis conſtringi, quàm illos, in quos dudum jam lex eadem lata fuerat, Parochiis ipſi monaſterio unitis præfectos: unde & gloſſa in capitulo: *quòd Dei timorem* indubitanter aſſerit, quòd Regulares *Canonici licitè poſſint eligi ad regimen Eccleſiarum utilitatis cauſâ, & de jure communi.*

Profectò: dum illud Ivonis perpendimus in primitiva Eccleſia nullum conſtitutum fuiſſe Rectorem animarum, niſi de communi vita aſſumptum, & ſi obſervamus una ex parte, ſeu ſummorum Pontificum, ſeu aliorum ſanctitate non minùs, quàm doctrinâ conſpicuorum virorum unanimem conſenſum olim pro Canonicorum Regularium capacitate ad quæcunque beneficia obtinenda, ex altera verò parte invidiam, livorémque (ut cum Ivone loquar) talem non tantùm jam prohibitionem, ſed ipſam quoque incapacitatem hac maximè ætate contra ordinem Canonicum prætendentium, quid ad iſta nobis aut diſcurrendum, aut ſentiendum ſupereſſe poſſit, cuíque cordato æſtimandum relinquimus. Id præcipuè admirantes, adeò quibusdam probari, ſi Ordini Canonico jura, prærogativæ, privilegia, & quidquid demum illum aut unquam diſcrevit ab aliis, aut in ſuo eſſe conſtituit reſcindantur, ut quaſi, neſcio, quam juſtitiæ palmam ſe detuliſſe opinentur, dum non ſine aperta injuria in eundem debacchan-

Digitized by Google

bacchantur. Verum eſt, oſtendimúſque ipſi, cùm primùm Canonici primævæ regularitatis diſciplinam reinduerent, jam à quibusdam illos infeſtatos fuiſſe, ac impugnatos, ſed tolerabile id malùm erat, cùm ex adverſo præponderaret ſemper eidem patrocinantium authorithas: at ubi nunc quaſi ſolus, inermíſque relinquitur, & ab adverſariis undique impetitur, piaculum eſſet: ſi eidem adeò ſuis in juribus periclitanti, diuturnô, & plùs quàm Pythogoræô ſilentiô extrema imminere diſſimularemus.

Hâc itaque causâ impulſi, animatique volebamus optimè diſpertitâ omnium quæſitorum, dubiorum, & objectionum ſerie ſic præſentem de capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia quæcunque diſceptationem proponere, atque reſolvere, ut nihil planè deſiderari ad completam explanationem hujus poſſet. Verùm cùm hanc materiam tam enucleatè tractaverit Clariſſimus, ac Reverendiſſimus, déque Ordine noſtro meritiſſimus Abbas D. *Cæsar Benvenuti* in ſuo opere, quod conſultò de hac capacitate conſcripſit, ipſíque Summo Eccleſiæ Præſuli Clementi duodecimo annô 1732. dicavit, eò ſolidiori argumentô, quò doctioribûs ipſa in urbium Principe Roma approbationibûs munitum, & documentîs clariſſimîs firmatum: quódque ideò optaremus præcipuè ab iis non negligi, qui materiam de beneficiis tractantes non tam rationibûs intrinſecis, aut legitimîs authoritatibûs commoti, quàm rumore vano unius, alteriúsve Scriptoris inducti mox Canonicos omnes ad incapacitatem monaſticam ablegant, & condemnant inauditos. Cùm igitur hanc materiam præfatus Clariſſimus author omnibûs reſolutîs dubiis quaſi ad unquem tractaverit, & vix quidquam nobis de eadem agendum permiſerit reliquum, ſolùm Recentiorum Scriptorum adverſantium dubiis diſſolvendis immorabimur, ipſáque illa juris Canonici capitula objici ſolita, qualia cap. Monachi: de ſtatu Monach. cap Monachi de ſentent. excom. cap. ſanè de regul. cap. ſuper eo de regul. cap. præterea. De præb. & dignit. &c. utpotè à ſæpefato eruditiſſimo Authore plenè enodata, fidenter dimittemus. Maximè ex eo, quòd recentiorum ſcriptorum ſenſus capacitatem Canonicorum Regularium impugnantium ſe in hodierno uſu fundent, dum dicunt non tantùm Monachos, ſed etiam Canonicos Regulares hodie probabiliùs eſſe incapaces beneficii ſæcularis etiam Parochialis, ſuis monaſteriis non plenè uniti ſpectatô punctô juris. Nos ſententiam priùs tuebimur noſtram, dein objectis argumentis ſatisfacturi.

Pichler ſum. Juriſprud. tit. 5. de præb. n. 15. & ſeq.

Sciendum prævìè, capacitatem iſtam ad beneficia dupliciter conſiderari poſſe, ſcilicet, aut ùt fundatam præciſè in jure, aut ùt in ipſa perſona ex inſtituto, illa præciſè obtinetur ex juris declaratione, ita quidem, ut quamvis de ſe quidpiam alicui perſonæ non congruat, fit tamen, ut ei ex jure aliquo poſitivo incipiat eſſe debitum. Sic exempli causâ, certum eſt, hominem actû clericum (in quantum præciſè conſideratur ejus ſtatus, aut perſona) eſſe beneficii capacem; ſed ſi dein perpendantur juris cautiones, latere facillimè poterit aliqua incapacitas: nempe ſi deſit probitas, ſcientia, aliáque requiſita, quæ dignitatem, ac meritum ex jure conſtituunt, vì quorum capax redditur. Unde in noſtro caſu, aliud erit aſſerere Canonicos Regulares non eſſe capaces, capacitate ſe fundante in jure aliquo exceptivo, vel poſitivè prohibente eos ad beneficia ſæcularia promovendos; aliud, eosdem eſſe incapaces vì ſui inſtituti. Cùm enim jus de ſe nullum verum clericum incapacem enunciet, hinc oportebit, Canonicis Regularibus tale inſtitutum aſtruere, ut ſic demum vigore hujus incapaces reddantur: nam ùt ſæpè advertimus, Monachiſmus non ex jure ali-

4\. *Capacitatis ad beneficia duplex diſcrimen attenditur.*

aliquò prævio decernente, ſed ex ſua propria inſtitutione eſt incapax alicujus regiminis animarum, quia Monachus ex origine ſua *plangentis, non docentis habet officium*, atque hanc incapacitatem nulla jura tollere poſſunt; cùm ei ex natura indita ſit. At, dum dicitur cap. doctos 21. & cap. moderamine 23. *Quod docti, & probi Monachi Clericorum officia celebrare poſſunt, beneficiisque Eccleſiaſticis perfrui.* Id non fit ex capacitate inſtituto Monaſticò intrinſeca, ſed ex libera juris diſpoſitione, ac gratioſa admiſſione, ùt per ſe patet juxta S. Thomam junctâ Gloſsâ. Ut igitur ex natura ſua Canonici Regulares habeantur incapaces beneficiorum ſæcularium, id provenire deberet, aut quòd non Clerici, ſed Monachi ſint: verùm hoc quisquis adſtruit, inanis velicationis reus arguitur, utpotè, quòd tot manifeſtis pro genuino Canonicorum Clericatu adductis rationibus acquieſcere nolit, quod tamen nos inferiùs ultroneè probabimus; aut quòd eis jura, ſeu Canones officiant, quibûs ipſi incapaces, & inhabiles declarentur; at, neque iſta, ſi genuinè, & ſolidè conſiderentur, unquam hanc incapacitatem declarârunt: neque ipſi quoque adverſarii (quotquot à tempore Concilii Tridentini textus, vel declarationes adduxerint) probabunt, iisdem Canonicos dici beneficiorum incapaces, ſed ad ſummum ſolùm ab illis arceri, atque prohiberi, quàm longè autem diverſa inter ſe ſint *incapacitas*, & *prohibitio*, ex ſupradictis ſatis apparet.

Quòdſi jam à nobis poſitiva pro capacitate Canonicorum Regularium argumenta requiras, en tibi eorum ampliſſimum campum!

5. *Canonici Regulares utraque capacitate gaudere oſtenditur.*

Primò: Quæſitum eſt annô 1213. occaſione Ubaldi Plebani ad S. Gabinum, an Canonici Regulares præfici poſſint, ſintque non *diſpenſatione juris*, ſed vigore inſtituti capaces, ut Beneficio cuidam ſæculari præficiantur? dubium reſultavit ex decreto Concilii Lateranenſis tertii, in quo dicebatur: *Ne Monachi ſinguli per villas & oppida, per quaſcunque Parochiales ponantur Eccleſias:* Quo decretò caveri duo videbantur, ùt apparet ex Capitulo, *quod Dei timorem:* Nempe, tam, ne Monachi ſine expreſſa diſpenſatione ad Parochias ponantur extraneas, quàm ne ibi reſideant ſinguli, id eſt, ſine ſocio: utrúmque Canonicis Regularibus eôdem Canone injungi decertabant eorum adverſarii, fluctuabant Canonici ipſi, hinc appellanda Innocentii ſententia, ſed hic diſſertiſſimè pronunciavit pro Canonicis, ſic omnium antehac Authorum eſt explicatio, primò; *Annuendum*, ajt, *duximus poſtulatis*, ſcilicet, ut Plebani officium exercere poſſit in Parochia ſæculari Canonicus quamvìs Regularis. Secundò: Ut etiam exercens Plebani officium unum Canonicum Regularem ſecum habeat ad cautellam; ſed ſolùm *ſi commodè fieri poſſit*. Non verò obligatione abſolutâ, proùt ea ligabat Monachos, ídque, quòd usque ad id tempus de Canonicis Regularibus nihil adhuc ſpecialiter cautum fuerit per ullum decretum; adeóque, ſicut eis per ſe, & ex natura inſtituti clericalis competebat capacitas ad ſæcularia beneficia, ſic etiam eandem usque dum habebant ex jure poſitivo. Hinc Gonzalez [a] *Innocentius*, inquit, *tertius conſultus fuit, non ut diſpenſaret cum Plebano S. Gabini, ùt vulgò creditur, ſed ut exponeret, interpretarētúrque prædictam prohibitionem Concilii Lateranenſis.* Cùm igitur Pontifex apertè dicat de Canonicis Regularibus ſpecialiter non caveri, inſinuat dilucidè eosdem nec iſtô decretô contineri, nec in odioſa hac prohibitione ſub nomine Monachorum venire. Fagnanus in idem Capitulum: *Argumentum*, ajt, *non procedit in Canonicis Regularibus, quia ipſi de jure præfici poſſunt Eccleſiis Parochialibus, ùt eſt caſus in hoc capite, ubi decretum Lateranenſis Concilii, quô Mo-*

[a] In hoc cap.

Digitized by Google

Monachi prohibentur præfici Parochialibus Eccleſiis, declaratur non habere locum in Canonicis Regularibus. Laymanus in hoc idem Capit. n. 3. *licèt*, inquit, *quæ de Monachis ſub ratione ſtatûs religioſi in jure ſtatuta ſunt, etiam ad Canonicos regulares, & omnes religioſos in communi viventes transferri debeant, argum. c. 2. hoc tit. & notavit Hoſtienſis: ſecùs tamen eſt dicendum de iis, quæ de Monachis decreta ſunt, ob ſpeciale eorum inſtitutum, quô à Regularibus Canonicis diſtinguuntur, videlicet, ut magis vitæ contemplativæ, & ſtrictiori diſciplinæ addicti ſint: quare Pontifex hic ajt, quod de Monachis eſt decretum, ne ad Parochiales Eccleſias promoveantur, id ad Canonicos Regulares non eſſe transferendum.* Omitto Gloſſam, Zipæum, Wieſtnerum aliósque innumeros (brevitatis gratiâ) unanimiter aſſerentes præfatô Capitulô Canonicis Regularibus Jus approbari ad aſſumenda ſæcularia beneficia.

Loc. cit. art. 1. §. unico. Secundò: Refert laudatus ſuprà Reverendiſſimus Abbas Benvenutus duas Canonicorum Regularium formulas, unam de anno 1407. ſequentis tenoris. *Voveo, & profiteor, & promitto - - - obedientiam, & caſtitatem, & vivere in communi ſine proprio, & quod nunquam acceptabo aliquod beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, extra, vel intra dictum ordinem ſine conſenſu, & voluntate congregationis noſtræ, vel capituli noſtri renuntiando omnibus juribus, privilegiis, & conſuetudinibus &c.* Alteram de anno 1414. quæ ſic ſonat: - - - *Et quòd nunquam acceptabo aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſeu Eccleſiam cum cura, vel ſine cura, intùs, vel extra ordinem abſque licentia, conſenſu, & voluntate capituli noſtri &c.* Illa formula ſolita erat Lateranenſibus, hæc Venetiis exiſtentibus Canonicis: Utrâque perpensâ manifeſtè patet ſæculô decimô quintô Canonicos Regulares Beneficiorum ſæcularium capaces fuiſſe jure, & ex inſtituto: utpotè quód ad ea obtinenda ſolam prætenderent capituli, aut congregationis conſenſum. Imò quod amplius, hæc eadem ſub ipſis penè terminis profeſſionis formula annô 1628. impreſſa eſt, & inſerta conſtitutionibus Lateranenſibus, quòd Patres Congregationis nunquam feciſſent, ſi tunc ſublata Canonicis iſta capacitas fuiſſet; aut ſi eam ſibi ex jure non competere agnoviſſent.

Tertiò: Beneficia præcipuè curata ſæcularia per ſe non repugnant regularibus, cùm enim beneficium ſit propter officium C. ult. de reſer. in 6. & Beneficii, vel præbendæ uſus introductus ſit, ut qui in Eccleſia debitum ſervitium præſtat, ab eadem Eccleſia, pro dignitate, & officio ſufficienter ſuſtentetur, quia *qui Altari ſervit, de Altari vivere debet* C. ex his 21. Ca. Eccleſiaſticis. 67. 12. q. 2. Sæculare verò Beneficium aliquod non ex alia cauſa dicatur, niſi ſolùm appellativè; utpotè quòd eidem clericus ſæcularis præſit, nec ideò Beneficium in ſe ullo modo alteretur, ſi eidem præſit Regularis: imò fortaſſe convenientiùs ei quoad officium accideret, ob quod Ivo Carnotenſis aſſeruit, rectiùs quidem factum iri, ſi *omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitarentur, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodiâ penitùs removentur:* Cùm denique omnia beneficia Eccleſiaſtica ſeu curata, ſeu ſimplicia ſecundùm officium prætendant certum Dei cultum, & Sacramentorum adminiſtrationem &c. quis adeò hebes! ut aſſerat, hæc à Regularibus minùs peragi poſſe, quàm à ſæcularibus: dicente Ivone citato, *non eſſe audiendos, qui Clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia ſæculo renuntiaverunt: ſed ideò potiùs aſſumendos, quia voluptates, & pompas ſæculi contempſerunt. Non enim mundi contractus eſt animas à vitiis avocare, & ad virtutum celſitudinem provocare: ideò convenientiùs iſta docent, qui ea quæ dicunt opere complent, quàm ii, qui ſunt Doctores legis, & non factores.*

Non igitur reſiſtit officii qualitas Regulari; ſed nec ipſum Beneficium, ùtpote, quòd regulari æquè congruat vivere de Altari, cùm ſervit Altari; quotidianâ id experientiâ docente. Sola ergò diſconvenientia regularis ad beneficium ſæculare in his tribus fundari poteſt: aut quòd omne beneficium tale prætendat eſſe clericale, aut quòd diſcrepans perſonarum profeſſionis, habitúſque inſtitutum non ſit in eodem Beneficio conjungendum (quod fieret, dum ſæculare regulari copularetur) aut denique quòd jure communi receptum ſit, ut ſæcularia ſæcularibus, regularia Regularibus conferantur.

Verùm ad primum reſpondeo: quamvìs id locum pleniſſimum habeat in Monachis, quibus ex ſuo inſtituto nunquam convenit, ut ſint clerici; id tamen neutiquam aſſeri poſſe de Canonicis Regularibus, qui ex natura rei, & ex ſui inſtituti exigentia clerici ſunt, prout hoc abundè declaravimus.

Ad ſecundum dico: hanc diſcrepantiam, ſeu diſſonantiam ſæcularitatis, & regularitatis in eodem Beneficio nihil planè operari, quòdſi enim hæc tam contraria, & Eccleſiaſticæ æconomiæ adeò difformis eſſet, nunquam id non ſolùm conſuetum, ſed & cum applauſu, ingentíque Eccleſiæ fructu multis ſæculis uſurpatum fuiſſet. Prætereà ſi Beneficiorum ſæcularium originem accuratiùs intuemur, reperiemus ea per ſe (velut ſuperiùs obſervavimus) ſæcularitatem ad ſui ſubſtantiam, vel conſervationem non includere, ſed omninò accidentale illis eſſe, quòd *ſæcularia* potiùs, quàm *regularia* dicantur: cùm fortè ante ſæculum duodecimum nomen iſtud ne quidem ullum beneficium afficeret. Hinc appellatio ſola ipſi beneficio adjecta modicam, aut nullam diſſonantiam arguet, dum illud à regulari clerico adminiſtrabitur. Ex quo apparet quoque quid dicendum de iis beneficiatis regularibus, qui junguntur clericis Sæcularibus ob difformitatem profeſſionis atque veſtitûs: quòd enim arguatur diſſonantia, ſi in eodem Collegio præſit clericus Sæcularis, ſubſint autem eidem regulares, cauſa eſt, cùm inconveniens eſſe videatur, corpori regulari paupertatem profitenti præfici caput proprietatem poſſidens, & ſubditum regularem ad regulæ obſervantiam adſtringi à Prælato hâc nunquam inſtructo, aut obligato. Ex adverſo, diſſonantia non obſtat, ſi corpori ſæculari præficiatur caput regulare, habet enim clericus regularis omne id, quod expedire poteſt ad bonum regimen clericorum ſæcularium, hinc ne illud fiat, exſtant Summorum PP. pecularia decreta, út cuique notum. Econtrà iſtud nunquam fuiſſe inhibitum, imò hodiedum fieri, patet (ut ex plurimis exemplis unum adducamus) in præpoſitura Arscotenſi ubi præpoſitus, Cantor, & Plebanus regularis ex gremio aſſumitur Abbatiæ Gertrudianæ Canonicorum Regularium Lovanii, Decanus, reliquíque Canonici ſunt ſæculares. Huc conferendum cap. cùm cauſam 27. in quo tractatur de electione cujuſdam Presbiteri ſæcularis *Boni* nomine ad Præpoſituram Canonicorum Regularium ad S. Petri in Etruria: reſtitit huic electioni Brunus vir piiſſimus cum quibuſdam melioris notæ confratribus; delata res eſt ad Summum Eccleſiæ Judicem, decisáque in favorem Bruni, ſibíque adhærentium, *quia*, inquit Pontifex, *debemus attendere, non ſolùm quid modò factum ſit, ſed quid potiùs faciendum? diſcretioni veſtræ taliter reſpondemus, quòd, cùm ſecundùm legem divinam non ſit in bove arandum, & aſino, nec quiſquam debeat veſtem induere de lana, linóque contextam, irritetis electionem prædictam, & compellatis præfatum Presbiterum, aliósque clericos non profeſſos, ut vel B. Auguſtini regulam in eadem Eccleſia conſtitutam profiteantur, & ſervent: aut ipſam Eccleſiam omninò dimittant.* Patet hinc, noluiſſe Innocentium,

Hiſtoria Mechlin. 1. f. 242.

us

ut regularibus, aut præeſſet caput ſæculare, aut ejuſdem ſæcularitatis exiſtentes Clerici Canonicis Religioſis commiſcerentur, exemplô ex ſcriptura deſumptô. Diſparitas verò, ſeu diſſonantia iſta quamvis componi potuiſſet in æqualitate clericalis inſtituti, noluit tamen hanc Pontifex ob periclitantem regularitatem: quia, ùt inquit Barboſa in hunc locum: *nemo, qui non eſt profeſſus religionem, eſt regulari præfecturâ dignus.* Supponitur enim altiorem, & perfectiorem ſtatum conſcendere, & regimen ſuſcipere eorum, quorum necdum obſervantiam didicit: quàpropter dum conceditur ex jure, ut in Eccleſiis Cathedralibus Regularibus poſſit ſæcularis clericus in ſpeculam Epiſcopalem elevari ſubditis Religioſis præficiendus, id fit ob excellentiam dignitatis Epiſcopalis, ùt notat hic Layman, *quæ regularis profeſſionis defectum ſupplet.* Gloſſ. in cap. quod Dei tim. 5. verbo: regimen. Verùm ex hoc decreto minimè inferendum eſt, neque regulares poſſe præfici ſæcularibus; nam diſparitas patet manifeſta, ùt obſervat Fagnanus, quia quilibet *Regularis eſt inſtrictus in regula clericali, non econtrà*: cap. officii infra eod. & dum Regularis clericus vivit cum ſæcularibus, non propriè dici poteſt, tum *arari in bove, & aſino*: aut *veſtem indui lana, & lino contextam*, clericus enim regularis omnes eas complectitur prærogativas, quas habet ſæcularis. Et ſi etiam de habitûs diſcrimine quæſtio verteretur, Clericus Regularis ſemper ſe poteſt accomodare honeſto veſtitui clerici ſæcularis ſecundùm morem Patriæ ferendo interiùs veſtes religioni congruentes, id eſt, lineam breviorem, quam ſaroccium vocamus: hinc Eminentiſſimus Cardinal. Petra in cap. quod Dei timorem attendens Conſilium, ſeu morem adhibendi ſocium in Parochiis, quibus præeſt Canonicus Regularis, deſueviſſe, ait: *indéque etiam habitûs forſan retentio non fuit adhibita, quódque tamen habet locum eò magis, ſi agatur de beneficio ſimplici, & de Canonicatu in Cathedrali, quia non convenit habitus regularis talia obtinentibus.* Atque id fieri à Canonicis noſtris maximè in Italia, beneficia ſæcularia obtinentibus, pridem edoctus ſum. Patet igitur, nihil omninò incommodi operari diſſonantiam profeſſionis, minimè verò diſſonantiam ſolius nominis, quô clericus regularis obtinet beneficium ſæculare.

(Margin: 2. parte Dec. l. 1. de elect. c. cùm cauſa n. 15. & 16.)

Denique ad tertium repono, & explano ad amuſſim tam originem, quàm cauſam hujus textûs: *ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus.* Originem quidem cum Benvenuto noſtro alligans Concilio Lateranenſi annô 1516. celebrato, eò, quòd nullum, ante iſtud Concilium, documentum exſtet, ex quo confici poſſit, hoc axioma uſitatum fuiſſe. Nam Concilium Viennenſe non probatur textum illum in his verbis notaſſe, ſcilicet: *homines diſparis profeſſionis, vel habitûs ſimul in eiſdem monaſteriis non ſocientur:* quamvis dici poſſit certô modô eundem in iſtis fundari, ut nempe regularia ſolis regularibus conferantur: proùt notat Navar. At minimè exinde ſequi (ut ſæcularia ſæcularibus ſolis, & nòn quoque Regularibus conferri poſſint) patet ex antedictis.

(Margin: Celebr. hoc concilium an. 1311.)

(Margin: Tom. 1. tr. de red. dit. Eccleſ. mon. 55. n. 6.)

Cauſam verò hujus textûs, ſeu axiomatis reperimus fuiſſe concordata illa inter Regem Galliæ Franciſcum primum, & Leonem decimum; qui inter alia & hoc pactum conſtituerunt, ut, cùm Rex nominandi jus obtineret ad Epiſcopatus, Abbatias, & Prioratus electivos in ſuo regno, non alios nominaret, quàm cuique ſtatui congruos, regularibus ſcilicet dignitatibus, Regulares, ſæcularibus ſæculares. Sed hæc conventio lex generalis totam Eccleſiam obligans dici non valet, cùm ſolùmmodo inter limites ipſius pactantis, Regis ſcilicet Galliæ conſiſteret, aliòquin non eſſet major ratio etiam de aliis concordatis

Digitized by Google

id ipſum aſſerendi, quod quis admittet? prætereà, cùm ad hanc uſque diem nullo jure, nullo ſupremi judicis Eccleſiaſtici oraculô decretum ſit iſtud axioma; ſed ſolùm à quibuſdam ſcriptoribus in uſurpationem potiùs, quàm legitimam legem aſſùmptum, patet inde, quidnam iſte textus per ſe, maximè extra partes Galliæ (quamvis, & de iſtis controverti poſſet) operari queat. Et quia ſæpefatum axioma extra illa concordata nulli Canoni inſertum legitur, nec ad generale quoddam decretum ab aliquo Summo Capite uſitatum, non poteſt illud ad alium ſenſum detorqueri, niſi ad quem in his concordatis ſignificandum acceptus eſt, ſic autem tit. 18. dictorum concordatorum legitur: *volumus autem &c. ut tam graduati ſimplices, quàm nominati beneficia in menſibus eis aſſignatis vacantia petere, & conſequi poſſint ſecundùm propriæ perſonæ condecentiam, & condignitatem, videlicet ſæculari a ſæculares, & religioſi regularia beneficia Eccleſiaſtica, ita quod ſæcularis nominatus beneficia regularia in menſibus deputatis vacantia prætextu cujusvis diſpenſationis Apoſtolicæ, & econtra religioſus ſæcularia beneficia petere, aut conſequi minimè poſſint.* Ex quo contextu elucet, quid ſummus Pontifex cum Rege Chriſtianiſſimo per hoc aſſertum ſæcularia ſæculares, & Religioſi Regularia intenderit, nempe, ut ſæcularis nominatus beneficia regularia in menſibus deputatis vacantia, & religioſus ſæcularia beneficia in iisdem menſibus conſequi minimè poſſit: ergò ſolùm de tempore certo facta eſt limitatio, atque exceptio, eáque non ob incapacitatem, ſed alia motiva (quæ apud Horduinum hæc concordata referentem legi poſſunt) nihil planè ad hanc conferentia. Cæterùm id veriſſimum eſſe, demonſtrat praxis poſt hæc concordata, ipſis in Canonicis Regularibus fieri ſolita. Nam, ùt teſtatur Reverendiſſimus Benvenutus noſter, ex Clariſſimi Bibliothecarii S. Genovefani Epiſtola ſibi an. 1713. ſcripta: à Parlamento Rothomagenſi lata eſt in favorem Canonicorum Regularium annô 1631. ſententia, eos ad beneficia ſæcularia aſſumi poſſe, *& actu*, inquit idem vir clariſſimus, *Pater de Launaii abſque ulla diſpenſatione, ac nemine contradicente primariam dignitatem obtinet capituli ſæcularis S. Spiritus in civitate Corbejenſi, quæ non longè diſtat Pariſiis: actu*, id eſt, *tunc*, dum ſcribebat Bibliothecarius S. Genovefanus, hoc eſt, annô 1713. octavô id. ſept. ergo in Gallia, & quidem in ejuſdem prima Metropoli, id eſt, Pariſiis, unde concordata iſta robur, vitámque ſumpsêre, videntibûs, & non contradicentibûs iis, quorum alióquin intereſt regia decreta tueri, Canonici Regulares hodie ſine Apoſtolica diſpenſatione ſæcularia beneficia obtinent. Ex quo clariſſimè conficitur, verba illa *ſæcularia ſæculares* &c. neutiquam eum ſenſum formare, quem nunc ſcriptores quidam violenter extorquent: alióquin indubitanter, eundem præprimis obſervandum curarent Pariſienſes. Denique ſi quando aut Patribus, aut etiam poſterioribus Conciliis hoc axioma uſuvenit, certè aliô ſtylô reperiri non poterit, niſi, ut illud propriè ad Monachos, nunquam ad Canonicos referrent. Sic Concilium Bituricenſe annô 1583. celeb. *Monachi*, inquit, *beneficiis curatis non præficiantur. Generi enim per ſpeciem derogatur*. C. dudum 14. de Præb. in 6.

Vide quoque Alex. Nat. ad ſæc. 16. & Thomaſſ. de Benef.

Quartò extant exempla quàmplurima, quibûs probatur, Canonicos Regulares paſſim ad beneficia ſæcularia ſine omni diſpenſatione Pontificia fuiſſe aſſumptos, non alia de cauſa, niſi ob agnitam eorundem capacitatem, quæ ſi defuiſſet, ſemper eos æqualis cum Monachis lex obligâſſet. Nam præter adducta ſuperiùs refert eorum complura Pennotus noſter, quæ, cùm facilè inquiri poſſint, conſultò omittimus: his addendi Autho- L. 2. cap. 72. per tot.

thores numerô, doctrináque eximii in ſententiam noſtram plena penu convolantes, ipsíſque ex adverſa parte, ſi numerum ſpectes, longè ſuperiores, ſi (hac ſaltem in controverſia) eruditionem, certè non minores, ac ideò quoque perſpicacioris judicii, & ſolertiæ majoris, quòd ſuæ aſſertionis fundamenta neque è trivio, neque ex aliorum ſolùm incauta relatione producant, ſed fontem, originémque inquirant, ex quo illimia hauriant, atque veriora, proùt paulò infrà videbimus, dum contrariantium argumenta ſcrutabimur. Demum notamus recentiorum Authorum Phalangem totam ad peſſumdanda jura noſtra adeò præfractè conjurantium, unico inniti *Oraculo:* quod dum ſuam à nobis declarationem aſſequetur, ſuccumbet haud dubiè pariter eidem affixa opinio. Itaque jam ſupereſt objicientinm fundamenta præmiſſâ tamen noviſſimâ facti ſpecie aperire, atque diſſolvere.

6. *Argumenta in contrarium reſolvuntur, præmiſsâ notitiâ eorum, quæ præcipuè recentiores Ordini Canonico in hac quæſtione adverſarios pararunt.*

Primum, atque præcipuum ſtatuitur in Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 11. de reform. explicatione. Nam, dum in eodem dicitur: *Nemo cujuſcúnque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in ordine ipſo, ad quem transfertur ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat: ac taliter translatus, etiamſi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia ſæcularia etiam curata, omninò incapax exiſtat.* Hoc capitulum plures viri doctiſſimi ſic explicârunt, ut ex eo educerent, apertè argui, Patres Concilii Canonicos Regulares non ſolùm capaces beneficiorum ſæcularium ab antiquo cenſuiſſe, verùm per hoc ipſum novo jure in ſua capacitate firmâſſe. Nam cùm dicerent, quòd regularis ab uno ordine ad alium translatus, ſeu, ùt inquiunt, *taliter translatus* ad beneficia ſæcularia etiam curata omninò incapax exiſtat, *etiamſi Canonicorum Regularium fuerit*, ſequitur, ſi in ordine Canonico translati non ſint, hanc incapacitatem non contrahere, hinc doctiſſimus Thomaſſinus: *Jure*, inquit, *noviſſimo poſt Concilium Tridentinum eâdem Canonici Regulares gaudent licentiâ obtinendi Parochias, cùm eô illos non exuerit Tridentina ſynodus, niſi cùm ab uno ordine in alium tranſilierunt. Ex ea enim inconſtantia, & levitate jure reformidatur, ne libertatis potiùs libidine agantur, quàm ſuæ, alienæq; ſalutis charitate; itaque juſtæ hinc emerſère cauſæ ſæcularibus illos arcendi beneficiis: nam regularia regularibus à Concilio ſemper permittuntur - - - hoc ergò Concilii teſtimonio liquidum ſit, excepto hoc inſtabilitatis caſu, Canonicos Regulares poſſe ſemper Parochiis ſæcularibus donari, non regularibus tantùm, hoc eſt, Ordini unitis.* Hæc Thomaſſinus.

Dum igitur juxta Concilii præfati locum Canonicis Regularibus omnigenum jus non ſolùm capacitatis ad beneficia ſæcularia, ſed & ad effectum conſequendum aſſerere oporteret, proùt interpretatio quoque Congregat. Concilii Urbinat. die 15. Junii 1602. decrevit, dicens: *Congregatio Concilii cenſuit decretis ejusdem Concilii, Canonicum Regularem non prohiberi obtinere Beneficia curata ſæcularia, niſi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto Cap. 11. Seſſ. 14.* Attamen nunc alia ejusdem Concilii declaratio, aliúdque decretum refertur, eò ordini noſtro præjudicioſius, quò ſeverius, ipſáque authoritate loquentis ponderoſius. Nam cùm plùs quàm 500. annis ſuo jure Canonici Regulares in cauſa hujus capacitatis ad beneficia ſæcularia fruerentur, emanavit an. 1581. decretum juſſu Gregorii XIII. Papæ, quô cùm iidem Canonici non niſi ex indulto Pontificio ad beneficia ſæcularia promovendi decernerentur, recrudeſcere hæc dudum transacta Controverſia cæpit. Et licèt quidem, quod declarationem attinet, quam Gregorius XIII. ad Cardinalis Antonii Caraffæ quæſitum edixit

Digitized by Google

(cùm vim legis per ſe non obtinuerit, & ad modum ſolius Reſcripti, neque tanquam comprehenſiva Concilii edita fuerit) facilè probari poſſet cum morte declaratoris extincta: Recentius tamen Clementis X. decretum die 18. Martii 1671. promulgatum illud eſt, quod nobis non exile faceſſit negotium, eò avidiùs à recentioribus quibúſque Canoniſtis divulgatum, quò ſtudioſiùs pleríſque eorum inhæret animis, calamum (ùt vires ingeniúmque ſuppetunt) in Canonicorum Regularium privilegia, juráque ſtringere, &, ut loquar cum Reverendiſſ. Capacitatis (de qua loquimur) Vindice Cæſare Benvenuto, *cùm de iiſdem Canonicis Regularibus ſermonem inſtituunt, ſilentiô ſupprimere, quæ iis mirabiliter proſunt, eáque nimiùm, quæ obeſſe cernunt, exaltare.* En decreti Clementini formam atque promulgationem, non ſolius declarationis, ſed univerſalis legis more, ritúque productam.

7. *Gregorii 13 primùm dein Clementis 10. decretum reſuſcitat controverſiam 100. ampliùs annis tranſactam.*

Cum felicis recordationis Gregorius XIII. aliique nonnulli ſummi Pontifices ejus ſucceſſores ad regularem diſciplinam in congregatione Canonicorum Lateranenſium Ordinis S. Aug. magìs, magìſque firmandam, decretis ſuis mandaverint, ne dicti Canonici curam animarum in Eccleſiis ſæcularibus exercendi juxta conſtitutionem Innocentii Tertii recolendæ mem. incipientem. Quod Dei timorem &c. cæteróquin capaces ad hujuſmodi curam in prædictis Eccleſiis exercendam admittantur. Quorum Decretorum obſervantiam retinendam eſſe non ſemel declaratum fuit: aſſerentibûs verò econtrà quibûſdam dictorum Pontificum mentem haud fuiſſe certâ perpetuâ lege latâ Innocentianam conſtitutionem prorſùs abrogare: ſed ìmò illorum decreta, ſeu mandata cum ipſis exſpiràſſe, ac propterea pro diverſitate temporum diverſas forſan editas fuiſſe declarationes, nec uniformem ſervatam praxim.

Ideò ex prædictis non infrequentes dubitationes, & controverſiæ ſubortæ naſcuntur, ob quas Religioſa quies perturbari facilè poſſet, accuratiùs in hoc ſacro ordine cuſtodienda, cùm illius Apoſtolica inſtituta Primævam diſciplinæ, ac ſanctimoniæ antiquorum Clericorum imaginem, ac ſymbolum referant, quibûs ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant.

Quapropter ad hujuſmodi dubitationes explicandas, & controverſias definiendas, atque ut magìs accuratâ diſquiſitione eorum Canonicorum Spiritus, & vocatio dignoſcatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion cœleſtium contemplatione ſuaviſſimè paſcuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet in clauſtro) ad regimen deſcenſuri Parochialium invitantur: ſacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & regularium præpoſita, re maturè examinatâ, atque auditô P. Procuratore Generali dictæ Congregationis Lateranenſis, ſpeciali ſibi authoritate per ſanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem Papam Decimum vivæ vocis oraculô attributâ, declarat, ſtatuit, atque decernit, ut impoſterùm futuris perpetuìs temporibûs nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis S. Aug. Congregationis Lateranenſis, quamvis non tranſlatus ad curam animarum in Eccleſiis ſæcularibus, etiam de jure Patronatûs in perpetuum, ſeu ad tempus quocumque titulo exercendam admittatur, niſi præter Abbatis Generalis licentiam, expreſſum quoque ſedis Apoſtolicæ indultum accedat, quod juxta ſacrorum Miniſtrorum penuriam, & proùt animarum poſtulabit utilitas in contingentibus caſibus concedetur: ita, ut qualibet collatio, inſtitutio, & deputatio in favorem hujuſmodi Canonicorum aliter facta, irritâ prorſùs, atque inanis cenſeatur, & ſit: ac nulla etiam triennali longior poſſeſſio iiſdem ſuffragetur. Canonicus verò cui ejuſmodi conceſſum fuerit indultum ad mentem præfati Innocentii Tertii (ſi commodè fieri poſſit) ſocium unum ex ſuo Ordine, & Congregatione ſecum habeat, cujus in iis, quæ Dei ſunt, & Regularis obſervantiæ, tam conſortiô, quàm ſolatiô perfruatur.

Ce-

Digitized by Google

Cæterùm ſi fortè aliqui ex præfatis Canonicis, ante hujus decreti promulgationem ad curam animarum in hujusmodi Eccleſiis Parochialibus exercendam, quoquo nomine ſaltem cum licentia ſui Abbatis Generalis jam admiſſi reperiantur: eadem ſacra congregatio itidem ſpeciali ſibi authoritate per ſanctiſſimum Dominum noſtrum attributâ benignè indulget, ut illis (quatenùs aliud non obſtet Canonicum impedimentum) in hujuſmodi exercitio curæ animarum, juxta collationem, inſtitutionem, ſeu deputationem per ipſos jam obtentam licitè valeant (ſocium juxta prædicta, ſecum habendo) continuare.

Non obſtantibûs, quòd ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſenti decreto contenta, ſupradictâ conſtitutione Innoc. III. aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam neceſſariò, & individuè exprimendis, nec non illorum etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, formulâ Profeſſionis in eo ordine, & Congregatione emitti ſolitæ, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo ſub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriorum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis: nec non irritantibus decretis etiam motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibûs approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet tenoris hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſsô, & formâ in illis traditâ obſervatâ inſerti forent, præſentibûs pro expreſſis habendis, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris &c. Eadem ſacra Congregatio Sanctitatis ſuæ Authoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuscunque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem ſacra Congregatio, ut ſupradictum decretum in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie campi floræ, ùt moris eſt, affixum omnes, ad quos pertinet ita arctet, & afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet, útque ejusdem tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ hac die 18. Martii. 1671.

Fateor, cùm primùm hoc decretum ſubjiceretur oculis, neſcio, quô affectu abreptus, cæpi intra meipſum tantùm non omninò damnare præſentium temporum infeliciſſima fata, quæ penè ſolùm, & unicè conjurare videntur in præjudicium, & omnimodam depreſſionem ordinis noſtri, aliàs, ac olim tot ſummorum Pontificum oraculis tot purpuratorum Præſulum gratiis encomiiſque exaltatum.

Scrutabar inſuper hujus iniquæ ſortis cauſam, & omninò magna ex parte reperiebam fontem è domeſticis derivari, atque ſuppreſsis aliis, quæ memorari poſſent, non minimum eſſe, quòd (emergentibûs licèt his præjudiciis) nemo ſit, qui jura diripientibus obſiſtat, aut impugnantibus reſpondeat: atque hoc eſt, quod mirum in modum cor meum ad quandam animi moleſtiſſimam abjectionem proſtravit, cùm adhuc cernerem, tanquam leviſſimam quandam auram à multis hæc omnia diſſimulari, ac negligi, ubi aliarum intereà religionum, ordinúmque viri Zelatores egregiò, præſtantíque fervore imperturbatè tum ſcriptis, tum aliis conatibûs veritatem juribus ſuis patrocinantem ad applauſum, & magnam etiam Summorum Capitum recomenda-

Digitized by Google

tionem explicant, atque tuentur, elidentes adverſariorum occurrentia tela cautiſſimâ providentiâ, & egregiè metuenda fortè à ſumma ſede decretorum talium fulmina præpedientes. Profectò accuſavi non mediocriter hac in re noſtram (ſit venia verbo) vecordiam, quòd avidiſſimè optemus, imò, & prætendamus dici, haberíque Canonici Regulares, hoc eſt, clerici ex eſſentia tales, Apoſtolicarum inſtitutionum genuini, ac analogici imitatores, jurium clericalium legitimi ſucceſſores, & cùm undique in illis amittendis impetimur, quid, niſi taciturnitate noſtra certè culpabili etiam volentes privamur. Utque de aliis nihil memoremus; hoc Clementis X. decretum jam ante annos plus, quàm ſexaginta emiſſum (ſi ſolos Lateranenſes, & S. Salvatoris Bononienſes utpotè ad aram ipſam luctantes excipiam) tam altô ſilentiô, tam tranquillè divulgatum eſt ad conterendam ipſam qualemcunque capacitatem vix adhuc in reliquiis quibuſdam Canonico Ordini uſque dum ſpirantem, ut, quamvis plurimùm recentiorum libris insereretur, nec quiſquam ad tam manifeſtè injurioſam uſurpationem hujus decreti tanquam capacitati inimici (quod tamen Clemens nunquam enuntiavit, aut decerni voluit, uti ipſum illud decretnm demonſtrat) è Canonicis obſiſtere conaretur. Uſque dum demum hîs noviſſimîs diebûs antiqui zeli, amoríſque in ordinem noſtrum ardore adhuc egregiè inflammatus Reverendiſſimus D. Cæſar Benvenuti tractatum, ſeu opus edidit pro demonſtranda inconvulſa, ac imperturbata etiam poſt iſtud emanatum Clementis decretum capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia, quæcunque ſæcularia. Verùm quia prodeſt hac in re etiam Germaniam noſtram attentam reddere, & dum ejus quoque in limitibus non ita pridem cuidam Canoniſtæ noviſſimè placuit adversùs capacitatem iſtam Canonicorum Regularium integrô penè paragraphô intonare, aſſumptô præcipuè in ſubſidium ſuæ impugnationis hôc Clementinô decretô: præterea cùm opus illud à præfato Reverendiſſimo Authore, utpotè Romæ editum, rariùs fortè in partibus noſtris etiam inter doctas manus reperiatur, ſicut meritò ſuſpicari poſſumus citato Canoniſtæ eundem tractatum defuiſſe (neque enim video, quâ aliàs mente, ac judicio capacitatem Canonicis Regularibus abnegare potuiſſet, ùt mox declarabimus) hinc quæ idem Reverendiſſimus Author aliquantò prolixiùs digeſſit, hic ſuccinctiùs referemus: quædam tamen alia ad enucleandam ampliùs veritatem adjicientes, & enixè ſupplicantes, ut *quiſquis veſtrûm ſapiens eſt, veniat, & faciat, quod Dominus imperavit.* Vos alloquor quotquot eſtis Ordinis Canonici devoti profeſſores, ac filii, quid autem Dominus per ſanctiſſimum ſuum Vicarium imperaverit, hîſce accipite.

Vide citat. à nobis P. Pichler ſumi juris. pr.

Libro; cui tit. opus de capacit. Can. *Reg.* ad benef. Eccleſ. ſæc. (dicatum ſummo *PP.* Clementi X I.) per totum ac præcipuè art. 10. & ſequ.

8. *Canonici Regulares ad finem prioris ſæculi apud ſummum PP. Innocentium XI. & dein ad hujus initium apud Clementem XI. decreti illius novam diſquiſitionem faciendam ſupplicant: & cauſam, non juxta hactenùs emanata PP. decreta, reſcripta, oracula ſeu ſummorum PP. ſeu congregationum, ſed ſecundùm jus commune Concil. Trid. pro-*

Cùm igitur præfatum decretum poſt ſufficientem divulgationem omnes Canonicos ſtringere inciperet, & effectu longè ſeveriori, quàm ipſe ſummus Pontifex, & ſacra congregatio unquam intenderet: factum eſt, ut annô 1693. quidam Canonicus Regularis *Archangelus Giorgi* Congregationis S. Salvatoris ab aliquo Patrono nominaretur ad ſuſcipiendam Parochialem Eccleſiam S. Mariæ terræ Sarmati juriſpatronatûs comitum Scotti civitatis Placentiæ, præſentatione ad Epiſcopnm Diæceſanum directâ. Dubium, *an P. D. Archangelus Georgeus Canonicus Regularis S. Salvatoris præſentatus ad Archipresbiteratum ſæcularem cum cura animarum valeat inſtitui abſque indulto Apoſtolico, & cum ſola licentia ejus Generalis:* inde exortum eſt, quòd crederetur decretum illud Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis diſſertè obligare; adeóque, cùm illo congregatio S. Salvatoris non notetur, neque eam huic eſſe obnoxiam: præ-

feſſionem & inſtitutum Can. Reg examinandam, ac decidendam, ſummam ſedem exorant, & aſſequuntur.

præfatô igitur dubiô à Diœceſano Placentino ſacræ Congregationi extraditô, eadem ſequens decretum emiſit: *ſacra congregatio Concilii cenſuit uniendа eſſe decreta hac de re edita per manus circumferenda, & cauſam proponi formiter in ſacra Congregatione, auditis omnibûs Procuratoribûs Generalibûs Canonicorum Regularium, & præſentâ caſu Secretario cum Sanctiſſimo pro conceſſione indulti cum clauſula tamen*, quatenus opus eſt, *& factâ relatione Sanctiſſimo, Sanctitas ſua ſub die* 19. *ejuſdem menſis Novembris benigniter indulſit D. Georgeo præfato, ut ad Eccleſiam Parochialem præfatam præſentatus inſtitui, illámque valeat retinere, ac ſententiam Sacræ Congregationis approbavit, etiam quoad capiendam reſolutionem citatis omnibûs Procuratoribûs Generalibûs Canonicorum Regularium, & ſuper ea breve Apoſtolicum expediri juſſit, ut omnibus innoteſcat, & lex omnibus præſcribatur impoſterùm omninò ſervanda.* Hæc decretum iſtud.

Ut verò ipſam quoque relationem Sanctiſſimo, factam ab illuſtriſſimo Secretario Pallavicinio, cognitam habeamus, illam hìc ſubiicimus ex Italico ad faciliorem legentium uſum in latinum translatam.

Congregatio Canonicorum Regularium Lateranenſium, Viennenſium, Præmonſtratenſium, S. Georgii in Alga, & S. Salvatoris eſſentialiter Clerici, & à tempore Apoſtolorum deſtinati ad regimen Eccleſiarum ſæcularium (intellige per Prolepſim; ùt aliàs monuimus) *habent ex inſtituto ſuo, & regula, ut promoveri valeant ad Beneficia, & Parochias Sæculares cum ſola licentia ſui Generalis, hæc facultas reſtricta eſt per decretum Sanctæ Memoriæ Clementis Decimi, qui voluit, ut præter licentiam ſui Generalis, expreſſum Apoſtolicæ ſedis indultum accedat; unde Canonici S. Salvatoris declarârunt ſe hoc decreto non comprehendi, & prætendant ſe adhuc poſſe gaudere &c. ſacra verò congregatio mandavit, ut decreta unirentur, & ut obſervarent hac in re varias Canoniſtarum ſententias, quódque ipſa decreta non omninò ſervarentur, cenſuit eadem S. Congregatio ſupplicandum eſſe in caſu præſente veſtræ Sanctitati, dignetur concedere indultum ipſi Oratori, ut ad unienda hæc decreta, citari valeant omnes Procuratores Generales, & inde velit Sanctitas veſtra motu proprio ſtabilire, & enuntiare normam, quam obſervandam, ac tuendam habeant in ſimili eventuro caſu, & cùm intereà orator impediretur à poſſeſſione Parochiæ, dignetur ſanctitas veſtra indultum eidem dare, quatenus opus eſt.* Hæc nomine tam congregationis, quàm oratoris illuſtriſſimus, ac ſagaciſſimus Secretarius: demum ſuam ſupplicationem concludens his verbis: *Et ita ſublatis vivæ vocis oraculo varietate Opinionum, diverſitate decretorum, ceſſabit tantus Rumor.*

Facta hæc ſub Pontifice Innocentio duodecimo: at cauſæ terminatio ultrò, quàm ſperabatur, diſtenta eſt. Intervallô enim viginti annorum, id eſt, annô 1713. ſub Clemente XI. Generalis Congregationis Lateranenſis primùm comparuit cum ſuis ſibi ſubditis Canonicis; porrectô humilibûs precibûs ſupplice libellô ipſi Sanctiſſimo ſequentis tenoris: quòd pariter in latinum vertimus. A foris hæc legebantur: *Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ Clementi undecimo pro Procuratore Generali Congregationis Lateranenſis.*

Beatiſſime Pater.

Procurator Generalis Congregationis Lateranenſis veſtræ Sanctitati humillimus Orator demiſiſſimè repræſentat, ſuos Canonicos Regulares Lateranenſes eſſe veros Clericos primitivæ Eccleſiæ ad Apoſtolos deſcendentes, & eoſdem quoad inſtitutum ſuum renovatos à S. Auguſtino ſemper hactenus profeſſos fuiſſe quartum votum, ut non aliter niſi cum licentia ſolius Superioris ſui Generalis habere poſſint beneficia cum cura, vel ſine cura, intus, vel extra religionem, qualem profeſſionis formulam in originali ab ipſis emiſſam videre licet ab anno 1412, *& eadem in ipſis conſtitutionibus eorum impreſſa habetur ab anno* 1565. *prout hic in annexo tran-*

ſumpto adfertur, & talis facultas nativa etiam comprobatur ex conſtitutione Innocentii tertii in cap. quod Dei timorem de ſtatu Monachorum &c. & ex immemorabili conſuetudine. *Et cùm huic eorum facultati, ac naturali capacitati, temporibûs recentioribûs ſine legitimo fundamento contrariari incipitur, ipſa ſacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium die 18. Martii annô 1671 abſque examine conformi punctô adeò gravi, ac ponderoſô, ſolummodò accepta ſimplici, & obvia informatione Procuratoris Generalis tunc exiſtentis, decretum edidit ab ipſo ſanctæ memoriæ Clemente decimo vivæ vocis oraculô confirmatum, in quo additur, prædictos Canonicos beneficium curatum ſine indulto Apoſtolico obtinere non poſſe, idque ſine ulla adjecta ratione, cùm potiùs in confeſſo habeatur in eodem ipſo decreto, nimirum: Canonicos præfatos eſſe capaces de jure, & formula profeſſionis.*

Intereà tale decretum ſuum effectum integrum non obtinuit, cùm eô non obſtante dicti Canonici in ſua poſſeſſione immemorabili perdurârunt, obtinentes beneficia cum cura, vel ſine, extra religionem, exemplorum talium quàm plurimorum veſtigiis inhærentes, inſuper cum authoritate Epiſcoporum & Archiepiſcoporum, qui nec difficultatem habuerunt dandi inſtitutionem, & poſſeſſionem prætactis Canonicis beneficiorum curatorum.

Tandem caſus emerſit, quô hæc reſuſcitata eſt controverſia in ſacra congregatione Concilii, in una Placentina præſentationis. *Dum quidam Canonicus Regularis S. Salvatoris à Patrono præſentatus eſt ad aliquam ſæcularem Parochiam, examinatô autem conformiter illô articulô, an dictus Canonicus præſentatus eſſet capax cum ſola licentia ſui Superioris Generalis, & ſine indulto Apoſtolico? Eadem congregatio ſub die 14. Nov. 1593. non obſtante decreto Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, ordinavit, ut cauſa formiter proponeretur à citatis omnibus Procuratoribus Generalibus Canonicorum Regularium, ut fieri poſſit una lex univerſalis in ſimilibûs caſibus obſervanda, hócque decretum ſacræ Congregationis Concilii approbavit ſanctæ memoriæ Innocentius duodecimus, adjungens, quod reſolutio à ſacra congregatione decreta confirmanda ſit per breve Apoſtolicum, ut omnibus innoteſcat, & lex omnibus præſcribatur impoſterùm omninò obſervanda, ut lectô decretô pariter annexa videatur Apoſtolica confirmatio.*

In tali ſtatu rerum non poterant quamprimùm Canonici Regulares Lateranenſes adducere ſuas rationes, non enim erant tunc in ordine, prætereà deficiebant eis expenſæ, hinc non poterat cauſa eorum in Congregatione Concilii proponi, reſtabat hic articulus indeciſus, manebâtque decretum ſuſpenſum à Congregatione Epiſcoporum, & regularium conſtitutum, per decretum poſterius Congregationis Concilii. Nunc autem ſe promptos iidem Canonici offerunt ad deciſionem cauſæ, ut una lex perpetua obſervanda ſtabiliatur. Cujus effectus commiſſus eſt uni advocato Romanæ curiæ, qui tractatum componat in ſenſu puræ, & genuinæ veritatis ſupra hanc controverſiam.

Supplicatur igitur Summæ Clementiæ veſtræ Sanctitatis, dignetur ordinare, ut hæc eorum cauſa à Congregatione Concilii, à qua eadem jam dudum dependet, dignoſcatur, & decidatur prævio examine conſtituto in mero punctô juris communis Concilii Tridentini, profeſſionis, & inſtituti D. D. Canonicorum, independenter, & præciſivè ab omnibus reſolutionibus, & decretis ſacrarum Congregationum, judicatis quorúmque tribunalium, reſcriptis, & oraculis ſummorum Pontificum tam favoralibus, quàm contrariis ordini Canonicorum Regularium à temporibus Gregorii XIII. usque in præſens emanatis, cum integra facultate, & clauſula avocatoria aliorum tribunalium ad hoc conducentium, & neceſſariorum, qui &c.

Reſponſum verò clementiſſimum à ſua ſanctitate repoſitum fuit.

Jux-

Digitized by Google

Juxta petita.

Tom, 5. comment. ad conſtit. Apoſt. p. 511. §. in quo.

Hinc Eminentiſſimus Cardinalis Vincentius Petra: *Annis*, inquit, *præteritis, recurrentibûs Procuratoribûs Generalibûs, ſanctæ memoriæ Clemens XI. ipſe demandavit, ut Congregatio Concilii examinaret in puncto juris, Concilii Tridentini, & ex vi Profeſſionis, & inſtituti dictorum Canonicorum, independenter ab omnibus reſolutionibus, & decretis ſacrarum Congregationum, judicatis tribunalium, reſcriptis, & oraculis ſummorum Pontificum tam favorabilibus, quàm contrariis Ordini Canonicorum Regularium à temporibus Gregorii XIII. an dicti Canonici ſint capaces Beneficiorum curatorum, & Canonicatuum ſæcularium?*

Hæc ergò totius cauſæ facies usque ad hodierna tempora, ut hinc colligi ſatis poſſit, quo animo affecti hactenùs illi authores ſcripſerint poſt emanatum Clementis XI. reſcriptum, ubi priſtinis præjudicantibus principiis inhærendo, aliud adducere in ſuæ affectionis favorem non libuit, maximè noviſſimè præfato Authori Canoniſtæ, quàm Gregorii XIII. dudum ab ipſo Gonzalez in ſecunda operis ſui editione tam infirmum æſtimatum decretum, ut eô etiam cognitô diceret confidenter: *Cæterùm re maturè conſiderata, contrarium, in hac ſecunda impreſſione procul dubio teneo. Tum quia, cùm de jure communi Canonicus Regularis poſſit obtinere Eccleſiam Parochialem, dicto capite, quod Dei timorem: de ſtatu Monachorum, cum ſuprà adductis ex numero 49. niſi expreſſè inveniamus aliquid diſpoſitum in contrarium, non eſt inducenda correctio: tum etiam, quia ne dum per Concilium Tridentinum reperitur aliquid derogatum, imò potiùs videtur approbatum, dum dicit, quòd tales Canonici tranſlati de uno in alium ordinem, non poſſunt obtinere beneficia curata, & ſic quoad non translatos cenſetur Concilium Tridentinum approbare diſpoſitionem juris communis. Nec ſufficit aliquando noluiſſe Gregorium XIII. qui poterat poſteà velle, & voluntas non reducta ad actum legis, vel diſpoſitionis, nil operatur. Præterea cùm voluntas Gregorii XIII. nullâ lege, vel conſtitutione deſuper relictâ, exſpiraverit cum ejus morte.* Atque hæc quidem Gonzalezii retractatio à ſæpè fato authore altô ſilentiô ſuppreſſa, ſed mox præjudicioſum aliud fideliſſimè relatum Clementis X. decretum. Intereà iterùm omninò ſuppreſſum Clementis XI. reſcriptum, quô præcipitur, non ſecundùm hactenùs emanatas reſolutiones, decreta, indicta, reſcripta, & oracula, ſed ſecundùm *Jus Commune*, *Concilium Tridentinum*, *Profeſſionem*, & *inſtitutum Canonicorum*, cauſam iſtam cognoſcendam eſſe. Quod ſi præfatus Scriptor feciſſet cum compluribus aliis, & quidem methodo (proùt quidem aliàs Canoniſtis competit) ab omni partium ſtudio, alienâ ac liberâ, ſui juris in pauco tempore haud dubiè omnes haberet ordo ſacer Canonicus propugnatores. Verùm quia minimè latet, deciſionem cauſæ inter ſcriptores eò eſſe delicatiorem (fortè multis & periculoſiorem) quò per eam (in favorem veritatis enuntiatam) labefactari, aut ſaltem vacillare videtur quorumdam nunc ſecura poſſeſſio: hinc omnes præcipuè hujus cauſæ domeſticos, & quorum jam res agitur oportet obteſtari, ac obſecrare, ne tanti negotii immemores, ſuorúmque jurium prodigi, diſſimulent, negligántque occaſionem, tempúsque nunquam ampliùs rediturum. Noſtrûm eſt, cauſam noſtram tueri, ac ad libram æquitatis ea argumentorum ſtatuere pondera, quæ animos non ſolum veritatis, juſtitiæque amicos, ſed etiam paſſionibus irretitos aut convincere poſſint, aut redarguere. Apprehendite arma, & ſcutum viri eruditiſſimi, quicunque eſtis ordinis noſtri luminaria ſapientiæ, atque ſcientiæ dignè æſtimanda, venite in adjutorium periclitantis alióquin *præcipuæ* in ordine noſtro prærogativæ, hæc enim (ſi una aliàs) inter primas eſt, quæ nos

Gonz. ſuper octav. Cancellar. regulam Gloſſ. 7. n. 5. cæterùm &c. edit. ſec. Romæ 1648.

Digitized by Google

nos è Monachatu vindicat, in jure, & eſſentia clericali à tot ſanctis Patribus, Doctoribus, Eccleſiæ Præſulibus, & ſapientiſſimis viris aſſertâ confirmat, antiquitatem defendit, & quidquid demum decoris, quidquid honoris nobis obvenire credimus, quô propriis quaſi ſuffultus meritis, ab Eccleſia piiſſima, ac beneficentiſſima matre ordo noſter dignatus eſt, per hanc novô, ut ita dicam, fulcimentô ſtabilietur. Hoc enim modô fieri poterit, ut quam intra clauſtri penetralia Canonici noſtri pietatem, ſanctitatémque morum, ſcientiæ prætereà, & doctrinæ egregiam ſibi diſciplinam comparârunt, eam dein talî ſuppeditatâ ad beneficia ſæcularia, ut plurimum dignitatibus Eccleſiaſtis ornatâ promotionis occaſione, publico manifeſtare, in bonum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ calamo, ac ſermone effundere, ſícque ingentem ordini noſtro laudem atque commendationem valeant parturire. Neque verò hæc perſuadere velim, ut vos ad quandam inde captandam inanem gloriam, aut ambitionis ſpiritum enutriendum provocem; ſicut enim nec Auguſtini, nec Ivonis, nec Stephani Tornacenſis, nec Thomæ Aquinatis, Navarri, aliorúmque omnium pro capacitate veſtra concertantium mens unquam fuit, januam per illam ſuperbiæ, evagationi, laxitatíque aperire, ſic eadem longiſſimè quoque à meo hoc Conſilio, perſuaſionéque remota eſt. In eo ſiquidem totus hæreo, ut ſuperioribus noſtris unum ſupplex obſignem, quod Ivo noſter edixit: *Quia Canonici Regulares ab hoc officio nec penitùs ſunt removendi, nec indiſcretè admovendi; nam ſi penitùs removentur Canonico Ordini indigna fit injuria, cui tantô ſecuriùs eſt credenda correctio vitæ alienæ, quantò majorem diligentiam adhibuit vitæ ſuæ corrigendæ. Si qui ergò ſunt in Collegio veſtro viri prudentes, & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ad præſentiam Epiſcopi &c.* & ad Joan. Aurel. *ad hoc officium alii aſſumendi non ſunt, niſi quos vita, & doctrina commendat, & Epiſcopalis authoritas ad hoc agendum idoneos probat.* Quòdſi hoc à Præſulibus noſtris Reverendiſſimis obſervatum fuerit, ut non niſi, qui virtute ſimul, ac ſcientiâ præcellunt ad oblata beneficia promoveantur, illud ſine omni virtutum, religioſæque modeſtiæ invidia fiet, quod ſuprà optavimus.

Cit. epiſt. ad Galter. ſtirpens. quæ eſt 69.

Ep. 213. ſuprà.

Verùm, quia non ſufficit, aliis laborem ſuaſiſſe, propriîs viribûs torpore languentibûs: en oneri, ſi non quantùm debemus, ſaltem quantùm valemus, manum, robúrque ſupponimus, & ab adverſa parte objecta argumenta ſequentibûs reſponſis diluimus. Ad quod

9\. *Clementiſſimæ reſolutioni huic ultimæ inhærentes, capacitatem Can. Reg. in dubium verſam, tum reſolutione argumentorum adverſæ partis, tum rationibus poſitivis ſtabilimus, ac demonſtramus.*

Prænotandum: nos hìc neutiquam iis diſſolvendis immorari poſſe, quæ paſſim contrariæ ſententiæ Authores ex allegatione declarationis, & decretorum ſacrarum Congregationum maximè à Gregorii XIII. temporibus emanatorum pro ſcuto ſuo proferre conſueverunt. Imprimis enim illa, quæ eſt Gregorii decimi tertii Reſcriptô ſuffulta, ſuam explanationem, & reſponſionem jam ex Gonzalez adductô contextu habet. Clementis verò decimi decretum, quamvìs in multis explicari poſſet, & librari, attamen quia illud per decurſum in exenterandis objectionibus non rarò memorandum occurret, ſimul, & ea, quæ in illo adverſa ſunt, dilucidabimus. Cæterùm toti in puncto *Juris communis*, *Concilii Tridentini*, *Profeſſionis*, & *inſtituti noſtri* (quia hoc ſolùm jam à nobis ad probandam cauſam noſtram à ſumma ſede, & ſacra Congregatione Concilii prætenditur) occupabimur.

Prætereà obſervo: ea quæ de inſtituti noſtri ratione, tanquam ex natura ſua clericali hìc inſerenda eſſent, cùm paſſim per decurſum hujus noſtræ Exegeſis, firmîs rationibûs probata dederimus, repetitam crambem nolle nos producere,

ſed

ſed benevolum lectorem ad argumenta jam relata dimittimus, ſolùm quibûsdam ad rem magis conducentibûs memoratis. Et quia in hoc ipſo capite poſitivam capacitatis probationem non inermiter hactenùs, ſed (ùt ſperamus) eam intelligere volentibus ſolidè deduximus, nunc eandem potiùs liber per reſolutiones dubiorum objectorum, quàm ulteriora poſitiva argumenta continuare.

Denique adverto: dubium reſolvendum malè à pleríſque ad capacitatem ſeu habilitatem Canonicorum ad beneficia ſæcularia torqueri, ita quidem, ut per decreta allegata Gregorii XIII. & Clementis evincere cupiant, Canonicos Regulares ex hinc *abſolutè* incapaces decerni. Annotavimus enim jam ad initium hujus capitis duplicem poſſe allegari capacitatem, unam quæ adſtruitur Canonicis ex natura ipſius ſui inſtituti, aliam, quæ illis aſſerta videtur ex jure. De illa diſceptari non poteſt, niſi demandentur una cum ſuo inſtituto ad ordinem Monachorum, quod quàm improvidè quidam affirment, abundanter jam probatum eſt, & adhuc probabitur, quantùm neceſſe fuerit. De iſto verò res nunc in controverſia eſt, quámque primùm omnium ſecundùm ordinem aſſignatum ſuſcipimus enodandam.

Regularitas non adverſatur curæ animarum &c.

Primus itaque adverſantium aries, quô capacitatem Canonicorum Regularium ad beneficia ſæcularia aggrediuntur, eſt obſiſtentia juris communis, ajunt enim, jura omnia conclamare religioſis ſua clauſtra eſſe, in quibus alantur, & vivant, neque regularibus convenire, ut frequentiæ Populorum ſe immiſceant, ob quam etiam illam dicunt emanâſſe adversùs Canonicos Regulares (quia tales ſunt) declarationem Gregorii XIII. & Clementis X. cui tanquam juris communis declarativæ inhærendum firmiter eſſe arbitrantur.

Reſpondeo. Regularitatem, ſeu profeſſionem regularem, planè gratis adduci, tanquam beneficiis ſæcularibus adverſam, alióquin quot abſurda ſequerentur? certè nulla potuiſſet unquam fundari religio vitam activam intendens, ſi regularis vita excluderet acceſſum ad frequentiam populorum, imò ſi veteres hiſtorias perquirimus, quot turmas regularium extra clauſtra convertendis populis, & adminiſtrandis Sacramentis legemus inſervientes; inde tam eximiè, plerorúmque Religioſorum merita in Eccleſiam Catholicam creverunt, inde ab ipſa tot illis privilegia, ac exemptiones conceſſæ. Et quid vel de noviſſimis inſtitutis religioſorum ordinum dicam? nónne Patrum Societatis, Patrum Theatinorum, piarum Scholarum &c. omnis penè ſui propoſiti actio eſt ad frequentiam populorum? neque tamen inde minùs regulares, religioſíque dicendi. Et ſi hæc ratio ſubſiſteret, non ſolùm Regulares arcendi eſſent à beneficiis ſæcularibus, verùm etiam à Parochiis proprio monaſterio plenè unitis, cùm nulla, in ratione frequentiæ populi, ac abſentiæ à clauſtro poſſit dari differentia inter ſæculare, & regulare beneficium.

Denique quod ad rem noſtram maximè facit, obſervent oportet regularitatis reſtrictionem prætendentes, hanc neutiquam generaliter ſumendam eſſe in cauſa iſta; certum námque, & Monachos ſtrictè tales, & clericos dici, eſſéque regulares: malè ergò quod Monachile ex ſe inſtitutum regulare expetit (ſcilicèt ſejunctionem ab omni populorum frequentia) etiam clericis obtruditur, in quibus regularitas ipſa ad hoc ordinata eſt, ut per eam benè ac ſecundùm omnem virtutem eruditi, poſtquàm ſatis cuſtodes facti *ſunt vitæ ſuæ, rectè præponi poſſint cuſtodes vitæ alienæ*, ùt inquit ſæpè relatus Ivo noſter. Quòd ſi verò jam communi conſuetudine etiam Monachis ſtrictè talibus conceditur præeſſe curæ animarum, & in frequentia populo-

rum converſari, cur Canonico Regulari inhibeatur, cui id incumbit non ſolùm ex inſtituto ſuo, proùt latè probatum eſt, verùm etiam jure communi?

Sup. cap. quod Dei timorem. Ex jure communi Canonicis Reg. competit capacitas &c neque aliud poſitivum adferri poteſt, niſi geminum quod in quæſtione verſatur.

10. Unde Fagnanus, inquit, ipſi (id eſt, Canonici Regulares) *de jure præfici poſſunt Eccleſiis Parochialibus, ùt eſt caſus in hoc capite, ubi decretum Lateranenſis Concilii, quò Monachi prohibentur præfici Parochialibus Eccleſiis, declaratur non habere locum in Canonicis Regularibus.* Et hoc *de jure communi antiquo*, tam certum eſt, ut ne controverti quidem prudenter poſſit. Solùm difficultatem jus novum ſuppeditat: verùm, ſi & iſtud penitùs ſcrutemur, videbimus univerſim illud in declaratione Gregorii XIII. & Clementis X. quidem fundari, cùm aliud decretum nunquam, præter hæc duo, adferri poſſit, at quia monſtravimus, declarationem Gregorii nullum jus induxiſſe teſtante Rota: *Decretum Sac. Congreg. auctoritate ejuſdem Gregorii factum, nunquam fuit promulgatum, dum contrarium poſt tempora Gregorii ſemper ſervatum fuit; ultra, quòd ſupra dicta declaratio non emanavit per viam legis, ſed fuit quædam prohibitio temporalis, quæ cum ipſo Pontifice evanuit.* Hæc Rota. Quæ fortè tantam authoritatem habuit in explicanda mente Gregorii, quantam Cardinalium declaratio in illo decreto condendo. Hinc quoque nec tanquam explanativam juris communis ab authoribus hac de re ſcribentibus (utpotè quæ cum morte ſui principis exſpiraverit) aſſumendam eſſe facilè conſequitur. Alterum verò Clementis decretum, quamvis alióquin ſummoperè venerandum, quia tamen jus nunquam induxit, proùt mox infrà oſtendemus, videtur emanâſſe non illis conditionibûs, & circumſtantiis veſtitum, quæ legem aliquam communiter obligantem comitantur, maximè, cùm apertè proteſtentur in ſua ſupplica Canonici Lateranenſes ad Clementem undecimum ſanctiſſimæ memoriæ, id decretum factum eſſe *ſine fundamento legitimo, ſine examine tam gravi puncto conformiter præmiſſo, cum ſola ſimplici informatione Procuratoris Generalis*, ac denique verè *illud ſuum effectum non obtinuiſſe:* ſummus quoque Pontifex agnoverit Canonicorum ſupplicam adversùs decretum illud benè fundatam, hinc & conceſſit novum examen: quódque maximum, ut illud inſtitueretur, non de legitimitate illius decreti, ſed de jure, & inſtituto Ordinis Canonici, ex quo meritò inferendum, Sanctiſſimum Patrem perſpexiſſe illi decreto aliquid de legitimate legis obligantis deeſſe.

Apud Benevenut. cit f. 89. n. 2. cujus citationes ibid. vide certè notitia ab ipſo adductas.

Addamus inſuper, quòdſi Clementinum decretum ſecundùm ſenſum ab adverſariis intentum, mox, ùt ſufficienter promulgatum eſt, ſcilicet ab anno 1671. obligâſſet, inde jam nemo Canonicorum Regularium Lateranenſium potuiſſet ſine indulto expreſſo ſummi Pontificis, & ex ſola licentia ſui Superioris ad beneficium aliquod ſæculare promoveri, exſtat autem uſus in contrarium, ùt patet in ſupplica, ergò meritò concludendum, decretum illud non ſtrinxiſſe, adeóque eidem plenitudinem obligationis defuiſſe.

Quòdſi dicas, jus commune Canonicis Regularibus in hoc caſu adverſans ſatis fundari in recepta illa regula inter Beneficialiſtas, & Canoniſtas ex Trident. ſeſſ. 14. C. 10. de refor. & ſeſſ. 25. C. 21. de regul. recepta, vi cujus beneficia ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus conferri debent, ità, ut aliàs collatio ſit irrita, niſi adſit diſpenſatio Pontificia, ſecundùm regulam Cancell. 42. repono præter ea, quæ de hac regula ſuperiùs attigimus, eam neutro loco citati Concilii hoc modô, ùt prætenditur, referri, proùt legenti patebit: quòdſi etiam factum fuiſſet, dico, adhuc Canonicis Regularibus per illam in ſua capacitate nihil derogari, nec jus commune illis ab ipſo hoc Concilio aſſertum infringi: nam ſi adver-

Digitized by Google

verſariis placet, declarationes in favorem Canonicorum à Fagnano, & Pignatello productas (tanquam minùs approbatas à ſummis Pontificibus, aut, ſi ſufficienter approbatas, violentâ tamen explicatione) torquere ad intelligendam ſolam capacitatem Parochialium regularium, ac pleno jure unitarum ideò, ut evitetur contradictio: licebit, imò neceſſe erit, jure longè potiori regulam hanc explicare, ne Canonicis Regularibus per ipſam jus interturbetur etiam ab ipſo hoc Concilio aſſertum. Sicut enim nulla regula ſine exceptione, ſic nec iſta, quòd námque Concilium Tridentinum non obſtante hâc regulâ citatis locis productâ Canonicos Regulares eadem ſeſſ. 14. cap. 11. ſub illa regula non comprehenderit, ſed in ſuo jure capacitatis intactos reliquerit, teſtatur declaratio Cardinalium apud cit. Fagnanum, & Authores id confirmant cum gloſſa communiter, exceptis ſolùm iis, qui putant, locum illum aliter explicatum à ſacra congregatione ſub Greg. XIII. & poſtmodùm ſub Clemente X. explicationes Canonicis faventes ſubvertiſſe. Quia verò nos demonſtravimus, utrumque locum ab adverſariis oppoſitum nihil in ſubvertendo jure communi operatum fuiſſe, ac prætereà neque illam declarationem ſub Gregorio XIII. factam propriè dici poſſe explicativam Concilii, cùm in ſupplici libello non petatur locus Concilii explanari, ſed planè diſperatè quæratur: *An Generalis Canonicorum Regularium poſſit ſuis dare facultatem aſſumendi beneficia ſæcularia?* neque Clementis X. utpotè quæ, dum ſimpliciter dicit, Canonicum Regularem etiam non translatum in poſterum ad curam animarum in Eccleſiis ſæcularibus non admittendum &c. ſat apertè innuit, aliàs, & ante hanc declarationem taliter non translatum admiſſum jure fuiſſe: apparet hinc, quàm inaniter ad explodendam declarationem Cardinalium pro Canonicis Regularibus emanatam confugiatur ad hæc duo decreta, quorum neutrum ſatis ſubſiſtere, ex adductis à nobis argumentis convincitur. Dein, ſi hæc regula adeò generaliter obſtringeret, certè Authoribus paſſim, poſt Concilium Tridentinum ſcribentibus occurrere nequiviſſet, ut eâ perſpectâ attamen pro favore Canonicorum Regularium pugnarent, niſi ſimul noviſſent, qua mente, conſilióque ipſa à Concilio præfato uſurpata fuerit: nempe, quòd citato cap. 10. Seſſ. 14. de refor. hanc non tanquam generalem regulam ſtatuat, ſed mandet in favorem regularium; ne in eorum beneficia ſe ſæculares intrudant, & diſpari inſtitutô officiant potiùs Eccleſiæ ordinatiſſimæ varietati, quàm proſint. Idipſum legitur in cap. 21. ſeſſ. 25. ut adeò pro favore contrariæ partis nihil omninò elici ex his locis poſſit, longum enim diſcrimen eſt, ſæcularem beneficio regulari, & regularem præfici beneficio ſæculari. Nam, ùt aliàs advertimus, regulari non deficit congrua qualitas ad regendas animas in beneficio ſæculari, at facilè obtingere poteſt, ut deficiat in Clerico ſæculari requiſita circumſpectio ad regendos homines in beneficio regulari, maximè, ſi illi ipſi regulares exiſtant, de quibus propriè concilium citatum loquitur. Ex quo demum inferas regulam illam *ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus conferenda*, nullo ſtricto, ac univerſali jure, ſed privata ſolùm Beneficialiſtarum uſurpatione fuiſſe receptam: & quamvis eadem ſecundùm partem poſteriorem ſacris authoritate Conciliorum, ac ſummorum Pontificum fuerit firmata, nunquam tamen ſecundùm priorem: patétque inde, quòd ſanctiſſimè hodiedum illa obſervetur etiam à ſummis Pontificibus, ne ſcilicet ſæculares homines præficiantur regularibus, minùs autem altera, præcipuè, cùm adhuc ho-

hodie videamus Canonicos Regulares ſæcularibus beneficiis ſummô Eccleſiæ emolumentô præfici, proùt exempla in Romana Provincia paſſim proſtant, & hodie adhuc taliter promoti exiſtunt in Italia, Gallia, atque Hiſpania.

Cauſam ulteriorem ſi requiras, dico eam præ reliquis eſſe præcipuam, quòd Canonicus Regularis omnes dotes Clericales ad curata munia obeunda expetitas in ſtatu reſpectivè perfectiori poſſideat, quàm Clericus ſæcularis: firmat enim, & quaſi ornat illas prærogativa vitæ votivæ, ac regularis, nam prætérquam, quòd in fine ſui inſtituti vitæ ſcilicet activæ cum quovis Clerico ſæculari ad amuſſim conveniat, ánne ideò debet eſſe deterior, & arceri à cura animarum, quòd comparandæ in beneficio Eccleſiaſtico opulentiæ nunquam inhiare temerè poſſit votô paupertatis cohibitus? ánne ideò à frequentia populorum arcendus, quòd plurium annorum certamine carnem jejuniis, aliiſque religioſis exercitiis domans ſecuriori caſtitatis clypeô munitus in apricum prodeat? Anne denique ideò ſub modio abſcondendus clauſtrali, quòd præclaræ obedientiæ ſtudiô actitatus eò feliciùs, prudentiúſque ſciat alios regere, quò ſolertiùs edoctus eſt antea ſubeſſe? mirandum itaque vehementer, poſſe aliquorum adverſariorum in hac materia calamum adeò acui in exaggeratione incapacitatis provenientis ex regulari vita, quam præſtaret potiùs omnes habere, quotquot animis curandis præficiuntur, proùt optavit Ivo Carnotenſis: Hæc enim Clericatui innexa, quàm eximiè profit, & miniſterio Eccleſiaſtico conducat, Ivo, aliíque dudum agnoverunt. At dum quorumdam doctorum virorum ſententiâ regularitas dicitur vi juris communis à cura animarum arcenda, intelligenda eſt illa, quæ ſic vitam contemplativam intendit, ut omninò excludat activam: ſtrictè ſcilicet illa monaſtica, quæ neutiquam Canonicum afficit regularem. Decretum Clementinum, quod adeò nervosè ab adverſariis aſſumitur ad jus commune Canonicis Regularibus ſubvertendum, ſi benè perpendatur, illud potiùs apprimè confirmat: ait enim diſſertè illos cæteróquin capaces eſſe ad hujuſmodi curam in prædictis Eccleſiis (ſæcularibus nimirum) exercendam. Unde, quo judicio quidam ex hoc decreto incapacitatem concludant, non apprehendo: maximè cùm ab hoc jure communi aſſerendo nec ipſi dicti decreti conditores deflectant: qui enim legerit, reperiet illud in nullo argumento, & jure communi contrario capacitati Canonicorum fundari, utpotè eodem manifeſtè reclamante. Quamdiù námque his abrogari non poteſt certus, & eſſentialis finis ſui inſtituti, neque valet iiſdem negari jus ad illud, cùm verò finis ille ſit ipſe Clericatus, etiam admittendum eſt jus, in quo idem fundatur. Hinc Cardinalis Petra ipſe affirmat *de jure communi Canonicos Regulares eſſe capaces beneficiorum ſæcularium.* Tom. 2. commentar. ad conſtit. Apoſt. pag. 11.

Si igitur conferamus huc ea, quæ hactenus tum in præſenti capite, tum per decurſum hujus exegeſis de Clericatu Ordini Canonico ex eſſentia competente diximus, jus commune confectum habebimus, quidquid demum obtrudant in contrarium adverſarii de jure communi deficiente. Cùm enim univerſim in jus novum, atq; illud quidem ſolum, & unicum concidat, quod in Gregoriana, & Clementina declaratione firmatur, quia Clementis XI. auctoritate, non ex his declarationibus, ſed ex aliis probationibus argumenta pro jure communi, vel contra illud ab utraque parte concertante producenda ſunt, apparet dilucidè, à tempore hujus noviſſimi Papalis reſcripti, id eſt, ab anno 1713. nihil pro re ſua agere, qui, ut Canonicos Regulares à capacitate requiſita ad beneficia ſæcularia ex-

excludant, ſuam ſententiam in his duabus declarationibus ſtabiliunt, ſed inquirenda illis ſunt alia jura, atque decreta, quibûs in ſuo ſenſu triumphent, quæ an comperturi ſint, vehementer addubito. Nos intereà ſecuris paſſibûs ad ſecundum punctum digredimur. Scilicet Profeſſionis Canonicæ, de qua quidem tanquam genuinè clericali, quia plurima jam præmiſimus, pauca iſthìc delibâſſe ſufficiet.

Pichler cit. n. 57. ad 2. verbo ad i de.

Docet ſæpè à nobis hoc capite memoratus ex recentioribus Canoniſtis, cùm juxta Navarrum, & Fagnanum *nomine Monachorum etiam in odioſis veniant Canonici Regulares, ubi reperitur eadem ratio:* Hinc eoſdem incapaces eſſe beneficiorum ſæcularium, utpote, quòd æquè, ac Monachi arcendi ſint, ne ſcilicet à clauſtris abſtrahantur ad vivendum inter ſæculares. Conſideranda hìc occurrit Profeſſio Canonicorum Regularium, quæ nobis oſtendet in hoc ipſo caſu diverſitatem rationis. Pro qua

II.
Profeſſio Religioſa non obſtat per ſe.
2a q. 189. art. 8 ad ſecundum.

Iterùm recrudenda ſunt, quæ de Monachorum, & Canonicorum Regularium inſtituto diſſerit Angelicus Doctor: *Utraque*, inquit, *religio ſcilicet Monachorum, & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera vitæ contemplativæ, inter quæ præcipuè ſunt ea, quæ aguntur in Divinis Myſteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per ſe competit, ut ſint Clerici Religioſi: ſed ad Religionem Monachorum non per ſe competit, ut ſint Clerici.* Ex his D. Thomæ verbis manifeſtè eruitur, quòd, cùm per ſe competat Canonicis Regularibus, ut ſint Clerici, eos quoque per ſe vovere, ſeu profiteri Clericatum, omnis enim Profeſſio voventem alligat non ſolùm ad ſubſtantialia religionis, ſed etiam ad certum modum, ſeu finem vivendi approbatum in quavis religione, ùt docet Navarrus, & Pelizarius. Unde Canonicus Regularis profitens vota, profitetur etiam finem particularem per ſe ab ordine Canonicorum Regularium

Navar. Conſ. 49. de regul. Pelız. tr. 5. c. 1. n. 2.

intentum, ſcilicet Clericatum, ùt patet ex Doctrina D. Thomæ. E-contrà Monachus non profitetur Clericatum, hinc certiſſimè infertur, Monachum fini ſui inſtituti nunquam adverſaturum, ſi Clericatum non ſuſcipiat, ſecùs Canonicum Regularem, niſi ſpecialis quidam divinus inſtinctus aliud ordinet, proùt de quibusdam Canonicis Regularibus factum legimus, quod Sacerdotium ſuſcipere renuerint: at id tam parùm fini principali Canonicorum adverſatur, quàm Monachorum, quòd id ſuſcipiant.

Concludo autem ex hoc diſcurſu (Monachi, ac Canonici Regularis aſſertô diſcrimine) Profeſſionem Canonici Clericalem, quamvìs regularem jus prætendere ad curam animarum, atque inde apparere, falſum eſſe, quod in noſtro quæſito, Capacitatis Canonici Regularis ad beneficia ſæcularia eadem ſit ratio cum Monachis: eſt enim quæſtio de fine particulari utriusque inſtituti; penitùs ergò abnegandum, regularitati adeò illigatam eſſe abſtractionem à vivendo inter ſæculares, & incluſionem in clauſtro, quod probant religiones clericales propè omnes, ùt ſuperiùs diximus. Docere itaque præſumit, quod ignorat, qui ajt Canonicos Regulares in hoc paſſu cum Monachis æquali jure cenſeri: neſcit enim finem Canonici Regularis, & inſtituti rationem, quam ex D. Thoma priùs diſcere debuiſſet, & ex aliis doctiſſimis viris: Certè Eminentiſſimus Vincentius Petra, quamvìs propenderet in ſententiam incapacitatis Canonicis affigendæ, neutiquam ex æqualitate monaſtici inſtituti illam probaverat, ſed ex ſolis declarationibus Gregorii, atque Clementis, dum enim expreſsè ajt Canonicos Regulares *quoad curata de jure communi eſſe capaces juxta Capit. Quod Dei timorem: deſtat. Monach. ſed dubium*, inquit, *aderat, an ex vi Concilii, vel ex decreto ſupradicto ſub Gregorio XIII. aliqua eveniſſet prohibitio,*

Imò potiùs ipſa prætendit in Canonico Regulari hanc capacitatem.

Tom. 5 p. 522. §. opinor.

bitio, ibique adduxi varias Doctorum ſententias, & motiva hinc inde urgentia, ſed prohibitio extra dubitationem fuit ex dicto decreto Congreg. Ep. & Regularium ſub Papa Clemente X. annô 1671. Conſiderans verò idem Eminentiſſimus Cardinalis inſtituti rationem ob hanc de jure communi capaces Canonicos Regulares enuntiare ne dubitat: nam cùm pluribus in locis declarâſſet Canonicos Regulares ab Apoſtolis inſtitutos, propagatos, ac reſtauratos ab Auguſtino, eorum proprium munus oſtendit eſſe clericatum, hinc de Eccleſia Lateranenſi diſcurrens, *ne*, inquit, *Eccleſiæ Matricis cultus diminueretur, fuit inſtitutus proprius clerus dictæ Baſilicæ, ut in Spiritu proficeret, ac munera Eccleſiaſtica, ut par erat, in ſancto illo loco perſolveret ſub Regula Divi Auguſtini, idque evenit tempore Divi Leonis magni poſt annum* 440. *proùt refert Cæſar Franciotti Clericus Regularis Lucenſis: ſed magis communiter tempore Gelaſii primi circa annum* 495. *ut ſcripſit Onuphrius Panvinus ex Archivo Lateranenſi.* Hæc vir iſte purpuratus, dignoſcens ſanè ex Clericatu eſſentialiter Canonicis Regularibus indito (proùt id Pius IV. Benedictus XII. aliíque Summi Pontifices in univerſim omnes de inſtituto Canonicorum Regularium ſenſerunt) etiam jura clericatuì propria omninò convenire. Et incauta planè videtur eſſe inſtantia in re illa extorta, ubi maxima comparere debet diſparitas: nam licèt juxta Doctrinam D. Thomæ datam, in iis, quæ religioſo ſtatui ſunt eſſentialia, cum Monachis æquiparentur, in illis tamen ritibus regulari alióquin inſtituto congruis, ſed fini particulari aut obſtantibus aut omniò adverſis, convenire æquali cenſurâ nunquam poſſunt. Unde præcipitur non ſolùm Canonicis Regularibus, ſed omnibus Religioſis Clericis, certa clauſtralis cuſtodia, & abſtractio à ſæcularibus, at nequaquam ſtricta illa, quæ demandata eſt Monachis. Nam clauſtralem hanc cuſtodiam Caroli Magni, Ludovici Pii, Chrodegangi Metenſis, aliorúmque plurium tum Epiſcoporum, tum Principum lege præſcriptam fuiſſe Canonicis novimus, quamvìs negare nemo queat, ſtetiſſe cum illa capacitatem eorundem ad quæque beneficia ſæcularia. Et multum erit, ſi adverſarii monſtraverint, aut ex jure, aut conſtitutionibus quibuscunque Canonicorum, talem clauſtralis cuſtodiæ ſeveritatem his præceptam eſſe, qualem Monachis, æqualíque in hac utrosque lege cenſeri: cùm apertiſſima experientia probet contrarium, utpotè multìs Canonicorum Regularium cœnobiìs, ſeu Collegiis actu exiſtentibûs, in quibus, ſi ad ſummum liberum ingreſſum mulierum excipias, alióquin ne toto diurno tempore clauſtri januæ occluduntur. Neque dimetienda eſt obligatio à libera ſtrictioris diſciplinæ acceptatione, proùt hanc multæ Eccleſiæ Canonicorum præprimis in Germania ſunt amplexæ. Non enim ideò Canonicorum Regularium conditio debet fieri deterior, aut juribûs ſibi competentibûs privari, quòd vitæ magìs regulari, & clauſtrali ſe accomodent: alióquin nemo ex Canonicis prudentiùs, juríque ſuo conſervando providentiùs, atque laudabiliùs faceret, quàm qui dimiſsâ habenâ regulari ſæcularem libertatem aſſùmeret. Profectò, cùm ſæculô undecimô, duodecimôque reformarentur Canonicorum diffuſi mores per ſummos Pontifices, ac Epiſcopos complures, nemo eorum ob hanc reformationem quidquam derogari voluit iis de privilegiis, ac juribus, tanquam clericali prærogativa inſignitis, nemo eos ex tempore illo dixit poſthàc non ampliùs inter Clericos, ſed Monachos computandos. Legimus equidem, illâ ipsâ ætate multa monaſteria ad caſtra Monachorum convolâſſe, alia verò reformationem Canonicam aſſumpſiſſe, tantò ſemper diſcrimine, ut dum illi à Clericorum gremio ſeparabantur, iſti inter Clericos

D. Ber. ep. a. 87. 348. 349 &c. Rup. in reg. l. 4. c. 8. 9. 13. &c. Philip. Harven. l. de contin. Cler. c. 103 & & 104. Laur. Leod. hiſt. Epiſ. Virdun. ſpicil. t. 2 Gero. Dorab. Chron. ad an. 1161 Pet. Clun. l. 1. ep. 28. Herman. de reſtaur. Abb. S. Mart. Tornac ſpicil. t. 2.

cos inconvulsè, ac imperturbatè permanerent, velut id ex ſcriptoribus illius ævi manifeſtum fit. Lege enim Ruperti Tuitienſis Comment. in Regul. S. Benedicti, Divi Bernardi Epiſtolas complures, Philippum Harvengium, Laurentium Leodienſem, Gervaſium Doroberuenſem, Petrum Cluniacenſem, Herimanum Abbatem Tornac. pleróſque Monachos, & ex eorum teſtimonio cognoſces, quanta tum Monachos inter, ac Canonicos Regulares ob Clericatum propriè talem his indiviſibiliter annexum fuerit aſſerta diverſitas. Ad quid autem Canonicis Clericatum vendicârunt viri quique eruditiſſimi; niſi, ut viverent, ſicut Clericos decet, finémque obtinerent Clericorum? quòdſi itaque in hoc diſcrepat finis Canonicorum Regularium à fine Monachorum, ut hi *plangentis, non docentis habeant officium* ex textu Hieronymi: *Illis verò per ſe competat, ut ſint Clerici*, juxta D. Thomam communiter receptum; certè, cùm Monachi ex fine ſuo perpetuò arcendi ſunt à ſæcularium conſortio, Canonici, quamvis regularis vitæ ſtudiô, ex antiquiſſima conſuetudine, clauſtri cuſtodiâ ſint muniendi, dum tamen occaſio ſe offert, ſatisfacturi fini ſuo, cui obſequuntur, præfixos clauſtri limites ſecuri commutant cum licito conſortio mundanorum.

Profeſſio itaque Canonicorum Regularium ex fine inſtituti ſui deſumitur, qui, quia clericalis eſt, etiam ipſam clericalem eſſe oportet, neque in hoc reſpicienda eſt litteralis formula, ſed voventis intentio ſeſe ad hunc certum ſtatum determinantis. Sicut autem certum eſt, profitentem in ſtatu Canonicorum Regularium intendere finem, quem hic ſibi præfixum habet, ſcilicet clericalem (qui finis profectò inculcatur, & explicatur profiteri volentibus) ſic, & intendit media ad finem ſecundùm votorum ſuorum obſervantiam amplecti, gaudeŕeque iis juribûs, quæ fini huic connectuntur. Unde dum expreſsè Lateranenſium profitendi forma continet, obligátque voventem, *nunquam acceptare aliquod beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura &c. ſine conſenſu Congregationis, vel Capituli, renuntiando omnibus juribus &c.* Supponit neceſſariò hoc jus ſtatui Canonicorum (in quo hæc profeſſio fit) adeóque, & ipſi profeſſioni ineſſe, & ſolùm reſtringit profitentem, ne hoc jus ſine conſenſu ſuorum Superiorum arripere præſumat, útpote jam olim per Ivonem Carnotenſem, & Stephanum Tornacenſem cautione hac de re factâ: Itaque in re profeſſio Canonicorum Regularium capacitatem iſtam ad beneficia curata involvit. Neque dicas, ſufficienter hanc clericalem capacitatem in Canonicis Regularibus ſalvari, ùt reſpicientem beneficia regularia, & planè monaſterio unita. Reſpondeo enim, ab adverſariis dandam eſſe diſcrepantiam, cur ſi Canonicus (qui eſt ex eſſentia clericus) aſſeritur capax beneficii Regularis, non ſit capax beneficii ſæcularis. Neque enim, ùt regularis eſt, quidquam de jure clericali compatibili cum regularitate, ad religioſum ſtatum (non prout contractum ad Monachiſmum ſtrictè talem, ſed ſecundùm ſe conſideratum) requiſita dimittit, ſed, quæ jura Canonicus Regularis habuit ſæculis priſtinis, eadem ſibi retinet etiam tempore præſente, utpotè fine particulari (illa jura prætendente in ſtatu Canonico) neutiquam immutatô, quod patet ex teſtimoniis evidentibus: etenim authores etiam originem inſtituti noſtri vellicantes, ſecuri, certíque nobis clericatum genuinum, atque intrinſecum aſſeverant, atque intactum relinquunt, ſolùm ſi quoſdam modernos ſciolos, aut livore nimio tabeſcentes excipias, ſed inde nihil alióquin apud eruditos promerentes. Quòdſi enim quocunque conatu quis urgeat Theatinos, Barnabitas, Jeſuitas &c. non eſſe

Digitized by Google

eſſe clericos, ideò quòd regulares ſint, riſum merebitur, non applauſum. Longè potiori jure quiſque doctus de Canonicis id Regularibus dicit, quorum profeſſio tam Clericalis eſt, quàm cujúſque demum Clerici Regularis. Hinc eſt, ut, qui ex eruditioribus Ordini Canonico Clericalia quædam jura abnegare laborant, non ex ratione inſtituti argumenta ſuſcipiant, ſed ex jure novo, & declarationibus, aut prohibibitionibus, ſcientes inſtituti rationem ſibi obſiſtere, utpotè clericalem, atque ideò eodem jure, eâdémque prærogativâ gaudentem, quâ clericatus univerſim. *Cui enim eadem natura, idémque ſtatus competit, easdem quoque proprietates, ac prærogativas competere neceſſe eſt.* Ut inquit Card. de Luca de regul. eadem autem natura ineſt clerico regulari ſecundùm clericatum, quæ ſæculari, ex eo enim, quòd clericatui ſupperaddatur regularitas, à prærogativis clericatûs non eſt arcendus, ſed potiùs iis magìs honorandus, *conſtanter aſſerimus*, inquit Ivo: *Non eſſe audiendos, qui clericos regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia ſæculo renuntiaverunt: ſed ideò potiùs ad hoc aſſumendos, quia voluptates, & pompas ſæculi contempſerunt.* Sic Ivo prudentiùs certè, quàm multi hoc tempore ſcriptores, diſſeruit, quibus id unum contradictionis ſuppetit argumentum, nempe; Canonici *Regulares* ſunt, ergò ob hanc *Regularitatem* omnium beneficiorum ſæcularium incapaces. Quaſi nimirùm id culpæ, aut pænæ regularitas omni homini votivo imponat, ut ideò, quòd ſe Deo arctiùs obſtringat, miniſterio Evangelii deſervire non poſſit. Neminem regularitas ſecundùm ſe jure iſto deſtituit, ſed ſolùm prout illa ad hunc, illúmve ritum vivendi contrahitur. Regularis quis eſt Monachico ritu? incapacitati ſubſcribo, hanc Patres ipſi, & Monachiſmi ſtrictè talis Fundatores ſtatuêre, ut nemini, niſi Deo, ac ſibi ipſi intra clauſtri penetralia vivere obligarentur. At regularis clericatum profeſſus, ut à jure clericali, atque hoc ipſo à capacitate illa, de qua loquimur, excludatur, idem eſſet, ac ſi dicerem, ut homo, nullum jus habeat id, quod hominis eſt, operandi. Hæc de capacitate Canonicorum quoad punctum ſuæ profeſſionis.

Diſc. 19. n. 5.

Cùm verò profeſſionis qualitas cum ipſa inſtituti ratione debeat concordare, neque religioſus aliud profiteri poſſit, quàm ſuum inſtitutum exigat, nóſque abundè oſtenderimus, Canonicorum Regularium inſtitutum ex natura ſua eſſe clericale, nemo eidem inficiabitur capacitatem ad illa, ad quæ clericatus ipſe finaliter ordinatur, neque eam ad ſola beneficia regularia cum nupero authore conſtringet, utpotè iiſdem rationibûs pro capacitate ad beneficia quoque ſæcularia dudum pugnantibûs. Etſi enim ad ſpeciem huic obeſſe videatur clementina: cùm rationi. Et ipſius Trident. cap. 10. ſeſſ. 14. ne ſcilicèt homines diſparis profeſſionis, vel habitûs ſocientur, reipſa tamen hæc capacitati Canonicorum Regularium ad beneficia regularia non repugnant, proùt apertis, firmíſque illud argumentis monſtravimus. Manétque concluſio, ex rationibus à ſummo Præſule Clemente undecimo petitis, & in puncto juris communis, Concilii Tridentini, vî profeſſionis inſtitutíque repertis, Canonicos Regulares ùt priſtinis temporibûs, ſic & modernis eſſe capaces ad omnia beneficia non ſolùm regularia, ſed ſæcularia quoq; aſſumenda. Nihílque reſtat, niſi, ut cum Doctiſſimo Gonzalez optemus, nempe *quia hæc quæſtio adhuc deciſa non eſt per ſedem Apoſtolicam, & ſi ſæpiùs diſputata in ſacra Rota, tandem ab eodem ipſa clementiſſimè declaretur, atque decernatur.* Neque dubitamus, ab hac ſede juſtitiæ, ea (quæ hactenùs profectò à multis adverſè ſentientibus attentata ſunt) conſuetâ, atque ingenitâ ſollicitudine ad ple-

11. *Denique & ipſius inſtitutum Can. Reg. hanc capacitatem neceſſariò involvit.*

Digitized by Google

plenum rectitudinis tramitem, ultimámque ſententiam fore revocandam: ut, dum pro capacitate iſta, tot illuſtriſſimi, clariſſimíque Doctores, tot inviolata jura, denique profeſſio ipſa, ac inſtituti natura decertat, eadem ab hac Sanctiſſima, & æquiſſiſima Sede perpetuò ſui aſſenſûs oraculô confirmetur. Quod futurum eò certiùs confidimus, quò pro allegata, & probata capacitate hac talia fundamenta producimus in cauſa Profeſſionis, ac inſtituti noſtri, quæ ſummis Eccleſiæ Judicibus ſemper ſufficientia fuêre, ut jura Canonicorum Regularium intacta, inviolatáque tuerentur. Hæc enim ab Eminentiſſimo Cardinale Joanne Bap. Cicada, & Michaele Saraceno, Scipione Lancellato, Jacobo Portio, ſeu Imola Pyrrho Tharro, Agabito de Magiſtris, Vincentio Parentio, Sanctiſſimo Eccleſiæ Præſuli Pio quarto propoſita tanto ſunt ingenitæ juſtitiæ recepta amplexu, ut tum ipſe, tum plurimi iiſdem ſubſcriberent Cardinales in teſtimonium veritatis. Neque unquam aut credendum, aut opinandum eſt, ſanctiſſimam Apoſtolicam Sedem, quæ illa ſeu Scipionis Lancelloti viri doctiſſimi, ſeu Joannis Cicadæ, Michaëlíſque Saraceni, ſeu aliorum præfatorum Doctorum argumenta pro certiſſimo Canonicorum Regularium clericatu, juribúſque huic annexis pugnantia accuratiſſimâ trutinâ ponderata, pluries audita, dubiiſque in contrarium emergentibûs ad plenum diſcuſsis, ſub ſæpefato Pontifice primùm, rurſus inde ſub Pio quinto conſtantiſſimè roboravit, approbavit, atque ſtabiliit, nunc contrario motu ad eam ſententiam definiendam, deflexuram, quâ unâ omnia hactenùs non ſolùm Pontificia oracula, ſed ipſum quoque inſtitutum Canonicum in fine eſſentialiter intento eſſet ſubvertendum: non, inquam, hæc de Sede iſta ſacratiſſima, ac juſtiſſima unquam erit pertimeſcendum; utpotè cui, quò liberius eſt independenter ab omnium partium ſtudio definire congrua æquitati, ac veritati, eò certiùs, atque ſubmiſſiùs tanquam divino enuntianti oraculo obeditur, & non niſi à perverſis, ac inquietis ingeniis reſiſtitur.

Denique, cùm *contra ſtatuta Patrum mutare aliquid hujus ſacræ ſedis non poſſit auctoritas, & apud eam inconvulsis radicibûs vivat antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reverentiam.* Cap. contra 25. Q. 1. Poſteáquam jura hæc noſtra *documentorum intercedentium authoritate* monſtravimus eſſe firmata cap. poſteáquam 26. q. 2. nulli dubitamus, ab hoc ſupremum iſtius *controverſiæ in Eccleſiæ arbitrum, neutiquam diſceſſurum.* Cap. eodem. Et veſtigiis deceſſorum Sapientiſſimorum inhærendo ea definiturum, quæ ordinem noſtrum in aſſerta hactenùs, ſempérque defenſa veterum clericorum tam jurium, quàm inſtituti ſucceſſione confirment.

CAPUT VI.

An regula S. Auguſtini, quam Canonici Regulares profitentur, ſit Monachilis, & quibus ſcripta?

Cùm ſæpiùs per decurſum exegeſis noſtræ de regula diſputemus, tot quæſtiones à nobis diſſolutæ ſunt, ut vix quidquam ſuperſit, quod non anteà diſcutientes complanavimus: Nam, ſi ea, quæ tum priori parte, tum ſuperiore quarto capite de ipſa relata ſunt, perpendantur, quis non ſufficientia ſibi argumenta ſuppeditata agnoſcit, quibus quæcunque in præjudicium Ordinis Canonici objici poſſunt, liberrimè refutentur? Una hæc, quam huic capiti præfiximus, quæſtio penè intacta hactenùs relicta eſt, planè ideò, quòd aliquantùm fluctuaremus, an eam huic operi inſerere dignum eſſet? utpotè, quòd ad rem noſtram ne

Digitized by Google

ne minimùm referat, regula S. Auguſtini ſítne Monachilis, an clericalis? vel ſítne ſcripta viris, fæminíſve? diſcimus id ex hactenùs deductis diſcurſibus, quibûs declaratum eſt, quidnam demùm regula ad ſpeciem inſtituti religioſi operetur?

I. *Cauſæ præſentis quæſtionis diſſolvendæ referuntur, & ejuſdem partitio.*

Verùm conſideratis inde aliis occurrentibûs causis, neceſſe duximus, de hac ipſa ſacra regula notatam, in titulo capitis, quæſtionem reſolvere, quarum præcipuæ ſequentes ſunt. Primò: quòd Canonici veteres ſæculô undecimô reformationis ordinis noſtri Principes, ſi non omnes primò aggreſſu, certè tunc, cùm de litterali, ſeu ſub ſtrictiori ſenſu accepta regula ſolliciti eſſent, non aliam ſibi, quàm hanc ipſam aſſumpſerint, moti haud dubiè non ſolùm ipſius præclariſſimi authoris prærogativâ, ſed præcipuè ideò, quòd eam inter omnes regulas, tunc notas, clericali ſtatui ſummè congruam reperirent: atque, ut verbô dicam, genuinè Canonicam, & Clericalem. Secundò: quòd à tempore cumprimis demandatæ per Concilium Lateranenſe ſæculô duodecimô cuíque inſtituto religioſo certæ regulæ, magnæ (ut decet) eidem ſoleant prærogativæ adjudicari, nulláque regula ſit, quæ non prægrandibûs encomiis à ſe profitentibus conſuevit extolli; quinimò hâc ætate non parùm ad ipſius inſtituti præeminentiam, ac qualitatem conferat, regulæ habitudo. Ut adeò neutiquam in vanum nos laboraturos ſperemus, ſi præcipuè hæc duo allegata in capitis titulo quæſita ad incudem revocaverimus, ſæpiùs jam ab aliis ſcriptoribus, & quidem diverſimodo planè affectu tractata: ſcilicet, an regula S. Auguſtini ſit Monachilis, an clericalis? & cui primùm ſcripta, viris, an fæminis?

Iteratò tamen præmonemus, nos tractatum hunc de regula non agere, ut inde à dubiis ab adverſa parte de inſtituti noſtri ratione objici ſolitis expediamur, cùm ad hæc quæſtiones de regula motæ in ſubſtantia nihil conducant. Quia etenim (ut breviſſimìs verbis loquamur) ex tot evidentibus argumentis à nobis propoſitis, patet regulam in determinando ad ſpeciem infimam, certámque inſtituto religioſo nihil penitùs operari poſſe, ſed prioribûs multiplicitatem religionum præcedentibûs ſæculis, ſolùm finem particularem, ſuccedentibûs verò, alias partes ex merito objectivo requiſitas (non regulam, niſi ad ſolam ſubſtantiam ejuſdem, aliud eſt enim conſtituere rem in ſuo eſſe morali, aliud ejus differentiam, atque diſcrimen) unam religionem ab alia diſcreviſſe, hinc quidquid de regula, hac in cauſa, nobis opponitur, tanquam inpertinens ad ſtatum quæſtionis, dimittimus. Quid námque Clericis exempli causâ S. Pauli, Theatinis, aliíſque regularibus interſit, ſecundùm Auguſtinianam regulam, an Benedictinam profiteantur? Secundùm regulam, inquam, repeto enim, quod jam aliôs dixeram, differentiam eſſe in hoc, quô quis *profitetur regulam*, vel *ſervare regulam*, & in eo, quô quis profitetur *ſecundùm regulam*, vel *obedientiam ſecundùm regulam*, quamvìs Suarius in ſuæ quæſtionis propoſito modicum diſcrimen eſſe velit, quod noſtræ hic obſervationi non obſiſtit, nam hanc ſatis inſinuat S. Thomas, dum inquit: *In quibuſdam religionibus cautiùs aliqui profitentur, non quidem regulam, ſed vivere ſecundùm regulam, id eſt, tendere ad hoc, ut aliquis mores ſuos informet ſecundùm regulam, ſicut ſecundùm quoddam exemplar. In quibuſdam autem religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam ſecundùm regulam, ita, quòd profeſſioni non contrariatur, niſi id, quod eſt contra præceptum regulæ &c.* Et S. Bernardus ſuperiùs à nobis relatus expreſſam diſcrepantiam facit inter profeſſionem ipſius regulæ, & ſecundùm regulam, dum ait: *Qui ſe ideò perju-*

rum

Digitized by Google

rum putat, quòd ad punctum regulam non obſervat, videtur mihi non ſatis attendere, quid juraverit, nemo quippe, cùm profitetur, ſpondet regulam, ſed determinatè ſecundùm regulam, ſui quiſque converſionem, ſuámque deinceps converſationem ſeſe pollicetur dirigere. Hoc eſt, pollicetur ſe ſervaturum ea, quæ quoad ſubſtantiam in regula præſcribuntur, non verò, quæ etiam quoad litteram. Unde ſuſceptæ Canonicis Regularibus Auguſtinianæ regulæ obſervandæ cauſa erat, quòd ipſa præſcriberet, jam alióquin ùt plurimùm per Canones illis ſuô modô præcepta: ut adeò nihil conſultiùs occurreret, quàm, dum determinare ſe oportebat ad aliquam regulam aſſumendam, illam amplecterentur, quæ Canonum obſervationem aliunde contineret: nequaquam intereà ad litteralem, & hanc certam (útque talis eſt) regulam ſe obligando. Unde ſi præfati Clerici Regulares profiterentur ſecundùm regulam Benedictinam, inde non obligarentur ad ritum officii Divini Benedictinum, nec ad illa præſcripta jejunia, nec ad labores deſignatos manuales, nec denique ad illas ſpecificas pænas, & mulctas à regula illa præſcriptas, eò quòd tantùm ſecundùm regulam profiteantur, id eſt, obſervare ſe ſpondeant ea, quæ in regula quoad ſubſtantiam ſuæ religionis præſcribuntur. Neque igitur ideò evaderent Benedictini, aut Monachi, ùt patet in Equitibus religioſis ſecundùm hanc regulam profitentibus. Quod ipſum cum proportione de Canonicis Regularibus enuntiandum, ſempérque obſervandum, eoſdem non à regula ſimpliciter, ſed ab ipſo ſuo Reformatore nomen Auguſtinianum aſſumpſiſſe, háncque propriè cauſam primariam fuiſſe, ut, quem Reſtauratorem ſuum noſſent, ejus & regulam amplecterentur, ſeu, ùt in multis litteris fundationum legitur, vitam profiterentur S. Auguſtini. Cæterùm videri hac de re poteſt Ardo in vita S. Benedicti Anian. ubi ait: *Multa regula implere jubet, ſed permulta ſunt, quæ uſus explere quotidianus expetit, ipſa tamen reticet - - - - - nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter obſervantiam honeſtatis, ſeu propter conſiderationem fragilitatis commutantur.* Si ergò hoc Monachis Benedictinis licuit in regula ſibi ſpecificè determinata, apparet facilè, quid Canonicis in ſua?

8. *Regula quadruplex Auguſtino adſcribitur.*

Regulam novimus in Auguſtini Codicibus triplicem reperiri, aut ſtrictiùs loquendo quadruplicem, una exſtat Tom. 1. oper. S. Auguſt. poſt librum 2. de Geneſi contra manichæos, titulum referens: *Regula B. Auguſtini ad ſervos Dei.* Eſtque, pauciſſimis exceptis, illa eadem genuina, quam omnes actu Canonici tenemus, atque profitemur. *Dixi pauciſſimis exceptis*, ſic in antiquis codicibus noſtræ M. SS. Biblioth. annos quadringentos, & ultrà referentibus, iiſque omnibus concorditer, illud initium: *Ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data*, deſideratur. Altera proſtat Tom. 2. & Epiſt. 211. (quæ aliàs numerabatur 109. & à noviſſimis operum S. Auguſtini editoribus cenſetur ſcripta circa annum 423.) monialibus data unàcum Epiſtola præfertur jam à prima operum Auguſtini typographica editione, facta per Auguſtinum Dodo Canonicum Regularem an. ùt vult Geſnerus 1504. (aut veriùs, ùt habent noviſſimi editores an. 1495.) operâ Joannis Amerpach, Baſileæ. Videtur verò idem Dodo hujus typographi curâ anteà, id eſt, annô 1493. edidiſſe librum Epiſtolarum hujus ſancti Doctoris (quem eô typô ad manus tenemus, primô foliô ſeu frontiſpiciô excisô, in cujus fine ſola habetur impreſſoris prædicti annotatio) & quidem prout eas in diverſis reperit M. SS. unàcum hac dicta Epiſtola, cui aſſuta pariter regula iſta eſt fæminarum, multa hinc

Digitized by Google

hinc inde addita habens, quæ ſuperior, quam nos primam nominavimus, non refert.

Tertia reperitur Tomo 1. operum S. Auguſtini in appendice, & incipit. *Communi definitione decrevimus.* Hanc omnes D. Auguſtino abjudicant, refert titulum. *Regulæ Clericis traditæ fragmentum.* Ex quo patet, hanc quamvìs inter opera D. Auguſtini M. SS. inventam, nunquam integram comparuiſſe editoribus.

Quarta denique quæ ab editoribus in citata appendice mox ſubjungitur, & ſecunda dicitur. Incipit. *Ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta præcepta principaliter nobis ſunt data. Qualiter autem oporteat nos orare &c.* Pariter communî calculô eruditorum abjudicata Auguſtino. De his igitur regulis peculiaris nobis inſtituenda eſt, juxta propoſita, inquiſitio. Quamvìs enim plures authores circa D. Auguſtini regulam ſuam mentem etiam pro parte noſtra explicuiſſe, ac ſolidìs argumentìs comprobâſſe non ignoremus, opinamur tamen in eo nos ſaltem reliquis amplius quidquam feciſſe, quòd rem tractare conati ſimus aliquantò ordinatiùs, ut, & propugnatores noſtræ ſententiæ, & oppugnatores, ſi non ſolidiùs in propoſitis argumentis, ſaltem clariùs in relata veritate informentur.

Itaque, quam nos primam regulam nominamus, eam viris ſcriptam ab ipſo S. Auguſtino, alterámque fæminis longè poſt hujus S. Doctoris obitum ab aliquo aſſertam eſſe requiſitis argumentîs probabimus.

3. *Regula à nobis ſecundò locô relata (quæ fæminis ab Auguſtino ſcripta traditur) multimodis probatur,*

Primò: Regula illa prima in antiquiſſimis typo datis editionibus non reperitur hoc ordine, quô eam collocarunt Eraſmus, & poſt illum editores Lovanienſes, ſcilicèt poſt librum 2. de Geneſi, ſed ponitur poſt librum de bono diſciplinæ, qui in editione tam veteri, quàm novâ, ad appendicem ùt dubius Auguſtini partus rejectus eſt. Ex hoc autem conficio, regulam olim apud ſcrutatores operum S. Auguſtini, quæ nunc libro 2. de Geneſi ſubjicitur, certum locum non habuiſſe, adeóque nec adhuc tali illigari poſſe, maximè quoad computum Chronologicum. *ejus primigenius partus haud eſſe.* Pro certo tamen opinor, eandem ſcriptam eſſe ante annum 400. nam tempore eodem juxta veriorem Scriptorum S. Auguſtini Chronologiam (idipſum annotantibûs editoribûs) ſcriptus eſt liber de opere Monachorum, in eo verò aliquid inſerit ex ſua hac regula quodammodò decerptum; ut hinc S. Doctor prudentî judiciô cenſeatur illud opus, quod ex inſtituto ſcripſit, priùs exaraſſe, quàm diſperſos textus ex eo certiſſimè deſumptos, ut colligitur ex communi ſtylo modóque ſcribendi tum ipſius S. Auguſtini in aliis ſuis operibus, tum aliorum Patrum, ac Scriptorum. Sic Capit. 19. n. 22. ajt: Neque propterea in militia Chriſtiana ad pietatem *divites humiliantur, ut pauperes ad ſuperbiam extollantur*, nullô modô enim decet, ut in ea vita ubi fiunt Senatores *laborioſi, ibi fiant opifices otioſi, & quò veniunt relictîs divitiis ſuis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi ſint ruſtici delicati.* Hæc (cùm Auguſtinus non de ſolis Monachis, ſed de Monachis cum reſpectu ad converſos de Gentiliſmo Chriſtianos ſcriberet, ùt patet totum contextum conſideranti) aliquantùm immutavit, dum in regula ad ſolos ſuos Clericos, ajt, *terrena, ac vana non quærant, ne incipiant eſſe Monaſteria divitibus utilia non pauperibus, ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.* Cap. 14. Et iterùm: *Ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio, ubi, quantùm poſſunt, fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati.* Deinde quaſdam Phraſes hinc inde inſpergit, quibûs in regula conſultò uſus eſt, ut, dum dicit, ſi autem ad iſta vacare ſervos Cap. 17. Dei certîs intervallîs temporum Cap. 21. Cap. 22. *ipſius infirmitatis neceſſitas cogit &c.* item ſi ſaltem *habebant aliquid in hac ſacu-*

ſæculo &c. eſt Phraſis ex Cap. 1. n. 4. item *in eandem labem peſtifera Contagione imitantur.* Eſt Phraſis ex Cap. 6. n. 8. &c. Patet hinc, ſanctum Doctorem aſſuetis regulæ Phraſibûs iſthìc uſum fuiſſe, quòdſi verò dicta regula ab Auguſtino ante tractatum de opere Monachorum exarata eſt, rem confectam habemus, originariam, de qua controverſia agitur, viris, non fæminis ſcriptam, utpotè cum Epiſtola illa 211. monialibus data ſit circa annum 423. adeóque 23. annis poſt librum de opere Monachorum.

Secundò: Regula modò, temporéque prænotatô typis exarata, eſt antiquior, tum illâ, quæ éditione Amerbachii ſubjungitur libr. de Geneſi. Annô 1495. tanquam operum D. Auguſtini ordine impreſſorum antiquiſſima, curâ Dodonis Canonici Regularis (uti ſuperiùs advertimus) tum illâ, quæ Epiſtolæ 109. ſeu 211. novæ edit. aſſuta eſt luci datæ 1493. illa enim edita eſt, annô 1489. in qua impreſſione regula hîs diſſertis verbîs intitulatur: *Incipit Regula Auguſtini Epiſcopi de communi vita Clericorum.* Et in fine, his clauditur. *Explicit Regula S. Auguſtini Epiſcopi de communi vita Clericorum*, hinc dubitari vix poteſt editorem hujus, aliîs M. SS. exemplaribûs, iiſque certioribûs uſum fuiſſe, quàm Dodonem, neque iîs confictîs, aut erroneîs, cùm alia quoque opuſcula accuratè cum legitimis editionibus concordent. Quare, dum in editione Baſileenſi regulæ præfigitur titulus: *Regula ad ſervos Dei*, non videtur illa jure etiam antiquitatis eam veritatis prærogativam obtinere, quam altera editionis Argentinenſis utpotè omnium antiquiſſima: dico, editorem priorem aliîs exemplaribûs uſum fuiſſe, *iiſque certioribûs;* movet me ipſe titulus genuinus, & verus, quamvis non obeſſet Authoris intentioni, ſi etiam *clericos*, locò, *ſervos Dei*, poſuiſſet. At quia horum nomine Auguſtinus adeò in operibus ſuis generaliter uſus eſt, ut ſine ulla reſtrictione jam laicos, jam Monachos, jam clericos ſervos Dei nuncuparet, proùt, vel obiter hujus S. Doctoris Scripta percurrenti manifeſtum fiet, hinc ex hoc ipſo videtur titulus iſte, *regula de communi vita clericorum* accomodatior, imò accomodatiſſimus eſſe ad ipſum regulæ totius contextum, eò, quòd tota, & unica ſit ad communem vitam informandam. Certè evidentiſſimè conijcere datur, hanc regulam, proùt in hoc codice Argentinenſi refertur, ex eodem M.SS. antiquiſſimo deſumptam fuiſſe, ex quo Corbejenſis illius vetuſtiſſimi, milléque annos præferentis exemplaris deſcriptor eandem hanc regulam exſeruit, cum eodem illo exordio: *Ante omnia &c.* quod pariter ibidem reperitur. Quòdſi enim Corbejenſis ille codex mille annos præſefert, computando ab anno 1700. quo opera D. Aug. per editores Benedictinos prodierunt, idem reducendus erit ad ſæculi ſeptimi initium, igitur longè majorem antiquitatem præſeferet antographum, vel apographum, ex quo Corbejenſis deſcripta eſt regula, quàm omnia alia exemplaria, quæ exordium illud non habent. Cùm verò tum Epiſtola 109. (adverſariorum ſolus, ac unus Achylles) tum regula *ad ſervos Dei* nullum habeant tam antiquum exemplare, ad quod ſeu à Dodone, ſeu à Lovanienſibus, ſeu denique à noviſſimis editoribus collatæ ſunt, ſequitur illud Corbejenſe maximæ eſſe Authoritatis, atque hinc, & regulam Argentinenſem, utpotè apprimè cum Corbejenſi concordantem. Quia igitur regula Corbejenſis ad viros ſcripta ob ſui non ſolùm, ſed maximè ob exemplaris Antographi ſeu apographi, ex quo illa deſumpta eſt, vetuſtatem adhuc majorem, ſcripta eſt ad viros; miror, ob authoritatem Vidingi, & Stellartii potuiſſe tantum ſibi aliorum virorum doctiſſimorum aſſenſum nanciſci regulam illam Epiſtolæ 109. adjunctam: utpotè cujus nul-

In nova edit. eſt epiſt. 211.

nullum ex iis exemplaribus, ad quorum fidem hæc collata dicitur, eam vetuſtatem ſolùm præfert, quam unus codex Corbejenſis: recenſita enim eſt cum M.SS. Sulpitiano, cum codicibus Belgicis, cum codice Collegii Fluxenſis apud Toloſates, cùm S. Victoriano Pariſienſi, cum Vaticanis duobus; nullus autem horum, Corbejenſem (ùt patebit conferenti) antiquitatem attingit.

Unde quicunque exordium illud regulæ abnegant in Corbejenſi M.SS. & Argentinenſi impreſſo repertæ, alia ratione non fulciuntur, niſi, quòd Epiſtolaris regula illud non præſeferat: verùm tantæ conſiderationis hæc ratio, quantæ illa ipſa regula Epiſtolaris, cujus Analyſim ideò pro argumento noſtro aſſumemus. Igitur

Tertiò: Regula illa fæminis ſcripta non poteſt eſſe primigenia, imò nec ab ipſo S. Auguſtino qualitercunque ad fæminas ſcripta, vel tranſlata. Nam imprimis, ùt eruditè obſervat noſter Largius, regula illa talia continet, quæ nec fæminis aptari commodè poſſunt, & ibidem ſuperaddita multa apparent, tortuoſa, atque coacta, quid enim illud: Cap. 10. Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibûs placere, ſed moribûs, additur *nec ſint vobis tam tenera capitum tegmina ut retiola ſubter appareant.* Legit hæc penè omnia verba aſſutor, & transverſor regulæ in Auguſtino L. de S. Virginit. Cap. 34. *Pro tumidis umbonibus capillorum, ſive tegminibus, ita teneris utuntur, ut retiola ſubtus poſita appareant.* Pariter, & aliud, quod ſequitur, *capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris, vel ſpargat negligentia, vel componat induſtria*, móxque velut emendicatum centonem regulæ inſeruit, ut inde hanc fæminis magis propriam faceret. Adeò verò gratis hoc punctum adjicitur, ut cum Auguſtinus Epiſtol. 245. ad Poſſidium dicat de mulieribus conjugatis, quòd *capillos nudare fæminas, quos etiam caput velare Apoſtolus jubet, nec maritatas decet.* Credi nec poſſit ſanctimonialibus præſcripſiſſe, rem aliundè communi tunc lege prohibitam, & præprimis in hac regula, quam compendioſiſſimè exaráſſe, ipſe contextus docet. Dein voces illæ *ſorores, fæmina &c.* aliquando duriter applicantur, cùm in textu maſculino planiſſimè fluant, ùt eſt illud: magìs quippè innocentes non eſtis, ſi *ſorores* veſtras, quas indicando corrigere poteſtis &c. item illud: illi ergò timeat ſancta fæmina diſplicere &c. item: non *ab una teſte* argui, certè alia voce Auguſtinus uſus fuiſſet, *teſtis* locò, ſi primigeniè hanc regulam fæminis ſcripſiſſet; denique illud, qui non vult dimittere *ſorori* &c. prætereà n. 14. dicitur, lites, aut nullas habeatis &c. addita hac obſervatione. *Neque enim ad ſolos viros pertinet, quod ſcriptum eſt, qui odit fratrem ſuum homicida eſt: ſed ſexu maſculino, quem primum Deus fecit, etiam fæmineus præceptum ſexus accepit.* Vana hæc videtur digreſſio, & ſuperflua, utpotè cùm in libro tum de viduitate, tum de virginitate non minùs textus maſculinum ſexum reſpicientes inducat, ſine ulla tali obſervatione: & in hac ipſa Epiſtola, dum conſulit, ut *non habeant pænitentiam Judæ proditoris, ſed potiùs lachrymas Petri Paſtoris*, certè, aut pariter explicanda fuiſſet hoc modo maſculini ad fæmineum applicatio, aut Petri locò, Maria pænitens aſſumenda. Non fecit id Auguſtinus, ſciens ſe ſcribere, fæminis peritioribus, & applicandi normam per ſe intelligentibus. Rurſum ad quid ſupervacaneum illud, dum dixerat, ita ſanè, ut nulla ſibi aliquid operetur: additur. *Sive unde induatur, ſive ubi jaceat, ſive unde cingatur, vel operiatur, vel caput contegat*, ſenſus & ſtylus ab alio adeò fluido, & plano, omninò reciſus, imò & abundans. Iterum de Balneis: *Lavacrum etiam corporum, uſúſque Balneorum non ſit aſſiduus, ſed eò, quô ſolet, intervallô temporis tribuatur, hoc eſt, ſemel in men-*

menſe. Hic textus prætérquam, quòd in numeris neutiquam cum reliquo certo ſtylo conveniat, inſuper gratis balnearum uſum fæminis deſtinat, ùt infrà videbimus. Ultrò incongruè planè, pené injuriè ad notam virginum modeſtiam loqui videtur. Rurſum: non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio, jungitur: *Nam quæ faciunt pudoris immemores, & fæminis fæminæ, jocando turpiter, & ludendo, non ſolùm à viduis, & intactis ancillis Chriſti in Sancto propoſito conſtitutis, ſed omninò nec à mulieribus nuptis, nec à virginibus ſunt facienda nupturis.* Quid quæſo hìc de Virginibus nupturis regula? dum dirigitur ad Deo actu conſecratas, adeóque nunquam nupturis: ut nil dicam de iterato ſtyli diſcrimine cuique patente, ac obvio. Iterum n. 15. & 16. quàm incondito ſenſu, ac ſtylo illa reſonant: *Præpoſitæ tanquam matri obediatur, honore ſervato, ne in illa offendatur Deus.* Ad quid enim hæc interjectio, in regula virorum eò prudentiùs non reperta, quò apertiùs purum Auguſtini ſenſum exhibente. Item honore coram *hominibus* Prælata ſit vobis. Item diſciplinam libens habeat, *metuens* imponat, cùm Superior eam inviolatoribus imponens id faciat ùt judex, adeóque non *metuens*, *ſed metuendus* corripiendis. Atque hæc in ipſo diſcrimine ſcribendi obſervâſſe non inutile fuerit, cùm id anteà necdum factum fuiſſe dignoſcamus, mirantes, nullum hactenùs hanc ob cauſam, regulam iſtam diſcrimen, notámque ſuppoſititii partûs ſubiiſſe, maximè, cùm ex mente doctiſſimorum virorum illa abrupta transgreſſio à litteris correptoriis ad ipſam regulam, hanc per ſe reddat Epiſtolæ iſtius partem omninò ſuſpectiſſimam.

4. *Virgines ſacræ ſub S. Auguſtino non habebant præ-*

Verùm accedit his omnibus argumentis aliud longè, meô quidem judiciô, efficaciſſimum. Cauſantur adverſarii noſtri ad augendum ſuæ probationis pondus malè à nobis regulæ verba, terminóſque uſurpari, ídque præprimis fieri, cùm de præpoſito, atque de presbitero in eo agitur, utpotè officiis ideò (ùt ajunt) affictis Auguſtini clericali congregationi, quæ tunc nunquam conſueta erant apud eandem ſocietatem, ſed ſolùm apud Virgines ſacras; quibus, cùm presbiter intendebat omnibus, & ideò major apud hunc authoritas illa reſidebat, de qua regula repetitò loquitur: hinc Nebridius à Mindlheim in antiquario monaſtico (non minùs iſthìc, quàm cùm Auguſtinum inter Eremitas Auguſtinianos reputat aberrans à vero) *quid*, inquit, *ibi*, (id eſt, in regula, ſi viris ſcripta fuiſſet) *pro viris cum Epiſcopo habitantibus presbiter facit: Præpoſito inquit tanquam Patri obediatur, multò magis presbitero, qui omnium veſtrûm curam gerit.* Totum pro ſanctimonialibus eſt hoc, quæ ſuprà præpoſitam habebant presbiterum, quô maximè in ſpiritualibus regebantur, de quo habetur in Concil. Carth. 3. *ut inconſultô Epiſcopô Virgines non conſecret.* Nos perquiſivimus hujus Nebridianæ oppugnationis fundamentum, ſcrutantes ſcilicet in Auguſtini (quæ hanc rem reſpicere poſſent) documentis, an verum ſit, hæc nomina Præpoſitæ, atque Presbiteri ſanctimoniales propriè Auguſtiniani temporis attinere, minimè clericos? reperimus autem totum hoc fundamentum commentum eſſe, & excogitatum effugium, ita quidem, ut difficultatis hujus ipſius ratio adverſarios, non nos mirum torqueat. Nam ſi, ùt vult adverſæ ſententiæ fautor Nebridius, ideò regula non potuit ſcripta eſſe originaliter viris, quia iſt ea mentio Presbiteri, pariter nec ſcribi debuit ſaltem Virginibus, quarum Epiſtolæ aſſuta eſt: utpotè quæ longè certiùs nullum tunc presbiterum habuêre, talem nempe, qualem regula prætendit, inveſtigetur enim tota Epiſtola 211 uſque ad verba, ſed *potiùs lacrymas Petri Paſtoris*; cùm non ſemel occur-

ſtitutum ſibi ordinaria jurisdictione (ad regulæ tenorem) præter præpoſitam, Presbiterum, ſed præpoſitum, ſolúmque vicariò modô, & in caſibus jure exceptis presbiterum, id eſt loci Parochum, loco Epiſcopi.

Digitized by Google

currat mentio præſtandæ obedientiæ ipſi præpoſitæ, intercurrit & ſancti Patris cautio quoad præſtitutum à ſe iisdem Virginibus, *Præpoſitum*, nunquam autem dictum Presbiterum; audiatur vir Sanctiſſimus ipſe loquens. Cauſa monialium altercantium eſſe prætendebatur nova præpoſita ſuccedens nuper demortuæ ſorori S. Auguſtini, hanc ſic commendat: *Omnes*, inquit, *quæ illuc veniſtis, ibi eam aut ſanctæ præpoſitæ ſorori meæ ſervientem, placentem, aut etiam ipſam præpoſitam, quæ vos ſuſcepit; inveniſtis: ſub illa eſtis eruditæ, ſub illa velatæ, ſub illa multiplicatæ, & ſic tumultuamini, ut eam vobis mutetis, cùm lugere deberetis, ſi eam vobis mutare vellemus. Ipſa eſt, quam noſtis, ipſa eſt, ad quam veniſtis, ipſa eſt, quam per tot annos habendo creviſtis. Novum non accepiſtis, niſi* Præpoſitum, *aut ſi propter illum quæritis novitatem, & in ejus invidiam contra Matrem veſtram ſic rebellaſtis, cur non potiùs id petiſtis, ut ipſe vobis mutetur? ſi autem hoc exhorretis, quia novi, quomodo eum in Chriſto venerabiliter diligatis, cur non potiùs illam? in vobis námque regendis ſic præpoſiti Rudimenta turbantur, ut magis velit vos ipſe deſerere, quàm iſtam ex vobis famam, & invidiam ſuſtinere, ut dicatur, non vos aliam quæſituras fuiſſe præpoſitam, niſi ipſum cœpiſſetis habere* Præpoſitum. Patet ex his clariſſimis Auguſtini verbis, præter præpoſitam, virginibus ſacris adjunctum fuiſſe *Præpoſitum*, qualem illum? an presbiterum, talem ſcilicet, prout in regula deſignatur, quis prudens id aſſerat, cùm evidenter *Præpoſitum*, non *Presbiterum* nuncupari reperiamus? Præpoſitum, inquam tam cautè, & repetitis vicibûs, ut ſi etiam aut præter hunc præpoſitum, Virgines illæ prætenſum presbiterum habuiſſent, hac occaſione componendæ pacis nunquam eum reticuiſſet Auguſtinus. Et quid ultrò, *novum*, inquit, *non accepiſtis, niſi præpoſitum - - - novi, quomodò eum in Chriſto venerabiliter diligatis.* Item *in vobis regendis præpoſiti rudimenta turbantur.* Ergò Præpoſitus regendis Virginibus præfectus erat, quod ob apertum textum innegabile eſt: hoc verò regimen aliud eſſe non poterat, niſi animarum, & quantum ei ab Epiſcopo delatum fuerât. Nihil itaque presbitero cum monialibus. Et certè, ſi quid hic etiam juris habuiſſet in illas, an putamus, Auguſtinum (immediatè regulam tanquam partem Epiſtolæ ſubnectentem) adeò præter præpoſitam reticuiſſe præpoſitum in illa, quem diſſertè trinis vicibûs memorat in iſta, ut ad ſolum presbiterum poſt præpoſitam omne jus deferat, quem in Epiſtola ne meminit quidem. Profectò, cui hæc obſervatio benè perpenſa non ſufficit ad credendum, regulam non ſolùm partem nequire eſſe hujus Epiſtolæ, verùm ob hoc ipſum, quod illa ſolius presbiteri poſt præpoſitum, iſta ſolius præpoſiti poſt præpoſitam faciat mentionem, adeóq; adæquatè diſparata tum Epiſtola, tum regula officia conſignet, nec fœminis ullo modo fuiſſe ſcriptam, hunc veritati planè inimica timeo habere lumina, ad eam diſcutiendam.

Sed adhuc validiùs huic inſiſtendum eſt argumento, & demonſtrandum, *conſultò* Auguſtinum de monialibus ſcribentem *præpoſitam*, & *præpoſitum* meminiſſe, econtrà in regula *præpoſitum*, & *presbiterum*, ídque verè ideò, quòd moniales non haberent quibus regulariter obtemperare cogerentur, niſi præpoſitam, tanquam ſuperiorem immediatam, dein præpoſitum, qui non alius erat, niſi earum confeſſarius, ac demum Epiſcopum, & hujus ſolùm locò Presbiterum, modô ſcilicet non niſi Vicariô reſpectum ad eas habentem. Clerici Auguſtiniani habebant *Præpoſitum*, *Presbiterum*, & ipſum quoque ſuô modô *Epiſcopum*. Probo iſtud, & imprimis (ùt ſupra) irrefragabili ipſius S. Auguſtini teſtimoniô ex hac Epiſtola erutô, utpotè in quo non potuiſ-

tuiſſet ſe continere S. Pater à proponenda, & inculcanda hoc in litigiorum turbine, authoritate, atque cenſoriò judiciò ipſius Presbiteri, ſi illius tanta, & generalis erga moniales prælatio fuiſſet, qualis hujus in regula depingitur: cumprimis id feciſſet, ut eandem hanc præeminentiam iis tunc imprimeret, cùm videret tali pacificatore maximè opus eſſe, cùm ipſe ſe in ſua perſona jam ſubtraxiſſet, *nolens venire ad diſſenſionis potiùs augmentum, quàm ad pacis gaudium*: Sed ſi noluit Auguſtinus, cur non cauſam impoſuit tractandam Presbitero, ſi talis aſſiduò (ùt volunt adverſarii) monialibus præeſſe ſolebat, cur ſolam mentionem facit de Præpoſito eis regendis deſtinato? profectò ideò, quia Presbiter, tantummodò ſpecialiſſimâ, & ſingillatim delegata ab Epiſcopo authoritate gaudebat reſpectu monialium, hoc negotium verò quod inteſtinum, domeſticum, ſimúlque celandi ſcandali causâ perficiendum fuerat, præſtabat committere Præpoſito, qui ſolus, atque aliunde hujus diſſidii ſupponi debuerat abundantem notitiam ex cohabitatione habuiſſe, quam apud moniales nunquam illis temporibûs obtinebat Presbiter.

Hic enim (de cujus officio, atque prærogativâ jam alibi requiſita diſſeruimus) præcipuum officium ſuum habebat in eo, ut ſolitam, & Canonicis legibus præſcriptam animarum curam exerceret erga omnes ſuæ Parochiæ unitas oves, ſeu animas. Qualis eſt adminiſtratio Sacramentorum excepto ordine, & confirmatione (extra ſignatam Epiſcopi voluntatem) prædicatio verbi divini, & huic dein concatenata inſtructio ad omnem Chriſtianam perfectionem obtinendam, atque hujus juris generalis prærogativâ, ſi quem Parthenonem in Parochia ſua habuerat, præerat quoque monialibus, minimè verò in iis, quæ harum directionem clauſtralem concernebant, niſi conſultò, & ex propoſito Epiſcopus quid ſimile eidem demandaret, aut niſi exceptô caſu religioſus ipſe religioſis præeſſet, quod ad hanc quæſtionem nihil adfert. In ipſo Conc. Carthag. 3. *ſic definitur. Ut Virgines ſacræ, ſi parentibûs, à quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, Epiſcopi providentiâ, vel Presbiteri, ubi Epiſcopus abſens eſt, in monaſterio Virginum, vel gravioribus fæminis commendentur, ut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant.* Demonſtrat hic Canon, nullum aliud Presbitero jus adeſſe, niſi ut Virginum ſacrarum (quæ parentibûs viventibûs extra clauſtralem adhuc cuſtodiam convivebant, nec tum adhuc degebant in monaſterio) tamdiu curam habeat, du n ſub poteſtate Parentum immediatè adhuc ſuberant tanquam Parochianæ propriè tales eidem; hinc congruebat, orphanis factis quàm primùm de monaſterio providere, quod benè, & cautè à Presbitero tanquam loci Parocho fieri (ſi Epiſcopus abeſſet) præcipitur, nempe *ne paſſim vagantes*, ùt inquit Canon, *Eccleſiæ lædant opinionem*, quia itaque iſtud reſpiciebat Eccleſiæ decorem, meritò id defertur (Epiſcopo abſente) Presbitero: verùm quamprimùm illa monaſterium ingreſſa erat, nihil planè Presbiter ultrò conferre potuerat, nec ullum in eam ſibi jus vindicabat, ita quidem ut inconſultô Epiſcopô Presbiter ne conſecrare quidem eaſdem auderet, velut à Can, 36. alleg. Conc. idipſum decernitur & Can. 3. Conc. Carthag. 2. denique adductum pro nobis habemus exemplum ineluctabile, Virginibus ſacris regendis præſtitum fuiſſe præpoſitum ab Auguſtino, Presbiteri verò (hôc modô, quô regula loquitur) nec Auguſtiniani temporis perquiſita Concilia, nec ipſius viri ſancti univerſa ſcripta ullum veſtigium protrudunt. Secundò: ſtante (ut negari ex allegatis nequit) hac veritate, quâ regula ſcripta viris, non fæminis propugnatur, planiſſimè, tum ipſa hæc ad moniales data Epiſtola, cum regula,

An circ. 400. apud Mirand. Can. 11.

proût originariè viris complanata, & legitimè primo tomo Auguſtini operum inſerta, cum titulo: *Regula de communi vita Clericorum*, explicatur, atque ſeipsâ omnes etiam ad ſpeciem contradictiones putatas auſert, quæ alióquin nunquam niſi retorto, & planè coacto ſenſu ad ſanam intelligentiam reduci poſſunt. Nam ſubſiſtente noſtrô aſſertô, verùm erit, proût Epiſtola ſæpè relata 211. clamat, imprimis Virgines vixiſſe ſub Præpoſita, quæ earum primam curam intenderet, deinde ſub Præpoſito, qui in ſpirituali directione iis ab Epiſcopo Præfectus officium ſuſtineret Confeſſarii, eas quoque cauſas in regulari obſervantia occurrentes complanaret, quæ in jus necdum adhuc caderent ipſius Epiſcopi, tanquam principalis, ac ſupremi earum Directoris. Hinc cùm in eadem Epiſtola nulla mentio Presbyteri ad lites illas complanandas, ſed Præpoſitæ, ac Præpoſiti fiat. Inſuper ex Conciliis eruatur Presbyterum haud in Moniales eam authoritatem habuiſſe, quam regula fæminis ſcripta prætendit, ſequitur hinc in eas jus nullum niſi exceptis ſpecialibûs (ùt diximus) caſibûs fuiſſe, id eſt, niſi in quantum Parochiæ ſuæ ſubderentur. Proût autem in regula præcipitur (ut, quæ ſpiritualem directionem concernunt, ad Presbyterum deferantur) monialium reſpectu nullâ, hac in re, eminebat idem prærogativâ, adeóque à Virginibus ſacris longiſſimè aberat hæc in Presbyterum obſervantia.

Verùm quoad Auguſtini Clericos perbellè hic idem locus ratione Presbyteri explicatur, imprimis enim habebat hæc ſacra ſocietas Præpoſitum, cui ut ex Ebbone aliàs advertimus, incumbebat cura interior, & exterior, huic ſuperintendebat Presbyter, qualis Monaſterio ſuo Valeriano, dum adhuc Parochum Hypponenſem agebat, Auguſtinus ipſe præfuit, ad Epiſcopatum adeptus alium ſui locô conſtituit, talis profectò erat Bonifacius ille, cui Spes nomine in minoribus conſtitutus validas turmas concivit, ut diſſertè ex Epiſtola 78. n. 35. Auguſtini colligitur, qui locus ideò egregiè aſſertum noſtrum illuſtrans legendus erit. Diù hic modus regendi ſubditos Clericos, perduravit, usque dum ſucceſſu temporis unum officium in aliud coaleſceret, aut omninò in quibusdam Clericorum Monaſteriis tolleretur. Certè, cùm in Cathedralibus Eccleſiis hodiedum Archipresbyteratûs officium conſpicimus, in Collegialibus dudum novimus ſublatum. Jam tempore Chrodegangi non videtur in cauſa diſciplinæ multùm ampliùs ad Archipresbyterum fuiſſe reſpectum, ſed ad ſolum Præpoſitum, quin tunc Archipresbyteri, & Præpoſiti officium ſic in unum ipſis quoque non rarò in Cathedralibus Eccleſiis coaluiſſe, ut uno nomine Præpoſiti denotarentur, velut obſervat doctiſſimus Thomaſſinus: nam cum illud Concilii Aurelian. 5. adduxiſſet Can. 20. *Ab Archidiacono, ſeu Præpoſito Eccleſiæ ſingulis diebûs Dominicis requirantur &c.* P. 1. l. 1. c. 18. n. 5. Sic ait: *Qui hic Præpoſitus dicitur, is mihi quidem non alius, quàm Archipresbyter videtur eſſe, ejúsque rei conjectura duci poteſt ex Canone 20. Concilii quarti Aurelianenſis, collato cum Canone 43. Synodi Antiscodorenſis. Hôc enim ultimô Canone Archipresbyter nominatur, qui aliô dicebatur Præpoſitus.* Sic ergò Presbyteri proût in regula nominati ſenſim authoritas tota deſciſcebat in Præpoſitum, atque inde emanare apud nos difficultas cæpit, quis nomine Presbyteri intelligendus eſſet, cúmque multi rerum veterùm parùm ſoliciti ſubſiſtentiam metirentur à præſentibus, regulam negabant ſcriptam viris, quòd Presbyteri meminiſſet, qualem nunc nulli Collegio ſuprà Præpoſitum præeſſe reperimus. Verùm, qui adductis Thomaſſini verbis perſpexerit, jam ſeptimô ſæculô Archipresbyterum (id eſt, Presbyterum, ùt aliàs monuimus) cum

Præ-

Præpoſito unam perſonam commixto quoque nomine confeciſſe, facilè aſſentietur ſucceſſu temporis (ubi Præpoſiti in communitatibus Clericorum indies augebatur Authoritas) factum eſſe, ut Presbyteri, ſeu Archipresbyteri nomen in Eccleſiis maximè Collegialibus exſpiraret, & ſummùm ad Archidiaconum, ob jurisdictionis Eccleſiaſticæ præeminentiam transferretur: hinc hodiedum Præpoſiti, qui ſimul Archidiaconi ſunt, in Eccleſiis tam Cathedralibus Regularium Canonicorum, quàm Collegialibus exiſtunt. Neque verò hoc mirum, regulæque, aut menti Auguſtini injurium quisquam arguat, quòd (vivo ſancto ſuam ſocietatem clericalem informante Præpoſitô Presbyterô, ac demum Epiſcopô) jam Presbyter omninò deficiat, aut ejus locò Archidiaconus ſit, qui ſimul Præpoſitus, nunquid enim, & in regula D. Benedicti de Decanis, & Præpoſitis Cap. 21, & 65. agitur, & tamen gratum hodie Monaſterium Benedictinum, quod hìs officiis gaudeat? intereà tamen id obſervabile, poſſe hunc ipſum ſuperiorum ordinem in regula deſignatum planiſſimè oſtendi, ſi dicamus, qui tempore Auguſtini officium Præpoſiti, nunc apud noſtros ſuſtineat Decani, & qui tunc Presbyteri, nunc Prælati ipſius, vel Abbatis. Hinc Hugo Victor. Suprà Cap. 11. reg. *pertinebit*, inquit, *Ad Præpoſitum, & ad eum, qui cuſtos eſt ordinis, ut ad Presbyterum, cui major eſt authoritas, id eſt, ad Abbatem referat, quidquid per ſe ſecundùm Canonicam regulam non poteſt definire, quòd ſi in Congregatione, ubi eſt Ordo Canonicus, non eſt Abbas, ſed Epiſcopus, ipſe Epiſcopus Presbyteri nomine deſignatur.*

Tom. 2. oper. loc. cit.

Confer jam, quisquis obſiſtis, tuæ ſententiæ fundamenta, & ex iis doce, quomodò id factum ſit ſine manifeſto, aut memoriæ lapſu, aut improvidentiæ, ut, dum Auguſtinus in Epiſtola Præpoſitam, & Præpoſitum meminit, Presbiterum ne nominet quidem, cujus tamen tantam auctoritatem deprædicat in regula. Ais, id factum, quòd Præpoſiti mentio occurrerit ob diſſenſionem, quam noviter inſtitutus causâſſe credebatur, verùm nihil hoc ad rei cauſam: nam quid Præpoſitus cum Monialibus, cujus officium ſoli deſignatur in regula Præpoſitæ? ergò vi regulæ Præpoſitus *regendis illis* omninò fuiſſet ſuperfluus, præterea etſi Præpoſiti ſolùm occaſione diſſidii meminiſſet, cur non in regula æquè officium deſcripſit hujus à ſe diſſertè nominati Præpoſiti (ut hôc modô tolleret de futuro occaſionem diſſidii, quod ipſe faſſus eſt, oriri potiùs ob novum Præpoſitum, quàm Præpoſitam debuiſſe) ſed ſolius Præpoſitæ, & Presbyteri? Denique effugium ultimatò ſuppetet nullum. Ut nil dicam, ne crambem repetam, de inconcinna planè illa allegatione præſidentis Presbyteri, cujus regularem in moniales jurisdictionem tam modicè ſalvabunt adverſarii, quàm combinaturi ſint, expreſſum Præpoſitum in epiſtola, cum ejus negatione in regula.

5. *Regula pro fœminis compilata ad ſæculum fortè octavum, vel noni initium, anſam ad hanc tranſlationem dantibus longè anteà S. Cæſario, aliiſque, qui multa excerpta ex genuina virorum pro dirigendis virginibus deflorârunt, Tempore verò Auguſtini, atque ab ipſo ſcribi non potuiſſe fœminis, multa præter jam ſu-*

His verò declaratìs, aſſertâque viris originariè S. Auguſtini regulâ, eâ ſcilicet, quæ in primo Tomo Oper. Auguſt. reperitur edit. Pariſienſi antiq. poſt lib. 2. de Geneſi. Nova autem poſt lib. de vera religione, & intitulanda, non ùt in his editionibus, ſed ùt in antiquiſſima ſuprà adducta legitur; Regula de communi vita Clericorum: Supereſt, ut paucìs alteram partem noſtræ concluſionis expediamus, ſcilicet: regulam fœminis, nonniſi poſt mortem S. Patris arrogari cæpiſſe, & quidem eô, quô in Epiſtola 211. exſtat textu, tempore fortaſſis ad ſummum Benedicti Anianenſis, ſæculi ſcilicet noni initiô. Hæc ſequentibûs confirmo.

Primò: Regula illa ex hoc ipſo, quòd ab adverſaria parte adſtruatur eſſe pars Epiſtolæ 211. fictitia eſt, & partus Auguſtino ſuppoſitus,

periùs allata perſuadent.

tus, quia Epiſtola illa non poteſt eandem ùt partem includere, à qua penitùs eſt diſparata, ergò, ſi ex favore adverſariorum aliud, niſi in hac Epiſtola diverſorium inter opera D. Auguſtini obtingere nequit, omninò eliminanda erit, & fictitia reputanda. Eam verò eſſe ab Epiſtola diſparatam, probat totus ejuſdem contextûs innexio, atque modus ſcribendi, nam ſi omnes Epiſtolas, quarum 271. noviſſimi editores referunt, diſcutiamus, occurret ſemper ſtylus ille cum maximè ſolitus Epiſtolaris, qui quidem ſuô modô ſucciſè, nunquam tamen inconcinnè, atque inconnexè fluit: at regula ad hanc epiſtolam, ſi connexio attendatur, adeò diſſimilem ſe habet, atque aliorſum, quô nihil diſſimilius. Fuerat enim totum ſuffarcinatoris illius, atque aſſutoris ingenium, & fraus in eo, ut, cùm jam reperiret antiquiſſimam regulam ſcriptam viris, eámque ampliùs eliminare nequiret, huic fucum appicturus Epiſtolæ illigaret, partim impoſiturus legenti, quòd ſicut Epiſtola ipſa, ac regula prima fronte conſiderata ſtylum Auguſtini genuinum profeſerret, ita dubitari non poſſet unum, atque inſeparatum ſancti viri partum eſſe; partim, ut ſuæ fallaciæ emendicaret aſyllum: ſi enim regulam pro fæminis ſcriptam ſolam, exulémque, velut illam virorum reliquiſſet, veritatis per ſe indiga haud dubiè relegata fuiſſet. Præcipuè cùm pro hac alióquin leviſſimæ rationes decertent. Quódque ampliùs certum eſt, in M. SS. Codicibus illam Epiſtolam præferentibus, regulam eidem ſubnexam penitùs, & longè eſſe avulſam: nec æſtimari poſſe in illis, partem cum dicta Epiſtola componere. Præterea hi codices antiquiſſimi non ſunt, & fortaſſe jam in iſtis ab Amanuenſibus proviſum, ut regula Epiſtolæ ſubnecteretur, ut aliunde jam fæminis accomodata præcipuè contiguum ſibi locum iſthìc inveniret. At ſubſequens impoſtor demum plenam fraudem inducturus ſic eam Epiſtolæ innexuit, ut unum planè corpus præſentaret. Sed apud eruditos profecit minimè, ipsâ ſuâ ignorantiâ cenſuram in eum ferente, quòd non ſaltem ſtylum imitatus, per unam, alterámve connectendi particulam intexuiſſet Epiſtolæ regulam. Quia ergò contrà communem, & omnigenum Auguſtini ſtylum eſt, adeò inconcinnè rem unam ſubdere alteri, ſine ulla prævia hujus facti ratione, nemo perſuaderi poterit, hanc regulam cum Epiſtola Virginibus ſacris fuiſſe exaratam. Adde, ipſos noviſſimos operum Auguſtinianorum Editores neque Epiſtolæ à regula integerrimam ſeparationem ignoraſſe, quam in antiquis M. SS. codicibus eôdem modô, & deprehenderint, & agnoverint, quis dubitet? cùm eam ipſam in illis, ſe perſpexiſſe propriis oculis, vir clariſſimus Molinetus teſtatur.* Mirum ſanè, quòd id tamen viri alióquin cordatiſſimi in notis ſuper hanc ipſam Epiſtolam adeò reticuerint, ut potiùs contrarium aſſeveraturi ad titulum ejus hæc adjicerent: *In M. SS.* inquiunt, *inſcribitur, objurgatio contra ſanctimonialium diſſenſionem: additúrque in quibusdam, & poſt increpationem earum regularis informatio. Apud Poſſidium etiam in indiculo Joannis Ulimmerii, & in noſtro cap. 7. recenſetur hiſce verbis: Sanctimonialibus objurgatio, & regula.* Verùm an ideò, quòd in ipſo Poſſidii indiculo hujus Epiſtolæ cum regula fiat mentio, confecta eſt cauſa, quæ regulam, ùt Epiſtolæ partem vindicet monialibus, ſcriptam. Dum nobis neque Ulimerii indiculus, neque editorum tantæ unquam authoritatis erunt, ut convincant, Epiſtolam illam cum regula certò à Poſſidio fuiſſe memoratam. In editione Pariſienſi an. 1576. Joannes Molannus vir nullo planè partium ſtudio implicatus, & operum Auguſtinianorum ſcientiſſimus, de hoc Poſſidii Indice ſcri-

* Reflex. Sur. L. antiq des Chan. Reg. p. 13.

Tom. 1. in præf ad vit. S. Aug. ſcribit ſequentia: *Edidimus autem Indiculum Poſſidii cum B. Auguſtini vita, proùt Villariæ, & Lobiis ille M. SS. exſtat, nam, qui antea Lovannii cum ſermonibus de diverſis, editus erat, is & ordinem immutatum habebat, & quædam addita, quæ in M. SS. non deprehendimus. Nec tamen arbitror, eum mala fide uſum fuiſſe, qui primus indiculum in lucem edidit, ſed dum ſæpiùs Lipſii, Coſterii, & aliorum apud Regulares noſtros Martinianos deſcriberetur, humano fortè errore factum eſt, ut quædam ex marginibus in contextum irrepſerint.* Igitur quem à ſe laudatum, examinatúmque Indiculum Poſſidii vitæ Auguſtini ſubjicit Molanus, dum repetitis lectionibûs diſcuſſimus, certi affirmamus nec Epiſtolam illam, nec ei annexam regulam vel verbô memorari. Obtinuerint fortè, haud difficulter concedam, tum Ulimmerius, tum editores noviſſimi talem fortè M. SS. codicem, quem aut anteà Lovannienſes cum ſermonibus de diverſis excuderant, quibus dum quædam addita ſunt, indubiè, & hic titulus irrepſerit: aut cui in contextum involaverit Amanuenſium vitiô tale quid, quod ſolos marginis limites ſibi licitos habebat. Quòdſi, & in editorum noviſſimorum M. SS. humano errore factum ſit, condonemus & iſtis, qui eôdem fatô errorem approbârint.

Secundò: Regula Sancti Auguſtini ita primigeniâ phraſi viris conſultò, & ab Authore ſuo intenta, atque ſcripta eſt, ut ne quidem commodè, niſi quibûsdam aut explicatis, aut adjectîs, imò nec ſic planè fœminis uno genere maſculino in fœmininum translato, applicari tunc potuerit, ac intelligi. Ut illud, *neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle &c.* certè quod hìc accomodè, & regulariter de viris, iiſque clericis dicitur, quibus ob civilitatis rationem, quâ oportebat non viris ſolùm, ſed & fœminis aſpectum liberum affabilem, & moribus Evangelicis decore conditum præbere, ut eò utrumque ſexum lucrari daretur ad ſpiritualem confidentiam, velut Apoſtolus dixerat: *Omnibus ſe omnia factum eſſe, ut omnes Chriſto lucrifaceret.* Iſtud ipſum ineptiſſimè conceditur ſacratis Deo fœminis, quæ eò magìs prohibendæ erant, in publico proceſſu viros aſpicere, quò cautiùs tempore jam S. Auguſtini proviſum eſt, Virgines ſacras ab omni etiam remoto virorum aſpectu arcendas. Legendi hac de re Ambroſius, Hieronymus, quin & ipſe Auguſtinus: *Dominica Virgo*, inquit, *primitùs publicos debet vitare conſpectus, & platearum frequentiam declinare, atque in domo poſita, lanificium inſiſtere, vel lectioni Divinæ.* (De ſobriet. cap 1. tom. 9.) Item ibidem, *Dominica Virgo non oculis erectis, aut latis, ſed pronis ad terram cum vultu procedat.* Et in Pſ. 50. de lapſu Davidis oculis ad eum illicientibûs ſcribens: de omni continentiam obſervare conante, ait: *Quod damnat Deus devitare cupientes, ab aſpectu ſecuro abſtinent oculos, non eos defigunt in pulchritudinem carnis alienæ &c.* Quòdſi Auguſtini teſtimoniô, cuíque homini Chriſtiano ad Virginalis pudicitiæ cuſtodiam neceſſaria erat abſtinentia oculorum ab aſpectu etiam ſecuro, id eſt, de ſe nullum laſciviæ objiciente periculum, an tam liberè monialilibus dicet, viros aſpicere in platea publicè procedentibus prohibitum non eſſe, & monialibus non quibuscunque, ſed monaſterio concluſis, velatis, Deóque integrè ſacratis? Anne iſta concordare poſſunt cum eo, quod de his Virginibus ſcribit S. Doctor L. de moribus Eccl. n. 68? dum ait: *Hæc eſt vita fœminarum Deo ſolicitè, caſtéque ſervientium, quæ habitaculis ſegregatæ, ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, piâ tantùm illis Charitate junguntur, & imitatione virtutis, ad quas juvenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quamvis graviſſimorum, & probatiſſimorum ſenum, niſi uſque ad veſtibulum neceſſaria præbendi quibus indi-*

digent, gratiâ &c. confer iſta cum præfato loco regulæ, & vide, quô ad invicem nexu concordent? præterea illud: *Quando proceditis ſimul ambulate, cùm veneritis, quò itis ſimul ſtate*, ineptè planè ad fæminas trahitur, quaſi ſcilicèt, cùm necdum propriis Eccleſiis proviſa eſſent, omnes ſimul procedere ad Divina per plateas oporteret, ùt obſervat Thomaſſinus. Sicut enim certum mihi eſt, tempore Auguſtini moniales monaſterio incluſas propria ſua oratoria jam habuiſſe, ſaltem tanta, ut ſufficerent ad obeunda ſacra myſteria, ita nullus dubitandi locus eſt, eaſdem his publicis proceſſibûs,ac evagationibûs, ullô modô indiguiſſe. Profectò cùm legimus Virgines ſacras comparuiſſe in publico, id intelligendum eſſe de iis, quæ paternis adhuc domibûs continebantur,cuíque loca illa legenti facilè patebit: etſi etiàm juxta adverſarios vi regulæ moniales habuêre oratoria, eáque ſibi propria,non communia populo,ùt colligitur ex contextu,hoc ipſo non indigebant publico proceſſu, ad commune aliquod templum. Verùm ultrò, ſeu hoc, ſeu illud concedatur, cùm ille publicus exitus, de quo n. 10. agebatur, meliùs explicetur, n. 13. dum dicitur. *Nec eant ad Balneas ſive quócunque ire neceſſe fuerit, minùs quàm tres* (ubi meliùs in regula viris ſcripta legitur, minùs quàm duo, vel tres, eſtque hæc lectio genuina) *nec illa, quæ habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quibus ipſa voluerit, ſed cum quibus Præpoſita juſſerit, ire debebit.* Inconvenientiſſimum planè ſtatutum pro Virginibus in monaſterio poſitis, atque concluſis elicitur. Utpotè, quibus primitùs ad ſummum conceſſum erat,ſimul comitante ipsâ Præpoſitâ (ùt citatus teſtatur Thomaſſinus) Eccleſiam Myſteriorum Divinorum causâ adeundi, nec ulla alia unquam admittebatur monaſterialibus exeundi venia. In hac regula tamen adeò liber exitus conceditur, ut ſolùm de Sodali adjungenda tota ſit cautio. Et quid frequens ille balnearum uſus? qui tamen rariſſimus eſſe ſolebat apud ipſas quoque fæminas ſæculares, ùt referunt acta antiqua. Porrò lavacra iſta, ſeu balnea computabantur ùt plurimùm inter corporis illecebras, ſic narrat Palladius de Sylvania ſorore Ruffini Expræfecti, quòd, cùm ipſa comes navigando fieret cuidam Jubino Diacono, *hic nimio æſtu afflictus refocillaturus corpus, pedes, & manus aquâ lavit, Silvania molliciem hanc increpans dicebat ſe ætatis annum agere ſexageſimum, & præter extrema manuum, pedem, vultum reliquáque membra omnia ne aquâ attigiſſe unquam.* Certum eſt, balnea a religioſis hominibus maximè fæminis, ſemper averſata fuiſſe. Sed, quod adhuc magìs inconvenientiam arguit, eſt impoſtoris hanc regulam fæminis ab Auguſtino ſcriptam eſſingentis ſupina inadvertentia, utpotè quòd ſcribat: *Lavacrum corporis, uſúsque balnearum non ſit aſſiduus.* Item paulò inferiùs: *Nec eant ad balneas, ſive quocunque &c.* dum regula virorum expreſsè ponit nec eant *ad balnea*, ſuperiorem verò textum, nempe: *Uſúsque balnearum non ſit aſſiduus* planè omittit. Non itaque advertit aſſutor improvidus diſcrimen inter *balneas*, & *balnea*, illæ erant publicæ termæ, iſta privata, atque penitùs ſeparata, ùt plurimùm aut domeſtica, aut monaſteriis ipſis propria, & ob ipſius balnei ſubſiſtentiam ab iis quandoque remota, neutiquam tamen cuique obvia. Hanc obſervantiam notavit Venerab. Beda L. de Orthograph. & ex eo doctiſſimus Pamelius in Cyprianum: Nam, & hic, & Hieronymus, ipſéque S. Auguſtinus accuratè *balneas*, & *balnea* diſtinguunt. Quis verò adeò Auguſtinum deſipuiſſe credet, ut Virginibus velatis,atque in monaſterio conſtitutis duodecies per annum concedat, imò quaſi demandet *Balneas*, id eſt, lavacra illa publica adire, quas ſummoperè, & Cy-

P. 1, L. 3, c. 46. n. 2.

C. 141.

De diſcip. & hab Virg. in notis q. 60.

Ibidem. Cyprianum Charthaginenſem Epiſcopum, & quosque alios Patres reprobâſſe reperimus. Imò, & *balneorum* uſus cautiſſimè admittebatur, maximè dum accedebat quadam liberior corporis denudatio, ùt videre eſt apud S. Athanaſium ſerm. aſcet. de vita relig. hinc circumſpectè S. Auguſtinus in ſua genuina regula viris data, lavacrum corpori ſolùm tum non denegandum ajt, cùm infirmitatis neceſſitas cogit, & unica balnea, hoc eſt, lavacra domeſtica memorat facienda, non voluptatis, ſed ſanitatis amore: neutiquam verò balneas.

Denique textus ille magnam obſervationem depoſcit: *Quicunque in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè ab* aliqua *litteras, vel quodlibet munus accipiat &c.* Ut refert Corbejenſis mille annorum codex: *Si ab aliqua:* Ergò preſsè, & conſultò hic locus vetiti, ac impudici amoris commercium, ſeu per litteras, ſeu per munera nutriendum cohibet; &, ùt jam anteà obſervavimus, codex ille antiquiſſimus, non eſt hujus regulæ Autographus, non enim eam refert, tanquam opus aliquod, ſeu tractatum inter reliquas ejusdem Auguſtini, ſed eſt codex regularum, & inter reliquas refert hanc ipſam ad verbum, proùt eam inſertam habemus primo tomo poſt libros de Geneſi. Hinc regula hæc deſcripta ſupponitur ex alio codice antiquiori, æquè pro viris accomodatam, præſeferente. Adeóque textus ille ſcriptus viris inaniter ab adverſa parte ſugillatur, tanquam malè viris applicatus, quibus illicitum eſſet vi hujus, litteras ab aliquo accipere, cùm diſſertè fæminինum non maſculinum genus litteras, aut munus mittentis enuntietur. Ideóque à neotericis regulam edentibus non benè ponitur *ab aliquo.*

Quòdſi necdum hanc Viris à S. Auguſtino ſcriptam concedas, regulam perquire S. Cæſarii, vixit hic ſæculi ſexti initiô (obiitque annô, ùt computat Pagius 542.) igitur non omninò multis annîs poſt Auguſtinum, cui ſummo ardore devotionis intenderat. Hic ad finem ſæculi quinti, hoc eſt, annis circiter 60. aliquot, poſt mortem S. Auguſtini Parthenonem ſuæ ſorori conſtruxit, regulámque condidit: at ubi ex ſuo ſpiritu multa, tum quoque ex Regula S. Auguſtini quædam ſelecta congeſſit. Verùm hic attendendum, quam ſibi Cæſarius regulam præfixam habuerit, ſcriptam, ſeu accomodatam viris, an fæminis? certè viris, patet id ex apertiſſimis textibus. Conferamus aliqua. Ad an. 451. Vide Gall. Chr. t. 1. Arelat. Archiep.

In Regula S. Auguſtini pro viris Cap. 7.	*In Regula S. Cæſarii.*	*In Regula S. Auguſtini fæminis aptata Ep. 211.*
Lavacrum etiam corpori, cùm infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur; fiat ſine murmure de Conſilio medici, ita, ut etiamſi nolit, Jubente Præpoſito facit, quod faciendum eſt pro ſalute.	Lavacra etiam, cujus infirmitas expoſcit, minimè denegentur, ſed fiat ſine murmuratione de Conſilio medicinæ, ita, ut etſi lavari nollet illa &c.	Lavacrum etiam corporum *uſusque balnearum non ſit aſſiduus, ſed eo, quo ſolet intervallo temporis tribuatur, hoc eſt, ſemel in menſe.* Cùm autem infirmitatis neceſſitas cogit lavandum corpus, *non longius differatur*, fiat ſine murmure &c.
Cap. 8.	*Cap. 31.*	*Cap. ſeu n. 14.*
Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira creſcat in odium, & trabem fa-	Lites nullas habeatis ſecundùm illud Apoſtoli, ſervum Dei non oportet litigare; aut ſi fuerint,	Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira creſcat in odium, & trabem faciat

ciat

ciat de feſtuca, & animam faciat homicidam ſic enim legitis : qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.	quàm celeriùs finiantur: ne ira creſcat in odium, & feſtuca creſcat in trabem, & efficiatur anima homicida. Sic enim legitis: qui odit fratrem ſuum homicida eſt.	de feſtuca, & animam faciat homicidam, *neque enim ad ſolos viros pertinet, quod ſcriptum eſt, qui odit fratrem ſuum homicida eſt, ſed ſexu maſculino quem primùm Deus fecit, etiam fæmineus præceptum ſexus accepit.*
Cap. 10.	*Eod. Cap.*	*Ex eod. Cap.*
Non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta *unde* facta ſunt vulnera.	Non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta *unde* facta ſunt vulnera.	Non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, *ex quo* facta ſunt vulnera.
Cap. 11.	*Cap.* 32.	
Ipſe verò qui vobis præeſt non ſe exiſtimet dopoteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem.	Ipſæ verò *quæ vobis præſunt* cum charitate, & vera pietate diſcretionem, & regulam ſtudeant cuſtodire &c.	Ipſa verò . . . . non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem.

Confer jam amice lector, lectiones iſtius cujúsque regulæ, & tuô ſcrutare judiciô, hinc perpenſa à ſiniſtris, quæ viris, illinc à dextris quæ fæminis ſcripta prætenditur, quam ſibi regulam Cæſarius præfixam habuerit cum hinc inde ex illa, integra fragmenta decerperet. Certè apud me firmè conſtitutum eſt, ut ſi Cæſarius fæminis ſcriptam regulam, & quidem, ut aſſeritur, ſecundùm omnem textum ab Auguſtino conditam præ oculis habuiſſet, dum Cap. 31. de litibus ex Auguſtini regula agit, cautionem illam, *neque enim ad ſolos viros pertinet, quod ſcriptum eſt : qui odit fratrem ſuum &c.* Legens, nunquam adjicere ſuæ regulæ omiſiſſet: præterea ubi, & in ipſa regula n. 20. præcipit *non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibûs placere ſed moribûs.* Et in recapitulatione n. 7. *moneo ſpecialiùs, ut ſicut jam diximus* (nempe n. 40. & 41. in regula) *veſtimenta lucida, vel cum purpura, vel cum bebrina nunquam in uſu habeant, niſi tantum laja, & lactina. Capita nunquam altiori ligent, quam in hunc locum menſura de incauſto fecimus. Omnia opera in commune faciant.* In his, inquam, locis, ſi Cæſarius regulam fæmininam præ manibus habuiſſet, dum adjecta his verbis : *Non ſit notabilis habitus veſter &c.* ſubſequa, *nec ſint vobis tam tenera capitum tegmina &c.* item illa: *ita ſanè, ut nulla ſibi aliquid operetur ; ſive ubi jacet, ſive unde cingatur, vel operiatur, vel caput contegat &c.* legiſſet, credi non poteſt, hos eum ſaltem contextus intermiſſurum, quæ adeò inſtituti rationem videntur definire: & quid de balneis? quæ vir ſanctus eò cautiùs omninò dimiſit, quò certiùs habuit, fæminis neutiquam eô modô, quô in fictitia illa regula præſcribuntur, convenire. Ut nil dicam de exitu, de carnali dilectione &c. Verùm, cùm de his omnibus nihil conſtaret Cæſario, ac providentiſſimo ſenſu perſpiceret, de balneis, de publico Virorum aſpectu &c. nihil planè cum fæminis tractandum eſſe, utpotè ſolis viris, occaſione ſe offerente, cavenda, hinc omittere jure debuit, quæ applicare nequivit. Neque dici poteſt, ſanctum Cæſarium regulam fæminis ſcriptam ignoràſſe, aut obtinere non potuiſſe. Reſpondeo enim, utrumque talia reponentem vacillaturum in ſua pro fæminis concertatione, ſi regulam jam tum, id eſt, paulò poſt mortem Auguſtini, viris accomodatam

datam admiſerit. Non enim adverſior ratio erit eam Auguſtino ſynchronam addicere, quàm tam modico intervallo, ne quidem definiendo, tantis diſſitis (ùt eſt Arelatum ab Hyppone) ſpatiis, pro viris cognitam affirmare; maximè, cùm nulla ratio, nulla monimenta illorum temporum indicent, quô fatô factum ſit, ut ipſa à fæminis ad viros transferretur: quod priùsquam fieret, diſſuadebant regulæ aliæ, ut S. Fulgentii, S. Baſilii, ipſiúsque aut Cæſarii, aut Tetradii, quæ, cùm actu haberentur, ad quid illa Auguſtinianæ regulæ fuiſſet translatio, ſi aliundè non exiſteret. Econtrà ejuſdem pro viris ſcriptæ, fæminis autem accommodatæ adſunt manifeſta indicia; utebantur hâc regulâ complures ſancti Patres, ùt ipſe S. Benedictus, aliíque poſt illum. Sed primus, qui ejus fragmenta ad dirigendas fæminas transtulit, Cæſarius erat, quid dein factum ſit, ignoratur quidem, verùm ad hanc ſic transferendam Cæſarium primum fundamentum poſuiſſe, ſunt, quæ perſuadent. Ego, quia regulam primitùs viris, & quidem clericis ſcriptam aſſeveranter inferiùs probabo; pro nunc, dum de fæminarum regula quæritur exiſtimo, hanc ad mores earum informamdas translatam fuiſſe ſæculô octavô, cùm Canonicarum Virginum paſſim renovata inſtitutio ad ſimilitudinem Canonicorum urgeretur; de quo nos inferiùs diſſertiùs agemus. Nam cùm Virgines ſacræ tum viverent votis quidem obſtrictæ, ſed ùt clericales, prætendebant liberiùs aliquantò, atque remiſſiùs haberi. Diſciplinâ ideò frequentiùs vacillante, identidem de præſcribenda illis ſolidiori normâ vivendi cogitatum eſt. Profectò has virgines, non ſtrictè Monachas (quales omnes ante tempora Caroli Magni ſuo Benedictino Albo adſcribere conatur Mabillonius) ſed ſub inſtitutione Canonica, & à Monaſtica, ſeu, ùt tunc dicebant, regulari diſtincta vixiſſe,

Ann. Ben. L. 17 n. 31. & alibi ſæpiùs.

paſſim exempla vetera comprobant. Sic ſanctum Fridolinum ſub initium jam ſæculi ſexti in Seckinga inſula ad Rhenum Eccleſiam conſtruxiſſe ſub honore S. Hilarii, illícque Canonicam Sanctimonialium vitam conſtituiſſe in vita Baltherus ſcribit. Hæ Sanctimoniales Virgines erant clericales (non monaſteriales, ſeu Monachæ) quales tum temporibûs, & longè anteà exſtitiſſe inferiùs probabimus: vixit enim Baltherus circa initium ſeculi decimi, quo tempore vitam S. Fridolini teſtimoniis certis ſuffultam Notkero Balbulo S. Galli in Helvetia Monacho dedicavit. Adeóque pro indubitato Baltherus habuit, Sanctimoniales Seckinganas ad Canonicam, non Monaſticam vitam à S. Fridolino fuiſſe conductas: utpotè, quòd ſæculô nonô, ac decimô vita Monachorum nunquam diceretur Canonica. Dum igitur Baltherus dixit, illic Fridolinum Canonicam ſanctimonialium vitam conſtituiſſe, dicere voluit, tales Virgines ſacras à Fridolino inſtitutas fuiſſe, quales ſuo tempore Canonicæ erant, etſi tali tempore non Canonicæ, ſed potiùs clericales nuncuparentur, aut Eccleſiaſticæ in occidente; utpotè ubi tardiùs quàm in Oriente Nomen Canonicorum, & Canonicarum inaudiri cæptum, ùt alibi oſtendimus. Atque de his paſſim quæri poteſt, quâ regulâ dirigerentur, de qua quæſtione multi, multa: nos ſanè, ùt ex antiquis monumentis, ac maximè Conciliis colligimus, æſtimamus easdem, ſicut Clericos Canonicos: ſecundùm decreta Canonum, Conciliorum, ac præcipuè ſecundùm particularem ipſis plerúmque ab Epiſcopis præſcriptam normam vixiſſe, ſicut & S. Auguſtinum, cùm ſororem ſuam in Parthenone à ſe condito primam Præpoſitam ordinaret, dubitaríne poterit, regulam eidem mox ſimul extradidiſſe? at profectò non illam Epiſtolæ 211. adjectam, quippè quæ multis annis poſt mortem ſororis

L. 1. C. 13 n. 6.

Acta SS. 6. Mart. Comment. præv. n. 2. & in Append. p. 901.

(quamvìs diù, teſte Poſſidonio, viduæ Deo ſervientes, multóque tempore uſque in diem obitûs ſui præpoſitæ Ancillarum Dei viventis) ſcripta traditur ab ipſa parte adverſa. Quis enim crederet Auguſtinum Epiſcopali non ſolùm, ſed & Fundatoris ſolicitudine impulſum non antea monialibus regulam ſcripſiſſe, quàm, cùm diſcordiis earum, & tricis ad hanc urgeretur? At inquis, regulæ illius ſorori datæ nulla notitia exſtat: fateor, non exſtat; quid inde, ſi cum pluribus aliis (quæ longè magìs amiſſa dolemus) tractatibus, & hæc monialium regula diſparuerit? quemadmodùm Cæſarii ſolis monaſterii à ſe fundati filiabus ſacris præfixa regula nota eſt, potuêre fuiſſe & aliæ. Verùm cùm ſæculô ſeptimô Epiſcoporum eò reſpiceret jam maxima ſolicitudo, ut ſub unam (quantùm ſaltem fieri poſſet) vivendi normam hæ Virgines clericales colligerentur, tum demum de regula generaliori cogitatum fuerit. Unde à S. Fridolino inſtitutarum Seckingæ ſæculô, ùt diximus ſextô, Virginum quis ædipus augurabitur, regulam obſervatam? pariter & Nivellenſium ſub S. Gertrude Abbatiſſa ſæculô ſeptimô;? Quamvìs enim D. Amandum ſciam S. Gertrudem velâſſe, ipſúmque eruditiſſimum Mabillonium pro aris, & focis certare, ut Gertrudi Monachatum vindicet: nobis difficile non erit ſuo tempore monſtrare, quàm certò Nivellenſes ſemper Canonicæ ab Origine ſuæ fundationis, nunquam Monachæ fuerint, cùm intereà ſufficerit, ex Coævo vitæ ſcriptore notâſſe. *Gertrudi ſanctæ puellæ capillos adinſtar Coronæ fuiſſe abſciſſos*, *ubi à Matre Deo ſacraretur*. Quod an Monachabus illo tempore, an ſolis Virginibus Canonicis fieri conſueverit, facilè reſolvet, & in noſtram pro Canonicis ſententiam ibit, qui ſe rerum veterum expertum probare voluerit. Itaque has Nivellenſes Virgines, ſed & alias Hamburgenſes ſub Diva Odilia, *quæ omnes ſecundùm illius verba elegerunt Canonicam Regulam*. Nec eas primas, ſed alias profectò longè decedentes, utpotè, quòd hæc Canonica Regula tanquam jam nota, & recepta alióquin memoretur, has inquam, omnes, quam putamus CanonicamRegulam tenuiſſe? ſanè vix me aberraturum credidero, dum nuncupavero Auguſtinianam: conjecturas ad certam propè veritatem educendam ſubjicio. Sanctam Radegundem legimus quamvìs Monachæ veſte indutam, Monacham non fuiſſe, ſed Virginem Clericalem, ſeu Canonicam, utpotè quam S. Medardus Noviomenſis Epiſcopus manu ſuperpoſita conſecravit Diaconam, quod non Monachicis, ſed Clericalibus Virginibus proprium tum erat officium, ùt omnia veterum documenta probant. Hæc verò S. Radegundis cum pluribus ſibi conjunctis Sodalibus, profectò non erat ſub regula S. Benedicti, nunquam enim eam tacuiſſet Fortnnatus huic ſanctæ Reginæ familiariſſimus, illius de iſta verſus rem explicant, dum ſic canit:

Bol. 17. Mart. in vita cap 1, n. 3.

Apud Mabill. ſæc. 3. Ben. p. 2.

Sur. 13. Aug in vita n. 6. &c.

Fortun. l. 11. c. 3.

Cujus ſunt epulæ, quidquid pia regula pangit,
Quidquid Gregorius, Baſiliùsque docent.
Acer Athanaſius, quod lenis Hilarius edunt,
Quos cauſæ ſocios lux tenet una duos.
Quod tonat Ambroſius, Hieronymus atque coruſcat,
Sive Auguſtinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis quod Oraſius edit acutus
Regula Cæſarei linea nota ſibi eſt. &c.

Quòd-

Quòdſi *Auguſtini* ex his Fortunati verſibus, *fontem fluentem*, & *Cæſarei regulam* tanquam *lineam* Radegundi *notam* conferamus, jam ſenſim elucebit, & Auguſtini, & Cæſarei regulam huic ſacræ Reginæ ſic in unam confluxiſſe, aut certè utramque tam ſedulè fuiſſe cognitam, ut ad utriusque præcepta, mores tam ſuos, quàm ſibi ſubditarum Virginum temperaret, cùm adeò tot ſauctorum Virorum, ac Patrum lectionem eligendam plùs ex Auguſtini, quàm Cæſarii regula diſceret. Hinc facilè inferre licebit, quæ regulæ Auguſtinianæ fragmenta, jam à Cæſario ad fæminas docendas translata, conſpexerat, ipſámque (Fortunatô tantùm non manifeſtè conteſtante) in Auguſtino totam, ac genuinam legerat viris ſcriptam (quod à Cæſario dimiſſum erat) à quodam ſibi familiari, ac fortaſſe hoc ipſo Fortunato ex integro transferri ad inſtruendum ſexum ſequiorem Deo ſacratum curaſſe. Non enim aliunde, niſi ex Auguſtiniana regula crediderim ſic primariò ſororibus ſuis vivendi formam inſtillâſſe, ut, ſi vitam ejusdem à ſanctimoniali Bandonivia ſibi ſubdita, atque convivente ſcriptam percurramus, regulam ipſam Auguſtinianam egregiè elucere ex illa advertamus obſervatione Bandoniviæ dicentis: *Quantò amore congregationem ſuam proſecuta ſit, nemo vel centum linguis explicare queat, inſtituit ipſa, ut menſæ illis aſſidentibus, ſemper lectio adhiberetur*, *ne ſolæ fauces haurirent cibum, ſed aures etiam ſuſciperent Dei verbum:* Quamquam verò omninò diſcam ex epiſtola Radegundis ad Epiſcopos Galliæ ſeipſam fateri: *Congregationi à ſe Chriſto præſtante collectæ regulam, ſub qua S. Cæſaria degit, quam ſolicitudo B. Cæſarii antiſtitis Arelatenſis ex inſtitutione ſanctorum Patrum convenienter collegit, adſciviſſe:* Non adverſabitur tamen his verbis, ſi dicamus, cùm Radegundes Auguſtini regulam, quamvìs adhuc tum viris originariè accomodatam inter ejus opera reperiret, pariter in *ſpeculum animarum* ſuis ſororibus propoſuiſſe, atque, ut ſecuriùs mentem earum ad hujus quoque obſervantiam inclinaret, ad fæmineam nomenclaturam transtuliſſe, operâ ſeu, ùt diximus, Fortunati, ſeu ipſius fortè prænominatæ Bandoniviæ. Id certiſſimum, Virgines iſtas regulæ ſe ſancti Benedicti ante ſæculum nonum non ſubjeciſſe, quô tempore, & haud dubiè, quando magnum illud Ludovico Pio imperante Concilium Aquisgranenſe celebrabatur, per Benedictum Ananienſem traditô cunctis Monaſteriis Monachorum tam virorum, quàm Sanctimonialium, *uniformi ſecundùm regulam S. Benedicti incommutabili more* (ùt habetur apud Mab.) hæ quoque Virgines in eandem ipſam juraverint normam vivendi. Attamen, ùt colligitur ex earum ſtatu apud Flodoardum, paulò poſt reformationem hanc, necdum omninò requiſita unitate religioſâ convenientes ſic ſe invicem ſeparabant in norma vivendi, ut aliæ ſtrictiorem, & ſingulatim definientem omnia regulam S. Cæſarii, aliæ potiùs generaliorem S. Auguſtini amplecterentur. Benedictus Ananienſis ſuam concordiam regularum confecit ipſo Ludovici prænominati piiſſimi Regis tempore, in ea reperitur regula S. Auguſtini ſcripta viris, ſed, & altera aptata fæminis, & quidem jam ſubjecta illi Epiſtolæ 211. quid ſi eôdem Authore hoc factum ſit? ut pio ſtratagemate, quas moniales nulla verborum virtute perſuadere poterat ad amplectendam regulam D. Benedicti, ſaltem moveret ad Auguſtinianam, aſtû tunc ſecuriori, ſi diceret hanc regulam eſſe ab Auguſtino fæminis ſcriptam, neque ſanctitati viri per hoc quidquam detraho apud eruditos, qui nôrunt veteres Monachos, quàm ſe egregiè triumphâſſe cenſuerint, ſi quid tam piâ frau-

Marginal notes: Apud Sur. cit. n. 18. — Greg. Turon. l. 9. hiſt. c. 42. — Ibid. in vita. — Annal. Ben. t. 2. n. 51. ad an. 817. L. 3. hiſt. Rhem. c. 27. in ep. Hincmari ad Monial. S. Radeg.

fraude evicerant. Certè doctiſſimus Henſchenius: *Nimis*, inquit, *multis exemplis heu quotidiè diſcimus, mediô ævô fuiſſe complures, quibus pulchrum, ac licitum viſum eſt, pro pietate mentiri, ut loquitur Harigerus Lobienſis Abbas in geſtis Pontificum Tungrenſium.* Benedictus igitur, ut non ſolùm Monachis, ſed & monialibus ſuâ concordiâ regularum prodeſſet, primóque oſtenderet regularum diverſarum Authores, exin verò, & regulam D. Benedicti ideò præ cunctis reliquis perſuaderet amplectendam, *quod B. Benedictus* (ùt ipſe hìc in præfatione ſua ſcribit) *ſuam à cæteris aſſumpſit regulam, & veluti ex manipulis unum ſtrenuè contraxit manipulum:* Regulas omnes regulæ S. Benedicti adjunxit, & inter has S. Auguſtini duplicem, unam viris, alteram fæminis aptatam: quod providè, & conſultò ab ipſo factum, velut enim legimus, multi Monachiles Parthenones ad Canonicos mores transvolârunt, qui haud dubiè ſe regulis diverſis, iiſque laxioribûs munierint, ac inter eas etiam S. Auguſtini, cùm verò per ſuam concordiam Benedictus remonſtraret, regulam S. Benedicti etiam aliquot manipulos ex regula S. Auguſtini continere, cenſuit vir piiſſimus hôc modô laxatas Moniales iterùm ad viam monaſticæ, & quidem Benedictinæ converſationis eò ſuaviùs reducendas, quò evidentiùs appareret Benedictum ea quoque docere, quæ in regula ſua Auguſtinus: hanc verò hoc tempore monialibus cognitam fuiſſe, exhibet Eugenii ſecundi decretum in Romano Concilio à ſe an. 826. coacto editum, ſequentis tenoris: *Mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulares vivunt, juxta B. Auguſtini regulam vitam ſuam in meliùs corrigant.* Sic ſanè Canon iſte Eugenii videtur exactè alludere ad decreta Concilii Aquisgranenſis anni 817. in quibus præcipitur tam viris quàm ſanctimonialibus fæminis vivere ſecundùm regulam S. Benedicti, cùm verò in eodem Concilio regula ſpecialis ederetur pro Virginibus Canonicis, hæcque Summæ Sedi inſufficiens omninò videretur, jam Eugenius iſte annô poſt Aquisgranenſe Concilium nonô easdem ad regulam S. Auguſtini obſervandam ablegavit, dudum cognitam, ſed non tam ſub forma fæminis, quàm viris ſcriptam. Nam, ùt apparet ex altero Concilio ſub Eugenio tertio: *Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, juxta Beatorum Benedicti, & Auguſtini rationem vitam ſuam in melius corrigere jubentur.* Juxta *rationem*, inquam, cùm enim ex ſola Benedicti Ananienſis editione, nullâ alióquin Authoritate fulta, regula fæminis aptata compareret, privatâ, non communiter receptâ notitiâ, Eugenius ad rationem potiùs, quàm regulam mulieres dirigit. Tam Benedicti, quàm Auguſtini, utpotè ab utroque viris, non fæminis (nam de regula à S. Benedicto ſuæ ſorori tradita nihil iſthìc occurrit) ſcriptam, in qua igitur rationem vivendi tam Monachæ haberent, quàm Canonicæ, neutri tamen parti primigeniè: Monachæ imitabantur normam Monachorum S. Benedicti, hinc regulam eorum æmulabantur: idipſum dic de Virginibus Canonicis ex utriusque Eugenii decreto, hinc ſubijciebantur regulæ S. Auguſtini.

S. Odiliam obſervavimus Canonicam regulam præ Monachica elegiſſe, rationem ejus vitæ Author ſubnectit, ubi rogatis ſororibus ſuis, utrùm Canonicam, an regularem vitam ducere vellent? regularem præeligentibus reſpondiſſe dicitur: *Scio, meæ chariſſimæ ſorores, & Matres, vos promptiſſimas eſſe ad omnia aſpera, & dura pro Chriſti nomine toleranda, ſed timeo nos, ſi regularem vitam elegerimus, maledictionem à ſucceſſoribus noſtris incurrere, quia iſte, ùt ſcitis, locus valdè incompetens eſt, & laborioſus regulari vitæ, adeò ut nec aqua niſi cum magno labore adipiſci poteſt hic &c.* iſta *regularis vita* (ùt patet ulteriora de hac S. Odiliá

Tom. 6. Maji ad diem 10.

Vide Conc. Rom. ſub Nicol. II. alias à nobis relatum

Vide Ardonem in vit. B. Bened. Anian. apud Boland t. 2. Feb. die 12. c. 9. n. 41. Tom. 8. Conc. Lab. p. 103.

Loc. cit. apud Mabill.

Annal. Fuld. apud Mabil. Ben. Ann. l. 28. n. 51.

lia perlegenti) loco huic incompetens erat abſtractio à converſatione ſolita cum extraneis, & conſuetudine extra monaſterium honeſtis de cauſis exeundi, rectè ſecundùm Canonicam regulam, & quidem S. Auguſtini, quæ, dum Virginibus aptabatur, admittebat quoque illis exitum, unde haud dubiè Odilia cum ſuis ſororibus notam jam habuerit Auguſtinianam regulam circa annum 667. fortè ex D. Radegundis monaſterio ſibi jam aliquantò apertiùs cognitam: quamvìs necdum ad ſexum fæmininum translatam ſaltem vulgariter quemadmodùm id factum eſt ſæculô octavô, quòdſi enim Monachæ Virgines poterant ſibi virilem S. Benedicti regulam ad imitandum habere præfixam, cur non Canonicæ, & Clericales Virgines virilem S. Auguſtini.

Ergò præcipuè Benedicti Anianenſis ſtudiô factum judicamus, ut Auguſtiniana regula fæminis informandis etiam in ſtylo, ſeu phraſi earum aptaretur. Cui poſtremò adjungimus, fieri nunquam potuiſſe, ut ſi Auguſtinus regulam ſuam ſcripſiſſet fæminis, ipſíque illi Epiſtolæ addidiſſet, adeò illa ſub modio latuiſſet, primò ſub Eugenio, aut Benedicto Ananienſi è tenebris emerſura: qui enim fæminis ſcriptam volunt, liberè aſſerent (ſaltem quibus nulla monialium ſpecies, niſi Monacharum usque ad ſæculum octavum occurrit) eas ipſas ab Auguſtino inſtitutas fuiſſe Monachas; quòdſi ita? enuntient, cur ſolertiæ Auguſtini in his informandis tanta illata ſit ſtrages, ut unàcum ipſo, moniales, & regula occultarentur, & in tam injurioſam oblivionem deciderent, quod aliàs ne ulli quidem SS. PP. Monachos, vel Monachas erudientium regulæ factum legimus. Certiſſimum autem, regulam S. Auguſtini ante Benedictum Anianenſem, id eſt, ante initium ſæculi noni nunquam comparuiſſe, fæmineâ phraſi velatam: quamvìs enim privata quadam devotione forſan ipſo Canonicorum ſtudio illa pro quibusdam Virginibus ſic transferri potuerit (de quo tamen nobis necdum conſtat) eô jure tunc neutiquam in apricum prodire auſa eſt, quô nunc quorumdam præjudicioſô planè aſylô fulcitur; quod indubitatè factum eſſet, ſi ante ſæculum nonum pro fæminis ſcripta innotuiſſet aut Epiſcopis, aut qualibuscunque demùm Parthenonum fundatoribus. Res hæc penitiùs conſiderata multum certè noſtræ aſſertioni ponderis conferet, apud quemque eruditum.

6\. *Regulam genuinam S. Auguſtini Viris Clericis, non Monachis ſcriptam fuiſſe oſtenditur.*

Expeditâ nunc geminâ quæſtione, an ſcilicet fæminis ſcripta, & quando illis aptari cœperit? ſupereſt, ut ad alteram tranſeamus, cui virorum inſtituto ab Auguſtino ipſo tradita ſit, Monachis, quos ab ipſo informatos magna ſollicitudine fuiſſe, paſſim ſcripta illius inſinuant, an clericis à ſe in monaſterio conſtitutis?

Monachis regulam attribuunt omnes Monachi, ſi qui eam viris ſcriptam affirmant: Clericis verò complures eorum, qui aliundè Auguſtino, & Monaſterio ab ſe conſtructo Monachiſmum abnegant. Nos quia hanc ſententiam jam ſtatuimus, pariter, & regulam clericis non Monachis ſcriptam ſequentibus vindicamus.

Auguſtinum Clericos ſuos ex aſſe in omni pietate informâſſe, ambigere nemo poteſt, qui vel ſolos duos ſermones de communi vita Clericorum percurrerit, & præclariſſimi hujus ſpeculatoris indefeſſam ad omnes ſibi ſubditos perſpexerit vigilantiam. Quòdſi verò, ùt patet propriô Auguſtini teſtimoniô, ſic ipſe cum *Clericis ſuis* (Serm. priori.) *vixerat in domo illa, quæ dicitur domus Epiſcopii, ut, quantum poſſent, imitarentur eos ſanctos, de quibus loquitur liber actuum Apoſtolorum, nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia, ac denique ſecum habuerit Monaſterium Clericorum.* Profectò, ut clericos in monaſte-

rio iſto congregatos ſecum aſſiduè viventes, & quidem ſecundùm vitam, normámque Apoſtolicam (id eſt, ordinatè, atque compoſitè) ſine lege, ſine regula, ſine certa vivendi diſpoſitione, ad hoc unum tantùm obligaret, ut expropiatè viverent, aſſerere nunquam ſinit ſanctiſſimi viri nimius diſciplinæ ordinatiſſimæ Zelus, atque affectus. Scripſit ipſe integrum tractatum de ordine, in quo affatim demonſtrat ſolo ordine omnia rectè perfectèque agi: & alibi, ajt, *nullum ibi bonum eſſe, ubi nullus eſt ordo:* & de regula in Pſ. 31. Conc. 2. inquit: *Stet regula, ut quod pravum eſt, ad regulam corrigatur*: Qui ergò tam ordinis, quàm regulæ neceſſitatem ad formandos mores, actiones, totiúſque inſtituti religioſi ſeu clericalis obſervantiam ſummè noverat expedire; an credamus, eundem committere potuiſſe, ut ſolos ſecum viventes Clericos (quos profitebatur *providere bona non ſolùm coram Deo, ſed, & coram hominibus, & ideò converſationem ſuam eſſe ante oculos commendatarum ſibi ovium, ut dicere audeant imitatores mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti*) ſine regula, & religioſæ diſciplinæ præſcripto dirigeret? abſit longè à nobis, ut hoc de Auguſtino ſentiamus, quin, cùm ipſe tantâ curâ ageretur, Monachos conſervandi intrà vigorem diſciplinæ, ut de illis integrum tractatum ſcriberet ad inſtantiam Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi, aſſeverare neceſſàriò oportet, neque ſuis clericis moderandis præſcriptione certæ regulæ defuiſſe. Sed, quia in hac aſſignanda, diverſæ opiniones concertant, nos partim, ut initiò hujus capitis promiſſis ſatisfaciamus, partim, ut hanc quæſtionem articulatè enodemus, primò de quatuor regulis Auguſtino adſcribi ſolitis, dein de certa illa clericorum, ejúſque fatis diſcurremus.

De natu Boni, cap. 23.

Serm. cit. n. 1.

Regulæ, quas nos tertiam, quartámque dicimus, omnium calculò Auguſtino abjudicantur: ſic enim Doctores Lovanienſes in ſua cenſura ad hanc geminam regulam: *Doctorum, inquiunt, conſenſus, unicam tantùm agnoſcit S. Auguſtini regulam, quæ hanc appendicem præceſſit* (viris nempè accomodatam, ùt ſuprà notavimus) *ideóque ſequentes regulæ, ſeu potiùs regularum fragmenta, tam ex ſtylo, quàm ex Doctorum virorum conſenſu Auguſtini eſſe negantur.*

In append. ad tom. 1. edit. Pariſ. an. 1614. p. 306.

Prior regula, quæ incipit: *Communi definitione decrevimus*, præfertque titulum: *Regula Clericis tradita fragmentum:* nihil ſibi præcipuè antiquitatis mereri videtur; in hoc enim teſtimonio recentiſſimorum editorum operum S. Auguſtini ſubſcribendum, dum ajunt: *Apud Lucam Holſtenium, in codice regularum, parte ſecunda, Conſenſoria Monachorum inſcribitur aptiore titulo. Attamen receptam dudum in hac appendice inſcriptionem mutare viſum non eſt, præſertim deſtitutis veterum librorum auctoritate: quippè nullum hujus opuſculi M. S. exemplar reperimus.*

In append. Edit Ant. verp. an. 1700. t. 1. p. 617.

Seu ergò hunc, ſeu illum titulum præfixum conſpiciamus, noſtri haud intererit pro quocunque eorum pugnare, qui malumus certiora, & antiquitati Auguſtinianæ aut indubitatè coæva, aut propiora inquirere. Hôc igitur relictô fragmentô, ad alterum tranſeundum, quod in editis regula ſecunda, à nobis quarta nuncupatur: de hoc fragmento potiùs, quàm integra regula obſervandum, quod Editores monuerunt: *Contulimus, inquiunt, iſtud opuſculum ad Exemplar Corbejenſe ante mille annos, uti videtur, exaratum, in quo - - - codice opuſculum abſque titulo ſic incipit:* ante omnia *&c. Sed ad hæc ultima verba* de veſtra ſalute. *Amen. Continenter, & in eodemmet verſu* ſubijcitur regula S. Auguſtini viris aptata - - - - cumhiſce verbis in fine, *explicit regula S. Auguſtini.* Igitur ex horum teſtimonio, verbis illius proëmii: *Ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde & proximus, quia iſta præcepta principaliter nobis ſunt data.* Mox codice Corbejenſi ſubnectitur: *Qualiter autem nos oportet orare, vel pſal-*

pſallere &c. & hic immixtus paragraphus finitur: *Hæc autem in nomine Chriſti fideliter, & piè obſervantes, & vos proficietis, & nobis non parva erit lætitia de veſtra ſalute. Amen.* Mox proſecutio fit, *hæc ſunt, quæ ut obſervetis, præcipimus in monaſterio conſtituti. Primò propter quod in unum &c.* Ex quo patet genuinæ, noſtræque primæ regulæ Auguſtinianæ illud fragmentum infartum fuiſſe: quod incipit: *Qualiter autem* &c. hócque ante mille annos, id eſt, ſaltem ad initium ſæculi 6ti. ipſum enim fragmentum præſeferre tempora, Sanctô Cæſariô Arelatenſi antiquiora, demonſtrat regula hujus S. Viri, nam quemadmodùm ſuperiùs produximus, parallelas inter regulam S. Auguſtini genuinam, viríſque propriam, & regulam S. Cæſarii; ſic produci poſſunt inter hanc, & fragmentum, de quo loquimur. Quia regula S. Cæſarii C. 15. ait: *Nemo ſibi aliquid judicet proprium, ſive in veſtimento, ſive in quacunque alia re.* Et in fragmento legitur: *Nemo ſibi aliquid vindicet proprium, ſive in veſtimento, ſive in quacunque re.* Dein cap. 16. inquit Cæſarii regula: *Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne ſimili judiciô pereat murmuratorum.* Fragmentum: *Nemo cum murmure aliquid faciat: ut non ſimili judiciô murmuratorum pereat.* Regula Cæſarii ait: *Matri poſt Deum omnes obediant Præpoſitæ deferant: ſorores ad menſam taceant, & animum lectioni attendant, ſi verò aliquid opus fuerit, quæ menſæ præeſt, ſolicitudinem gerat.* Fragmentum: *Patrem ſuum honorent poſt Deum, Præpoſito ſuo deferant. Sedentes ad menſam taceant, audientes lectionem. Si autem aliquid opus fuerit Præpoſitus eorum ſit ſolicitus* &c. Ergò Cæſarius regulam S. Auguſtini cum hoc fragmento ſicut in veterrimo Corbejenſi codice exhibetur præ manibus habuit, cùm regulam ſuam ipſe componeret, adeóque, & fragmentum iſtud Cæſarii tempora, id eſt, ſæculi quinti finem, aut æquavit omninò, aut potiùs ſuperavit. Verùm ut ad cardinem rei propoſitæ deflectamus, hoc jam nobis fragmentum regulæ Auguſtinianæ immixtum faceſſet negotium, clericiſne ſcripta ſit iſta, vel Monachis? quamvis enim fragmentum ſæpefatum abnegetur Auguſtino, Monachiſmum tamen potiùs redolet, quàm clericatum: hinc, ubi fortè Auguſtinus originariè regulam ſuam Monachis tradidit, ipſi per modum Scholii hoc adjecerint fragmentum, fortaſſe aut in margine, aut ad calcem paginarum, unde pauló pòſt, in ipſam regulam receptum fuerit. Dico per modum Scholii: nam quædam diſſertè refert explanandi causâ, *qualiter autem nos oportet orare, vel pſallere deſcribemus:* eſt aperta explanatio capitis ſecundi de oratione: dein illud: *Operentur à manè uſque ad ſextam, & à ſexta uſque ad nonam vacent lectioni, & ad nonam reddant codices.* Explicat capitis Noni §. ſeu N. 2. *Codices certâ horâ ſingulis diebûs petantur:* Prætereà illud: *Sedentes ad menſam taceant &c.* explanat cap. 3. n. 3. *cùm acceditis ad menſam donec &c.* denique: *ſi opera monaſterii mittantur fratres vendere, ſollicitè obſervent &c.* item: *à mane ad opera ſua ſedeant &c.* declarat cap. 7. n. 6. ubi dicitur *nullus ſibi aliquid operetur &c.* reliqua, quæ hinc inde inferuntur, quaſi ex ipſa regula repetita aſſumuntur. Verùm hæc omnia, ùt antiquiſſima ſunt, ita manifeſtant, ſolis Monachis fuiſſe propria, adeóque & regulam, & quidem Auguſtino vivente, cùm fragmentum iſtud, non poſſit diù ſancti hujus legiſlatoris ætati ſucceſſiſſe. Quòd ſi verò nihil adeò apertè in hoc fragmento Monachiſmum ſaperet, certè iſtud eſſet, dum dicitur: *Si opera monaſterii mittantur fratres vendere, ſollicitè obſervent, ne quid faciant contra præceptum &c.* hoc ſcilicet proprium erat Monachorum, in monaſterio laborare, & dein ex labore confecta vendere, ut inde ſibi victum, veſtitúmque conducerent. Huc totus Auguſtini tractatus collimaverat de ope-

opere Monachorum, ùt legenti patebit. Neque iſtud tum temporis tali lege exigebatur à clericis; quamvìs enim eis labor manuum conſuetus eſſet, ùt patet ex vita S. Fulgentii, & ex Conciliis ſæculi quarti, quinti, & ſexti; ac præcipuè Carthag. quartô, ubi Can. 52. præcipitur: *Clericus victum, & veſtitum ſibi artificiolô, aut agriculturâ, abſque officii ſui detrimento quærat.* Et Carthag. tertii: *Omnes Clerici, qui ad operandum validiores ſunt, & artificiola, & litteras diſcant.* Attamen non eâ obligatione clericis injungebatur, ùt Monachis; maximè dum dicitur in illo fragmento: *ſi opera monaſterii mittantur fratres vendere &c.* Hæc venditio propria erat Monachis, quibus bona immobilia non ſuppetebant, unde ex ſuis manufacturis divenditis vivere cogebantur, at hoc non erat in more clericorum, cùm expreſsè legamus Auguſtinum cum clericis ſuis bona immobilia poſſediſſe.

Can. 53.

Utut autem iſta ſint, & omnimodis admittamus, fragmentum iſtud non ſolùm redolere Monachiſmum, ſed verè Monachis eſſe ſcriptum, nunquam inde ex hoc ipſo fragmento contrarium reſolvo. Regulam Clericis traditam à S. Patre jam aſſerui, & confirmabo aſſertum ultrò. Hanc regulam, dubitare neutiquam poſſum, adeò inter ſolos Auguſtini clericos hæſiſſe, ut non etiam paulò pòſt Monachis ſaltem Urbanis nota fieret, atque vel ex eo acceptior, quòd ab Auguſtino condita, cujus quidquid doctrinam ſapiebat, atque eruditionem, paſſim omnibus in delitiis, & amoribus erat. Inquiramus illorum temporum Monachos, inſtitutáque eorum, ubertim ex regula S. Auguſtini decerpta hinc inde ad eos informandos reperiemus. Sic S. Fulgentius ad regulæ Auguſtinianæ inſtitutum ordinavit teſte Fernando, ut eſſet Monachis & clericis ſuis adunatis, *communis menſa, commune cellarium, communis oratio, ſimul & lectio*, S. Benedictus, ùt aſſeverant editores, præceptiones non paucas *ex ipſa* tranſtulit in regulam ſuam: idipſum reperire eſt in regula Columbani, aliíſque pluribûs, ac antiquiſſimis. Verùm nullibi apud Monachos Auguſtini regula ſola, puráque apparuit, immixtæ identidem aliæ, ſingularéſque præceptiones, quod fecit author regulæ Tarnatenſis. S. Benedictus, & hic ipſe, quiſquis ſcholia iſti, quam editores regulam ſecundam, nos quartam diximus, adjunxit. Ex quo manifeſtè docemur, puram, genuinámque S. Auguſtini regulam tam Monachis, quam Monachabus inſufficientem fuiſſe regendis, eò, quòd iis peculiaria præcepta neceſſaria ſint. Solis clericis attemperata erat, atque conveniens, clericis inquam, Auguſtini ævô viventibus: certè, jam penè apud nos conſtituimus, ſic veritatem præſentem digerere, ut conferremus omnia regulæ membra cum clericorum illorum inſtituto, atque monſtraremus dilucidè, nec pluribûs, nec paucioribûs, imò nec aliis legibûs Clericos Auguſtiniani Monaſterii potuiſſe conſtringi, quàm, quas ſpeciatim regula iſta continet, ſed nimiæ prolixitati modus imponendus erat, hinc ſolùm obſervamus: regulam ab Auguſtino pro certo ſcriptam fuiſſe, quamprimùm Presbiter ex Valerii Hypponenſis liberalitate in horto hujus monaſterium clericorum teſte Thoma Aquinate (Poſſidium, & Auguſtinum ſapientiſſimè interpretante) conſtituit, & *vivere cæpit ſecundùm regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Unde & Poſſidius, cùm hæc verba præmiſiſſet, regulæ ipſius ſubſtantiam, & exordii quaſi fragmentum ſubjungit, dum ait: *Maximè, ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique, prout cuique opus erat.* Quod ipſum S. Auguſtinus tanquam totius regulæ ſuæ baſim, ac fundamentum præfinit, atque præſtituit. Clerici ergò, cùm ple-

In vita cap. 10.

plerique aut in minoribus eſſent, aut accingendi de proximo ad clericatum, hâc regulâ dirigebantur, in victu, veſtitu, converſatione, bonis moribûs, virtute obedientiæ, ac caſtitatis, ſicut expedit, homines inſtituere ad clericalia munia, & miniſteria Eccleſiaſtica aſſumenda. Hinc quoque de his diſſerté, & ſignatè nihil inſeritur, utpotè quòd Auguſtinus ſe quoad iſta referret ad conſuetos Canones, quos quævis Eccleſia aliunde præſcriptos habuerat; inſuper per regulam iſtam ſolùm intenderet religioſæ vitæ firmam plantam figere, quæ ſuô modô diſtinctas regulas habet à miniſteriis Eccleſiaſticis, & hæc illas quodam modô jam ſupponunt. Cæterùm haud dubium, cùm Sanctiſſimus Vir ad Epiſcopatum perveniſſet, & eandem formam vivendi in majorem, ſecum habitantem, clerum induxiſſet, quam in minoribus jam dudum effinxerat, regulam etiam huic tradidiſſe, eò quòd nihil ipſa doceret, non etiam majori clero ad amuſſim conveniens, ùt patebit conſideranti. Sic ergo initium, incrementúmque ſumpſit hæc laudatiſſima regula propriè, ac primariò in ipſo clero Hypponenſi. Neque incidere cuipiam poſſet, ut aſſerat hanc regulam primitiùs Monachis, aut etiam monialibus ab Auguſtino ſcriptam, qui modò animum ſolidiùs intendat; partim ad Monachorum conſuetudines, partim ad ſolicitudinem abſolutam planè, & exactiſſimam S. Patris, qui ſicut ſingulariora præcepta his ipsis in pura noſtra, ac genuina regula contentis, clero ſuo, ſeu minori, ſeu majori tradere non potuit, ita econtrà optimè novit ex regulis aliis Monachorum tum paſſim florentibus, ùt S. Baſilii, S. Pachomii, aliorúmque, quàm accuratè ad quamvis horam adſtringendæ ſint, & alligandæ eorum functiones. Lege, quæſo, regulam horum duorum Sanctorum, & confer Auguſtinianam noſtram, quantùm inter ſe diſcrepent: identidem Monachis ſua vocatio, obligatio profeſſionis, cum iterata hujus nominis inculcatione oggeritur, diſtribuuntur precum penſus, Diurni, atque horarii certi ritus, ceremoniæ, ſilentia, pænitentiæ pro exceſſibus &c. ùt patet in regula cœnobiali S. Columbani, & ipſius quoque S. Pachomii, nec minùs S. Baſilii, Benedicti &c. nihil de his in regula S. Auguſtini reperitur. Et opinabimur, qui tam exactus fuit in allegandis obligationibus, ac inculcandis moribus Monacho congruis, cùm de opere eorum ſcriberet, nihil ſe memoraturum de his omnibus in regula ſua, quæ longè magis iſta expetiiſſet, quàm unquam tractatus ille? Præstereà legantur Auguſtini Epiſtolæ, & liber de moribus Eccleſiæ, reperientur ibi Parænesſes complures de Monachis, támque exactæ deſcriptiones ipſorum æquè, ac moniali um, ut, dum de illis agitur, manuum opera, decanorum officia, atque Patrum, neceſſaria victui, redundantium ciborum in egenos diſtributio, & quidquid penè Monachi exactam inſtitutionem reſpicere poteſt, egregiè enarretur, cùm intereà hæc omnia deſiderentur in regula. Nihil ibi Auguſtinus de Præpoſito, nihil de Presbitero, ſed *Decanos*, ac *Patres* Monachorum Superiores nominat: è converſo in regula nihil *de ſilentio*, *de decreto clauſtri*, *de excommunicationibus*, *de certo ordine Pſalmorum* (qui tum temporibûs accurratiſſimè intendebatur à Monachis, ùt videre eſt in omnibus eorum regulis) de *quotidiano manuum opere*, & aliis compluribus. Cur verò? niſi quia iſta clericis præſcribere nec potuit, nec debuit, utpotè quibus non tale otium unquam ſuppetebat, & ſolius propriæ curæ ſtudium, quale Monachis. Itaque

L. de mor. Eccl. n. 67. tom. 1. edit. nove.

Tempore S. Auguſtini non crediderim regulam iſtam ab aliis, quàm clericis obſervatam fuiſſe, ſed cùm, eo obeunte, civitas Hypponenſis, tota

tota penè Africa Wandalorum impietate turbaretur, tum eadem eò liberiùs non ſolùm clericis, ſed ipſis Monachis cæpit eſſe norma vivendi. Nam ſi fides Thomaſſino, ad medium (quin & ultrà) ſæculi quinti, Monachis in Gallia nulla uſque dum regula erat. *Necdum*, inquit, dum de regula Cæſarii, & Aureliani Monialibus data diſcurrit: *Ullam obſervavimus regulam Monachorum in Galliæ monaſteriis. Opuſcula enim Caſſiani, etſi informandis Monachis aptiſſima ſint, regulæ tamen ne ſpeciem quidem præferunt. Monaſteriorum autem ſive Sancti Martini apud Turones, ſive Lerinenſis, ſive Auguſtodinenſis, ſive Arelatenſis regulam adhuc nullam deprehendimus. Pariſienſe monaſterium ſeu San-Dyoniſianum Privilegium ab Epiſcopo accepit, non regulam. Unum illud præcepit Rex, ut jugis ibi noctes, diéſque celebraretur Pſalmodia, Monachis in plures, & alternantes turmas diviſis; ſicut in monaſterio Sancti Mauritii in Sabaudia, & Sancti Martini apud Turones.* Quòdſi igitur tum Monachis in Gallia nulla erat regula, certè cùm Presbyteri Africani, Auguſtiniani alumni, & convictores in Italiam, ipſáſque Galliæ partes diſpergerentur, regula magni hujus viri ſic innoteſcere potuit, ut complura Galliæ, Italiæque monaſteria non ſolùm pervaderet, ſed etiam informaret. Quid, quòd tum fortaſſe factum ſit, ut Auguſtini regulam, Tarnatenſes, vel Agaunenſes (de quorum diſcrimine iſthìc non diſcepto) admixtis regulæ quartæ paraphraſibûs ſuam facerent. Nam, ut eam nobis Holſtenii fides exhibet in ſuo codice regularum, pars ejus poſterior ferè tota ex regula noſtra conſtat; Prior autem ex ſanctorum Patrum Pachomii, & Cæſarii, uti, & ex ea (quam nos quartam dicimus) aliàs ſecundâ, conflatur. Hoc igitur modô innoteſcere regula noſtra genuina Monachis potuit, quæ, cùm paſſim diverſis peculiaribus præceptis permiſceretur, occaſionem dedit fragmentis inde reſultantibus, & à minùs cautis pro genuino Auguſtini partu creditis, at ab eruditioribus demum in appendicem tanquam apocrypha rejectis. Iſthìc autem ultrò obſervo de hac ipſa noſtra genuina regula Auguſtiniana: in Concilio Romano ſub Eugenio ſecundo (annô 826. juxta Petavium) editum fuiſſe libellum quinque Capitulorum, Canonicum nuncupatum, in quo tres ſermones reperiuntur prævió titulô de communi vita clericorum. Primus eſt: *Propter quod volui.* Secundus: *Charitati veſtræ:* qui nunc in editis ſunt 355. & 356. Tertius: *Hæc ſunt, quæ, ut obſervetis, præcipimus in monaſterio conſtituti.* Hos tres ſermones conſequenter præfato libello inſertos teſtatur Pennotus noſter, quem falſitatis arguere, neſcio an quis audebit? virum alioquin cordatiſſimum, maximè in ſuis referendis documentis: hinc, quamvis in nova editione hujus Concilii apud Labbæum nulla dictorum 5. capit. fiat mentio, certè poterat Pennotus tale exemplar habuiſſe, quod ſubterfugit Labbæum. Ex hoc verò ingens lux nobis affulget, cui propriè loco in S. Auguſtini operibus affigenda ſit regula illa, quæ titulum ad *Servos Dei* refert, & noviſſimè, vagè ponitur poſt librum de vera religione. Cùm enim tempore Eugenii ſecundi, id eſt, ſæculi noni initiô, hi tres ſermones de moribus clericorum ſupponerentur, imò haberentur ad invicem illigati, & teſte Auguſtino Ticinenſi, in ipſo quoque Concilio Aquiſgranenſi (proùt aliàs obſervavimus) eodem ordine, & nexu panderentur, evidens penè eſt, eâ ætate regulam ipſam ſic ſermonibus prioribus ſubjectam à S. Auguſtino fuiſſe; & id congruentiâ longè majori, quàm unquam Epiſtolæ illi 211. ut, cùm anteà narraret deſcriberétque ſubſtantiam inſtituti, populóque referret, qualiter ipſe cum clericis ſuis viveret, ad clariorem demonſtrationem ordinatiſſimæ normæ vivendi à ſe, ſuíſque

Part. 1. l. 3. c. 24. n. 4.

Vide Ann. Ben. t. 1. append n. 5. de reg. & mon. Tarnat.

Rationar. temp. tom. 3. in Canonio Concil. p. 111.

Tom. 5. nov. edit.

Penn. l. 1. c. 19. n. 1.

que ſuſceptæ regulam quoque ipſam adjiceret, non tanquam unius ſtyli ſerie ad ſermonem ſecundum, ſed nexu, & convenientia unius ejuſdémque tractandi propoſiti, quod Auguſtinus præ manibus habuit, ad inſtituendos ſimul, & à calumnia vulgi ſuos clericos vindicandos.

Prætereà colligimus, regulam manifeſtè clericalem agnitam fuiſſe generaliter ſæculi noni initiô; utpotè quam, & Aquisgranenſes Patres in ſuo Concilio, & Eugenius in ſuo protulêre ùt talem; neque, dum Eugenius mulieres (quæ ſe Canonicas dicebant) ad regulam S. Auguſtini ablegavit, ideò inferri poteſt, eam ab Eugenio fæminis ſcriptam creditam fuiſſe, alióquin dum & Monachæ ad regulam S. Benedicti obſervandam decernebantur, etiam iſta fæminis ſcripta erit aſſerenda, quod nemo eruditorum propugnat. Ex quo ſimul patet, Benedicti Anianenſis ad fæmineos mores tranſlatam Auguſtinianam regulam, nullô modô tunc effeciſſe, ut ea crederetur originariè fæminis ſcripta: neque enim Concilium Aquisgranenſe, cui haud dubiè adfuerit Benedictus, neque Eugenius, tam diſertè eam cum duobus ſermonibus protuliſſent. Agnovêre igitur viri doctiſſimi regulam hanc ab Auguſtino ſuis clericis traditam; at cùm ſimul perſpicerent Clericos Canonicos non poſſe ſtatim quâvis regulâ Epiſcopali generaliter obligari, hinc unà cum ſermonibus duobus S. Auguſtini tam regulæ Aquisgranenſi, quàm libello quinque Capitulorum Concilii Romani immixta eſt: Solummodò, ut ſic principiô cernerent, quicunque erant relaxati Canonici, quâ regulâ, quô inſtitutô, quâ denique laudatiſſimâ diſciplinâ vixerint olim ipſi quoque Cathedrales (maximè informante præclariſſimo Eccleſiæ lumine tum plurimùm ab omnibus fidelibus ſuſpecto, & celebrato S. Auguſtinô) ac ſenſim ad hanc compendiariam atque diſcretiſſimam, moribúſque clericalibus optimè attemperatam regulam amplectendam allicerentur. Profectò, cùm nullis viribûs, nullâque ſcrutandorum veterum documentorum ſolertiâ indagari, ac obtineri valeat, quodnam monaſterium, quæve Eccleſia prima fuerit, quæ regulam S. Auguſtini ſub certa, ac peculiari ſuimet formâ ſuſceperit, ſed ipſa antiquiſſima, quæ exſtant, hujus regulæ aſſumptæ monumenta doceant, ac ſupponant jam anteà illam apud Canonicos ſaltem aliquos viguiſſe; legitimè concludendum autumo, ſenſim eam dimiſsâ tam Aquisgranenſi, quàm illô quinque Capitulorum librô Eugenianô in Collegiis multis Canonicorum prævaluiſſe, ſicque factum, ut, dum ſemper magìs ſe diſcriminarent Canonici proprietarii ab expropriatis, & ſtrictè ſecundùm normam Auguſtinianam viventibus, regula quoque Aquisgranenſis mutilaretur eô modô, quo Deſnoſius obſervavit, dicens: *Revera ſibi occurriſſe, & ſæpiùs luſtranti tabularia Canonicorum noſtrorum, ita ut expuncta videantur ea, quæ ſæcularitatem, vel proprietatem in ea regula ſapiunt, & econtrà luſtranti cartularia ſæcularium collegiorum, occurriſſe ob oculos eam regulam, ita, ut ea quæ D. Auguſtinus pro clericis inſtaurandis ſcripſit, oblitterata cernantur.* Aquisgranenſem autem regulam diù viguiſſe in iis monaſteriis, in quibus actu introducta fuerat diſciplina regulæ Auguſtinianæ, docent nos Chronicon Reicherſpergenſe, nec non & Salisburgenſia acta ſub Arnone Archiepiſcopo, & Conrado ejus poſt tria circiter ſæcula ſucceſſore: quæ jam aliàs fuſiùs tractavimus.

Can. Sæc. & reg. l. 2. c. 16. in fine.

Cæterùm: quò magìs illuceſcere Canonicorum animis cæpit genuina Auguſtini regula, eò magìs hi, qui regulari vitæ capeſſendæ inhiabant, demptis ſuperfluis, & prolixioribûs Aquisgranenſi regulæ inſitis, demum ſolam illam exceperunt. Econtrà votivam vitam renuentibus Aquisgranenſis regula ſub-

ſubſidio eſſe debebat, at neutiquam primigenia. Unde, & iſti ſuo propoſito adverſa tanquam redundantia dimiſerunt,* &, ùt patet ex Petro Damiano, obligationem expropriationis omnibus indiſcriminatim Canonicis objicienti *ipſos regulæ ſuæ librum protinùs obtuliſſe, ad regulæ ſuæ* (Aquisgranenſis ſcilicet) *auctoritatem rediiſſe, eáque ſibi proprietatis peculium concedente pati ſe præjudicium cauſatos fuiſſe.* Patet, inquam, ex hoc teſtimonio Damiani, regulam conſultò à quibusdam, iíſque non paucis proprietariis, occultè mutilatam, ac ſaltem Damiano ſe negligentiorem præſentâſſe; alióquin non adeò detonuiſſet adversùs illam, ſi genuinam comperiſſet. Regula ſic dupliciter culta atque veſtita, demum unam relaxationis faciem obtinuit, cùm à regularibus planè dimitteretur, & à ſæcularibus proponeretur ſine periodis illis quæ expropriationem inculcaverant: Unde cumprimis oportuit regulam eliminare, ſeu tertium illum ſermonem S. Auguſtini. Nam, quòd alii relinquerentur, erat, quia narrationem potiùs facti antiqui referrens, quaſi ampliùs non imitandi, econtrà tertius, ipſa nempe regula formam exhibeat manifeſtè præceptivam, & conſcientiam cum Synthereſi urgentem. Quapropter facilè contingere potuit, ut tam Binnio, quàm Labbæo, tale exemplar regulæ Aquisgranenſis occurreret, cui jam delumbata erat regula S. Auguſtini, quam tamen in ſuo invenerat Ticinenſis.

Hæc ergò fata, hæ viciſſitudines regulam S. Auguſtini à ſui origine usque ad ſæculum 13. agitârunt, dum demùm ipſa plenô jubare (opitulante ſummæ Eccleſiæ Præſule) iterùm propria eſſe cæpit communi applauſu Canonicis omnibus, quæ usque ad ea tempora ſemper intra privatos parietes ſui obſervantiam obtinebat: ut primò inter Hypponenſes, & quosdam in Gallia, tum & Eboracenſes in Anglia, inde Aquisgranenſes, denique inter univerſos votivo-apoſtolicæ vitæ Canonicos contineretur.

Atque iſta de regula S. Auguſtini diſſeruiſſe, eſſet ſanè, quod titulum præſentis capitis planè expediret, verùm, cùm quædam ſint, quæ fortè necdum tot argumentis à nobis propoſitis diſſoluta creduntur, iis breviter ſatisfacere oportet, ut demum finem huic quæſtioni imponere impunè liceat.

7. *Regula S. Auguſtini ſæculo 16. potiores Patronos nacta eſt, eam viris, quàm fœminis ſcriptam vindicantes, iis quidem, & quodammodò adverſa ſententia tanquam temeraria argueretur.*

Pennoti tempore, id eſt, ſæculi decimi ſeptimi annô quadrageſimô quartô, adeò certa erat ſententia regulam primam, ſeu genuinam penitùs fæminis abjudicans, ut idem vir doctiſſimus ſcribere incunctanter potuerit (cùm Eraſmi opinionem pro fæminis certantem præmiſiſſet) dicens: *Verùm iſtud Eraſmi commentum non tanti erat ponderis, ut non poſſet ſilentiô à nobis præteriri: illud magìs admiratione dignum, quòd inter Catholicos nonnulli alióquin cumprimis pii, & docti, ob Eraſmi ratiunculas in ejus ſententiam ſiverint ſe adduci, & propter quas obſecro rationes &c?* (ſubjungit hìc eas, quas nos mox per reſponſa noſtra dabimus, & diluemus) demum concludit: *Hâc igitur ſententiâ tanquam falsâ, & non ſolùm contra rationem, ſed contra communem omnium Catholicorum conſenſum rejectâ, ſolum tertium dubium &c.* Ex his Pennoti verbis infero, ejus tempore certum, regulam noſtram Auguſtinianam ab ipſo Authore viris ſcriptam, traditámque fuiſſe, unde Riccardus Enomannenſis in Antidoto ad cenſuram Eraſmi per facultatem Pariſienſem probata annô D. 1539. *Cùm tot* inquit, *retrò ſæculis tam multi Doctores, & præclari viri hanc crediderint regulam S. Auguſtini traditam viris, quin & commentariis illuſtraverint ſimul, & ſedes Apoſtolica approbaverit, neſcio, ſi tot Eccleſiæ proceribùs neglectis quiſpiam inveniatur, uſque adeò inſani cordis, ut uni Eraſmo Monachorum nomen tam graviter inſectanti adhæreat.* Et cùm

Vide Pen. l. 1. c. 19. n. 6.

cùm Pennotus mirari non dubitet, inter Catholicos reperiri potuiſſe, quamvis perpaucos, qui ſententiæ Eraſmi adhærerent; pariter concludo, illos *perpaucos* ſententiam Eraſmi non minùs, quàm ſeipſos ſuſpectos de opinione quaſi in fide minùs ſecurâ reddidiſſe, id eſt, tanquam temerariâ, & comuni ſenſui Catholicorum Doctorum adverſante: magis enim iſtos, totámq; Pariſienſem facultatem movere debuerat Juris Canonici authoritas, quàm quævis privati commentatoris ratio. Dum enim illud per Gregorianos cenſores exactiſſimè ab erroribus quibuscunque, & maximè in reſtituendo (aut ſaltem cenſurando) cuivis Canoni prævió titulô, ſuo genuino Authori, lectioníque primigeniæ purgabatur; Canones illi quatuor ex regula S. Auguſtini (noſtrâ nempe) ſic allegantur, ut aut iis præmittatur titulus ſimpliciter: *De vita Clericorum* velut c. quando 4. diſt. 86. aut ſermo tertius: *De communi vita Clericorum*. Ut c. Non vos judicetis 5. q. 5. & c. non dicatis 12. q. 1. & c. Nec ſolo 32. q. 5. ex quo habemus Cenſores Gregorianos accuratè contuliſſe hos textus cum ipſa regula S. Auguſtini, quæ illis in antiquiſſima editione opuſculorum Auguſtinianorum Parmenſi an. 1481. (velut ipſi ad Cap. *quando neceſſitas* annotant) tertius ſermo erat *de communi vita Clericorum*. Adeóque tunc adhuc conſtitiſſe, regulam duobus ſermonibus adjectam tertium confeciſſe, quem dein perverſum illud hominis ſcioli, atque præfracti ingenium (quod ſermones ad fratres in eremo pro partu S. Auguſtini genuino obtruſit, tantúmque effecit, ut apud multos plauſum obtineret) confudit, cauſavítque, ut priſtinam ſuam fidem penè amitteret, ac unàcum reliquis illis centonibus ſermonum ad fratres in eremo eò faciliùs illius conſarcinatoris operâ crederetur à ſexu fæmineo ad maſculinum tranſlata, quò ſecuriùs diù jam Epiſtola illa 211. ad ſanctimoniales unà cum aſſuta regula inter legitima S. Auguſtini opera defenderetur. Verùm ſi obſervatum fuiſſet, jam Ivonem in ſuo opere Decretorum illud ipſum Capitulum: *Quando:* maribus, non fæminis loquens protuliſſe, haud ambigam, adverſè ſentientes citiùs in noſtram abituros fuiſſe ſententiam: præſertim collatis iis, quæ ſuperiùs adducta regulam evidenter probant Epiſtolæ illi 211. Benedicti Ananienſis, aut alterius Auguſtinô longè junioris operâ fuiſſe appoſitam, & ad mores fæmineos inſtituendos tranſlatam.

Ivo par. 6. c. 384.

Cùm verò Eraſmus ille plures 8. ſucceſſu temporis ſui commenti aſſertores ſit nactus, ita quidem, ut ex ipſis Canonicis Regularibus duo non contemnendæ doctrinæ alióquin viri, nempe Nicolaus Deſnos, & Nebridius Mindlheim eidem ſubſcriberent non tantùm, ſed propè nimiô æſtu tuerentur, horum potiùs (quàm Vidingi aut Stellartii) provocatione commoti cumprimis, deinde aliorum quoque argumentis ſatisfaciemus. Igitur opponunt iſti: regulam pro fæminis ſcriptam textu ipsô, ac ſtylô probari, *quid nobis*, inquit *Nebridius*, *cum faciendis indumentis*, *ſtramentis*, *operimentis*, *& cingulis*, *quid cum lavandis veſtibus? & quid ibi pro viris cum Epiſcopo habitantibus Presbiter facit? Præpoſito*, inquit, *tanquam Patri obediatur*, *multò magis Præsbitero*, *qui omnium veſtrûm curam gerit*. *Totum pro Sanctimonialibus eſt hoc*, *quæ ſupra Præpoſitum habebant Presbiterum &c.* Alter autem, nempe Desnojus, ſpecialem, & ex viſceribus cauſæ propugnationem ducturus Eraſmum profert ſic loquentem: *Contextus regulæ arguit*, *ſolis fæminis eſſe ſcriptam*, *nonnullis enim immutatis accomodârunt viris*, *quæ pro fæminis tantùm ſcribebantur*. *Velut ubi de modeſtia cultûs præcipit fæminis*, *non ſit notabilis habitus veſter*, *nec affectetis veſtibus placere*, *ſed moribus*. *Et alibi: quod ſic pro fæminis diceba-*

Rationes ſententiam contrariam propugnantes nullius ponderis apparent. Et primò quidem ea, quæ regulam fæminis ſcriptam tuentur.

cebatur. In omnibus motibus veſtris non fiat, quod cujusquam illiciat libidinem, pro viris ſic accomodatum eſt, quod cujusquam offendat aſpectum. Item quod præcipitur: ut duo, vel tres ſimul procedant, de lavandis propriis veſtibus, de operando in commune, aliáque permulta, maximè conveniunt fæminis, parùm autem congruunt clericis illius temporis, quorum tum major erat & libertas, & dignitas &c. Addit Deſnojus vim maximam facere in hac regula D. Auguſtinum, ut ſine expreſſa præpoſitæ licentia Epiſtolæ non accipiantur &c. *præclarè* inquit, *quidem pro mulierculis, ac puellis, quarum ſemper magnum imminet caſtitatis periculum - - - ſed pro viris, non video tantam integritatis aleam, nec tam imminens ex Epiſtolis periculum, maximè clericis, quibus ex muniis, quæ circa plebem obeunt, multæ aliæ ad ſalutis jacturam patent viæ.* Subjungit dein de Præpoſito difficultatem jam à Nebridio notatam. Denique ait: quòd *in calce regulæ alludat D. Auguſtinus ad formæ ſtudium, ſpeculum, odores, quibûs fæminarum genus peculiariter delectatur &c.* certè ait Eraſmus, *nihil eſt in hac regula pro viris, quod cum fæminis non poſſit eſſe commune. At quàm multa erant præſcribenda, de Presbiterorum, Diaconorum, Concionatorum officiis, ſi regulam clericis ſcribere voluiſſet Auguſtinus.*

Dimiſſo textu in regula fæminarum de ſtramentis, operimentis &c. aſſuto. Monſtratur Clericos operibus manuum vacâſſe.

Reſpondeo, ſupponóque ex dictis, atque probatis regulæ pro fæminis ſcriptæ textibus illis, ſtylum Auguſtinianum ne quidem ſapientibus, nihil planè deferri poſſe, quidquid ex iis, ſeu Deſnojus cum Eraſmo, ſeu Nebridius conantur demonſtrare: vide, & confer ſecundùm regulas criticas ſtyli dignoſcendi apud Amortium noſtrum, in ſua Philos. p 676. Elemento 6. circa phraſes 17. circa voces. 19. circa juncturam partium orationis. 23. & 24. circa harmoniam partium, & deprehendes diverſitatem ſtyli rectè in iis, quæ in regula virorum abſunt, & alteri fæminarum reperiuntur inſerta. Ut adeò his immorari nè quidem dignum æſtimemus, ipſis incumbit adverſariis oſtendere, textus illos in regula fæminarum apertos non adſcititios eſſe, quos tamdiu tales credemus, quamdiu ex regula critica ad oculum habemus ſtyli diſcrimen, diſſonantiam Phraſium, ac partium juncturam (alióquin ſemper in ſuis Epiſtolis obſervari à S. Patre ſolitam) omninò deficientem inter Epiſtolam illam 211. & mox ſubjectam regulam. Hîs igitur ſicut clarè jam probatîs, ita pro certo ſuppoſitis, repono ad primum: id operum clericis in regula injunctum, quod tunc operandum clericis conſuetum fuit. Scire amas, quid ergò operari eos operteret? ex Auguſtino monſtrabo. Quærit ille L. de opere Monachorum, an qui Evangelium annuntiavit, cogatur operari, quod dum multîs deducit, reſolvit, miniſtros Evangelii cogi non poſſe ad operandum; cùm Paulus dicat, Dominum ordinâſſe iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Verùm licèt ex hoc legitimè concludatur, clericis non eam neceſſitatem incumbere, quam Monachis ad comparandum victum, & veſtitum, operibus manuum intendere, expedire tamen hoc illis manifeſtè ex eodem divo Paulo remonſtrat, quem multîs probat, laborâſſe manibûs: *ut* inquit: *ipſe Evangelizans ſine ſumptu ponam Evangelium:* id eſt, inquit S. Auguſtinus, *ut non ſit credentibus ſumptuoſum Evangelium, ne putent ad hoc ſibi Evangelizari, ut id Evangeliſtæ quaſi vendere videantur.* Cùm enim Paulus prædicaret gentibus, jure ſuo vivendi de altari uti noluit: ſed, ut dicere poſſet, ſe nullius argentum, aurum, aut quidquam concupiviſſe, ſuis manibûs ſe tranſigebat, & quæ comparare poterat, iis victum ſibi, veſtitúmque curabat; operabatur manibûs, & tamen Evangelio prædicando non deerat. *Quando autem*, inquit Auguſtinus, *ſoleret operari, id eſt, quibûs temporum ſpatiis,*

ne

ne ab Evangelizando impediretur, quis poſſit comprehendere? ſanè quia & diurnis, & nocturnis horis operabatur ipſe non tacuit. Sicut autem tam Paulo, quàm cæteris Evangeliſtis operari placebat, non tantùm, ut, quemadmodùm dictum eſt, gentibus debitores non eſſent, aut ſuſpicionem ſuppeterent, quaſi Evangelium nundinarentur, ſed etiam ne otiô, aut pigritiâ diffluerent: ſic Auguſtino non ſolùm animo erat, Monachis opera manualia perſuadere, verùm etiam clericis. Audi, quid in eodem libro ipſe dicat. *Dicet aliquis* (verba ſunt Auguſtini) *quid ergo prodeſt Servo Dei, quòd, prioribûs actibûs, quos in ſæculo habebat, relictis, ad hanc Spiritualem vitam, militiámque convertitur, ſi enim adhuc oportet tanquam opificis exercere negotia? quaſi verò* (reſpondet huic objectioni S. Pater) *facilè poſſit verbis explicari, quantùm proſit, quòd Dominus diviti Conſilium capiendæ vitæ æternæ requirenti ait, quid faceret, ſi vellet eſſe perfectus ut venditis, quæ habebat, & indigentiæ pauperum diſtributis, eum ſequeretur. Aut quis tam expedito curſu ſecutus eſt Dominum, quàm ille, qui ait, non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboravi, qui tamen opera iſta præcepit, & fecit? - - - - quam ob rem etiam illi, qui relicta, vel diſtributa, ſive ampla, ſive qualicúnque opulenta facultate, inter pauperes Chriſti pia, & ſalubri humilitate numerari voluerunt; ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant (quanquam eis tam magnum animi ſui documentum afferentibus, & ejuſdem ſocietatis indigentiæ, de his rebus, quas habebant, vel plurimum, vel non parùm conferentibus, vicem ſuſtentandæ vitæ eorum res ipſa communis, & fraterna charitas debeat) tamen, ſi & ipſi manibûs operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore venientibus auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm, cùm omnia ſua indigentibus diviſerunt. Quod quidem ſi nolunt, quis audeat cogere? quibus tamen invenienda ſunt opera in monaſterio, etiam ſi à corporali functione liberiora, ſed vigilanti adminiſtratione curanda, ut nec ipſi panem ſuum, quoniam jam communis factus eſt, gratìs manducent: nec attendendum eſt, in quibus Monaſteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus, quiſque id, quod habebat, impenderit, omnium enim Chriſtianorum una reſpublica eſt:* Hæc Auguſtinus, nec de una ſpecie Monachorum, ſed de omnibus relicto ſæculo Chriſtum ſequentibus locutum fuiſſe, contextus ipſe ſàtis demonſtrat, inſinuátque omnibus monaſteriis hanc debere eſſe conſuetudinem, adeóque, & clericalibus, ut *dum ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant*, labore aliquo ſe occupent conſtituti in eo religioſi. Hinc ipſe de ſe teſtatur confirmátque mox dicta: *Dominum JEſum teſtem invoco ſuper animam meam, quoniam, quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantùm in benè moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibûs operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de Divinis litteris agendum liberas: quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati.* Quòdſi Auguſtinus optabat ùt Epiſcopus, nec indignum credebat munere ſuo, manibûs operari certìs horis per ſingulos dies, & quidem quantùm in benè moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, an continuò, ut hujus puncti gratiâ abnegare regulam Auguſtinianam clericis poſſimus, aſſeverandum erit, ſolum hujus ſancti viri monaſterium non tam benè moderatum fuiſſe, ne in eo aliquis Clericorum manibûs operaretur. Et quid hæc non convenire clericis illius temporis adſtruitur? *Quorum tum major creditur fuiſſe, & libertas, & dignitas*, ſanè dum hæc Deſnojus ex Auguſtini ætate metiri conatur, ipſe ſe eorum temporum ignarum arguit. Quæ enim, quæſo, tunc Clericorum in monaſteriis viventium libertas, & dignitas? ut iis regulæ punctis ſubiici aut nequirent

aut

aut nollent, quibus nunc omnes hujuſce Profeſſores ſubijciuntur? an enim major in paupertate libertas, aut in converſatione regulari laxitas, aut in morum corruptellâ temeritas olim, quàm nunc, & quidem in Auguſtini monaſterio extitit? dum ipſe diſſertè dicit: *Credo ante oculos veſtros eſſe converſationem noſtram, ut & nos dicere fortâſſis audeamus, quamvis illi multùm impares, quod dixit Apoſtolus, imitatores mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti, & ideò nolo, ut aliquis de nobis inveniat malè vivendi occaſionem: Providemus enim bona, ut ajt idem Apoſtolus, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis.* Dein enarrans exactiſſimam ſuorum paupertatem aſſerit: *Omnes fratres, & clericos meos, qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patrit um nepotem meum tales inveni, quales deſideravi.* Nempe, ùt anteà dixerat, *ut nemo ſibi haberet aliquid proprium.* Denique ſubjungit, & quidpiam de diſciplina regulari, illud nempe: quod neceſſe erat ex ipſa regula ſua memorare populo, ut ſcirent, quid eos quoque ex inſtituto præſcriptæ à ſe regulæ reſpiceret; ne obſervantiam religioſam turbarent, *exhortor*, inquit, *vos fratres mei, ſi aliquid vultis clericis dare, ſciatis, quia non debetis quaſi vitia eorum fovere contra me, omnibus offerte, quod vultis, offerte de voluntate veſtra, quod commune erit, diſtribuetur unicuique, ſicut cuique opus erit.* Hæc ad eam legem reduxit, ubi inquit: *Conſequens ergò eſt, ut etiam cùm quis ſuis filiis, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum ---- in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit prabeatur.* Ultrò. *Si fortè in noſtra domo, vel in noſtra ſocietate æger eſt aliquis, vel poſt ægritudinem, ut neceſſe ſit eum ante horam prandii reficere, non prohibeo religioſos, vel religioſas mittere eis, quos eis videtur, ut mittant, prandium tamen, & cœnam extra nemo habebit.* Hoc punctum ad caput tertium de jejunio, & refectione reflexit. Itaque Auguſtini clericis tantâ diſciplinâ, & morum integritate reſtrictis injuriam infert, qui libertatem affingit.

Cap. 7. n. 7. seq.

Nec minùs, quod de dignitate prætenditur, in Clericis Auguſtinianis procul abfuiſſe comperitur: nam longè in aliis dignitas clericalis, atque Cathedralis olim ſuſpiciebatur conſiſtere, quàm nunc: dum dignitas iſta aliter defendi vix creditur, niſi morum, converſationis, & corporis mollitie, otiô, atque vanitate, longè hæc abfuêre ab Auguſtini Clericis: Unde, & ad Hilarium Syracuſanum ſcribens ſanctus Præſul, cùm n. 38. laudâſſet operantes manibûs ſuis excellentiora Chriſti membra, his dein non ſolùm ſeipſum, ſed & clericos ſuos annumerat: *Ad hoc propoſitum*, inquit, *quantis poſſum viribûs alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt.* Ep. cor. ed. 157.

Hinc denique Thomaſſinus annotavit de ſæculi quarti, quintíque Clericis, dixítque: *Quamquam nulla lege, nullôq́ neceſſitatis vinculô ad opus manuum clerici obligarentur: plurimi tamen eorum in eam laudem incubuêre ſuâ ſponte, tantôque majore gloriæ proventu. Si ex opere, & labore manuum ſibi quoque gloriam ingentem peperêre Monachi, laicique fideles, id illi nec ſecuti, nec conſecuti ſunt, niſi exemplô, & imitatione Apoſtolorum, hoc eſt, principum cleri. Itaque non exemplô Monachorum clerici ad operandum manibûs illecti ſunt; ſed exemplô potiùs cleri diutiùs ante in eam laudem praeuntis, & Monachi, & Laici eam perfectionis ſemitam arripuêre, nemo ſanus ſibi perſuaſerit ad imitationem Apoſtolorum vehementiùs exæſtuâſſe Laicos quàm Clericos. Optimè convenit dignitati, & decori clericatûs cum iis artibus omnibus, quæ tantò honeſtiores, & liberaliores ſunt, quantò earum, & utilitas major eſt, & neceſſitas* P. 3. l. 3. c. 9. n. 11 & 2.

ſitas ad omnia vitæ præſidia. Si eas aſpernabiles, vileſque exiſtimant, qui gloriâ ſæculi ſuperbiunt: quibus plerúmque vilis virtus, in pretio, & honore vitium eſt; eo argumento plùs ſatis conſtat, quàm nullum ij honeſti, nullum decoris ſinceri guſtum habeant. Hæc vir iſte eruditiſſimus, ex quo Deſnojus colligat, quid contra opera manuum in clero Auguſtini aſſertum, libertatis, & dignitatis clericalis prætenſione evincat.

Verùm ubi ſimpliciter Clericos Auguſtini operibus manuum vacantes probavimus, ſupereſt, ut modum, qualitatémque monſtremus. Duplex ſuperiùs Clericorum monaſterium ab Auguſtino conſtitutum oſtendimus, in uno novella erat plantatio, & ùt plurimùm eorum, qui ad miniſteria Eccleſiaſtica ritè aliquando obeunda erudiebantur. In altero conſiſtebant in ſacris jam initiati; quamvìs & alios fortè adhuc conſociatos fuiſſe, planè negari non poſſit: nam ubi dixit Auguſtinus ſer. 2. n. 3. *Nuntio ergo vobis, unde gaudeatis. omnes fratres, & clericos meos, qui mecum habitant, Presbiteros, Diaconos &c. tales inveni, quales deſideravi.* Sic explicari poteſt, ut, quos fratres, & Clericos omnes nominavit, quoſcunque ſub ſua cura (utriusque monaſterii ſcilicet) intelligeret; at dum dein peculiari enumeratione ſolos Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos deſcripſit, id faceret, non deſcendendo ad minores, quòd illi præcipuè plebem reſpicerent, utpotè miniſteriis publicis jam deputati, econtrà iſtorum intra clauſtri penetralia viventium mores, vitaque modicùm adhuc attineret ad vulgum paræcialem, ut de eorum converſatione ratio redderetur; maximè, cùm horum multi nec annum ætatis attigiſſent, ut ſuis renuntiarent. Omnes hos Clericos tam majoris ſcilicèt, quàm minoris monaſterii, eadem regula dirigebat, priùs tamen iſtos, quàm illos, iſtis certa opera quotidiana determinatarum horarum ſpatiô potuiſſe injungi, imò injuncta fuiſſe, non video negandum ex allatis principiis; hæc opera, quænam fuerint, quamvis pro certo allegari nequeant, exiſtimo tamen talia, quæ communiter in monaſteriis fuêre ſolita; ùt ſunt librorum deſcriptiones, hortorum cultura, ſaltem, quæ leviori operâ in iis peraguntur, qualis eſt ſarculatio, ſeminatio, plantatio arborum, deputatio germinum, ac ſtolonum, fructuum, florum, ſeminum collectio. Dein rerum domeſticarum proviſio, qualis eſt culinæ, cellàrii, veſtiarii quoque, nempe ipſarum veſtium nova, veterum locò, ſubſtitutio, ac reparatio, infirmarii, ac dormitorii cura, conſervatióque &c. quæ omnia certos labores, ac opera manualia expetebant, neque dicas Auguſtinum in regula, dum ait: *Ut nullus ſibi aliquid operetur; ſed omnia opera in unum fiant:* non qualecunque opus mox deſcriptum, ſed intelligere expreſsè mechanica, qualia ſunt, Sartorum, Sutorum, Textorum, Patagiariorum, & ſimilium, quæ certè Clericos dedecere videntur, maximè Cathedrales illos in Epiſcopio, cum ſancto Auguſtino habitantes. Reſpondeo primò, neutiquam ullum horum operum dedecuiſſe etiam Cathedrales Clericos, ſi modò legamus Hilarii Arelatenſis acta, ubi vitæ ſcriptor ait: *Cùm primùm ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſeipſo primùm monſtravit, quemadmodùm congregatio mundum contemneret, corpus deſpiceret, laboribûs fatigaretur, manuum quoque operibûs continuis veſceretur &c. manducandi neceſſitas incumbit, ſemina jaciamus, vini perceptio præſumenda eſt, vineas excolamus.* Unde & Gennadius dicebat de eodem S. Hilario: quòd ipſe, jam ùt Epiſcopus, pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas, homo genere clarus, & longè aliter educatus exercuerit. Et ne dubitemus congregationem iſtam clericalem fuiſſe, qualem extra omnem ambi-

L. de Scriptoribus Eccl.

Digitized by Google

ambiguitatem vir rerum hiſtoricarum periciſſimus Thomaſſinus agnoſcit,
P. 3. l. 3. c. 9. n. 7. dum ait: *Hilarius Epiſcopali ſede decoratus, exemplô ſuô Clerum omnem ſuum adduxit, nempe communis vitæ ſocietate ſibi devinctum, ut ſacris altarium functionibus laborem adjiceret manuum, & operis ſui proventibûs pauperes ſuſtentaret.* Jam alibi oſtendimus, quantus Auguſtini imitator Hilarius fuerit, & ſuæ doctrinæ æmulator percupidus: quia ergò ſciebat Auguſtinum in pauperes liberalem, ut, cùm aliquando Hippone negotiô Eccleſiæ, propriâque infirmitate impeditus abeſſet, litteris Clericos ſuos argueret, de omiſſa pauperum cura: *Nuntiatum,* inquit, *eſt mihi, quòd morem veſtrum de veſtiendis pauperibus fueritis obliti, ad quam miſericordiam, cùm præſens eſſem, vos exhortatus ſum, & nunc exhortor, ne vos vincat, & pigros faciat contritio hujus mundi &c.* Videtur mihi per hæc verba Auguſtinus non ſolùm ſuorum Clericorum incuſare pigritiam ſpiritualem, quâ miſericordes in egenos eſſe negligerent, verùm & corporalem, quâ requiſita in pauperes dona labore manuum ſuarum procurare ceſſarent: *Morem*, inquit, *de veſtiendis pauperibus oblitos eſſe: de veſtiendis* inquam, non alendis tantùm: hinc credibile, Clericis S. Auguſtini ſuos conformâſſe Hilarium, ut *altarium functionibus laborem adjicerent manuum, & operis ſui proventibûs pauperes ſuſtentarent.*

Reſpondeo ſecundò, tranſmittóque Clericos Cathedrales S. Auguſtini laboribûs Sartoriis, textrinîs, aut ſutrinîs occupatos non fuiſſe, ſolúmq; minoribûs illîs, quos paulò antè enumeravimus, ſe tranſegiſſe; minimè tamen aſſentimur regulæ locum præſignatum ſolos hos ab adverſa parte adductos labores intelligere: quòdſi enim hos labores Auguſtinus per locum iſtum regulæ in ſuis deſideraſſet, ſanè nunquam meliùs, quàm præviè id enuntiare potuiſſet, ubi ajebat: *Veſtes veſtras in unum habeatis, ſub uno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur.* Excuſſores, cuſtodéſque nominat, at de iis perficiendis, ſeu de conſtituendis ſarcinatoribus &c. ne verbum memorat. Deinde, cùm de diſtributione veſtium ex communi, & ſub communibus cuſtodibus qualiumcunque earum depoſitione diſſerit, mox ſubjungit, *ita ſanè, ut nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in unum fiant.* Nempe cautelam apponit, ut ſi fortè, aliquorum ſic infirmitas toleretur, ac diſſimuletur, ut non qualemcunque obviam veſtem (prout aliàs communis diſtributio requireret) ſed eam quis rurſus, ac quaſi ideò jam ſibi peculiarem obtineat, quam ante depoſuerat, inde tamen ſibi eam jam non tanquam particularem operetur, aut vendicet, ſicut nihil ſanè ſibi proprium facere audet, aut ſingulare, ſed omnia opera, id eſt, quidquid agimus manualiter, ſic perficiamus, ut præ omnibus bonum commune attendamus, & pro bono communi laboremus. Innectit planè ſapientiſſimus Legiſlator unum alteri, & ex uno infert aliud, ut ſicut veſtimenta, quæ inter qualiacunque opera noſtra computantur, nobis peculiaria facere non audemus, ita nihil quoque alióquin operemur, quod non primariò proſit, atque tendat in bonum commune. Unde Trullus noſter hunc locum explicans:
Modum, ait, *oſtendit, quò omnia opera* L. 4. ii c. 16. §.
communia ſint facienda, videlicet majori ſtudio, frequentiorique alacritate, quàm propria opera fierent, id quod & Pauli teſtimoniô comprobat, & facilè exponit; quare plurimùm aberrant à vera religione, qui ad communia opera ſunt negligentes, inepti, & triſtes, ad propria verò fortes diligentes, & hilares. Humbertus idipſum exponens in eundem ſenſum coincidit, dum inquit. *Notandum circa hoc, quòd reperiuntur interdum aliqui religioſi, qui ad opera communia modò ſunt impotentes, modò negligentes,*

Digitized by Google

tes, modò queruloſi, & triſtes, ad propria verò fortes, & diligentes, & læti, hoc eſt, quod in loco communitatis, ſingularitatem inducit, ſingularitatis enim eſt, talia ſectari. Eôdem modô explanat hunc textum Hugo, ut inde meritò colligamus, S. Patrem verbis illis: *Ita ſanè, ut nullus ſibi aliquid operetur:* nequaquam vim ſuam poſuiſſe in qualitate, ſeu ſpecificatione operum, ſed in modo operandi, quidquid demum illud ſit, quod agimus, nempe, ut rem comunem magìs curemus, quàm omne id, quod noſtrum privatum comodum reſpicit; hinc nihil omninò ad punctum iſtud regulæ conducit, ſeu opera manualia, ſeu purè mechanica, ſeu litteraria, ſeu etiam interna ſint, omne enim operabile per iſtud ad bonum commune, non privatum præ illo, curandum dirigitur. Quod verò cùm ita ſit, patet, quàm prudenter hac regulæ diſpoſitione ipſi quoque Cathedrales Clerici ab Auguſtino informati ſint.

Neque rursùs opponas clericis majoribus operum iſtorum qualemcunque ordinationem præſcribi non potuiſſe, eò quòd continuis excurſionibûs diſtenti talibûs diſtrictionibûs occupari nequiverint. Excurſiones enim iſtas neutiquam adeò continuas fuiſſe facillimè reperiet, qui vel unicum illud Poſſidii accuratiùs perlegerit: *Cum ipſo ſemper clerici, unâ etiam domô, ac menſâ, ſumptibûsq; communibûs alebantur, & veſtiebantur, & ne quiſquam facili juratione etiam ad perjurium decidiſſet, & in Eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituerat, ne quis juraret, ne ad modicum quidem. Quòdſi prolapſus fuiſſet unam de ſtatutis perdebat portionem. Numerus enim erat ſuis ſecum commorantibus, & convivantibus poculorum præfixus. In diſciplinationes quoque, & tranſgreſſiones ſuorum à regula recta, & honeſta, & urgebat, & tolerabat, quantûm decebat, & oportebat &c.* Item, dum de converſione Firmi Manichæi narrat, ait: *Intra Monaſterium ſedente S. Auguſtino coram nobis, ad pedes ejus genibûs provolutus ſeſe jactavit &c.*

In vita ap. Sur. n. 25.

Ex his, & ſubſequentibus patet omninò, Clericos S. Auguſtino cohabitâſſe non ſolâ menſâ, ſed & perdiù, atque cum diſciplina regulari, quidquid Deſnojus dicat contra Pennotum, Poſſidium per regulam rectam, & honeſtam non intellexiſſe regulam noſtram, ſed ſolam regulam honeſtatis, quam aliàs normam rectè agendi, aut ſynteresim appellamus. Admiſſa enim hâc Deſnojanâ explicatione, non excluditur opinio illa, quâ aſſeritur, etiam per regulam propriè talem Clericos ſuos Auguſtinum rexiſſe, quia indiſciplinationes, & tranſgreſſiones, de quibus Poſſidius, plùs inſinuant, quàm ſolam regulam honeſtatis, involvúntque ſimul certum, & peculiarem modum vivendi præſcriptum, aliàs non dicerentur indiſciplinationes, & tranſgreſſiones, ſed peccata, quæ ſunt quidem tranſgreſſio legis graviter, aut leviter prohibentis, ſed legis Divinæ, non religioſæ, id eſt, regulæ, contra quam violatam, propriè, ac ſimpliciter dicitur, indiſciplinationes, ac tranſgreſſiones fieri, colligitúrque ſatis Poſſidium non ſolam regulam honeſtatis (prout vulgariter à moraliſtis, aut legiſtis ſumitur) ſed regulam *religioſos homines dirigentem*, intellexiſſe, quid enim aliàs habuiſſent diverſum Clerici Auguſtini à quibuscunque inferioris propoſiti, quos tamen ideò diſtinguit à veris religioſis, quòd hi regulariùs, & ſtrictiùs Deo ſervirent, quàm illi? Igitur Auguſtino cohabitantes clerici, quamvis certis temporibûs occuparentur miniſteriô Divinô peragendô, habebant tamen tempora, horáſque præfixas, quibus ſuæ quoque ſaluti incumbebant, & occupationibûs religioſis domi diſtinebantur: neque enim tota, unáque cura plebis Diœceſanæ clericis imponebatur Cathedralibus, ſed patet ex Epiſtolis S. Auguſtini, in plures Parochias fuiſſe ſuam Diœceſim diſpertitam, quibus Clerici ab

ipſo S. Præſule præficiebantur. Hinc Poſſidius ait, clerum à S. Auguſtino ſufficientiſſimum Eccleſiæ dimiſiſſe; ut adeò, ſicut vir ſanctiſſimus in omnibus diſpoſitionibus ſuis ordinatiſſimè procedebat, ſic provideret tantum clericorum numerum, ut & monaſteriis ſuis clerici non deficerent, & tamen plebi fidelium debita miniſteria divina adminiſtrarentur. Quapropter & ipſas excurſiones, indubium eſt, regulariter fuiſſe à S. Auguſtino ordinatas, quemadmodùm ex regula colligitur cap. 4. ubi ait: *Quando proceditis ſimul ambulate.* Et cap. 7. *nec eant ad balnea, ſive quocunque ire neceſſe fuerit, minùs, quàm duo, vel tres.* Neque in iſtis verbis offendiculum ponendum, nempe: quòdſi viris ſcripta fuiſſet regula, Auguſtinum potiùs alios exitus primariò, quàm *ad balnea* fuiſſe nominaturum: ſcilicet exempli causâ, nec *eant ad Evangelium prædicandum*, aut *ad Eccleſiam*, aut ad *Divina peragenda* &c. *minùs, quàm duo, vel tres.* Reſpondeo enim, S. Patrem conſultò exitum ad balnea præmiſiſſe, ac nominâſſe, nam de exitu ad peragenda negotia ſpiritualia jam ſcimus quid conſtitutum fuerit à SS. Patribus, tum in proviſionibus infirmorum, tum in miniſteriis divinis peragendis, ubi ſemper Presbiteri adjunctum habebant certum numerum clericorum, qui eis aſſiſtebant, in omnibus à ſe licitè adminiſtrandis, conficiendíſque Sacramentis: unde iſta in regula deſignanda non erant, verùm exitus ad balnea, aut alia loca, quò alióquin is neceſſarius fuerat, causis, ſeu forenſibus, ſeu domeſticis expoſcentibûs, cùm aliàs nulla regula preſsè exſtaret, quo ritu in publicum procedere deberent clerici, eundem in hoc regulæ loco declarat, conformiter ad Evangelium: in quo legimus, & Chriſtum diſcipulos ſuos binos miſiſſe, quam doctrinam plerique Religioſi nunc imitantur. Ex quibus demum omnibus liquet, locum illum de labore, de exitu, proceſsúque non ſine teſte in publicum, convenientiſſimè clericis Auguſtinianis applicari. Quæ verò à Nebridio de faciendis indumentis, operimentis, & cingulis, aut à Deſnojo de illicio ad libidinem in regula virorum mutatis verbis dicuntur, ea jam (interpolatione evidenter demonſtratâ) reſolvimus.

Clericis non inconveniens lavare veſtimenta, & quò modò regulæ textus propriè intelligendus? In hunc locum regulæ: Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur ſive à vobis, ſive à fullonibus c. 7.

De lavandis veſtibus, an viris religioſis congruat, ambigi poteſt ab eo, cui minùs cauſa illa (quæ ſub hac Auguſtini lege reconditur) innoteſcit: aſt ego, etſi Monialibus regulam ſcriptam aſſererem, id negare, ob ea, quæ me hac de re legiſſe comperi, nunquam præſumerem. Unus iſthìc nobis Humbertus ſufficiat, nolo enim ob tam leve argumentum nimiùm excurrere, etſi poſſem. Hæc ille, *quia*, inquit, *ſunt aliqui, qui deſignantur hoc facere in propria perſona; addit ſive à fullonibus, condeſcendendo infirmitati eorum.* A vobis, *verò dicit, quia potiùs à fratribus eſt facienda ſemper ea res, vel ſaltem frequenter. Et hoc tribus de cauſis. Primò propter vitandum infirmorum ſcandalum, interdum enim in veſtibus, maximè quæ carni adhærent, inveniuntur immunditiæ, etiam quæ accidunt ſanctis in ſomnis: quaſi res pudendæ ſæcularibus, & maximè, & ſemper mulieribus. Religioſorum eſt enim tanquam perfectorum, cavere etiam à licitis propter ſcandalum infirmorum. Secundò propter majus præmium: Meritum enim ſurgit ex opere proprio, non alieno, quia unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem, ſecundùm Apoſtolum. Tertiò propter humilitatis exemplum; ſic S. Martinus etiam famulo ſerviebat. Hinc eſt etiam, quòd in religionibus approbatis, ipſimet lavant ſcutellas, pedes, capita, nec per extraneos permittuntur iſta fieri, novi ego quendam, qui in ſæculo magnæ fuit Auctoritatis, & vanitatis: qui factus religioſus, obſervatâ horâ, acceptâ aquâ, ibat ad loca ſecreta mundans defædatas ſedes: quid autem mirum, ſi*

hoc

hoc faciunt homines Deum timentes, cùm ipſe Filius Dei laverit pedes diſcipulorum? Non debent ergò aliqui dedignari in religione, ſi imponitur eis, ut lavent indumenta. Hæc Humbertus ſæculi 13. ſcriptor. Quæ ſi Nebridio (cui alióquin lectio non exigua, & eruditio tribuenda) occurrêre, cùm iſta ſcriberet, mirum, quòd lavare indumenta adeò inconveniens clericis religioſis judicaret, & quidem S. Auguſtini, quos non minori certè niſu Pius Pater *humilitatem* amplecti exhortabatur, quàm Dioſcorum illum hominem ſæcularem, cùm ei ſcriberet, ut huic ſe tota pietate ſubdat; nec aliam ſibi ad capeſſendam, & obtinendam veritatem viam muniat, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum, tanquam Deus, vidit infirmitatem. *Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties,* inquit, *interrogares, hoc dicerem; non quòd alia nōn ſint præcepta, quæ dicantur, ſed niſi humilitas omnia quæcunque benè facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita, cui adhæreamus, & impoſita, quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia. &c.* Profectò ſi Windeſemenſes noſtros Canonicos obſervo, qui prima Apoſtolorum, ùt Buſchius teſtatur, atque Auguſtinianorum Clericorum veſtigia premere ad amuſſim conabantur, non ſolùm horum veſtimentorum lavacra, ſed longè viliora video exercuiſſe ſervitia. Et quid? dum Nebridius ipſe Epiſt. 36. ad finem ſtupenda adfert humilitatis, & abjectionis religioſæ exempla etiam ab ipſis Archiepiſcopis patrata; ſtupeo vehementer ab eo longè his faciliora clericis S. Auguſtini denegari: aut certè, cùm iſta inducit, vel ipſos Canonicos ſuos ab imitatione tantæ virtutis eximit, quòd nolit leviores humilitatis actus, quales ſunt propria lavare veſtimenta, in eorum primis reformationis Auguſtinianæ Patribus reperiri. Nos tamen, & in hoc aliquid dimittamus; ut ſi etiam clericos Auguſtinianos ab iſto humilitatis labore abſolvimus, hunc contextum viris ſcriptum probemus. *Indumenta,* inquit, *veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur, ſive à vobis, ſive à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus.* Finis ergò principalis hujus qualiſcunque legis eſt conſiderandus, qui non in perſonis ad lotionem deſignandis ponitur, ſed in modo, ideò diſſertè adjicitur, ut hæc lotio veſtium fiat ſecundùm arbitrium Præpoſiti. Huic, ùt aliàs docuimus, incumbebat cura tam interiora, quàm exteriora neceſſaria corporis reſpiciens: ideóque ejus arbitrio relinquitur, quando veſtes lavandæ, ac mundandæ ſint. Hinc Trullus noſter: *Lavare veſtes jubet, idque, vel ab ipſis fratribus, vel à fullonibus, eóque tantùm tempore, quod juxta Præpoſiti arbitrium fuerit aſſignatum, eò quòd immodicus veſtis mundæ appetitus interiores animæ ſordes, quæ multò fœdiores, turpioréſque ſunt, contrahere ſolet.* Ex quo diſcimus, cavere præcipuè hac lege ſanctum Patrem voluiſſe, nimium nitorem, ac cultum; nam, cùm clerici ejus veſte clericali tunc ſolitâ candente incederent; prætereà, velut ex ipſo S. Auguſtino diſcimus Epiſtolâ ad Sapidam, afforis tunicâ lineâ tegerentur * hæ genuinæ veſtes, cùm facilè quotidianô uſu ſordeſcerent, lotione quandóque egebant, verùm ne iſta nitoris potiùs, quàm honeſtatis ergò quæſita, dum ſordes averteret corporis, immunditiam ſuperbientis mentis contraheret, modum à Præpoſito obſervandum in lavandis his veſtimentis præſcripſit. Dum igitur inquit: *Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur ſive à vobis, ſive à fullonibus:* Libertatem reliquit in deſignandis perſonis, ut in hoc nullum præceptum poneret, ſed conſuetudinem admitteret, qualiſcunque illa eſſet, ſeu laventur ab ipſis

Ep. 118 n. 22.

In Chron. ſuo l. 1.

L. 4. in cap. 16. reg. f. 691.

* T. 2. ep. 263. Vide etiam Cangium verb. *Tunica* ubi aliquot exemplis docet, per eam intellectam fuiſſe veſtem Clericorum propriam.

ipſis religioſis, ſeu ab extraneis, atque ad hoc opus deputatis, ſcilicet fullonibus. Præterea, cùm ajt, *ſive à vobis*, etiam iſtud metonymicè edicere potuit, ut non tam ipſos clericos, quàm quos ipſi ſub ſe ſervos habuerant, notaret, quales ſermone poſteriori de vita, & moribus clericorum commemorat, dum de Eraclio loquitur: *Aliqui ſervuli*,
N. 6. v. 10. inquit, *ei reliqui fuerant, jam pridem in monaſterio viventes, quos tamen geſtis Eccleſiaſticis manumiſſurus eſt hodie:* Sic Exod. 49. dicitur *lavent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium*, certè hæc lotio non prætendebatur, ut fieret ab unoquoque ex populo, ſed ſuffecerat, ſi mulieres, & ad hoc obſequium deſtinatæ perſonæ laverint illa. Unde, ſi etiam admittamus lotionem clericis tanquam minùs congruam præceptam non fuiſſe, legem tamen iſtam, proùt totum contextum complectitur, eisdem optimè, prudentiſſiméque traditam apparet, perpenſâ obſervatione noſtra, quaſi nimirum dicere voluerit: *Laventur ſive à domeſticis curæ veſtræ deputatis, ſive ab extraneis ad tale opus deſtinatis operariis, quales fullones ſunt.* Nunc ubi Deſnojus, aut per eum potiùs Eraſmus, modeſtiam cultûs præceptam, inhibitum notabilem habitum &c. ſugillat, mirandum eſt, neutrum ſe ad verba Hieronymi reflexiſſe: ſcribit is ad Oceanum, aítque:
Ep. 54. *Si lector, ſi Acolythus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte, ſed moribûs; nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur.* Et ad Euſtoch. *Omnis his*, inquit, *cu-*
De cuſtod. Virg. *ra de veſtibus, ſi benè oleant: ſi pes laxa pelle non folleat. Crines calamiſtri veſtigiò notantur, digiti annulis radiant: & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris ſponſos magis exiſtimato, quàm clericos.* Nec minùs Concilium Carthaginenſe quartum. Can. 45. ſtatuit: *Clericus profeſſionem ſuam, & in habitu, & in inceſſu probet, & nec veſtibûs, nec calceamentis decorem quærat.* Cujus ſicut Auguſtinum nemo dicere auſit ignarum fuiſſe, ita ſuæ regulæ idipſum inſeruiſſe, quis improbabit?

Etiam viris graviter inhibitum occultè Epiſtolas, aut munera accipere.

Ultrò: Quod Nebridius de Presbytero, Præpoſitóque objicit, quia jam latiſſimè ſuperiùs diſcuſſimus, lectorem eò remittentes ad alia divertimus: nempe ne ſine Præpoſitæ expreſſa licentia Epiſtolæ accipiantur &c. ùt iterùm occurrit Deſnojus cum Eraſmo ſuo: ergò exiſtimant hi vanam viris hac lege cautelam imponi, nimíſque delicatam; utpotè quibus multæ aliæ (eæque longè graviores) ad ſalutis jacturam pateant viæ, maximè clericis. Verùm hac de re Humbertum audiamus: *Signanter dicit vir ſanctus, ſi in tantum progreſſus fuerit malum, innuens: quòd eſt non leve malum, ſed magnum valdè, ſi Religioſi aliquid illicitè accipiant, id eſt, ſine licentia, quod vocat occultè fieri, quia fit ſine licentia Prælati, quanquam autem hoc ſemper ſit vitandum, & tanquam malum cavendum; tamen ſpecialiùs cavent viri ſancti à litteris, & munuſculis accipiendis à mulieribus, & ideò dicit Hieronymus: dulces litteras, & crebra munuſcula ſanctus amor non habet. Hujuſmodi enim olent amantium ſtultum amorem, & ſunt ſpecies mali, à qua cavendum eſt ſecundùm Apoſtolum. Item per hæc inſpecta reducitur mulier ad memoriam: per quod ſolet ſanctos Diabolus infeſtare &c.* Non igitur leve malum cenſendum eſt, quô carnalis alieni ſexûs amor aquiritur atque nutritur: tales enim aphrodiſiæ litteræ plerúmque conſequuntur aſpectum, & figentem in fæminas oculum, quæ dum ſanctus Pater adeò graviter reprehendi jubet, graviori certè malo ſubijcit ipſas litteras, quibûs venerea concupiſcentia jam in actum prodit. Eundem verò has maximè litteras notare, docemur ex Corbejenſi codice, mille (ùt ajunt, teſtantúrque Editores) annos præſeferente, adeóque exemplari, quod nunc exſtat, vetuſtiſſimô: in eo verò diſſertè dicitur: *Quicunque autem in tantum &c. ut occultè ab aliqua* litteras &c. hæc

hæc *occulta* litterarum, & quidem *ab aliqua* acceptio duplicem evidenter malitiam arguit, primò, quòd occulta, adeóque graviſſimè ſuſpecta, nam, út inquit, Job 24. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginem.* Nunquam enim virtus horret apricum, latebras vitium quærit. Secundò, quòd *ab aliqua*, ſi enim omnium Doctorum calculo cavetur graviſſimè, ut quiſque religioſus, imò non ſolùm religioſus, ſed quiſque clericus devitet, quantùm poteſt, vana cum fæminis colloquia, ſic quidem, ut monente Baſilio: *Ubi nos etiam ipſa neceſſitas ad id adegerit, ab ipſis non ſecùs, atque ab igne cavere oporteat: adeò, ut quàm ocyſſimè nullâ morâ ab iſtis nos extricemus.* Quid gravius, & periculoſius, quàm cum mulieribus ludere Epiſtolarum familiaritate, atque confidentiâ. Etſi enim nulla exſtet occaſio, hoc litterarum comerciô in actum prohibitæ carnalis converſationis excedendi; an graviſſimi tentationum ſtimuli non ſufficiunt? ut expoſitâ, ac repetitâ talium litterarum lectione animus fornicetur, imò polluatur, & corpus. Qui ſanus eſt, & mille novit pericula caſtitatis, apprehendet omninò, quàm providè, juſtéque magnum malum dixerit Auguſtinus, litteras ab aliqua occultè accipere, ſi enim juſtæ, ſi piæ, ſi ad virtutem compoſitæ forent, cur accipiantur *occultè?* id eſt, non ſolùm ignorante, ſed (ſi nollet) invitô ſuperiore.

Cap. conſtit. monaſ.

Cæterùm ſiquis opponat, ſanctum Patrem hoc contextu neutiquam litteras, aut quodlibet munus ab aliqua, ſed ab aliquo accipiendum inhibuiſſe, licèt enim Corbejenſis codex vocem *ab aliqua* præſeferat, ſtandum eſſe omnibûs potiùs reliquîs exemplaribûs, quæ univerſim *ab aliquo* inſertum habent, proùt ille ipſe, quem ſuprà citavimus annô 1489. operâ Martini Flach impreſſus, & præfigens regulæ titulum: *Incipit regula Auguſtini Epiſcopi de communi vita Clericorum.* Reſpondeo verum eſſe, omnes impreſſos libros referre, *ab aliquo*, & hunc ipſum, quem nos citavimus; at hoc errore librarii faciliùs obtingere potuit, quàm, ut in toto titulo deviaret. Dum autem nobis laborem non faceſſit, etſi hanc quoque vocem admittamus, non multùm in ea cum adverſariis velitabimur: Nam, ſi etiam Auguſtinus preſsè viris ſcripſit, magnum malum exaggerans occultè *ab aliquo* litteras, vel quodlibet munus accipere, id nullátenus regulam viris minùs ſcriptam evincet; Etenim præmiſsîs hîs verbîs: *Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, vindicandisque peccatis diligenter, & fideliter obſervetur*, ſatis indicat, ſe à ſingularitate unius corripiendi vitii, jam ad generalem legem ponendam tranſire, & qui hactenùs libidini per peculiares præceptiones metam, frænúmque poſuit, nunc ad aliud malum non minùs religioni (imò magìs, quàm omnem hactenùs deſcriptam oculorum temeritatem) impediendum, caſtigandúmque procedere: ideò præmiſit verba illa: *etiam in cæteris inveniendis:* ut iterum tranſitionem ſtatueret ad novam ſpeciem mali avertendam. Quæ verò illa? niſi quam in perdito filio ſuo Januario deploraverat; unus ille principalis penè cauſa fuiſſe videtur, duplicis ſermonis à ſe plebi Hypponenſi expoſiti de moribus, & vita Clericorum, ut unius tam graviter delinquentis malitiam à cæteris innocentibus paternâ ſolicitudine dimoveret. Ideò pro tertio ſermone regulam adjectam indubitatè ſupponimus, ut iſtâ monſtraret toti vulgo, quâ diſciplinâ vivere juberentur: ideò quoque hoc punctum (novi vulneris dolore ſauciatus) aliquantò acerbiùs proponit, *tantúmque*, id eſt, tam grave malum nuncupat, *litteras*, aut *quodlibet munus* occultè accipere, ut cunctis inſinuet, quàm ſolertiſſimâ circumſpectione

ne omnem etiam ſpeciem habendi proprii hac lege abolere contendat.

Moveri ad hanc legem prohibendarum litterarum occultè accipiendo poterat per caſum Januarii, haud dubiè occultis litteris heredes [contra votum ſuæ expropriationis], inſtituentis.

Legat jam, qui nobis adverſatur, ſermonem priorem (quia non vacat eundem totum hìc tantâ prolixitate inſerere) legat, inquam, & obſervet, quantùm pius Pater adverſùs proprietarium illum Januarium intonet: *teſtamentum; inquam, fecit Presbiter, & ſocius noſter, nobiſcum manens de Eccleſia vivens, communem vitam profitens, Teſtamentum fecit, hæredes inſtituit. O dolor illius ſocietatis, O fructus natus, non de arbore, quam plantavit Dominus! &c.* ait autem, quòd hæredes, non hæredem inſtituit, in eóque præter Eccleſiam etiam alios (excluſô filiô, & filia, quas habebat) hæredes ſcripſit, prætereà *diù tanquam de ſuo jurans, quia ipſius erat, non filiæ: diù*, id eſt, longè ante mortem: at cui juravit, ſuum eſſe, non filiæ? profectò non Auguſtino, nec clericis ſodalibus ſuis, alióquin non diceret Auguſtinus: *Remanſit illi quædam pecunia*, id eſt, argentum, *quod diceret eſſe filiæ ſuæ &c. factum eſt, ut ipſum argentum quaſi puellæ ſervaretur* &c. ergò Auguſtino, ſocietatíque ſuæ religioſæ pecuniam tradidit quaſi filiæ ſuæ, ſed aliis, id eſt, hæredibus juravit eſſe proprium ſuum, quis ambigat hanc occultam malitiam hæredes conſtituendi occultis litteris fuiſſe peractam? Similia enim occulta commercia (dum colloquiis plerumque diffiditur) litteris peraguntur. Non meminit Auguſtinus, an *Teſtamentum* Januarii *ſcriptum*, ipſe, ſuíve, poſt mortem ejus repererint; an ſibi ab iis extraditum ſit, quos dixit hæredes: ſcriptum tamen illud fuiſſe, certum eſt, alióquin non ſubdidiſſet Sanctus illud: ſed *Eccleſiam ſcripſit* hæredem, profectò, ut teſtamentum ſcripſit, ſic occultâ colluſione ſua per litteras arcana Conſilia Januarium compluribus revelâſſe, Auguſtinus prudenter ſupponere potuit: atque aliundè perſpiciens, quanta mala cauſare in communi ſocietate valeant occulta Epiſtolarum commercia, & præter illas recepta munera; legem iſtam eò nervoſiùs ſtatuit, culpámque exaggeravit, quò recentiori fatô expertus eſt in Januario, in quam extremam malitiam hæc ipſa perducant: addit ad rem noſtram non ineptè Caramuel. dico, inquit, *vix majora eſſe in cœnobiis pericula, quàm quæ ex litteris orta. Quà homo non poteſt, tranſit charta, quando ille audiri nequit, hæc legitur, & quoties aut tangitur, aut aperitur, toties nocere poteſt.* Et ſi tam levis eſſet litterarum receptio, cur non minùs idipſum D. Benedictus ſuis cap. 54. inhibuit? *Nullatenùs*, inquit, *liceat Monacho nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi invicem litteras, aut Eulogia, vel qualibet munuſcula accipere.* At inquis, id præceptum Monachis eſt, alia certè attenditur ratio clericorum, quibus iſta eò minùs vetantur, quò magis inter homines vivere coguntur. Verùm clericis, quibus ſua clauſtra, regularíſque diſciplinæ limites (ùt in Auguſtini monaſterio obſervatum) ſtatuebantur, ea dignè inhibebantur commercia, quæ tantò fuêre periculoſiora, quantò ſuppeditante, & conceſſâ licèt apertâ converſatione, ſua occultatione denotabant ſe eſſe malitiæ gravioris. Verbô: inſinuat hìs univerſim Auguſtinus, quanta ſeveritate præſcindere occaſionem illius malitiæ incurrendæ conetur, quâ ſe æternùm, ſed fruſtra deplorandæ fortaſſis Januarius addixit pænitentiæ. Hinc & in ſecundo ſermone de muneribus conferendis loquens obteſtatur, ne per hoc vitia clericorum ſuorum contra ipſum foveant, ſed quidquid dederint, commune fiat: quod idem eſt, ac, ne quidquam occultè muneris, litterarúmve accipiatur.

Comment. in reg. S. Aug F. 550. n. 1959.

Denique, ut ad ultima Eraſmi objecta deveniamus, opinatur ea, quibûs ad formæ ſtudium, per ſpeculum, per odores, per pulchritudinem Auguſtinus allicit ad regulæ obſervantiam, fæminis pruden-

denter aptari, minimè viris, utpotè quibus graviore pondere rationis, ac veritatis ſint proponenda motiva. Egregiè ſanè iſta, quæ ſi tam facilè regulam fæminis probarent ſcriptam, nunquam aut D. Paulus ipſe (ex quo textum de odore Auguſtinus deſumpſit) aut ſpeculi ſimilitudinem vir ſanctus potuiſſet inducere, niſi fæminis loqueretur. Sed frivola iſta præſtat prudenti diſſimulatione præterire, quàm inutili contentione refutare. At jam opponis cum aliis, aſque, regulam fæminis ſcriptam, ſaltem æquè, ac viris negandam non eſſe, eò, quòd Epiſtola illa 211. nimis apertè tum ob ſui antiquitatem, tum ob ſtyli conſonantiam ſeipſam probet genuinum partum eſſe S. Auguſtini. Fatetur quidem id Pennotus ipſe, ſatiſque ſibi eſt, viris quoque ſcriptam vindicare, ſic enim ille: *eſto*, inquit, *fæminis tradita fuerit*, *quid obſtat etiam clericis in monaſterio cum eodem Auguſtino*, *& ſub illius cura degentibus priùs traditam eſſe?* L. 1. c. 18. n. 2.

Intereà, ùt pauciſſimi ſunt, qui adſtruunt, regulam à S. Auguſtino eſſe utrique ſexui præſcriptam, ſed plerique ex adverſa parte, qui ſolis fæminis, eò, quòd totus contextus mores fæminarum, non virorum informandos reſpiciat; ſic certum nobis, regulam ab origine ſua ſolis viris propriam eſſe voluiſſe S. Auguſtinum, eò, quòd, quidquid fæmineæ illi Epiſtolæ 211. aſſuta regula peculiariter continet, adſcititium, ac interpolatum eſſe ſe ipſo prodat, prout ſuperiùs claré oſtendimus. Certè ſi S. Cæſarius, ſicut Epiſtolam, ita & regulam huic adjectam tenuiſſet, nunquam fragmenta ſuæ regulæ inſerta ex noſtra potiùs, quàm ex fæminea accepiſſet, quod tamen factum à ſe evidenter explanavimus. Cùm verò totus adverſariorum clypeus in una illa firmetur epiſtola, ſatis, ſupérque arenoſô fundamentô oſtenſô, non ſupereſt, quod nos à ſemel concepta, veritatíque maximè conſona opinione dimoveat.

Ultrò cum Coriolano, ejúſque ſequ ecibus dices: Regulam Eremitis, non Clericis ſcriptam præter relata :am à nobis, maximè probare illa ipſa loca, quæ nos ex libro de opere Monachorum citavimus, ex quibus apparet Auguſtinum Monachis ſuis identidem regulæ præſcriptæ memoriam inculcâſſe. Prætereà Cenſores Gregoriani Juris Canonici, à nobis ſuperiùs citati, ajunt in regula (quæ pro tertio ſermone de communi vita Clericorum habetur) ad Monachos orationem converti, ergò agnovêre hi viri doctiſſimi regulam ſcriptam fuiſſe Monachis, non Clericis. Denique Monachos quoſdam, & quidem urbanos regulam Auguſtinianam coluiſſe ſæculô quintô, vix controverti poterit ab illo, cui dicto tempore, ratio vivendi Monachorum quorumdam penitiùs fuerit perſpecta. 9. *Neque, Monachis ſcriptam regulam fuiſſe, ulla argumenta evincunt.*

Reſpondeo ad primum: Ex textibus è regula in libro de opere Monachorum repertis neutiquam concludi poſſe eam Monachis ſcriptam fuiſſe, quotquot enim textus ex hoc referuntur, ab Auguſtino conſuetudine ſtyli, non prærogativâ regulæ inducuntur, alióquin certiſſimè ſaltem unô, alterôve locô Monachos ad præſcriptum ſuæ regulæ reflexiſſet, quod tamen ne indirectè quidem feciſſe deprehenditur. In Epiſtola quoque ad Dioſcorum ex ſua regula videtur depromere, dum inquit: *Vitia quippe cætera in peccatis*, *ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt.* In regula ajt: *Alia quippe quæcunque iniquitas malis operibus exercetur*, *ut fiant*, *ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur*, *ut pereant.* Sicut autem nemo dixerit ex hoc concludendum, Dioſcorum regulæ Auguſtinianæ fuiſſe illigatum, ſic malè inferret, qui diceret, ideò hanc eandem regulam ſcriptam Monachis, quòd, quæ in ipſa diſſeruit, paritate occurrentis objecti etiam in libros ad eos ſcripto retulerit. Ep. 118. n. 22.

Digitized by Google

Ad ſecundum dico: Cenſores Gregorianos intelligere potuiſſe Monachos latiùs ſumptos, ſub quorum nomine frequentiùs in jure, *Canonici* comprehendi conſueverunt. Verùm ſi verba cenſorum accuratiùs luſtrentur, apparebit tam in cap. *non dicatis*. Quàm in cap. *nec ſolo*. Nominari Monachas, non Monachos: ſcilicet, dum ajunt, hæc verba etiam in Ep. 109. nunc 211. reperiri, ſed in qua oratio ad *Monachas* convertitur. Nihil ergò à cenſoribus adverſarii pro Monachis extorquebunt.

Demum ad tertium ajo, confirmóque jam dicta, me neutiquam obſiſtere, potuiſſe Monachis urbanis regulam Auguſtinianam obtingere, ídque fortâſſe ipſorum clericorum Hypponenſium ſubſidiô, qui Monachi dein ſuâ induſtriâ ſcholia addidêre, hodiedum in regula (ab Editoribus ſecunda nuncupata) exſtantia. Verùm conſtanter diſſentio eam à S. Auguſtino Monachis, aut Eremitis fuiſſe traditam: nam, ut nil dicam, quòd ipſa multa in ſe vitæ Eremiticæ quaſi incompoſſibilia contineat, de quibus noſter Pennotus cit. locô requirendus. Inſuper nulla ratio ſuadet, ut credamus, Auguſtinum regulam, quam clericis diſertè propriam eſſe voluit, eámque tam generalibus præceptis formatam, Monachis tradidiſſe. Quaſi non tantæ ſagacitatis fuiſſet, ut qui adeò peculiari ſtylô librum ſcripſerat de opere Monachorum; nequiret aut nollet, ſi oportuiſſet, ſingularem, ac inſtituto magìs congruam pro iiſdem Monachis exarare.

Hæc ſunt quæ luculentiùs de regula S. Auguſtini exponere oportuit, ut quibus hac in re debitores eramus, ſecundùm vires, quæ ſuppetunt, ſatisfaceremus. Cæterùm, quia in rebus antiquiſſimis, dum deſunt certa monumenta declarandæ veritatis, conjecturæ adjecto probationum, ac rationum pondere maximam ſuppeditant vim perſuadendi, ac præter ea non minimam prærogativam conferunt authoritates virorum eruditiſſimorum eandem ſententiam propugnantium: duobus Canonicis Regularibus, & uni non ſatìs ſibi conſtanti Eraſmo, doctiſſimos oppono, ac pietate eximios Hugonem à S. Victore, Joannem Mauburnum, Martinum Navarrum, Auguſtinum Ticinenſem, Joannem Trullum, ut nil dicam de clariſſimis noſtri ævi ſcriptoribus ex eodem ordine noſtro. Coriolano verò cum toto Eremitarum ordine aſſerente aut fœminis, aut Monachis Eremitis ſcriptam, quamvìs fortâſſe in concurſu (ùt quibusdam eorum placet) & clericis: totum ordinem ſufficio Prædicatorum, unâ voce, unô calamô cum Thoma ſuo, atque Humberto teſtantium clericis, non Monachis regulam iſtam primigeniam eſſe. His addimus Urbanum ſecundum, Petrum Damianum, Bernardum Clarevallenſem, Robertum Holcot, Robertum Arboricenſem, Robertum Richardinum, totam Academiam Pariſienſem, ſacram Congreg. Conc. quâ Eraſmi hanc de regula opinionem Novitiam periculoſam, & ſuſpectam rejecit, Doctores Lovanienſes, & Paduanos apud Card. Tuſcum, alióſque penè innumeros: inter quos, vel ipſi quoque Editores operum Aug. noviſſimi poſſent recenſeri, niſi (neſcio, quo ducti affectu) maluiſſent ſuppreſſâ illâ veritate (quæ Epiſtolam 211. ex antiquiſſimo documento totaliter à regula ſeparatam exhibuiſſet) aut diſſimulatâ, perſonam talem induere, quâ, ſi parti uni plus fortè favere cenſerentur, ſaltem minùs obeſſent alteri: hinc illa verba. *Inde* (id eſt, ex regula ſanctimonialibus aſſerta) *eam depromptam, viriſque aptatam fuiſſe obſervant præter alios Bern. Vidingus, & Proſper Stellartius, ambo Auguſtinianæ* (id eſt Eremit.) *familiæ alumni, ac noviſſimè vir eruditus Nic. Deſnos &c. Quæ res ut ita ſe habeat, certè jam diu eſt, cùm virorum inſtituendis moribus adhiberi cæpit, quippe perantiquæ*

Ber. l. de præc. & diſpen. c. 5. & 7. Rob. Hol. c. 7. l. ſap. lect. 95. Rob. Arbori l. 2. de cœlib. Robert. Richar. comment. in reg. Cardin. Congr. ap Cruſen. p. 1. c. 20. Card. Tuſcus t. 1. pract. concluſ. 39.

In admon. ad regulam ad ſerv. Dei. t. 1. operum S. Aug. pag. 590. edit. antverp.

tiquæ Tarnatenſis regulæ partem facit potiſſimam, laudatur in concordia regularum à Benedicto Anianæ Abbate, quódque è re noſtra eſt, hic admonere, in codice Corbejenſi mille annos præferente continetur viris accommodata. Hæc illi: fuiſſet ſanè permaximè, & è re Editorum horum, admonere, Epiſtolam illam in antiquiſſimis codicibus manu ſcriptis paſſim reperiri à regula ſeparatam, ut ex teſtimonio Molineti ipſi privatim confeſſi ſunt, cùm tamen eam aliter longè ediderint. Neque hìc opus fuiſſet, adeò ex ſententia Vidingi, Stellartii, & Deſnoii hærere, atque, ut ita ſe habeat, fluctuare, ne potiùs diceretur virorum inſtituendis moribus *primitùs* adhibitam fuiſſe, quàm *diu*.

Atque hæc de Regulæ Auguſtinianæ viciſſitudinibus ſeu fictis, ſeu veris, Controverſiíſque diverſorum ingeniô ſuſcitatis diſceptâſſe ſufficiat.

CAPUT VII.

De diverſis Congregationibus Canonicorum Regularium, déque diſcrimine eorum, & identitate.

I. *Congregationis duplex genus oſtenditur.* CONgregationum duo genera ſuperiùs poſuimus, aliud, quô intelligendæ ſunt ipſæ ſocietates in uno monaſterio, collegióve viventes, aut in aliquo toto ordine, eò quòd ſæpe videamus in bullis, ac privilegiis Pont. ſub nomine Congregationis totum aliquem ordinem deſignari, velut doctè obſervavit Thomas Jorichius tract. de multip. accept. Congregationis, quo nomine paſſim ab antiquis ſcriptoribus in unum ſociati clerici, Monachíque inſigniebantur. Sic vitæ S. Hilarii ſcriptor: *Cùm primùm*, inquit, *ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſe ipſo primùm monſtravit, quemadmodùm congregatio mundum contemneret. Congregatio*, id eſt, collecta illa clericorum ſocietas, cui in Cathedrali Eccleſia Epiſcopus præerat Hilarius. Id ipſum intelligebat Julianus Pomerius, dicens: *Propter hoc fortâſſis in Congregatione viventes, ne aliquos pauperes paſcant. &c.* In Concilio quoque Aquiſgranenſi hæc vox ſæpiùs occurrit, ùt cap. 119. 120. 121. 135. & 138. nec minùs apud Chrodegandum in ſua regula, uti & in litteris Fundationum &c. aliud verò Congregationum genus tardiùs innotuit, & non ſolùm homines denotat in aliquo monaſterio coadunatos, ſed unà cum illis plura quoque monaſteria. Hanc unionem Benedictinæ familiæ primariò adſcribendam eſſe profectò nemo diſſentiet, qui ſæculi noni decimíque ſtatum utrumque Eccleſiaſticum, ac Monachilem perſcrutans Odonis Abbatis Cluniacenſis acta perlegerit, atque inde paulò pôſt invenerit, hujus præcipuè operâ factum, ut ſicut is complura monaſteria à Monaſtico rigore jam penè in ſæculariſmum delapſa, non ſolùm ad priſtinam Benedictinæ regulæ obſervantiam reduxit, verùm etiam novo diſciplinæ fervore ſtabilivit, ſic eadem ipſa cœnobia ſub unius capitis ſupremi (quem Generalem vocare placuit) obedientia perſiſterent, & ad invicem coadunatis plurimorum ſpiritualium membrorum viribûs virtutem conjunctam firmiorem conſtituerent, atque fortiorem. Certè hæc Congregationis ſecundô modô acceptæ ſpecies quantùm ad conſervationem ordinum contulerit, usque nunc patentiſſimô fructu experimur. Inde accidit, ut hoc verè divinum inventum plurimæ ſucceſſu temporis Religiones, ſeu ordines æmularentur, neque ullô modô ambigebant noſtri quoque majores, ſe huic adeò quibuscunque demum inſtitutis religioſis ſalutari normæ ſollicitâ imitatione conformare, in hoc planè certi, atque ſecuri, nihil minùs ſibi quàm præjudicii cujusdam onus impoſituros, ubi Pauli magni Apoſtoli conſilium aſſecuti fuerant dicentis

Marginal notes: *Apud Sur. 3 Maji & apud Bol.* — *De vita contemp. l. 2. c. 10.* — *Vide Mab. Ann. Ben. tom. 4. in præf.*

centis, ut quisque *æmuletur Chariſmata meliora.* Anne opinabimur, inde vel leviſſimam maculam clericali gloriæ (ſanctiſſimorum quorumcunque Monachorum, egregiæ virtutis aſſimilatione) fore inferendam? ſi haud ullius dedecoris notæ nos incuſandos confidimus, jam nunc ardentiſſimô deſideriô appetitores nos eſſe, ut æqualis cum ipſis gloriæ coronâ aliquando præmiemur. Etenim hæc imitata veſtigia nequaquam nobis inſtituti noſtri rationem antiquitùs expreſſam immutant, quin potiùs firmiorem greſſum proceſſuris in via ſolitæ religioſæ perfectionis promovent. Inanes hi ſunt, atque panici timores, & non niſi (fræna excutientium) argumenta, dum ajunt, has, ſimilésque Congregationes inter Canonicos inſtitutas neceſſariò deijcere illos in numerum Monachorum, utpotè quæ ſolæ Monachiſmum ſapiunt. Poſſent ita digitô tanquam vana deliramenta monſtrari, poſſent oſtenſis pluribûs actu exiſtentibûs, atque præclarè florentibûs genuinorum clericorum Congregationibûs elidi, poſſent denique ipſis manifeſtis ſummorum Pontificum privilegiis refutari; verùm, non tanti ſunt hæ oppoſitiones habendæ, ut in iis reijciendis nos diutiùs detineamus. Itaque propoſitæ quæſtioni ſatisfacturi, ſolùm duo deducenda aſſumemus: Primò, an Canonici Regulares (poſtquam ſe in certas Congregationes diviſerunt) ſint hôc ipſô ab aliis, ſine tali confœderatione ſeu olim, ſeu actu exiſtentibus, ſpecie diſtincti? ex eo, quòd hæc monaſteriorum adunatio, ob multos novos, diſtinctóſque ritus videatur novam ſpeciem introducere ordinis: alióquin comprehendi non poſſet, quid demum illud ſit ultimatò diſcretivum, quô unus ordo ab altero diſcriminatur, præſertim, cùm certum ſit dari Canonicos Regulares à ſe invicem ſpecie diſtinctos.

Secundò: Quænam ſint præcipuæ Congregationes, quamvìs ab invicem numerò, non tamen ſpecie diſcrepantes? Prætereà, quid de aggregationibus in pluribus monaſteriis conſuetis ſit ſentiendum?

Cauſa, & occaſio congregationum ſecundò modò ſumptarum, apud Clericos Canonicos introductarum.

Cùm jam à ſæculo penè quarto, 2.
pace non ſolùm Eccleſiæ utcunque per Principes in occidente Catholicos refloreſcente, verùm etiam clericorum numerô mirum in modum adauctô, inciperent aliquantò uberiùs multi eorum ſe intra religioſæ quietis clauſtra continere, ibique tum ſolido virtutum exercitio, tum ſcientiæ ſcripturarum divinarum vacare; quantò magis hæc clericorum ſocietas ſua incrementa per ſucceſſiva ſæcula conſecuta eſt, tantò ampliùs Eccleſiæ Præſules operabantur, ut eadem ſtabiliùs firmiúsque conſervaretur. Videbant enim ingentem exinde reſultare profectum; nam exercebantur hi intra clauſtrum in Paleſtra virtutum, & perficiebantur aliquamdiu, ab omni cura ſæculi remoti clerici tyrones iis præcipuè prærogativis, quas expetere oportebat ab his, qui ad ſpeculam promoti aliis præficiebantur, ut ad viam æternæ ſalutis certa lege, mediiſque apprimè ad hanc conducentibûs quosque ſibi ſubditos dirigerent. Hinc, ût videbimus in noſtra Monaſteriorum, ac Collegiorum deſcriptione, excellentiſſimorum virorum ſeminaria clericalibûs inſtitutis conſpicua, temporibûs à prædicto ſæculo quarto decurrentibûs conſecuta eſt Gallia, Anglia, Italia, Hiſpania, nec non noſtra fertiliſſima Germania. Quot enim viros ſcientiâ, virtutéque eminentes (& quos Roma dudum ſuo Sanctorum albo communi decreta veneratione inſcripſit) illa non genuit, & ad hanc excellentiam provexit? quanta diſciplinæ, morúmque ſanctitas ſæculô ſextô eluxit in Metropolitana Trevirenſi ſub ſancto Nicetio, Ruſtico, ac præcipuè Magnerico Magno illo Cleri Reformatore? velut altero Auguſtino, ſæcu-

ſæculô ſeptimô ſub ſancto Modoaldo, Numeſiano, Lutvvino: ſæculô octavô ſub S. Hildolpho, & Veomado: ſæculô nonô ſub celeberrimo illo Wazone, Hetti, vel Hattone, atque Henrico? & ſic deinceps. Idipſum comperimus de Eccleſia Colonienſi, Leodienſi, Bambergenſi, Herbypolenſi, Nordgavienſi, aliiſque penè omnibus; ut nil dicam de minoribus clericorum Collegiis propemodùm innumeris, perpetim fundatis à piiſſimis principibus, quibus tum vix meliora regnis, provinciiſque ſuis emolumenta, ac robuſtiora adversùs hoſtium omnium inſultus propugnacula poni poſſe videbantur, quàm religioſorum virorum clauſtra, atque ampliſſimè dotata, optimorum armorum, ac propugnaculorum locò preces aſſiduas opponentia. Verùm, ut ſe omnis habet humana conditio (quæ quædam velut ſtatera pernicioſæ mobilitatis bilance agitur) nunquam præclariſſimus quicunque diſciplinæ regularis fervor eam perſeverantiæ metam obtinuit, ut illi non identidem laxatorum quorumdam perverſitas obluctaretur. Videbantur enim ſæpiſſimè in eadem ſocietate quaſi multiplicis generis,ac inſtituti homines, cùm tamen quæſiti, omnes ſe ejuſdem profeſſionis ſtatum tenere prætenderent: erant aliqui Regulæ Canonicæ ad amuſſim obſequentes, & Apoſtolicæ Communionis egregii imitatores; alii titubabant quodammodò, & dum haberi cuperent inter ſanctiores, eorum tamen mores ſectari aut pigebat, aut pudebat, ne cùm clerici eſſent, Monachi cenſerentur; alii laxiori tramite incedentes propugnare præſumebant tanquam jure quopiam, ſaltem in diſponendo, debitum ſibi rerum Dominium, quod Eccleſia iis non niſi connivendo diſſimulare cogebatur: alii denique in præceps dilabentes, cùm clericos ſe fingerent potiùs, quàm probarent, multis ſæcularibûs hominibûs vixère deteriores, & communitati cuidam, magnatum patrociniô, ſociabantur, non, ut clericali fini, ſed carni, ſanguiníque inſervirent, pro quibus egregiam planè animadverſionem Innocentio Papæ zeloſiſſimus noſter Gerhohus tranſcripſit: dúmque hi multarum turbarum, ſubverſæque in plurimis locis religioſis diſciplinæ præcipui authores extitère, identidem (quemadmodùm ſæpiùs per decurſum hujus exegeſis meminimus) ſummi Pontifices, alíique præſules, nec minùs ſæculares Principes adlaborârunt, omnémque lapidem moverunt: ut tanto malo mederentur. Apprehenſa ſunt diverſa quidem remedia, ſed quibûs (quamvis jamjam labens Eccleſiaſtica pietas fulciretur) non tamen ita ſtabilita eſt,quin malevolorum inſultante aſtutiâ propediem novam ruinam metueret. Nulla reformatio vitæ Canonicæ, ac clericalis poſt Auguſtini primam operam efficacior,fertiliórque videbatur, quàm, quæ ſæculô undecimô, duodecimóque apud pleroſque Canonicos invaluit, verùm & iſta ſuos manes temporum lapſu eſt paſſa, ut nova rursùs ſubſidia vacillanti virtuti ſubmittere neceſſe eſſet. Profectò ea cumprimis ſeſe obtinuiſſe gloriari poteſt Eccleſia S. Ruffi prope urbem Avenionenſem; nam, cùm annô (juxta calculum Pagii) 1084. quatuor Canonici Cathedralis Avenonienſis, ſtrictioris obſervantiæ clericalis fervore illecti Eccleſiam S. Ruffi extra muros Avenionenſes incolere cæpiſſent, paulò pôſt (odore ſuaviſſimæ converſationis ſuæ non ſolùm per totam Galliam, ſed & Italiam, atque Hiſpaniam, aliáſque finitimas regiones diffusô) tantum ſibi ſodalium eandem diſciplinam verè Apoſtolicam, atque clericalem eligentium numerum aſciverunt, ut etiam integra huic ſocietati ſe monaſteria Clericorum ſubmitterent, & ſæculô duodecimô jam circa *quingentas Abbatias, atque prioratus* * ſibi ſub-

Crit. Bar. ad an. 1039. n. 11.

* Sic in terminis An.

Digitized by Google

guſtinus Ticinenſis dilucidar. par. 2 § de propag. Can. Ord. in Eccl. Aven. mal. lem tamen adhærere hunc numerum reſtringentibus ad 112. apud Renatum Chopp. in monaſt. l. 2. tit. 1. §. 20.

ſubjectos videret. Hujus inter tam reſtrictum tempus ampliſſimè propagatæ Congregationis fuerat primus plantator, ac Præſes vir integerrimus Arbertus; loquimur autem hìc de congregatione ſecundô modô ſumpta: nam quantis in monaſteriis ad invicem non ſubordinatis ¡tum regula Canonica, vitáque Apoſtolica, tum regula ipſa S. Auguſtini viguerit, partim oſtendimus, partim abundè ſubſequens monaſteriorum deſcriptio explanabit. Hinc Arberto ſe ſubmittentibûs pluribûs collegiis, ipſi primùm Abbatiæ munus delatum eſt, cùmque ſub eo in congregationem præclaram hæc coadunatio ſufficienter excreſceret, demum ab ipſis ſummis Pontificibus ampliſſimis privilegiis fuit communita: de quibus, quia hìc agere non ſuppetit capitis titulus, atque propoſitum, ſolùm, quæ rei noſtræ ſunt, attendentes dicimus, hanc congregationem omnium inter Canonicos Regulares primam fuiſſe. De hac Anſelmus Havelbergenſis (Author tum ob doctrinæ, ac integerrimæ vitæ, tum ob antiquitatis præſtantiam plurimùm reſpiciendus) ſequentia diſſerit. *In hoc ſtatu Eccleſia apparuerunt viri religioſi, amatores veritatis, inſtauratores religionis, Auguſtinus Hypponenſis Epiſcopus, collectis non falſis fratribûs vitâ Apoſtolicâ praelegit vivere, quibus etiam regulam vivendi in communi præſcripſit. Cujus veſtigia ſequens quidam religioſiſſimus. N* de ſancto Ruffo in Burgundia tempore Urbani Papæ ſurrexit, qui collectis in eadem Canonica profeſſione fratribûs totam illam provinciam primò illuminavit, & paulatim eandem religionem in diverſas regiones diſſeminavit.* Nempe per religionem intelligendo congregationem, ne ſibi ipſi contradicere Anſelmus videatur. Haud dubiè viri iſti quatuor, Zelatores Canonicæ diſciplinæ egregii conſpexerint, quantos Cluniacenſis reformatio in Benedictino ordine felices ſit ſortita progreſſus, exinde quàm maximè, (quòd tot monaſteria in unam coaluerint congregationem) tam glorioſa chariſmata æmulantes, ut Apoſtolico inſtituto ſuo non minorem firmitatem ſtatuerent ad talem ſocietatem non tantùm hominum, ſed ipſorum quoque monaſteriorum plurima concitârunt, ac opportunô planè ſucceſſu inchoârunt, propagârúntque.

Vixit circa an. 1149. ſpicil. dach. tom. 1. f. 168.

* Nempe quem ſuperiùs nominavimus Arberium, ùt notat de la Barre &c. Gallia Chriſt. tom. 4. edit. veter.

De hac congregatione poteſt cumprimis quæſtio illa agitari, an ſcilicèt cum ſui exordio novam religionem Canonici inſtituti induxerit, ſpecie diverſam ab illis clericis univerſis, qui hactenùs regulariter, votivéque vixerant? Non tamen aliud hìc urgeri poteſt, niſi quòd ipſa congregatio per ſeſe diſcriminis tantum intuliſſe videri poſſet, ut ſpecie diſtinctum inſtitutum cenſeretur; nam, quæ de regula S. Auguſtini, aliíſque reformationis notis ſæculô undecimô inductis objiciuntur, jam aliàs plenè diſſolvimus, hìc neutiquam odioſâ crambe repetenda.

Ergò partes illæ congregationem aliquam conſtituentes, ùt plurimùm notabiliores ſolent eſſe ſequentes. Primò: officia, ac dignitates aliàs non ſolitæ, ut *Generalis, Diffinitoris, Procuratoris, Viſitatoris &c.* ſecundò: ad rigorem omnimodum diſciplinæ informatæ conſtitutiones. 3tiò: peculiares ritus tum horarum Canonicarum, aliarúmque cæremoniarum Eccleſiaſticarum, tum ſtatutorum perdiù obſervandorum. Quartò: capitula generalia certis annis celebranda, item dietæ annuæ, 5tò: ſublata profeſſionis localis ſtabilitas, iis maximè canonibus, ac decretis (quæ eam ſemper à priſtinis ſæculis ſeveriſſimè clero injunxerat) obſiſtens; nempe: ne ab illa Eccleſia etiam authoritate Epiſcopali quiſquam dimoveatur, cui ordinationis jure *immatriculatus*, aut intitulatus eſt; unde multi, ſaltem ex parte, nomen quoque *Canonici* derivare conantur. Hæc ſimul ſumpta, ſi inſuper diverſitatem veſtitûs adjungas, ingens, ſpeciéque ab illo di-

Digitized by Google

diſtinctum inſtitutum neceſſe erit fateri, cui conformiter vivunt alii Canonici, nulli congregationi illigati, quales plurimos eſt reperire in Germania, ſi ſolos Windeſimenſes, ac Forerianos excipias.

Verùm, quantúmcunque hæc videantur ad primum intuitum formare diſtinctum in congregationibus inſtitutum, nihil planè efficiunt. Cúmque iſta univerſim ab una penè reſolutione dependeant, ſolidè obſervandum eſt, per quid præcipuè Ordo Canonicorum Regularium hodie in ſua ſpecie infima fundetur.

3. *Meriti objectivi ratio in hac quæſtione ſolidè obſervanda.* Sciendum igitur: Quòd, cùm (velut identidem docuimus) tota inſtituti alicujus ſpecies meritum objectivum reſpiciat, fieri omninò poſſit, ut ejuſdem ultimò diſcretivum, temporis ſucceſſu, immutetur, abſque eo, quòd ſpecies ipſa aliam formam induat, aut ſic in ſe alteretur, ut alia ſit æſtimanda; quod in totis moralibus ſæpiùs obtingere extra controverſiam eſt. Ratio autem hujus præcipua ſe fundat in qualitate totorum moralium; nam, cùm in his nulla pars de ſe ſumpta ſit de eſſentia ipſius totius, quævis etiam poterit immutari, non tamen immutatô ſecundùm meritum objectivum eôdem totô morali. Ponamus enim, Eccleſiam aliquam vetuſtiſſimam multorum ſæculorum; hæc moraliter ſemper eadem æſtimatur, quamvis fortè ne lapidem, aut pugillum cementi primæ ſtructuræ ampliùs contineat. Sed dices, hoc facilè admitti, neutiquam verò illud, quod nos intendimus, nempe etiam partem diſcretivam immutari hôc modô poſſe, niſi ſolùm, ſi ipſa illa pars moraliter reputetur eadem: hoc autem nobis nihil profuturum, eò quòd mox allegata Congregationum qualitas talis ſit pars cum ſuis adjunctis diſcretiva, ut ne ſimilem quidem, minùs moraliter eandem dixeris cum prioribus, ante has aſſignari ſolitis, ùt liquet conſideranti.

Reſpondeo: Quamvis etiam nova pars aliqua adjungatur, quæ ſecundùm ſe ſit noviter diſcretiva totius moralis, exin tamen non ſequi, ſpeciem infimam per hanc in ſe *abſolutè* diſcerni, ſed ſolùm reſpectivè: ſic exempli causâ aſſumamus iterùm Romanum imperium ex omnibus regnis antiquiſſimum, hoc olim ſe diſcernebat per diverſa ſibi propria diſcretiva, atque inter reliqua etiam per leges ampliſſimè, ac magnificè latas, verùm harum legum complures, aut penitùs abolitæ, aut earum locò ſubſtitutæ aliæ, quarum jam præcipua habetur, ùt notum eſt, Aurea Bulla, quæ Electionis Imperatoriæ formam, jus Electorum, atque privilegia, aliáque complura Imperium totum concernentia complectitur, hæc autem quaſi Imperii anima in ſuis decretis reſpicitur, neque tamen ullatenùs ſpeciem infimam ejuſdem aliam effecit, ſed imperium permanſit idem, quod fuerat anteà. Pariter idem obſervare poſſumus in ipſa ſanctiſſima Eccleſia Catholica, quàm univerſaliter Romanam dicimus, hanc unam Calviniſtæ, & Lutherani horrent, cùm Eccleſiam Chriſti alióquin, & Catholicam, & Apoſtolicam admittant, horrent, inquam, ajúntque *Romanam*, ante tempora fortaſſe ad ſummum Gregorii VII. non fuiſſe Eccleſiam, nec talem dictam: Verùm etſi talis fortâſſe ad initium, & aliquot ſæculis dicta non fuiſſet, cùm dein ad diſcrimen aliarum ſeſe ſuprà Romanam ſedem elevantium, qualis erat aliquando Conſtantinopolitana, ſic preſsè præter originarias prærogativas, quòd eſſet una ſancta Catholica, Apoſtolica, etiam *Romanam* nuncuparet, nunquid ideò effecta eſt ſpecie infimâ religionis alia? addo, eandem hanc ipſam ſacratiſſimam matrem noſtram omnimodis ab omni Heterodoxa Eccleſia diſcerni ſpecie infimâ, & quidem eandem, non tamen eâdem ſemper notâ diſcretivâ, quoad modum, ſeu reſpectivè, nam propter has

ipſas

ipſas ſectas exorientes, quot non oportebat novas, ut ita dicam, leges condere, adornare ritus, quin etiam alias, & alias modificationes aſſumere? inviolatâ tamen Evangelicæ veritatis, ac ſanctitatis ſubſtantiâ, manſit, & ipſa in ſua ſpecie infima, una, ſola, ſalvifica, una ſpecioſa, ac formoſa Chriſti Sponſa, non aliter, quàm ſi novo quidem ſplendidioríque veſtitu compta è poſterioribus ſæculis proceſſiſſet, quæ initiô velut adhuc parvula exilior, & martyrum ſanguine purpuranda, magnorúmque Doctorum ſplendore, atque fulgore primùm ornanda, totíque orbi venuſtiſſimè exhibenda ſubſiſtebat, comparuit ergò noſtris temporibus *aliter*, ſed non *alia*.

Sciendum ſecundò: Aut potiùs ex dictis recolendum, reformationes ordinum non ſemper, nec omnes novis religionibus cauſam, ſpeciémque dare: nam, ùt diximus, quamdiu reformatio non usque eò procedit, ut ex merito objectivo, ac præcipuè juxta æſtimationem, & judicium eorum hominum (quorum propriè intereſt, tale diſcrimen agnoſcere, atque declarare) nova religio ex tali reformatione reſultans decernatur, nihil omninò eadem ad novam ſpeciem conſtituendam operabitur. Sic, quamvìs certum ſit, quod Caſſinenſis Congregatio longè junior ſit, quàm Cluniacenſis (cæpit enim Congregatio S. Juſtinæ Caſſinenſis (ùt narrat Tamburinius) annô circiter 1503.) & monaſterium Caſſinenſe penitùs ſe ipſo ſubſtiterit, ſoli Romano Pontifici ſubjectum; attamen, cùm dein Congregationi S. Juſtinæ uniretur, eadem cum Caſſinenſi cænobio ſic in unum coaluit, ut jam Congregatio ipſa nuncupetur Caſſinenſis: Prætereà forma regiminis planè nova Caſſinenſi monaſterio à tempore reformationis ne minimum quid novæ ſpeciei induxit, quin, & cum Cluniacenſi Congregatione ejusdem Ordinis inſtitutíque Benedictini perduraret; quamvis in conſtitutionibus non paucis diſconvenirent; ita quidem, ut ad invicem graviter concertarent nonnulli, malléntque locô diſcedere, quàm talem reformationem, quas hæ Congregationes inducebant, admittere, ùt pluribûs narrat Lambertus Schaffnaburgenſis, & Paulus Langius. Quòdſi verò tanta obtingat diſcrepantia, talísque per reformationem inſtitutio nova introducatur, ut ex merito objectivo, declaretur effectus novus ſpecie ordo, tunc quoque pro tali habendus erit. Sic reformati ex Eremitis S. Joannis Bonæ in diverſas ſenſim ſpecies deſciverunt. Sic, & Ordo S. Franciſci Seraphici, ſucceſſivè plures diſtinctas ſpecies obtinuit. Omnia verò hæc diſcrimina non aliter obtinentur, niſi per meritum objectivum, quidquid enim in his ordinibus diſcrepantiæ adduxeris, in aliis reperiens videbis nihil pro hac operari, niſi meritum objectivum accedat ſpeciem infimam demum manifeſtans: ùt ſi dicas ordinem v. g. Capucinorum diſtinqui ab ordine Minoritarum per veſtitum, dicam tali modo diſtinqui Benedictinos Caſſini, aut in monte Serrato exiſtentes à Benedictinis noſtræ Germaniæ, quod tamen non admittitur. Vel ſi offeras ſtrictiorem chorum, nudipedem inceſſum, aſperitatem, & vilitatem victûs &c. omnia iſta ſuô modô in his, vel illis Monachis S. Benedicti ejusdem planè, nec ſpecie infimâ diſtincti inſtituti reperies. Solùm ſi attendas, quidnam ex merito objectivo recipiatur, vel dimittatur ad tale diſcrimen, tum demum etiam aut diverſitatem obtinebis, aut identitatem.

De jur. Ab. t. 2. p. 491.

Sciendum tertiò: Congregationum talium inſtitutionem quandóque ingentem reformationem ſecum adferre, neque tamen inde ordinem, vel in minimo mutari. Patet id, ut nihil dicam de Congregatione Cluniacenſi Benedictinorum, S. Vitoni, S. Mauri &c. ſolùm ſi Burchsfeldenſem attendamus:

mus: novimus, quantam illa in hoc ſacro ordine immutationem induxerit, atque alterationem, nec non turbas immodicas; legendus eſt Legatius in ſuo Chronico S. Godeh. Hildeſ. & Buſchius in reform. monaſt. Attamen nunquam eadem Congregatio ſpecie etiam infima diſtincta æſtimabatur unàcum omnibus ſibi unitis monaſteriis ab iis, quæ nec alicui congregationi innectebantur. Tota verò ratio iterum ex allatis principiis reſultat, ſcilicet ex ipſo merito objectivo. His animadverſis

Apud Leibnitzium ſcriptor Brunſ T. 2. p. 413. & 843.

Omnes Congregationes Canonicorum Regularium, qui ſub veſte linea regulam S. Auguſtini profitentur, ſunt ejusdem ſpeciei infimæ Clericalis ab Apoſtolis inſtitutæ, probatur id, & oſtenditur, quoad veſtem lineam.

Dico: Omnes illas Congregationes, & collegia, ſive Monaſteria Canonicorum Regularium eſſe ejusdem ſpeciei infimæ, & pro uno ordine computanda, atque abſolutè identicè ut talia habenda; in quibus (ſuppoſitò ipsò primariò, ac principali fine particulari, qui eſt vita mixta Clericis genuinis votivis propria) geſtatur habitus huic Ordini eſſentialis, qui eſt veſtis linea, propriéque Clericalis, & regula ſervatur S. Auguſtini. Ratio eſt: quia hæc duo ſolùm, & unicè à ſæculis plùs quàm ſeptingentis, & maximè à tempore (quô generalis illa Canonici Ordinis noſtri facta eſt reformatio) prætendebantur, ſempérque aſſerta ſunt, atque agnita pro ultimo diſcretivo, & determinativo illius. Primò quidem quoad veſtem lineam, certum; hanc tanquam notam clericalem nos à priſtinis Clericis, ſæculúmque undecimum longè decedentibus continuâ, ac identicâ ſucceſſione hæreditâſſe, de illis quidem aliàs latiſſimè diſcurrimus, demonſtrandô Clericis veſtem lineam externam olim propriam fuiſſe, unde ibidem adductis ſolùm addimus Thomaſſini verba ad Canonem 16. Conc. Lat. 4ti. ubi dicitur: *Pontifices in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes utantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachilem. Linea hæc veſtis*, inquit ille, *ſuperior, quam Epiſcopi, Canonicique Regulares retinuêre, Clericis olim omnibus ſacrorum ſaltem Ordinum communis erat. Lanea in lineæ vicem poſteà ſucceſſit: Denique à Clericis omnibus aliis in totum abjecta eſt extra Eccleſiam.* Ex quo liquet, *retinuiſſe* Canonicos Regulares antiquum morem, neque veſte linea aliquid novi aſſumpſiſſe in ſui Clericalis Ordinis differentiam. Eandem hanc Theſim ſuam repetit cap. 52. n. 4. *Alba veſtis*, inquit, *erat ſacra, & Clericis omnibus majorum ordinum communis; etſi illam ſolam retinuerint Epiſcopi, & Canonici Regulares priſci moris tenaciores. Id Ratherius Epiſcopus Veronenſis manifeſtè indicat, cùm Presbiteris ſuis omnibus præcipit, ut nullus cum alba, qua in ſuos uſus utitur, præſumat miſſam cantare.* Ex quo apertè conficitur, quô modô, quáve occaſione linea veſtis, quæ antea omnium Clericorum ſignum diſcretivum externum erat à ſæcularibus hominibus non minùs, quàm Monachis, dein ultimò ſecernere inciperet Canonicos Regulares non ſolùm à dictis ſæcularibus Laicis, ac Monachis, verùm etiam à Clericis votivam vitam non tenentibus; quæ ſi conferantur dictis de veſte linea Clericis priori ævô, ac longè anteà conſuetâ, quoad hanc partem reddent concluſionem noſtram planam, atque ſtabilitam.

P. 1. l. 1. c. 50. n. 4.

Secundò: Ex quo tempore cuivis ordini alligata eſt certa regula, ſic, ut nullus ſine regula ab Eccleſia approbata agnoſcatur tanquam in ſua ſpecie infima, & legitima ſubſiſtens, regula S. Auguſtini Canonicos Regulares in complexo veſtis lineæ in ſua ſpecie infima diſcernit ab omni alio ordine, non ſolùm, qui Canonicus non eſt, ſed etiam ab omnibus illis Canonicis Regularibus, qui qualitercúnque hoc nomine glorianteſ, atque gaudentes, non ſunt de illis à S. Auguſtino reſtauratis, & ab Apoſtolico cætu continua, atque analogica ſucceſſione deſcendentibus. Ratio hujus

4. *Demonſtratur aſſertio etiam quoad S. Auguſtini regulam.*

eſt,

Digitized by Google

ne omnem etiam ſpeciem habendi proprii hac lege abolere contendat.

Moveri ad hanc legem prohibendarum litterarum occultè accipiendo poterat per caſum Januarii, haud dubiè occultis litteris hæredes [contra votum ſuæ expropriationis]. inſtituentis.

Legat jam, qui nobis adverſatur, ſermonem priorem (quia non vacat eundem totum hic tantâ prolixitate inſerere) legat, inquam, & obſervet, quantùm pius Pater adverſùs proprietarium illum Januarium intonet: *teſtamentum; inquam, fecit Presbiter, & ſocius noſter, nobiscum manens de Eccleſia vivens, communem vitam profitens, Teſtamentum fecit, hæredes inſtituit. O dolor illius ſocietatis, O fructus natus, non de arbore, quam plantavit Dominus! &c.* ait autem, quòd hæredes, non hæredem inſtituit, in eóque præter Eccleſiam etiam alios (excluſô filiô, & filia, quas habebat) hæredes ſcripſit, præterea *diù tanquam de ſuo jurans, quia ipſius erat, non filiæ: diù,* id eſt, longè ante mortem: at cui juravit, ſuum eſſe, non filiæ? profectò non Auguſtino, nec clericis ſodalibus ſuis, alióquin non diceret Auguſtinus: *Remanſit illi quædam pecunia*, id eſt, argentum, *quod diceret eſſe filiæ ſuæ &c. factum eſt, ut ipſum argentum quaſi puellæ ſervaretur* &c. ergò Auguſtino, ſocietatíque ſuæ religioſæ pecuniam tradidit quaſi filiæ ſuæ, ſed aliis, id eſt, hæredibus juravit eſſe proprium ſuum, quis ambigat hanc occultam malitiam hæredes conſtituendi occultis litteris fuiſſe peractam? Similia enim occulta commercia (dum colloquiis plerumque diffiditur) litteris peraguntur. Non meminit Auguſtinus, an *Teſtamentum* Januarii *ſcriptum*, ipſe, ſuíve, poſt mortem ejus repererint; an ſibi ab iis extraditum ſit, quos dixit hæredes: ſcriptum tamen illud fuiſſe, certum eſt, alióquin non ſubdidiſſet Sanctus illud: ſed *Eccleſiam ſcripſit* hæredem, profectò, ut teſtamentum ſcripſit, ſic occultâ colluſione ſua per litteras arcana Conſilia Januarium compluribus revelâſſe, Auguſtinus prudenter ſupponere potuit: atque aliundè perſpiciens, quanta mala cauſare in communi ſocietate valeant occulta Epiſtolarum commercia, & præter illas recepta munera; legem iſtam eò nervoſiùs ſtatuit, culpámque exaggeravit, quò recentiori factô expertus eſt in Januario, in quam extremam malitiam hæc ipſa perducant: addit ad rem noſtram non ineptè Caramuel. dico, inquit, *vix majora eſſe in cœnobiis pericula, quàm quæ ex litteris orta. Quà homo non poteſt, tranſit charta, quando ille audiri nequit, hæc legitur, & quoties aut tangitur, aut aperitur, toties nocere poteſt.* Et ſi tam levis eſſet litterarum receptio, cur non minùs idipſum D. Benedictus ſuis cap. 54. inhibuit? *Nullatenùs*, inquit, *liceat Monacho nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi invicem litteras, aut Eulogia, vel qualibet munuſcula accipere.* At inquis, id præceptum Monachis eſt, alia certè attenditur ratio clericorum, quibus iſta eò minùs vetantur, quò magìs inter homines vivere coguntur. Verùm clericis, quibus ſua clauſtra, regularíſque diſciplinæ limites (ùt in Auguſtini monaſterio obſervatum) ſtatuebantur, ea dignè inhibebantur commercia, quæ tantò fuêre periculoſiora, quantò ſuppeditante, & conceſsâ licèt apertâ converſatione, ſua occultatione denotabant ſe eſſe malitiæ gravioris. Verbô: inſinuat hìs univerſim Auguſtinus, quanta ſeveritate præſcindere occaſionem illius malitiæ incurrendæ conetur, quâ ſe æternùm, ſed fruſtra deplorandæ fortaſſis Januarius addixit pænitentiæ. Hinc & in ſecundo ſermone de muneribus conferendis loquens obteſtatur, ne per hoc vitia clericorum ſuorum contra ipſum foveant, ſed quidquid dederint, commune fiat: quod idem eſt, ac, ne quidquam occultè muneris, litterarúmve accipiatur.

Commem. in reg. S. Aug. P. 550. n. 1959.

Denique, ut ad ultima Eraſmi objecta deveniamus, opinatur ea, quibùs ad formæ ſtudium, per ſpeculum, per odores, per pulchritudinem Auguſtinus allicit ad regulæ obſervantiam, fæminis pruden-

dentér aptari, minimè viris, utpotè quibus graviore pondere rationis, ac veritatis ſint proponenda motiva. Egregiè ſanè iſta, quæ ſi tam facilè regulam fæminis probarent ſcriptam, nunquam aut D. Paulus ipſe (ex quo textum de odore Auguſtinus deſumpſit) aut ſpeculi ſimilitudinem vir ſanctus potuiſſet inducere, niſi fæminis loqueretur. Sed frivola iſta præſtat prudenti diſſimulatione præterire, quàm inutili contentione refutare. At jam opponis cum aliis, aiſque, regulam fæminis ſcriptam, ſaltem æquè, ac viris negandam non eſſe, eò, quòd Epiſtola illa 211. nimis apertè tum ob ſui antiquitatem, tum ob ſtyli conſonantiam ſeipſam probet genuinum partum eſſe S. Auguſtini. Fatetur quidem id Pennotus ipſe, ſatiſque ſibi eſt, viris quoque ſcriptam vindicare, ſic enim ille: *eſto*, inquit, *fæminis tradita fuerit, quid obſtat etiam clericis in monaſterio cum eodem Auguſtino, & ſub illius cura degentibus priùs traditam eſſe?* L. 1. c. 18. n. 20.

Intereà, ùt pauciſſimi ſunt, qui adſtruunt, regulam à S. Auguſtino eſſe utrique ſexui præſcriptam, ſed plerique ex adverſa parte, qui ſolis fæminis, eò, quòd totus contextus mores fæminarum, non virorum informandos reſpiciat; ſic certum nobis, regulam ab origine ſua ſolis viris propriam eſſe voluiſſe S. Auguſtinum, eò, quòd, quidquid fæmineæ illi Epiſtolæ 211. aſſuta regula peculiariter continet, adſcititium, ac interpolatum eſſe ſe ipſo prodat, proùt ſuperiùs clarè oſtendimus. Certè ſi S. Cæſarius, ſicut Epiſtolam, ita & regulam huic adjectam tenuiſſet, nunquam fragmenta ſuæ regulæ inſerta ex noſtra potiùs, quàm ex fæminea accepiſſet, quod tamen factum à ſe evidenter explanavimus. Cùm verò totus adverſariorum clypeus in una illa firmetur epiſtola, ſatis, ſupérque arenoſò fundamentò oſtensò, non ſupereſt, quod nos à ſemel concepta, veritatíque maximè conſona opinione dimoveat.

Ultrò cum Coriolano, ejúſque ſequ ecibus dices: Regulam Eremitis, non Clericis ſcriptam præter relata iam à nobis, maximè probare illa ipſa loca, quæ nos ex libro de opere Monachorum citavimus, ex quibus apparet Auguſtinum Monachis ſuis identidem regulæ præſcriptæ memoriam inculcâſſe. Præterea Cenſores Gregoriani Juris Canonici, à nobis ſuperiùs citati, ajunt in regula (quæ pro tertio ſermone de communi vita Clericorum habetur) ad Monachos orationem converti, ergò agnovêre hi viri doctiſſimi regulam ſcriptam fuiſſe Monachis, non Clericis. Denique Monachos quoſdam, & quidem urbanos regulam Auguſtinianam coluiſſe ſæculò quintò, vix controverti poterit ab illo, cui dicto tempore, ratio vivendi Monachorum quorumdam penitiùs fuerit perſpecta. 9. *Neque, Monachis ſcriptam regulam fuiſſe, ulla argumenta evincunt.*

Reſpondeo ad primum: Ex textibus è regula in libro de opere Monachorum repertis neutiquam concludi poſſe eam Monachis ſcriptam fuiſſe, quotquot enim textus ex hoc referuntur, ab Auguſtino conſuetudine ſtyli, non prærogativâ regulæ inducuntur, alióquin certiſſimè ſaltem unò, alterôve locô Monachos ad præſcriptum ſuæ regulæ reflexiſſet, quod tamen ne indirectè quidem feciſſe deprehenditur. In Epiſtola quoque ad Dioſcorum ex ſua regula videtur depromere, dum inquit: *Vitia quippe cætera in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt.* In regula ajt: *Alia quippe quæcunque iniquitas malis operibus exercetur, ut fiant, ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant.* Sicut autem nemo dixerit ex hoc concludendum, Dioſcorum regulæ Auguſtinianæ fuiſſe illigatum, ſic malè inferret, qui diceret, ideò hanc eandem regulam ſcriptam Monachis, quòd, quæ in ipſa diſſeruit, paritate occurrentis objecti etiam in libros ad eos ſcripto retulerit. Ep. 118. n. 22.

Ad ſecundum dico: Cenſores Gregorianos intelligere potuiſſe Monachos latiùs ſumptos, ſub quorum nomine frequentiùs in jure, *Canonici* comprehendi conſueverunt. Verùm ſi verba cenſorum accuratiùs luſtrentur, apparebit tam in cap. *non dicatis*. Quàm in cap. *nec ſolo*. Nominari Monachas, non Monachos: ſcilicet, dum ajunt, hæc verba etiam in Ep. 109. nunc 211. reperiri, ſed in qua oratio ad *Monachas* convertitur. Nihil ergò à cenſoribus adverſarii pro Monachis extorquebunt.

Demum ad tertium ajo, confirmóque jam dicta, me neutiquam obſiſtere, potuiſſe Monachis urbanis regulam Auguſtinianam obtingere, ídque fortâſſe ipſorum clericorum Hypponenſium ſubſidiô, qui Monachi dein ſuâ induſtriâ ſcholia addidêre, hodiedum in regula (ab Editoribus ſecunda nuncupata) exſtantia. Verùm conſtanter diſſentio eam à S. Auguſtino Monachis, aut Eremitis fuiſſe traditam: nam, ut nil dicam, quòd ipſa multa in ſe vitæ Eremiticæ quaſi incompoſſibilia contineat, de quibus noſter Pennotus cit. locô requirendus. Inſuper nulla ratio ſuadet, ut credamus, Auguſtinum regulam, quam clericis diſertè propriam eſſe voluit, eámque tam generalibus præceptis formatam, Monachis tradidiſſe. Quaſi non tantæ ſagacitatis fuiſſet, ut qui adeò peculiari ſtylô librum ſcripſerat de opere Monachorum; nequiret aut nollet, ſi oportuiſſet, ſingularem, ac inſtituto magìs congruam pro iiſdem Monachis exarare.

Hæc ſunt quæ luculentiùs de regula S. Auguſtini exponere oportuit, ut quibus hac in re debitores eramus, ſecundùm vires, quæ ſuppetunt, ſatisfaceremus. Cæterùm, quia in rebus antiquiſſimis, dum deſunt certa monumenta declarandæ veritatis, conjecturæ adjecto probationum, ac rationum pondere maximam ſuppeditant vim perſuadendì, ac præter ea non minimam prærogativam conferunt authoritates virorum eruditiſſimorum eandem ſententiam propugnantium: duobus Canonicis Regularibus, & uni non ſatìs ſibi conſtanti Eraſmo, doctiſſimos oppono, ac pietate eximios Hugonem à S. Victore, Joannem Mauburnum, Martinum Navarrum, Auguſtinum Ticinenſem, Joannem Trullum, ut nil dicam de clariſſimis noſtri ævi ſcriptoribus ex eodem ordine noſtro. Coriolano verò cum toto Eremitarum ordine aſſerente aut fæminis, aut Monachis Eremitis ſcriptam, quamvìs fortâſſe in concurſu (ùt quibusdam eorum placet) & clericis: totum ordinem ſufficio Prædicatorum, unâ voce, unô calamô cum Thoma ſuo, atque Humberto teſtantium clericis, non Monachis regulam iſtam primigeniam eſſe. His addimus Urbanum ſecundum, Petrum Damianum, Bernardum Clarevallenſem, Robertum Holcot, Robertum Arboricenſem, Robertum Richardinum, totam Academiam Pariſienſem, ſacram Congreg. Conc. quâ Eraſmi hanc de regula opinionem Novitiam periculoſam, & ſuſpectam rejecit, Doctores Lovanienſes, & Paduanos apud Card. Tuſcum, alióſque penè innumeros: inter quos, vel ipſi quoque Editores operum Aug. noviſſimi poſſent recenſeri, niſi (neſcio, quo ducti affectu) maluiſſent ſuppreſsâ illâ veritate (quæ Epiſtolam 211. ex antiquiſſimo documento totaliter à regula ſeparatam exhibuiſſet) aut diſſimulatâ, perſonam talem induere, quâ, ſi parti uni plus fortè favere cenſerentur, ſaltem minùs obeſſent alteri: hinc illa verba. *Inde* (id eſt, ex regula ſanctimonialibus aſſerta) *eam depromptam, virisque aptatam fuiſſe obſervant præter alios Bern. Vidingus, & Proſper Stellartius, ambo Auguſtinianæ* (id eſt Eremit.) *familiæ alumni, ac noviſſimè vir eruditus Nic. Deſnos &c. Quæ res ut ita ſe habeat, certè jam diu eſt, cùm virorum inſtituendis moribus adhiberi cœpit, quippe perantiquæ*

Ber. l. de præc. & diſpen. c. 5. & 7.
Rob. Hol. c. 7. l. ſap. lect. 95.
Rob. Arbori l. 1. de cœlib.
Robert. Richar. comment. in reg.
Cardin. Congr. ap Cruſen. p. 1. c. 20.
Card. Tuſcus t. 1. pract. concluſ. 39.

In admon. ad regulam ad ſerv. Dei. t. 1. operum S. Aug. pag. 590. edit. antverp.

tiquæ Tarnatenſis regulæ partem facit potiſſimam, laudatur in concordia regularum à Benedicto Anianæ Abbate, quódque è re noſtra eſt, hic admonere, in codice Corbejenſi mille annos præferente continetur viris accommodata. Hæc illi: fuiſſet ſanè permaximè, & è re Editorum horum, admonere, Epiſtolam illam in antiquiſſimis codicibus manu ſcriptis paſſim reperiri à regula ſeparatam, ut ex teſtimonio Molineti ipſi privatim confeſſi ſunt, cùm tamen eam aliter longè ediderint. Neque hic opus fuiſſet, adeò ex ſententia Vidingi, Stellartii, & Deſnoii hærere, atque, ut ita ſe habeat, fluctuare, ne potiùs diceretur virorum inſtituendis moribus *primitùs* adhibitam fuiſſe, quàm *diu*.

Atque hæc de Regulæ Auguſtinianæ viciſſitudinibus ſeu fictis, ſeu veris, Controverſiíſque diverſorum ingeniô ſuſcitatis diſceptâſſe ſufficiat.

CAPUT VII.

De diverſis Congregationibus Canonicorum Regularium, déque diſcrimine eorum, & identitate.

I. *Congregationis duplex genus oſtenditur.*

CONgregationum duo genera ſuperiùs poſuimus, aliud, quô intelligendæ ſunt ipſæ ſocietates in uno monaſterio, collegióve viventes, aut in aliquo toto ordine, eò quòd ſæpe videamus in bullis, ac privilegiis Pont. ſub nomine Congregationis totum aliquem ordinem deſignari, velut doctè obſervavit Thomas Jorichius tract. de multip. accept. Congregationis, quo nomine paſſim ab antiquis ſcriptoribus in unum ſociati clerici, Monachíque inſigniebantur. Sic vitæ S. Hilarii ſcriptor: *Apud Sur. 5 Maji & apud Bol.* *Cùm primùm*, inquit, *ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſe ipſo primùm monſtravit, quemadmodùm congregatio mundum contemneret. Congregatio*, id eſt, collecta illa clericorum ſocietas, cui in Cathedrali Eccleſia Epiſcopus præerat Hilarius. Id ipſum intelligebat Julianus Pomerius, dicens: *Propter hoc fortáſſis in Congregatione viventes, ne aliquos pauperes paſcant. &c.* *De vita contemp. l. 2. c. 10.* In Concilio quoque Aquiſgranenſi hæc vox ſæpiùs occurrit, ùt cap. 119. 120. 121. 135. & 138. nec minùs apud Chrodegandum in ſua regula, uti & in litteris Fundationum &c. aliud verò Congregationum genus tardiùs innotuit, & non ſolùm homines denotat in aliquo monaſterio coadunatos, ſed unà cum illis plura quoque monaſteria. Hanc unionem Benedictinæ familiæ primariò adſcribendam eſſe profectò nemo diſſentiet, qui ſæculi noni decimíque ſtatum utrumque Eccleſiaſticum, ac Monachilem perſcrutans Odonis Abbatis Cluniacenſis acta perlegerit, atque inde paulò pòſt invenerit, *Vide Mab. Ann. Ben. tom. 4. in præf.* hujus præcipuè operâ factum, ut ſicut is complura monaſteria à Monaſtico rigore jam penè in ſæculariſmum delapſa, non ſolùm ad priſtinam Benedictinæ regulæ obſervantiam reduxit, verùm etiam novo diſciplinæ fervore ſtabilivit, ſic eadem ipſa cænobia ſub unius capitis ſupremi (quem Generalem vocare placuit) obedientia perſiſterent, & ad invicem coadunatis plurimorum ſpiritualium membrorum viribûs virtutem conjunctam firmiorem conſtituerent, atque fortiorem. Certè hæc Congregationis ſecundô modô acceptæ ſpecies quantùm ad conſervationem ordinum contulerit, usque nunc patentiſſimô fructu experimur. Inde accidit, ut hoc verè divinum inventum plurimæ ſucceſſu temporis Religiones, ſeu ordines æmularentur, neque ullô modô ambigebant noſtri quoque majores, ſe huic adeò quibuscunque demum inſtitutis religioſis ſalutari normæ ſollicitâ imitatione conformare, in hoc planè certi, atque ſecuri, nihil minùs ſibi quàm præjudicii cujusdam onus impoſituros, ubi Pauli magni Apoſtoli conſilium aſſecuti fuerant di-

centis, ut quiſque *æmuletur Chariſmata meliora.* Anne opinabimur, inde vel leviſſimam maculam clericali gloriæ (ſanctiſſimorum quorumcunque Monachorum, egregiæ virtutis aſſimilatione) fore inferendam? ſi haud ullius dedecoris notæ nos incuſandos confidimus, jam nunc ardentiſſimô deſideriô appetitores nos eſſe, ut æqualis cum ipſis gloriæ coronâ aliquando præmiemur. Etenim hæc imitata veſtigia nequaquam nobis inſtituti noſtri rationem antiquitùs expreſſam immutant, quin potiùs firmiorem greſſum proceſſuris in via ſolitæ religioſæ perfectionis promovent. Inanes hi ſunt, atque panici timores, & non niſi (fræna excutientium) argumenta, dum ajunt, has, ſimiléſque Congregationes inter Canonicos inſtitutas neceſſariò deijcere illos in numerum Monachorum, utpotè quæ ſolæ Monachiſmum ſapiunt. Poſſent ita digitô tanquam vana deliramenta monſtrari, poſſent oſtenſis pluribûs actu exiſtentibûs, atque præclarè florentibûs genuinorum clericorum Congregationibûs elidi, poſſent denique ipſis manifeſtis ſummorum Pontificum privilegiis refutari; verùm, non tanti ſunt hæ oppoſitiones habendæ, ut in iis reijciendis nos diutiùs detineamus. Itaque propoſitæ quæſtioni ſatisfacturi, ſolùm duo deducenda aſſumemus: Primò, an Canonici Regulares (poſtquam ſe in certas Congregationes diviſerunt) ſint hôc ipsô ab aliis, ſine tali confœderatione ſeu olim, ſeu actu exiſtentibus, ſpecie diſtincti? ex eo, quòd hæc monaſteriorum adunatio, ob multos novos, diſtinctóſque ritus videatur novam ſpeciem introducere ordinis: alióquin comprehendi non poſſet, quid demum illud ſit ultimatò diſcretivum, quô unus ordo ab altero diſcriminatur, præſertim, cùm certum ſit dari Canonicos Regulares à ſe invicem ſpecie diſtinctos.

Secundò: Quænam ſint præcipuæ Congregationes, quamvis ab invicem numerô, non tamen ſpecie diſcrepantes? Prætereà, quid de aggregationibus in pluribus monaſteriis conſuetis ſit ſentiendum?

2. Cauſa, & occaſio congregationum ſecundò modò ſumptarum, quod Clericis Canonicis introductarum.

Cùm jam à ſæculo penè quarto, pace non ſolùm Eccleſiæ utcunque per Principes in occidente Catholicos reflorеſcente, verùm etiam clericorum numerô mirum in modum adauctô, inciperent aliquantò uberiùs multi eorum ſe intra religioſæ quietis clauſtra continere, ibíque tum ſolido virtutum exercitio, tum ſcientiæ ſcripturarum divinarum vacare; quantò magis hæc clericorum ſocietas ſua incrementa per ſucceſſiva ſæcula conſecuta eſt, tantò ampliùs Eccleſiæ Præſules operabantur, ut eadem ſtabiliùs firmiúſque conſervaretur. Videbant enim ingentem exinde reſultare profectum; nam exercebantur hi intra clauſtrum in Paleſtra virtutum, & perficiebantur aliquamdiu, ab omni cura ſæculi remoti clerici tyrones iis præcipuè prærogativis, quas expetere oportebat ab his, qui ad ſpeculam promoti aliis præficiebantur, ut ad viam æternæ ſalutis certa lege, mediiſque apprimè ad hanc conducentibûs quoſque ſibi ſubditos dirigerent. Hinc, ùt videbimus in noſtra Monaſteriorum, ac Collegiorum deſcriptione, excellentiſſimorum virorum ſeminaria clericalibûs inſtitutis conſpicua, temporibûs à prædicto ſæculo quarto decurrentibûs conſecuta eſt Gallia, Anglia, Italia, Hiſpania, nec non noſtra fertiliſſima Germania. Quot enim viros ſcientiâ, virtutéque eminentes (& quos Roma dudum ſuo Sanctorum albo communi decreta venerationе inſcripſit) illa non genuit, & ad hanc excellentiam provexit? quanta diſciplinæ, morúmque ſanctitas ſæculô ſextô eluxit in Metropolitana Trevirenſi ſub ſancto Nicetio, Ruſtico, ac præcipuè Magnerico Magno illo Cleri Reformatore? velut altero Auguſtino,

ſæcu-

ſæculô ſeptimô ſub ſancto Modoaldo, Numeſiano, Lutvvino: ſæculô octavô ſub S. Hildolpho, & Veomado: ſæculô nonô ſub celeberrimo illo Wazone, Hetti, vel Hattone, atque Henrico? & ſic deinceps. Idipſum comperimus de Eccleſia Colonienſi, Leodienſi, Bambergenſi, Herbypolenſi, Nordgavienſi, aliiſque penè omnibus; ut nil dicam de minoribus clericorum Collegiis propemodùm innumeris, perpetim fundatis à piiſſimis principibus, quibus tum vix meliora regnis, provinciíſque ſuis emolumenta, ac robuſtiora adversùs hoſtium omnium inſultus propugnacula poni poſſe videbantur, quàm religioſorum virorum clauſtra, atque ampliſſimè dotata, optimorum armorum, ac propugnaculorum locò preces aſſiduas opponentia. Verùm, ut ſe omnis habet humana conditio (quæ quædam velut ſtatera pernicioſæ mobilitatis bilance agitur) nunquam præclariſſimus quicunque diſciplinæ regularis fervor eam perſeverantiæ metam obtinuit, ut illi non identidem laxatorum quorumdam perverſitas obluctaretur. Videbantur enim ſæpiſſimè in eadem ſocietate quaſi multiplicis generis,ac inſtituti homines, cùm tamen quæſiti, omnes ſe ejuſdem profeſſionis ſtatum tenere prætenderent: erant aliqui Regulæ Canonicæ ad amuſſim obſequentes, & Apoſtolicæ Communionis egregii imitatores; alii titubabant quodammodò, & dum haberi cuperent inter ſanctiores, eorum tamen mores ſectari aut pigebat, aut pudebat, ne cùm clerici eſſent, Monachi cenſerentur; alii laxiori tramite incedentes propugnare præſumebant tanquam jure quopiam, ſaltem in diſponendo, debitum ſibi rerum Dominium, quod Eccleſia iis non niſi connivendo diſſimulare cogebatur: alii denique in præceps dilabentes, cùm clericos ſe fingerent potiùs, quàm probarent, multis ſæcularibûs hominibûs vixêre deteriores, & communitati cuidam, magnatum patrociniô, ſociabantur, non, ut clericali fini, ſed carni, ſanguiníque inſervirent, pro quibus egregiam planè animadverſionem Innocentio Papæ zeloſiſſimus noſter Gerhohus tranſcripſit: dúmque hi multarum turbarum, ſubverſæque in plurimis locis religioſis diſciplinæ præcipui authores exſtitêre, identidem (quemadmodùm ſæpiùs per decurſum hujus exegeſis meminimus) ſummi Pontifices, aliíque præſules, nec minùs ſæculares Principes adlaborârunt, omnémque lapidem moverunt: ut tanto malo mederentur. Apprehenſa ſunt diverſa quidem remedia, ſed quibûs (quamvis jamjam labens Eccleſiaſtica pietas fulciretur) non tamen ita ſtabilita eſt,quin malevolorum inſultante aſtutiâ propediem novam ruinam metueret. Nulla reformatio vitæ Canonicæ, ac clericalis poſt Auguſtini primam operam efficacior,fertiliórque videbatur, quàm, quæ ſæculô undecimô, duodecimóque apud pleroſque Canonicos invaluit, verùm & iſta ſuos manes temporum lapſu eſt paſſa, ut nova rursùs ſubſidia vacillanti virtuti ſubmittere neceſſe eſſet. Profectò ea cumprimis ſeſe obtinuiſſe gloriari poteſt Eccleſia S. Ruffi prope urbem Avenionenſem; nam, cùm annô (juxta calculum Pagii) 1084. quatuor Canonici Cathedralis Avenonienſis, ſtrictioris obſervantiæ clericalis fervore illecti Eccleſiam S. Ruffi extra muros Avenionenſes incolere cæpiſſent, paulò pòſt (odore ſuaviſſimæ converſationis ſuæ non ſolùm per totam Galliam, ſed & Italiam, atque Hiſpaniam, aliáſque finitimas regiones diffuſô) tantum ſibi ſodalium eandem diſciplinam verè Apoſtolicam, atque clericalem eligentium numerum aſciverunt, ut etiam integra huic ſocietati ſe monaſteria Clericorum ſubmitterent, & ſæculô duodecimô jam circa *quingentas Abbatias, atque prioratus** ſibi ſub-

Crit. Bar. ad an. 1039. n. 11.

* Sic in terminis Au.

guſtinus Ticinenſis dilucidat. par. 2 § de propag. Can. Ord. in Eccl. Aven. mal. lem tamen adhærere hunc numerum reſtringentibus ad 112. apud Renatum Chopp. in monaſt. l. 2. tit. 1. §. 20.

ſubjectos videret. Hujus inter tam reſtrictum tempus ampliſſimè propagatæ Congregationis fuerat primus plantator, ac Præſes vir integerrimus Arbertus; loquimur autem hic de congregatione ſecundô modô ſumpta: nam quantis in monaſteriis ad invicem non ſubordinatis, tum regula Canonica, vitáque Apoſtolica, tum regula ipſa S. Auguſtini viguerit, partim oſtendimus, partim abundè ſubſequens monaſteriorum deſcriptio explanabit. Hinc Arberto ſe ſubmittentibûs pluribûs collegiîs, ipſi primùm Abbatiæ munus delatum eſt, cùmque ſub eo in congregationem præclaram hæc coadunatio ſufficienter excreſceret, demum ab ipſis ſummis Pontificibus ampliſſimis privilegiîs fuit communita: de quibus, quia hìc agere non ſuppetit capitis titulus, atque propoſitum, ſolùm, quæ rei noſtræ ſunt, attendentes dicimus, hanc congregationem omnium inter Canonicos Regulares primam fuiſſe. De hac Anſelmus Havelbergenſis (Author tum ob doctrinæ, ac integerrimæ vitæ, tum ob antiquitatis præſtantiam plurimùm reſpiciendus) ſequentia diſſerit. *In hoc ſtatu Eccleſia apparuerunt viri religioſi, amatores veritatis, inſtauratores religionis, Auguſtinus Hypponenſis Epiſcopus, collectis non falſis fratribûs vitâ Apoſtolicâ praelegit vivere, quibus etiam regulam vivendi in communi præſcripſit. Cujus veſtigia ſequens quidam religioſiſſimus. N* de ſancto Ruffo in Burgundia tempore Urbani Papæ ſurrexit, qui collectis in eadem Canonica profeſſione fratribûs totam illam provinciam primò illuminavit, & paulatim eandem religionem in diverſas regiones diſſeminavit.* Nempe per religionem intelligendo congregationem, ne ſibi ipſi contradicere Anſelmus videatur. Haud dubiè viri iſti quatuor, Zelatores Canonicæ diſciplinæ egregii conſpexerint, quantos Cluniacenſis reformatio in Benedictino ordine felices ſit ſortita progreſſus, exinde quàm maximè, (quòd tot monaſteria in unam coaluerint congregationem) tam glorioſa chariſmata æmulantes, ut Apoſtolico inſtituto ſuo non minorem firmitatem ſtatuerent ad talem ſocietatem non tantùm hominum, ſed ipſorum quoque monaſteriorum plurima concitârunt, ac opportunô planè ſucceſſu inchoârunt, propagârúntque.

Vixit circa an. 1149. ſpicil. dach. tom. 1. f. 168.

* Nempe quem ſuperiùs nominavimus Arberium, ut notat de la Barre &c. Gallia Chriſt. tom. 4. edit. veter.

De hac congregatione poteſt cumprimis quæſtio illa agitari, an ſcilicèt cum ſui exordio novam religionem Canonici inſtituti induxerit, ſpecie diverſam ab illis clericis univerſis, qui hactenùs regulariter, votivéque vixerant? Non tamen aliud hìc urgeri poteſt, niſi quòd ipſa congregatio per ſeſe diſcriminis tantum intuliſſe videri poſſet, ut ſpecie diſtinctum inſtitutum cenſeretur; nam, quæ de regula S. Auguſtini, aliíſque reformationis notis ſæculô undecimô inductis objiciuntur, jam aliàs plenè diſſolvimus, hìc neutiquam odioſâ crambe repetenda.

Ergò partes illæ congregationem aliquam conſtituentes, ùt plurimùm notabiliores ſolent eſſe ſequentes. Primò: officia, ac dignitates aliàs non ſolitæ, ut *Generalis*, *Diffinitoris*, *Procuratoris*, *Viſitatoris &c.* ſecundò: ad rigorem omnimodum diſciplinæ informatæ conſtitutiones. 3tiò: peculiares ritus tum horarum Canonicarum, aliarúmque cæremoniarum Eccleſiaſticarûm, tum ſtatutorum perdiù obſervandorum. Quartò: capitula generalia certîs annîs celebranda, item dietæ annuæ, 5tò: ſublata profeſſionis localis ſtabilitas, iis maximè canonibus, ac decretis (quæ eam ſemper à priſtinis ſæculis ſeveriſſimè clero injunxerat) obſiſtens; nempe: ne ab illa Eccleſia etiam authoritate Epiſcopali quiſquam dimoveatur, cui ordinationis jure *immatriculatus*, aut intitulatus eſt; unde multi, ſaltem ex parte, nomen quoque *Canonici* derivare conantur. Hæc ſimul ſumpta, ſi inſuper diverſitatem veſtitûs adjungas, ingens, ſpeciéque ab illo di-

Digitized by Google

diſtinctum inſtitutum neceſſe erit fateri, cui conformiter vivunt alii Canonici, nulli congregationi illigati, quales plurimos eſt reperire in Germania, ſi ſolos Windeſimenſes, ac Forerianos excipias.

Verùm, quantúmcunque hæc videantur ad primum intuitum formare diſtinctum in congregationibus inſtitutum, nihil planè efficiunt. Cúmque iſta univerſim ab una penè reſolutione dependeant, ſolidè obſervandum eſt, per quid præcipuè Ordo Canonicorum Regularium hodie in ſua ſpecie infima fundetur.

3. *Meriti objectivi ratio in hac quæſtione ſolidè obſervanda.*

Sciendum igitur: Quòd, cùm (velut identidem docuimus) tota inſtituti alicujus ſpecies meritum objectivum reſpiciat, fieri omninò poſſit, ut ejusdem ultimò diſcretivum, temporis ſucceſſu, immutetur, abſque eo, quòd ſpecies ipſa aliam formam induat, aut ſic in ſe alteretur, ut alia ſit æſtimanda; quod in totis moralibus ſæpiùs obtingere extra controverſiam eſt. Ratio autem hujus præcipua ſe fundat in qualitate totorum moralium; nam, cùm in his nulla pars de ſe ſumpta ſit de eſſentia ipſius totius, quævis etiam poterit immutari, non tamen immutatô ſecundùm meritum objectivum eôdem totô morali. Ponamus enim, Eccleſiam aliquam vetuſtiſſimam multorum ſæculorum; hæc moraliter ſemper eadem æſtimatur, quamvis fortè ne lapidem, aut pugillum cementi primæ ſtructuræ ampliùs contineat. Sed dices, hoc facilè admitti, neutiquam verò illud, quod nos intendimus, nempe etiam partem diſcretivam immutari hôc modô poſſe, niſi ſolùm, ſi ipſa illa pars moraliter reputetur eadem: hoc autem nobis nihil profuturum, eò quòd mox allegata Congregationum qualitas talis ſit pars cum ſuis adjunctis diſcretiva, ut ne ſimilem quidem, minùs moraliter eandem dixeris cum prioribus, ante has aſſignari ſolitis, ùt liquet conſideranti.

Reſpondeo: Quamvis etiam nova pars aliqua adjungatur, quæ ſecundùm ſe ſit noviter diſcretiva totius moralis, exin tamen non ſequi, ſpeciem infimam per hanc in ſe *abſolutè* diſcerni, ſed ſolùm reſpectivè: ſic exempli causâ aſſumamus iterùm Romanum imperium ex omnibus regnis antiquiſſimum, hoc olim ſe diſcernebat per diverſa ſibi propria diſcretiva, atque inter reliqua etiam per leges ampliſſimè, ac magnificè latas, verùm harum legum complures, aut penitùs abolitæ, aut earum locò ſubſtitutæ aliæ, quarum jam præcipua habetur, ùt notum eſt, Aurea Bulla, quæ Electionis Imperatoriæ formam, jus Electorum, atque privilegia, aliáque complura Imperium totum concernentia complectitur, hæc autem quaſi Imperii anima in ſuis decretis reſpicitur, neque tamen ullatenùs ſpeciem infimam ejusdem aliam effecit, ſed imperium permanſit idem, quod fuerat anteà. Pariter idem obſervare poſſumus in ipſa ſanctiſſima Eccleſia Catholica, quàm univerſaliter Romanam dicimus, hanc unam Calviniſtæ, & Lutherani horrent, cùm Eccleſiam Chriſti alióquin, & Catholicam, & Apoſtolicam admittant, horrent, inquam, ajúntque *Romanam*, ante tempora fortâſſe ad ſummum Gregorii VII. non fuiſſe Eccleſiam, nec talem dictam: Verùm etſi talis fortâſſe ad initium, & aliquot ſæculis dicta non fuiſſet, cùm dein ad diſcrimen aliarum ſeſe ſuprà Romanam ſedem elevantium, qualis erat aliquando Conſtantinopolitana, ſic preſsè præter originarias prærogativas, quòd eſſet una ſancta Catholica, Apoſtolica, etiam *Romanam* nuncuparet, nunquid ideò effecta eſt ſpecie infimâ religionis alia? addo, eandem hanc ipſam ſacratiſſimam matrem noſtram omnimodis ab omni Heterodoxa Eccleſia diſcerni ſpecie infimâ, & quidem eandem, non tamen eâdem ſemper notâ diſcretivâ, quoad modum, ſeu reſpectivè, nam propter has ipſas

ipſas ſectas exorientes, quot non oportebat novas, ut ita dicam, leges condere, adornare ritus, quin etiam alias, & alias modificationes aſſumere? inviolatâ tamen Evangelicæ veritatis, ac ſanctitatis ſubſtantiâ, manſit, & ipſa in ſua ſpecie infima, una, ſola, ſalvifica, una ſpecioſa, ac formoſa Chriſti Sponſa, non aliter, quàm ſi novo quidem ſplendidioríque veſtitu compta è poſterioribus ſæculis proceſſiſſet, quæ initiô velut adhuc parvula exilior, & martyrum ſanguine purpuranda, magnorúmque Doctorum ſplendore, atque fulgore primùm ornanda, totíque orbi venuſtiſſimè exhibenda ſubſiſtebat, comparuit ergò noſtris temporibus *aliter*, ſed non *alia*.

Sciendum ſecundò: Aut potiùs ex dictis recolendum, reformationes ordinum non ſemper, nec omnes novis religionibus cauſam, ſpeciémque dare: nam, ùt diximus, quamdiu reformatio non usque eò procedit, ut ex merito objectivo, ac præcipuè juxta æſtimationem, & judicium eorum hominum (quorum propriè intereſt, tale diſcrimen agnoſcere, atque declarare) nova religio ex tali reformatione reſultans decernatur, nihil omninò eadem ad novam ſpeciem conſtituendam operabitur. Sic, quamvìs certum ſit, quod Caſſinenſis Congregatio longè junior ſit, quàm Cluniacenſis (cæpit enim Congregatio S. Juſtinæ Caſſinenſis (ùt narrat Tamburinius) annô circiter 1503.) & monaſterium Caſſinenſe penitùs ſe ipſo ſubſtiterit, ſoli Romano Pontifici ſubjectum; attamen, cùm dein Congregationi S. Juſtinæ uniretur, eadem cum Caſſinenſi cænobio ſic in unum coaluit, ut jam Congregatio ipſa nuncupetur Caſſinenſis: Ptæctereà forma regiminis planè nova Caſſinenſi monaſterio à tempore reformationis ne minimum quid novæ ſpeciei induxit, quin, & cum Cluniacenſi Congregatione ejuſdem Ordinis inſtitutíque Benedictini perduraret; quamvìs in conſtitutionibus non paucis diſconvenirent; ita quidem, ut ad invicem graviter concertarent nonnulli, malléntque locô diſcedere, quàm talem reformationem, quas hæ Congregationes inducebant, admittere, ùt pluribûs narrat Lambertus Schaffnaburgenſis, & Paulus Langius. Quòdſi verò tanta obtingat diſcrepantia, talísque per reformationem inſtitutio nova introducatur, ut ex merito objectivo, declaretur effectus novus ſpecie ordo, tunc quoque pro tali habendus erit. Sic reformati ex Eremitis S. Joannis Bonæ in diverſas ſenſim ſpecies deſciverunt. Sic, & Ordo S. Franciſci Seraphici, ſucceſſivè plures diſtinctas ſpecies obtinuit. Omnia verò hæc diſcrimina non aliter obtinentur, niſi per meritum objectivum, quidquid enim in his ordinibus diſcrepantiæ adduxeris, in aliis reperiens videbis nihil pro hac operari, niſi meritum objectivum accedat ſpeciem infimam demum manifeſtans: ùt ſi dicas ordinem v. g. Capucinorum diſtinqui ab ordine Minoritarum per veſtitum, dicam tali modo diſtinqui Benedictinos Caſſini, aut in monte Serrato exiſtentes à Benedictinis noſtræ Germaniæ, quod tamen non admittitur. Vel ſi offeras ſtrictiorem chorum, nudipedem inceſſum, aſperitatem, & vilitatem victûs &c. omnia iſta ſuô modô in his, vel illis Monachis S. Benedicti ejuſdem planè, nec ſpecie infimâ diſtincti inſtituti reperies. Solùm ſi attendas, quidnam ex merito objectivo recipiatur, vel dimittatur ad tale diſcrimen, tum demum etiam aut diverſitatem obtinebis, aut identitatem.

Sciendum tertiò: Congregationum talium inſtitutionem quandóque ingentem reformationem ſecum adferre, neque tamen inde ordinem, vel in minimo mutari. Patet id, ut nihil dicam de Congregatione Cluniacenſi Benedictinorum, S. Vitoni, S. Mauri &c. ſolùm ſi Burchsfeldenſem attendamus:

De jur. Ab. t. 2. p. 491.

mus: novimus, quantam illa in hoc ſacro ordine immutationem induxerit, atque alterationem, nec non turbas immodicas; legendus eſt Legatius in ſuo Chronico S. Godeh. Hildes. & Buſchius in reform. monaſt. Attamen nunquam eadem Congregatio ſpecie etiam infima diſtincta æſtimabatur unàcum omnibus ſibi unitis monaſteriis ab iis, quæ nec alicui congregationi innectebantur. Tota verò ratio iterum ex allatis principiis reſultat, ſcilicet ex ipſo merito objectivo. Hîs animadverſis

Apud Leibnitzium ſcriptor Brunſ T. 2. p. 413. & 843.

Omnes Congregationes Canonicorum Regularium, qui ſub veſte linea regulam S. Auguſtini profitentur, ſunt ejusdem ſpeciei infimæ Clericalis ab Apoſtolis inſtitutæ, probatur id, & oſtenditur, quoad veſtem lineam.

Dico: Omnes illas Congregationes, & collegia, ſive Monaſteria Canonicorum Regularium eſſe ejusdem ſpeciei infimæ, & pro uno ordine computanda, atque abſolutè identicè ùt talia habenda; in quibus (ſuppoſitô ipsô primariô, ac principali fine particulari, qui eſt vita mixta Clericis genuinis votivis propria) geſtatur habitus huic Ordini eſſentialis, qui eſt veſtis linea, propriéque Clericalis, & regula ſervatur S. Auguſtini. Ratio eſt: quia hæc duo ſolùm, & unicè à ſæculis plùs quàm ſeptingentis, & maximè à tempore (quô generalis illa Canonici Ordinis noſtri facta eſt reformatio) prætendebantur, ſempérque aſſerta ſunt, atque agnita pro ultimo diſcretivo, & determinativo illius. Primò quidem quoad veſtem lineam, certum; hanc tanquam notam clericalem nos à priſtinis Clericis, ſæculúmque undecimum longè decedentibus continuâ, ac identicâ ſucceſſione hæreditâſſe, de illis quidem aliàs latiſſimè diſcurrimus, demonſtrandô Clericis veſtem lineam externam olim propriam fuiſſe, unde ibidem adductis ſolùm addimus Thomaſſini verba ad Canonem 16. Conc. Lat. 4ti. ubi dicitur: *Pontifices in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes utantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachilem. Linea hæc veſtis*, inquit ille, *ſuperior, quam Epiſcopi, Canonicique Regulares retinuêre, Clericis olim omnibus ſacrorum ſaltem Ordinum communis erat. Lanea in lineæ vicem poſteà ſucceſſit: Denique à Clericis omnibus aliis in totum abjecta eſt extra Eccleſiam.* Ex quo liquet, *retinuiſſe* Canonicos Regulares antiquum morem, neque veſte linea aliquid novi aſſumpſiſſe in ſui Clericalis Ordinis differentiam. Eandem hanc Theſim ſuam repetit cap. 52. n. 4. *Alba veſtis*, inquit, *erat ſacra, & Clericis omnibus majorum ordinum communis; etſi illam ſolam retinuerint Epiſcopi, & Canonici Regulares priſci moris tenaciores. Id Ratherius Epiſcopus Veronenſis manifeſtè indicat, cùm Presbiteris ſuis omnibus præcipit, ut nullus cum alba, qua in ſuos uſus utitur, præſumat miſſam cantare.* Ex quo apertè conficitur, quô modô, quáve occaſione linea veſtis, quæ antea omnium Clericorum ſignum diſcretivum externum erat à ſæcularibus hominibus non minùs, quàm Monachis, dein ultimò ſecernere inciperet Canonicos Regulares non ſolùm à dictis ſæcularibus Laicis, ac Monachis, verùm etiam à Clericis votivam vitam non tenentibus; quæ ſi conferantur dictis de veſte linea Clericis priori ævô, ac longè anteà conſuetâ, quoad hanc partem reddent concluſionem noſtram planam, atque ſtabilitam.

P. 1. l. 2. c. 50. n. 4.

4. *Demonſtratur aſſertio etiam quoad S. Auguſtini regulam.*

Secundò: Ex quo tempore cuívis ordini alligata eſt certa regula, ſic, ut nullus ſine regula ab Eccleſia approbata agnoſcatur tanquam in ſua ſpecie infima, & legitima ſubſiſtens, regula S. Auguſtini Canonicos Regulares in complexo veſtis lineæ in ſua ſpecie infima diſcernit ab omni alio ordine, non ſolùm, qui Canonicus non eſt, ſed etiam ab omnibus illis Canonicis Regularibus, qui qualitercúnque hoc nomine glorFiantes, atque gaudentes, non ſunt de illis à S. Auguſtino reſtauratis, & ab Apoſtolico cætu continua, atque analogica ſucceſſione deſcendentibus. Ratio hujus eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd ſoli hi, qui undecimô ſæculô ſibi regulam S. Auguſtini in ſuæ vitæ votivæ adjumentum aſſumpsêre, pro genuinis illis Canonicis agniti ſint, atque reſpecti: & quòd experientiâ, teſtimoniiſque claris, ac evidentibûs conſtet, Canonicos tum Cathedrales, tum Collegiales, certos ſucceſſores primævorum votivorum clericorum, regulam S. Auguſtini ſæculô undecimò liberè, ac ſua ſpontè elegiſſe, nec ad determinandam tum (quaſi non jam antea conſtitiſſet) primò ſpeciem infimam ordinis, ſed ad firmiorem vacillantis toties inſtituti hujus conſiſtentiam ſtatuendam, exemplô, non ſtrictâ imitatione Monaſtici inſtituti excitatos, obſervandam aſſumpſiſſe; denique longô temporis intervallô, ſcilicèt Innocentio III. præſidente, atque ad id omnes ſacros ordines obligante, eidem regulæ juramentum dixiſſe: ut adeò, quotquot ſeu monaſteria, ſeu Eccleſiæ per totum orbem diffusæ reperirentur, in quibus Canonici Regulares aut conſtitêre, aut adhuc exiſtunt, præter lineam veſtem aſſiduo uſu (non verò in ſolis ſacris miniſteriis) ſibi propriam, regulam S. Auguſtini profitentur, omnes ejusdem infimæ ſpeciei ſint habendi. Hoc agnovit citatus à nobis Anſelmus Havelburgenſis, cùm enim ſæculô duodecimô alius Ordo Clericalis præter Canonicos iſtos Regulares non exiſteret, ſed tum tanquam nova extuberans plantula florere inciperet Ordo Præmonſtratenſium, eôdem Anſelmô teſte, quidam ſic huic novo, ùt dicebant, Ordini inſultabant, ut eum nec inter Monachos, nec inter Canònicos cenſendum crederent: Canonicos verò hos, id eſt, genuinos non aliter idem Anſelmus, quàm per regulam S. Auguſtini diſcernit: *Ecce*, (inquit ille in perſona impugnantium) *Videmus in Eccleſia Dei quosdam emergere, qui pro libitu ſuo inſolito habitu induuntur, novum vivendi Ordinem ſibi eligunt, & ſive ſub Monaſtica Profeſſionis titulo, ſive ſub Canonica diſciplinæ voto, quidquid volunt ſibi aſſumunt &c. & nec Monachos, qui ſub regula B. Benedicti militant, nec* **Canonicos, *qui ſub regula B. Auguſtini Apoſtolicam vitam gerunt*,** *imitantur.* En Canonicos, *qui ſub regula B. Auguſtini Apoſtolicam vitam gerunt!* habes ergò hìc ex mente Anſelmi, & ſpeciem infimam ſub regula S. Auguſtini ſignatam, & ſucceſſionem eorum certam per *vitæ Apoſtolicæ* obſervantiam. Pariter Stephanus Tornacenſis, cum Grandimontenſes nuper exortos audiret, ſe Canonicos jactare, mox in eosdem invectus mirabatur, quòd id præſumerent, cùm tamen regulam S. Auguſtini non ſectarentur. Ex quo tempore igitur in Eccleſia receptum eſt, ut religioſi ordines regulâ certâ ſe munirent, ſicut ordo Canonicus primus tunc omnium fuit, qui regulam Auguſtini ſibi obſervandam aſſumpſerat, ſic ſe ipſe per eam ſemper deinceps non ſolùm ab omnibus aliis ordinibus, verùm, & à quibuscunque nomen Canonicorum Regularium uſurpantibus, aut quocunque jure aliàs habentibus in complexo (ùt diximus) veſtis lineæ diſcrevit, & adhuc diſcernit.

Tertiò: Ex Thomaſſino ſuperiùs allegato audivimus, veſtem lineam omnibus clericis olim quotidianam fuiſſe, & uſitatam, deinceps verò à clericis vitæ votivæ non adſtrictis *in totum abjectam extra Eccleſiam.* Hanc veſtem lineam igitur, ut teſtatur Stephanus Tornacenſis, retinuerunt ſibi Canonici Regulares, tanquam inſtituti diſcretivam, & ut ſe ſive Pontificio Decreto, ſive (eodem nondum emiſſô) invaleſcenti aliundè uſui accomodarent, quô à votivis regula non qualiscunque, ſed ſcripta, ac certa paſſim aſſumebatur, proùt id apud Monachos omnes uſitatiſſimum, apud Canonicos verò, ſaltem à tempore Chrodegangi cæpiſſe certum eſt, ut hi iidem

Confirmatur idipſum ulteriùs.

Vide Concion. Steph. in feſt. S. Genov.

Digitized by Google

iidem votivi Canonici arctiùs ſe religioſæ vitæ illigatos declararent, rejectâ Aquisgranenſi illâ, jam utcunque corruptâ, quaſi medullam ex ea ſelecturi tertium S. Auguſtini ſermonem, quem diximus ibidem à Ticinenſi notatum, id eſt, ipſam, quam nunc habemus, regulam ſolam, ac unam ſibi adoptârunt, ſícque maximè accedente Decreto Pontificio propriam fecerunt, ut in complexo veſtis lineæ, eadem quoque veris, ac genuinis Canonicis votivis nota ſui ordinis diſcretiva fieret. At hìc occurres: dixiſſe nos Ordinem Canonicorum Regularium per ſolum finem particularem in ſua ſpecie infima conſtitui, pérque hunc, & per veſtem lineam, tanquam externam notam diſcretivam diſtinqui ſufficienter ab omni alio religioſo inſtituto, conſtitui denique per eandem ſic in ſua ſpecie infima, ut potiùs recentioribus ordinibus incumbat neceſſitas, ſe diſcernendi per plures notas particulares, quas ipſi ad ſuum novum inſtitutum conflandum ſuſcepêre, quàm ut eæ prætendantur ab ordine antiquo: Cur igitur, cùm præcipuè hactenùs ſemper regulam à notis diſcretivis, & conſtitutivis excluſerimus, nunc eandem expreſsè deſideramus?

Reſpondeo: Certum eſſe, quod de antiquis temporibus, & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio celebratum præcedentibus aſſerebamus; hujus verò ſummi Præſulis voluntas, cùm definiret, ut meritum objectivum ad quodvis religioſum inſtitutum ſeu formandum, ſeu ex parte ſaltem diſcriminandum, deſumeretur à regula; maximè verò hæc (niſi ſpecialis Apoſtolicæ ſedis exceptio aliud ſtatueret) ipſam quoque ſubſtantiam ſtatûs religioſi compleret in ſuo valore, ex tunc, dum abſque dubio regulam etiam in noſtro ordine tanquam partialem notam diſcretivam expeti affirmamus, nihil prioribus noſtris aſſertionibus adverſum docemus. Ubi ſimul recolenda ſunt ea, quæ numerò tertiò hujus capitis prænotavimus, ubi de merito objectivo agentes oſtendimus, quænam ſucceſſu temporis aſſumi poſſint pro totius alicujus moralis diſcrimine obtinendo, ſine ſui in ſpecie infima immutatione.

Quartò: Ex prænotatis à nobis jam ſæpiùs evidens eſt, totum aliquod morale diſcerni ſpecie infimâ ex merito objectivo, & judicio prudentûm, maximè, quorum intereſt tale diſcrimen in dubio definire, velut id in religioſis inſtitutis contingere ſolet. Sed quorumcunque intererat hac de re, ſeu de ſpecie infima Canonici ordinis à tempore Concilii dicti Lateranenſis ferre judicium, unam, ſolámque notam diſcretivam eſſe aſſeruerunt veri, ac Canonici ab Apoſtolis deſcendentis inſtituti, præter veſtem ſcilicet lineam, regulam S. Auguſtini. Ergò hæc ipſa, adæquatum ſolúmque diſcrimen eſt, ad ejusdem ordinis formandam ſpeciem infimam, ſuppoſito ſemper, & ſubintellecto fine ejusdem particulari, qui eſt vita mixta. 6.

Probatur ex merito objectivo has duas notas requiſitas fuiſſe præter finem ſolitum particularem ad diſcrimen Ord. Can. Reg. ſtatuendum.

Benedictus XII. in Bulla pro reformatione Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini an. 1339. edita ſequentia ediſſerit. *Inter religiones alias in agro ejusdem plantatas Eccleſia ad religionem Canonicorum Regularium Ord. S. Aug. ab Chriſti glorioſis diſcipulis in primitiva Eccleſia ſacris inſtitutionibûs ſtabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum - - - - nonnulla, quæ experientia deeſſe probavit, & ſupplenda dictæ religionis utilitas, quinimmò neceſſitas perſuadet, ſtatuenda providimus.*

Dein ſubjungit: *Statuimus igitur, ut quando in Eccleſia Cathedrali, monaſterio, ſeu loco religionis ejusdem, Canonicorum creatio fuerit facienda &c.* Quod ipſum ſæpiùs in hac Bulla repetitur: ſic §. 8. adhuc luculentiùs, *in ſingulis*, inquit, *Eccleſiis Cathedralibus, monaſteriis, atque locis collegiatis, ſeu Conventualibus religionis præfatæ principalibus, non ab aliis dependen-*

pendentibus - - - - - - & in ſingulis aliis locis religionis ejuſdem &c.

Iterùm §. 19. enumerat Provincias, Epiſcopatus, ac Diœceſes in quibus Capitula celebranda, & Canonicorum Eccleſiæ, Collegia, monaſteria exiſtere ſupponuntur, certa ipſius ſummi Pontificis ſcientiâ, utpotè, quòd eorum omnium nomina ſignata, Regeſtíſque Cameræ Apoſtolicæ inſerta fuerint, ſunt autem ſequentia: *Urbs Romana cum Epiſcopatibus nobis* (verba ſunt Pontificis) *immediatè ſubjectis, in noſtra ſpeciali provincia conſtitutis, cum toto regno Siciliæ pro una Provincia computatur. Provincia Thebana, Cretenſis, Athenienſis, Patracenſis, Corinthienſis, & Neopatenſis, cum toto Patriarchatu Conſtantinopolitano pro una. Regnum Cypri pro una, regnum Corſicæ, & Sardiniæ pro una, Provincia Piſana, Januenſis, Mediolanenſis, & Ravennas, cum Epiſcopatibus Plancentinenſi, Ferrarienſi, Ariminenſi pro una, Patriarchatus Aquilegienſis, & Gradenſis cum Provinciis Jadrenſi, Palatenſi, Raguſinenſi, Antibarenſi pro una, Provinciæ Strigonienſis, Colozenſis, & Gneznenſis cum Epiſcopatu Caminenſi pro una, Rigienſis pro una, Saliſburgenſis, Magdeburgenſis, & Bremenſis pro una, Colonienſis, Moguntinenſis, & Trevirenſis cum Epiſcopatu Bambergenſi pro una, Ebredunenſis, Viennenſis, Aquenſis, Arelatenſis pro una, Lugdunenſis, Tharantaſienſis, & Biſuntina pro una, Remenſis, Senonienſis pro una. Rotomagenſis, & Turonenſis pro una, Burdegalenſis, & Bituricenſis, cum Epiſcopatu Anicienſi pro una. Narbonenſis, Toloſana, & Auxitana pro una, Tarraconenſis, & Cæſar Auguſtana cum Epiſcopatu Majoricenſi pro una. Toletanenſis, Hiſpalenſis, Compoſtellanenſis, & Brachatenſis pro una, Cantuarienſis & Eboracenſis pro una. Tota Hybernia pro una. Regnum Scotiæ pro una. Regna Daciæ, Norvegiæ, & Sueciæ pro una provincia deputantur. Si qua verò Epiſcopatus, vel monaſteria, aut loca alia dictæ religionis exiſtant, quæ in aliqua dictarum Provinciarum minimè includantur. Quoad dicta Capitula Provincialia intelligantur eſſe de illa Provincia, cui viciniora exiſtere dignoſcuntur.* Demum decernit §. 40. proprium veſtitum, ſcilicèt veſtem lineam, ſub diverſa quidem forma, attamen neceſſariò portandam, tanquam ordini indiviſibiliter annexam, ac propriam, ut qui *exhibens ſe in publico, habitum, ſuperindumenta ſcilicèt linea, temerè occultaverit, ſi monitus emendare noluerit, juxta - - - - perſonarum diſtinctionem - - - - ſuſpenſionis, & inhabilitatis pœnas per idem tempus incurrat.*

Videtur hic error irrepſiſſe, utpote quod Saliſburgenſis nimiùm à Magdeburgenſi differat, ac potiùs trahenda fuiſſet ad Colonienſem, aut Aquilegienſem.

6. *Nomenclatura Ordinis S. Auguſtini ex merito objectivo propriè ſolùm convenit Canonicis Regularibus S. Auguſtini.*

Ex his ſequentia conficio, nempe Benedictum agnoviſſe religionem Canonicorum Regularium S. Auguſtini, tunc jam vulgariter ſic dictam à Chriſti Apoſtolis ſtabilitam eſſe, ab iiſdémque hanc ſolam, non tanquam genericum aliquem ordinem, ſed ſpecie infimâ formatam ſucceſſione continuâ deſcendere. Alióquin gratis hæc verba protuliſſet: *Eam ab Chriſti glorioſis diſcipulis in primitiva Eccleſia ſacris inſtitutionibûs ſtabilitam.* Et nominando eam *Ordinis S. Auguſtini*, demonſtrâſſe vivendi normam, ac regulam à Magno Auguſtino participatam, tum enim temporis non erat alia religio quæ ſcriberetur, diceretúrque Ordinis S. Auguſtini, quàm Canonicorum Regularium: nam licèt Eremitæ ex Gregorii noni decreto jam ad invicem uniti eſſent, illíſque regula S. Auguſtini ex ſpeciali favore ejuſdem Pontificis traderetúr obſervanda, neutiquam tamen aut præſumebant, aut eis licebat, ut ſe ſimpliciter dicerent Ordinis S. Auguſtini, ſed aut *Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, aut Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.* Idque meliùs, utpotè, cùm non videam, quomodò ſe Ordinis S. Auguſtini nominare poſſint, cauſâ apud omnes eruditos conclamatâ (ſolùm quibûſdam fors, ut Monachiſmum, cui jurârunt, ſancto viro impingerent, ſine lege, & teſte à vera ſententia deviantibûs) Auguſtinum nec Eremitam fuiſſe, nec Or-

Ordinem talem inſtituiſſe, ſed Monachorum *monaſteriis* quidem in Carthagine *fundandis* authorem, at ideo, tam parùm inſtitutorem dicendum Ordinis Eremitarum, quàm parùm exempli causâ Balduinus tot Monaſteriorum, tam Canonici, quàm Benedictini Ordinis in Belgio fundator, eorum ordinum dicendus eſt inſtitutor, & quàm parùm ideò aut Canonici, aut Benedictini ſe dicendos habent Ordinis Balduini. Quòd verò ſummi Pontifices, ùt Gregorius Nonus in Bulla annô 1241. & Alexander IV. in Bulla an. 1256. edita eos vocent Eremitas *Ordinis S. Auguſtini*, id factum eſt, non, ut aſſererent Ordinem hunc à S. Auguſtino eſſe inſtitutum, ſed, quòd aſſumerent verba ipſorum ſupplicum, qui ſe dicebant Eremitas eſſe Ordinis S. Auguſtini: vel idem intendebant, ac dicere, eos eſſe talis Ordinis Eremitarum (eò quòd plures ſub diverſis regulis tum viverent Eremitæ, quales erant Gullielmitæ ſub Regula S. Benedicti) qui haberent præfixam regulam S. Auguſtini, quam haud dubiè præ aliis regulis ideò tunc elegerint, ſcientes S. Auguſtinum magnum reformatorem fuiſſe Monachorum Carthagine, & in vicinis locis, propriáque ſua Diæceſi exiſtentium, hinc affectu quodam reverentiæ, ac gratitudinis impulſi. Itaque ſimpliciter Ordinis S. Auguſtini non alii niſi genuini, ac ab antiquis Canonicis deſcendentes ipſi Canonici Regulares nuncupabantur, ideò, quòd regulam magni ſui reformatoris, atque in ipſo hoc ſacro inſtituto viventis complecterentur; unde prudentiſſimus Pontifex ſagaciter providit, ùt ſtatim initiò, ipſius ordinis (de quo agendum erat) originem, & ultimò diſcretivum ſtatueret, in dicto quidem §. partem unam, at §. 40. partem alteram, ſcilicet veſtem lineam indiſpenſabiliter, & ſub pœnis conſuetis habitum religioni proprium dimittentium externè geſtandam.

Præterea: diſſertè ab ipſo nominantnr Eccleſiæ Cathedrales, collegiatæ, & monaſteria, ipſáque etiam ab aliis non dependentia. Atque hæc omnia dicuntur religionis ejuſdem, ut appareat, tam Cathedrales quàm collegiatas, & quæcunque demum monaſteria, ſeu dependeant ab aliqua congregatione, vel ab alio monaſterio, ſeu per ſe ſubſiſtant, ejuſdem religionis, ac ſpeciei infimæ cenſenda eſſe, neque ideo diverſa, quòd aliæ eſſent Cathedrales, aliæ collegiatæ &c. ſtuporem certè ingereret illa aſſertio, quâ diceretur, quòd exempli causâ Monachi S. Benedicti, cùm Eccleſiam Cathedralem Cantuarienſem incolerent, fuerint ſpecie diverſi ab aliis ejuſdem ordinis: aut Ciſtercienſes actu Cathedrali montis Regalis in Sicilia præſidentes alterius ſpeciei ſint à Ciſtercienſibus monaſteria communia inhabitantibus. Et tamen id aſſerere quidam etiam ex hodiernis naſutulis audent, fortaſſe, ut ſe magis ſæculares probent, quos æmulantur. 7.

Omnes tam congregationibus ſubjecti, quàm ab his independentes Canon. Reg. ſub dictis notis diſcretivis convenientes habentur ex merito objectivo à ſummis PP. ſub ejuſdem infima ſpeciei ordine.

Quæ ergò Eccleſiæ, ſeu Cathedrales, ſeu collegiatæ Canonicos Regulares S. Auguſtini (ùt nos ſæpe deſcripſimus) continent, unà cum membris, & cultoribus ſuis ejuſdem ſpeciei infimæ religionem tenere ex hac, & antecedente obſervatione Bullæ Benedictinæ indubitatum eſt.

Denique cùm tot Provinciæ, locáque enarrentur, in quibus Pontifex capitula celebranda decernit, pro certo ſuppoſuit, ùt diximus, in his omnibus, ejuſdem ſpeciei Canonicos ſua monaſteria habuiſſe; at in locis denominatis exſtitère quàm plurima, quæ nulli congregationi tum erant innexa, hinc aliis, atque aliis conſtitutionibûs particularibûs, cuique monaſterio, vel ad ſummum Diæceſi propriis, moderabantur: non minùs, quàm nunc aliter reguntur Windeſemenſes exempli causâ per Belgium, & magnam partem inferioris Germaniæ diffuſi, & aliter Lateranenſes, ſunt enim ho-

rum, illorúmque inſtitutiones multùm diverſæ: aliter iterum Canonici per ſuperiorem Germaniam, & per Bavariam, quorum iſti quâdam ſpecie congregationis vivunt, illi ab invicem planè alióquin diſcreti, nulli niſi ùt plurimùm Diœceſano ſubjiciuntur, ab eo viſitantur, ab eo Electiones Præfatorum, & conceduntur, & confirmantur, ſtatuta conduntur &c. Hæc tamen diverſitas tempore Benedicti omnimodè vigens non obſtabat ſpeciei infimæ Ordinis, quam in hac Bulla profitebatur Pontifex. Patet ergò, quòd in omnibus his Canonicis nihil aliud ipſe Pontifex ad identitatem ordinis ex merito objectivo agnoſcebat, niſi veſtem lineam, & regulam S. Auguſtini, ſuppoſitò ſemper, quod hìc monuiſſe ſufficiet, fine ſuo particulari in vita mixta conſiſtente.

8. *Tales habentur à Conciliis, Epiſcopis, fundatoribus &c. Canon. 26. & 27.*

Quintò: in Concilio Monpeſſulano annô 1214. editus eſt Canon pro Canonicis Regularibus, qui eorum inſtitutum ab aliis religionibus univerſis tunc exiſtentibus ſic diſcernebat, ut hoc unum definiret: *Canonici Regulares S. Auguſtini ſuperpelliceis* (id eſt veſte linea) *ſemper utantur - - - juxta regulam S. Auguſtini.* Habes hìc lineam veſtem, & Auguſtinianam regulam, quarum utramque obſervare jubentur, ut diſcretivum genuinum ſui inſtituti probarent.

Deinde: quotquot Monaſteria ad diſciplinam veterem Canonicam reformata ſæculô undecimô, ac duodecimô, fundatáve reperimus, in quibus Canonici conſtituuntur votivè ſecundùm priſtina SS. Patrum inſtituta vivere, illis aut antea, quàm decretum de regula cuique ordini deligenda Concilium Lateranenſe ederet, aut exinde regulam S. Auguſtini ſic impoſitam legimus, ut ſecundùm hanc inſtituerent vitam ſuam, quócirca quaſi antonomaſticè, & nomen Canonicorum Regularium his Canonicis reſtauratis adhæſit; & nomen S. Auguſtini, ut geminum illis proprium eſſet, ac peculiare, diſcerneréque ipſa S. Auguſtini regula eoſdem Canonicos tam apertè, tam diſſertè, ut nec litteræ fundationum, nec Bullæ Pontificum, nec carthæ Epiſcoporum aliud diſcretivum ad eoſdem Canonicos Regulariter ſecundùm antiquiſſimam normam primorum Clericorum, ſeu Canonicorum viventes, in ſpecie infima deſignandos ederent, niſi, quòd eos, aut ſimpliciter Canonicos ſecundùm regulam S. Auguſtini, aut regulariter, aut Clericos, Canonicóſve Regulares S. Auguſtini nuncuparent. Patet id ex centenis teſtimoniis: ſic Bertoldus ad an. 1095. ſcribit, Tullenſem Decanum tales reformatos, aut potiùs priſtinæ diſciplinæ reſtitutos nempe *Clericos ſecundùm regulam S. Auguſtini vivere profeſſos, congregaſſe.* Hanc fundationem probavit Urbanus ſecundus, ſed pariter non aliô diſcretivô, niſi, ut diceret, ſe decreviſſe, *ut clerici illius loci regulam S. Auguſtini in perpetuum cuſtodirent.* Præterea omnes ſummi Pontifices hanc ab antiquiſſimis temporibus ad hodiernum diem formulam obſervant in confirmationum ſuarum litteris, cuique Canonicorum Regularium monaſterio dari ſolitis. Nempe: *In primis ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur &c.* Adeóque, ſicut Pontifex per talem confirmationis Bullam intendit ordinem in ſua ſpecie infima determinare, quem pro tali monaſterio confirmat, ſic pariter ultimò diſcretivum allegandum eſt, ne videatur in rei ſubſtantia obſcurè, aut indefinitè loqui. Cùm itaque nihil aliud aſſignet, niſi ut *Ordo Canonicus ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam inſtituatur*, patet per hæc duo, ſcilicèt per ordinem (qui, ùt diximus, cum regula S. Auguſtini conjunctus, non eſt alius, niſi Canonicorum, veſte lineâ, ac Auguſtinianâ regulâ ſuum inſtitutum ab omnibus aliis diſcernentium) adæquatè in ſua ſpecie ni-

infima conſtitui. Quòdſi libeat, addi poterunt, quotquot de ordine noſtro Hiſtorici ſcripsêre à ſæculo præcipuè duodecimô, quo tempore paſſim jam regula S. Auguſtini in hoc noſtro inſtituto eminebat; hi Canonicum ordinem ſimpliciter nominantes dicunt, per S. Auguſtinum, ejusque regulam quaſi reſuſcitatum, ſæculô undecimô fuiſſe reſtauratum: hisque verbîs nihil aliud innuunt, niſi ſpeciem infimam Canonici genuini inſtituti. Sic Paulus Langius loquens de ſæculi 10. fatis: *Non tum ordines tot in Eccleſia clauſtralium erant, ſed duo tantùm: Canonicorum videlicet S. Auguſtini, & noſter Divi Benedicti.* Sic Sigebertus Gemblacenſis ad an. 1078. *ab hoc tempore cæpit reflorere in Eccleſia B. Quintini Beluacenſi Canonicus ordo primùm ab Apoſtolis, poſteà à B. Auguſtino Epiſcopo regulariter inſtitutus ſub Magiſtro Ivone.* Idipſum ſcribit Wernerus Rolevvinckus in ſuo faſciculo temporum. Gobelinus Perſona in ſuo Coſmodromio: *Beatus Auguſtinus,* inquit, *regulam, & ordinem Canonicorum Regularium inſtituit* Et cap. 90. dum narrat in monaſterio Bodekenſi introductos hos eosdem Canonicos; ſic ajt: *Wilhelmus electus Paderbornenſis tentavit reformare monaſterium in Bödecken ſuæ Diœceſis. Illud ad ordinem Canonicorum Regularium transferendo.* Ubi obſervandum, communiter tunc invaluiſſe, ut per ordinem Canonicorum Regularium, ùt diximus, antonomaſticè non alius niſi noſter intelligeretur, quamvìs Præmonſtratenſes diù jam exiſterent. Denique, ne nimii ſimus, Gerhohus Chronici Reicherſpergenſis ſcriptor (ùt Gretſero videtur, aliíſque) optimè ſui proprii inſtituti gnarus, fundationem ejusdem monaſterii ad annum 1084. enarrans ſolùm, ajt: *Wernherum locum illum in uſum Clericorum Deo, ſanctisque ejus ibidem, ſub regula S. Auguſtini in perpetuum ſervituris tradidiſſe.* Utque nec recentiores omittamus, Alexander natalis t. 6. ſuæ hiſt. de Canonicis Regularibus, noſtris ſcilicèt, loquens ajt: *Canonicus Ordo, quem à ſanctis Apoſtolis inſtitutum à S. Auguſtino renovatum, ac reformatum ſummi Pontifices Paſchalis II. Benedictus XII. Eugenius IV. Sixtus IV. Pius IV. & Pius V. Apoſtolicis diplomatibûs prædicârunt, ſub Caroli Magni, & Ludovici Pii imperio reſtitutus: cui ſynodus Aquisgranenſis I. annô Chr.* 816. *regulam ex diverſis Patrum ſententiis, & priſcorum Conciliorum Canonibus condidit, quam lege latâ promulgavit, & in omnibus Eccleſiis ditionum ſuarum ſervari juſſit Ludovicus Pius. Decimô ſæculô ab obſervantia regulari cecidit: Undecimô, virìs religioſìs, ac ſanctìs agentibûs florentior ſurrexit, ac propagatus eſt* &c. Dein n. 7. ejusdem articuli, ut declararet ſpeciem hujus Ordinis, inquit: *Canonicis Regularibus nec patrimonium, nec ulla bona quôvis modô quæſita proprio nomine poſſidere, aut peculium habere ullatenùs licebat, cùm S. Auguſtini inſtitutum ſectarentur.* Hæc enim clauſula notat Auguſtinianæ regulæ ſubſtantiam, nomine verò *Canonicorum Regularium* veſtem lineam; utpotè, qui uni (ex relatis ſuperiùs teſtimoniis) eandem conſervarunt.

Chron. citat. edit. Piſtor. t. 1. p. 1125. ead edit. t. cit p. 843.

Fuit Prior Carthuſiæ ad S. Barbaram Coloniæ an. 1494. vide edit. Piſt. t. 2. 548.

Edit Meybomii t. 1. Coſmodr. Perſonæ f. 211.

Chron. Reichers. edit Ludevvig. t. 2. f. 232.

Alex Nat. t. 6 ſæc. 11. & 12. c. 7. art. 7.

Manet ergò ſtabilita noſtra concluſio: quamvìs complures in ordine noſtro ſint Congregationes conſtitutæ, immodica etiam monaſteria per orbem excitata, atque fundata, ſeu aliquando exiſtentia, ſeu actu florentia, nulli tamen Congregationi unita conſpiciantur; quamvìs prætereà ſeu Congregationes iſtæ, ſeu monaſteria diverſìs præter S. Auguſtini regulam, privatìs, ac ſibi peculiaribûs conſtitutionibûs regantur, quæ aliis inſolita ſunt, ac inconſueta; quòdſi tamèn in his duobus ritè conveniant, nempe in veſte linea ſibi ex analogica priſtinorum Clericorum ſucceſſione propria, & in regula S. Auguſtini non qualitercunque, ſed ob Clericalem prærogativam ex illa hujus S. Doctoris reſtauratione

tione vitæ Apoſtolicæ, ac Clericalis eidem regulæ debitam aſſumpta, talis Congregatio, Eccleſia, ſeu monaſterium, jure dicendum erit Canonicis Regularibus ſpecie infimâ ſub eodem Ordine militantibus proprium.

9. *De Congregationibus Can. Reg à noſtro inſtituto, ſpecie diſtinctis Anque ordo noſter dicendus ſit ſpecies quædam ſubalterna,*

Verùm, jam ad alteram ſenſim quæſtionem enodandam deſcendimus, quâ perquiritur, quænam ergò illæ Congregationes ſint, ſub nomine Canonicorum Regularium diſtinctam ab ordine noſtro ſpeciem infimam formantes? Nam imprimis videtur in ordine hoc noſtro ſpeciem infimam non eſſe admittendam, ſed ſubalternam, ita ut tot inferioris, & contractioris ſpeciei Congregationes ſub ſe complectatur, quot ſub hoc nomine exiſtunt. Sic, ut unam honoris cauſâ nominemus, Præmonſtratenſem, ipſa ab initio planè eadem exſtitit cum Ordine Canonico S. Auguſtini, poſtmodùm verò, ubi ſtrictiorem aliquam normam vivendi aſſumpſit, & ſub ſigno Scapularis quoddam monaſticum vivendi genus elegit, attamen ſub vexillo magni Auguſtini permanſit, regulámque non minùs, quàm quíque Canonici Regulares genuini, profitetur, immeritò ex iſtorum albo ad novam ſpeciem ableganda, ſed potiùs tanquam aliqua inferior, & ſub nova, arctioríque reformatione reſtrictior erit reſpicienda. Quod ipſum fortè de aliis pluribus dicendum reſtaret, ſcilicet de Congregatione Gilbertinorum, S. Jacobi de Spata, S. Antonii de Vienna, de metri &c.

Ut huic quæſito reſpondeam, neceſſe eſt ex Philoſophia paucula prænotare, ubi de qualitate ſpeciei, ac generis agitur: in quo quæſito videtur ſuperior hæc objectio laborare. Noto itaque, genus, ſpeciem ſubalternam, & infimam aliàs etiam ſpecialiſſimam, aut atomam dictam, ſic inter ſe ordinari ut genus inter hæc tria ſupremum ſit illud, quod prædicatur de pluribus inter ſe ſpecie diverſis: ſpecies verò ſit id, quod prædicari poteſt de pluribus ſolùm inter ſe numero differentibus; at ſpeciem ſubalternam in hoc diſcerni ab infima, ſeu atoma, quòd illa ſub certo reſpectu poſſit eſſe genus, ſub alio verò ſit ſpecies, talis ſubalterna ſpecies ſolet aſſignari animal, iſtud enim prædicatum reſpectu hominis eſt genus, reſpectu viventis eſt ſpecies. His breviter ex Philoſophia in memoriam reductis patet, Ordinem noſtrum nunquam poſſe pro ſpecie ſubalterna computari. Ad hanc enim in quantum eſt genus requiritur teſte Porphyrio, & Izquierdo, ut ſicut ſecundùm totam ſuam eſſentiam debet ineſſe ſpeciei, ſic ſecundùm totum eſſe ſuum debet poſſe de eo prædicari, & hoc certum eſt non ſolùm in phyſicis, ſed etiam in moralibus, ita quidem, ut in iſtis, quæ ex merito objectivo aliquod totum hujus determinatæ ſpeciei conſtituunt, ſic debeant ſimul ſumptæ de quovis toto ſub tali ſpecie conſtituto poſſe prædicari, ut ſi vel unum eorum huic convenire nequeat, tale totum ſub hanc ſpeciem non referatur. Aſſumatur ergò inſtitutum noſtrum Canonicum in quantum ſuis partibus tam conſtitutivis, quàm diſcretivis conſtat, & juxta alibi dicta deprehendemus, illas eſſe, primò finem generalem omnibus religionibus communem, ſcilicèt tendentiam ad perfectionem per tria vota; deinde finem particularem, id eſt, clericatum cum habitu eidem proprio, ſeu veſte linea afforis ſemper comparente (ùt fusè alibi probavimus) atque hæc in ſpecie ſua infima ſemper conſtituebant hoc inſtitutum, quod negari non poteſt, cùm non fuerit ſpecies inferior, & ſpecialior aſſignabilis: eſt enim ſpecies infima, ſeu atoma juxta Philoſophos, quæ ſub nullo reſpectu poteſt eſſe genus, nec ullam aliam ſpeciem infra ſe habere: neque unquam ſpecies aſſignari etiam ex modernis poterit, utpotè, quæ, licèt contineatur

Iſagog. in Præd. Ariſt. cap. 2. Izquierdo diſp. 2. q. 13.

Digitized by Google

neatur ſub clericatu genericè ſumpto, non tamen ſub clericatu ad finem illum generalem contracto ſimul cum habitu, ſeu veſte illa myſtica ſtatûs noſtri Canonici propriè ſignificativa. Quamcunque enim religionem clericalem individuè aſſignaveris præter noſtrum inſtitutum, videbis, eidem non ſolùm aut eſſentialiter (ut ita dicam) aliquid adeſſe, quod præfato Canonico ſtatui votivo antiquo convenire nequit, aut deeſſe, quod ille neceſſariò expetit, quam obſervationem, cui libet, diſcutere per partes poterit, cùm nobis non vacet huic enumerationi inhærere. His poſitis

Reſpondeo, inſtitutum noſtrum Canonicum eò minùs ſpeciem ſubalternam dici poſſe, quò evidentiùs liquet nullam ſpeciem clericalem etiam nunc aſſignabilem eſſe, de qua ipſum tanquam genus aliquod plenè prædicari queat. Quòdſi enim ante ſæculum undecimum ordo clericalis votivus ſpecies infima fuerat, neque de ulla ſpecie clericali prædicabilis, multò magis dicendum id erit de Canonico inſtituto ab illo tempore, quo præter finem generalem, & particularem, habitum quoque myſticum neceſſariò ſibi annexum, regulam demum ſibi univit S. Auguſtini, nam ſi hæ quatuor partes conſtitutivæ ſimul ſumantur, longè ampliùs ad ſpeciem infimam determinabunt, ùt per ſe patet: ergò neutiquam Ordo Canonicus in quantum has quatuor partes conſtitutivas exigit ſpecies unquam ſubalterna dici poterit.

Unde facilis occurrit reſponſio ad inſtantiam præclariſſimi Ordinis Præmonſtratenſis; hunc enim certum eſt, aliquot luſtris ſub noſtra ſpecie fuiſſe computatum, atque adeò tunc analogum cum inſtituto noſtro; ubi tamen ſe idem ipſe per certos ritus, demúmque per formalem dimiſſionem habitûs linei hoc ipſo diſcrevit à noſtro, alia ſpecies evaſit, neque ampliùs ullô modô noſtri ordinis membrum (ùt dici ſolet) voluit æſtimari: cùm nempè relictâ veſte interdiu lineâ, aſſumptóque ſcapulari tanquam ordinis diſcretivô, ſpeciem quamdam monaſtico-clericalem formavit, eò certiùs diverſam à genuino, & (ſi dicere liceat) merè votivo-clericali Canonico, quò luculentiora hujus rei teſtimonia nobis jam à primæva ejuſdem ſacra Ordinis Origine miniſtrantur: Etenim notiſſima eſt illa Galteri animadverſio in D. Norbertum, quòd *Canonici officii immutationem prædicans eſſe ſequendam, ſacris Canonibus, & ipſi Auguſtino obviaret*, *ſicque ſe à Canonica illa, puráque regulari Clericali vita quodammodò ſepararet.* Ut nil referam, quod de Norbertinis rejectâ lineâ, ſeſe laneâ induentibus tanquam pelliceatis atque ideò à Canonico puro inſtituto diſtinguendis ſcribit Hugo Metellus. Quamvìs autem, quamdiù diſceptatio tenebat, Præmonſtratenſes ſpecialem ordinem conſtituere non dicerentur, ſed potiùs congregationem, olim, ac maximè ſæculô duodecimô ſæpiùs ſub *Ordinis* nuncupatione intellectam, dum tamen iidem religioſiſſimi inſtituti Norbertini Sectatores ſe firmiter ad novum hoc (*excluſâ in communi uſu lineâ veſte*) conſtitutum, cum quibuſdam aliis ritibus ſtrictâ, & ſub ipſius ſpeciei ordinis conſervandæ obligatione, reſolverant, tum demum certum, diverſos à noſtro Canonico votivo-clericali inſtituto ſeſe diſpeſcuiſſe. Dico conſultò: *Sub ipſius ſpeciei ordinis conſervandæ obligatione.* Nequit enim negari, Præmonſtratenſibus præter regulam S. Auguſtini, propria eſſe quædam ipſam ſpeciem ordinis conſtituentia, quæ quidem S. Norbertus jam præſcripſit ſuô modô ſervanda; cùm verò dein accedente Pontificia Auctoritate hæc tanquam conſtitutiva ordinis decernerentur, atque inde ex merito objectivo ſpeciem diſtinctam ab inſtituto noſtro conſtituere cognoſce-

Apud Radulph Tung. de Canon. obſerv. propoſ. 7. Bibl. SS. PP.

Ep. 41. in M. SS. apud Sirmond.

noſcerentur, ſpecie quoque diſtinctus ordo agnitus eſt, & dudum declaratus. Quamvìs nos eundem primò ſæculò ſuæ originis (quò adhuc ambiguum erat, ſpeciémne conſtituerat alienam, dum tam diverſa amplecteretur, an potiùs illis dimiſsis, ſeséque in eſſentialibus accomodaturus unum inſtitutum formaret?) noſtro ordini tanquam commembrum vindicemus. Intereà neutri parti reluctantes, ſeu quæ ad initium eum ordini noſtro adſcribit, ſeu quæ jam tunc diſtinctum cupit, ſolùm in eo informari argumentis congruis ab iis, quorum intereſt, cupimus, quam in partem oporteat, propendeamus, dum Prodromo huic noſtro ipſum opus ſubmittemus, ne ſcilicèt ullô modô celeberrimo ordini offendiculo ſimus. In hoc tamen fixi, firmíque, eundem ſacrum ordinem nunc non ſolùm aliam congregationem, ſed ſpeciem quoque diſtinctam formare: hinc ſubalternam in *ordine* quidem *Canonicorum Regularium* (ſimpliciter ſub his terminis reſpecto) admittemus: complectitur enim omnes diverſiſſimæ ſpeciei Canonicos votivos, ſed Ordinem Canonicorum Regularium (quem jam à ſeptem penè ſæculis S. Auguſtini vulgariter nuncupamus, quique nihil ſibi aliud eſſentiale agnoſcit præter finem generalem, id eſt, vitam votivam, & finem particularem, id eſt, clericatum, aut pleniùs dicendo! vitam mixtam cum notis diſcretivis ipſa ſcilicèt regula S. Auguſtini, veſtéque lineâ) aliam, niſi ſpeciem infimam, & cum Philoſophis loquendo ſpecialiſſimam eſſe, pernegamus omninò, atque diffitemur.

At dices: Regulam S. Auguſtini à ſæculo undecimo, aut duodecimo per Concilium illud generale Canonicis præſcriptam ſic immutaſſe ſpeciem Prioris Canonici Ordinis, ſicut exempli causâ Præmonſtratenſibus talis diſcriminis cauſa eſt ſcapulare, aliíque ritus noviter aſſumpti: quòdſi ergò hi ſpecie diſtincti cenſentur, etiam illis cum reſpectu ad antiquos Canonicos impingenda diſcrepantia erit. Præterea, quaſdam à nobis nuncupatas Congregationes Canonicorum Regularium cernimus tam diverſis ritibûs, ac conſtitutionibûs ligari, ut, ſi benè ponderentur, diſtinctiorem daturæ ſint ordinem, quàm unquam Præmonſtratenſes, præcipuè, qui non ſunt de primo rigore. Sic Windeſemenſis congregationis monaſteria quantam diverſitatem in conſtitutionibus ſuis, in veſtitu, imò in ipſis horis Canonicis retinent à monaſteriis Canonicorum, quæ nulli congregationi connectuntur? &c.

Reſpondeo: regulam S. Auguſtini tam parùm aliquid in ordine noſtro ſæculô duodecimô ſolenniter receptam immutâſſe à forma Canonicorum veterum, quàm in Eccleſia immutaverint ſuperaddita antiquis Canonibus decreta Concilii Tridentini, ſicut enim hæc ſunt quædam ſumma veterum Canonum, & eorum declaratio, nihílque novæ ſpeciei formæ ſemel conſtitutæ Eccleſiæ Catholicæ attulerunt, ſic nec Regula S. Auguſtini ordini noſtro Canonico: nam, ùt pro certo oſtendimus, regulam de nullius ordinis religioſi eſſentia ſpeciem infimam conſtituente unquam fuiſſe, igitur, ſeu adeſſet, ſeu abeſſet iſta in individuo talis, nihil ad formandam, aut mutandam illam infimam ſpeciem conferre potuit: Quòdſi verò de regula, proùt eam deſcripſimus primò modô, & ad omnem ſtatum religioſum ſemper neceſſariam, ſit controverſia, plenâ voce pro ea pugnamus; eò, quòd illa quoque Canonicis votivis à tempore Apoſtolorum nunquam defuerit, primùm digeſta per Canones, multis verò in monaſteriis adjectâ, ac obſervatâ ipsâ S. Auguſtini, vel Hieronymi, vel Sylveſtri &c. regulâ, dein maximè in Germania, Aquisgranenſî receptâ, abhinc demum unanimî votô, atque emolumentô uni-

univerſim admiſſâ ſolâ regulâ Auguſtinianâ. Ex quo quivis prudens arbiter judicet, quid demum hæc regula ſuperaddere voluerit, ut inſtitutum ipſum Canonicum inde novâ ſpecie immutatum diceretur? an adeò illigatus ex tunc eſt Ordo Canonicus, ut niſi regula hæc eſſet, ipſe ſuam ſpeciem non retineret? Quis enim inſcius eſt ex eruditis, regulam hanc à Canonicis aſſumptam non ob aliam cauſam, niſi quia ipſa Canonica, id eſt, quædam quaſi Canonum ſynopſis, ideò quoque multis in partibus Decreto inſerta? quod irrefragabiliter antiquiores maximè profeſſionum formulæ manifeſtant æquè, ac recentiores plurium collegiorum. Canonici enim S. Antonini Rutenenſis usque dum vovent, ac profitentur *clericatum, & ſanctitatem vitæ ſecundùm conſtitutionem B. Auguſtini, & cæterorum Patrum &c.* An hoc non eſt ſecundùm Canones vovere? Canonici aureæ Vallis apud Pictones olim, nunc verò S. Laſni Toarcenſes *tradunt ſe Eccleſiæ S. Petri &c. ita, ut jam non liceat collum excutere à jugo Canonicæ regulæ S. Auguſtini.* Canonici permulti tum Cathedrales, tum collegiales, ùt habetur ex Tabulario Piperacenſi, ad noſtra penè tempora formulam retinuêre hujus Piperacenſis Eccleſiæ, in qua dicitur: *Promitto obedientiam ſecundùm Canonicam regulam B. Auguſtini.* Idem eſt reperire in tot formulis, ut locus deficeret omnes hìc deſcribendi. Sicut ergò Monachi S. Benedicti regulam profitentur, quia monaſtica eſt, ſic Canonici Auguſtinianam, quia Canonica, ſeu Canonum ſynopſis eſt: idémque illis eſt, Canones ipſos, vel regulam vovere S. Auguſtini. Sed, ùt diximus, cùm hæc regula tot prærogativis in jus recepta ſit à genuinis Canonicis, hinc meritò ab illis, & nomen Authoris regulæ eſt aſſumptum. Neque urget à Præmonſtratenſibus mutuata inſtantia, regula S. Auguſtini in Canonicis nil effecit ampliùs, niſi ut, quos ipſi Sparſim emiſſos Canones jam anteà obſervandos voverant, in regula Auguſtini, quaſi quendam in nucleo collectum Iliadem profiterentur; at Præmonſtratenſium ritus, & conſtitutiones noviter ſuſceptæ ſic ab ipſis promittuntur cuſtodiendæ, ut ſpecie diſtinctum inſtitutum efforment, &, ſi illas dimitterent, inſtituti Præmonſtratenſis non eſſent. Accedit maximè, quòd rejectâ veſte lineâ ſcapulare in ſignum ſui inſtituti elegerint, proùt jam latè oſtendimus.

Deinde in Congregationibus noſtri ordinis ferri non poteſt ſpeciei diſcrimen ex diverſitate conſtitutionum, & rigoris diſciplinæ; quòdſi enim hoc argumentum moveret, tot in ordine quoque S. Benedicti eſſent ordines ſpecie diſtincti, quot Benedictinorum Congregationes. Hinc ſolùm obſervanda eſt inſtituti obligatio, ex eo namque, dum monaſterium, vel congregatio ſe liberè reſolvit ad hunc, illúmve modum arctiorem diſciplinæ introducendum, non mutat ordinem, ſed munit: at dum aut tollit, quod ei proprium, vel addit, quod ex merito objectivo notabilem diverſitatem cauſat, tum & ſpeciem ordinis mutare neceſſe eſt. Poſſent Windeſemenſes noſtri dimittere, quoscunque demum rigores ordini, regulæque S. Auguſtini adjecerunt, imò, & ipſam Congregationem, atque tum deſinerent quidem eſſe Congregationis Windeſemenſis, manerent tamen immutabiliter iidem Canonici Regulares: at ſi Præmonſtratenſes ſcapulare, & Norbertinam diſciplinam, ſolâ regulâ Auguſtini certisque ordinem non obligantibûs conſtitutionibûs retentis unà cum veſte lineâ commutarent, tum quidem ad Canonicum genuinum inſtitutum tranſirent, ſed Norbertini eſſe non perdurarent. Denique, quod de diverſitate veſtitûs adfertur, dicimus, ſubſtantialem ordinis noſtri habitum veſtem lineam eſſe, neutiquam ab ullo Pontifice,

Canonéque præſcriptam, quâ formâ geſtanda ſit; eâdem nè olim quidem omnibus in locis æqualiter obſervatâ: cùm enim linea hæc deſignativa propriè, ac myſtica ſit inſtituti genuini Canonici, quod profitemur, ſufficiet eam ſeu hâc, ſeu illâ formâ, ſi modò ſubſtantiæ non obſit, exprimere. Verùm de diverſitate iſta ſequenti capite conſultò agetur, ubi in hanc rem plura.

10. *Reformationes Ordinis quælescunque non immutant ſpeciem ordinis, niſi aſſumantur eâ diſcriminis neceſſitate, ut ex merito objectivo diverſus æſtimari debeat.*

Iterùm oppones: inter alias diverſitates noviter Ordini Canonico adjunctas certè eſſe reformationes aliquas, nimis antiquo mori diſconvenientes: quales præcipuè repetire eſt in Congregatione prædicta Windeſemenſi, Mortarienſi, & Lateranenſi, ùt per ſe conſtat. Et quod maximè, proùt jam initiô hujus articuli attigimus, illa eſt Congregationibus propria, & ingenita mutatio perſonarum, quæ immediatè clericali inſtituto antiquo opponitur, ùt ſuprà diximus.

Reſpondeo: De reformatione omnia in ſciendo ſecundo hìc ad ſolutionem inſervientia præmiſimus; quia igitur omnes Congregationes, imò omnia quæcunque monaſteria à viris doctiſſimis æquè, ac maximis Eccleſiæ columnis (quorum propriè intereſt de merito objectivo judicare) ſemper judicata ſunt in ſua ſpecie neutiquam ab antiquis Canonicis differre, patet inde nullam reformationem, in omnibus his ſeu Congregationibus, ſeu monaſteriis talem fuiſſe, quæ ſuffeciſſet ad novam ſpeciem inducendam. Quod verò objicitur de ſtabilitate per Canones præcepta, & de mutatione perſonarum per Congregationes inducta, ridiculum eſt: nam antiquiſſimi Canones conceſſerunt clericis ab una Diœceſi, & Eccleſia ad alteram emigrare, ſolâ licentiâ ſui Epiſcopi, hanc verò habent omnes hi Canonici ſub Congregatione viventes, non ſolùm verò ab Epiſcopis, ſed ab ipſo Summo Eccleſiæ Capite. Adde, omnia monaſteria unius Congregationis poſſe reputari per modum unius Diœceſis reſpectu talium perſonarum, illorum verò Generalis, aut caput ſupremum tanquam loci Epiſcopus, ſicut igitur hic antiquitùs jus habuit clericos in ſua Diœceſi jam ad hanc, jam illam Eccleſiam ablegandi, ſic & id tali capiti ſupremo adjudicatur. Quòd ſi verò reponas, Epiſcopum non potuiſſe clericum aliquo beneficio ſemel inveſtitum inde liberè dimovere, ſicut id poſſunt Canonicorum Regularium Prælati in ſuis manualibus, ùt vocant, beneficiis. Dico Canonicum Regularem ſic inveſtiri beneficiô ſui Collegii, ſicut quicùnque clericus beneficiô exempli gratiâ alicujus Parochiæ, & ab hoc neutiquam Canonicus dimoveri poteſt, at poteſt à beneficio manuali, ſicut & quivis clericus, utpotè, quòd eô nunquam Canonicè inveſtiatur. Quòd ſi urgeas dicendo: ſaltem Canonicum Regularem in aliqua Congregatione conſtitutum, qualis eſt Lateranenſis &c. liberè à beneficio ſui Collegii dimoveri poſſe, atque hinc nulli certo loco incardinari. Reſpondeo, quemvis Canonicum etiam in Congregationibus conſtitutum certo Collegio per Profeſſionem incardinari, & ſolùm illam mutationem ab uno loco in alium eſſe manualem, ùt patet in omnibus Congregationibus, Lateranenſi, Windeſemenſi, Genovefana &c. quarum ſinguli Canonici ſuum titulum habent ad locum profeſſionis ſuæ.

11. *Canonici Regulares omnes illi ſpecie infima æquales atque ſub uno identico ordine computandi, qui finem ſuum particularem [qui eſt vita mixta, id eſt, votivo-clericalis]*

Ex hactenus diſputatis, atque reſolutis plana jam via ſuppetit ad dignoſcendos Canonicos Regulares genuinos veterum Apoſtolicâ propagatione inſignium clericorum ſucceſſores, ab aliis hoc nomen Canonicorum Regularium quidem præſeferentibus, attamen ſpecie diſtinctis. Cùm enim ad Canonicum Regularem S. Auguſtini (quô ſolô nomine ſeſe genuini ab aliis diſcernere ſolent) requiratur, ùt ſæpè in hoc capite effati ſumus, finis generalis, qui cuique ſtatui religioſo com-

complent veſte lineâ cum regulâ S. Auguſtini.

communis eſt, & cum eo finis particularis, qui eſt ipſe clericatus, ac in evidens puri, ſinceríque hujus clericatûs nullâ Monachili notâ proùt inſtituto adæquatè ſumpto propriâ commixti ſignum ipſa veſtis linea; denique præter hanc regula S. Auguſtini; patet quòd quicunque Ordo, quamvìs nomine Canonicorum Regularium decoratus (ſi unum ei ex his allegatis defuerit) ſpecie diſtinctus cenſendus ſit ab ordine Can. Regul. S. Auguſtini communiter dicto.

Hyacinth. Graviſon hiſt. Eccl. tom 5 colloq. 6. p. 131. col. 2.

Hinc inanis eſt Authoris nuperi cujuſdam contentio, qui, cùm, quaſi fluctuans arundo, de ordine Canonico animum ſuum diverſis affectibûs plenum hinc inde manifeſtâſſet, & congeſſiſſet non pauca in hujus ordinis noſtri (ùt colligere licuit) præjudicium, attamen ordinem ſuum magno niſu annumerare huic noſtro inſtituto percupiit, hìs præcipuè rationibûs firmatus; Primò: Quòd Honorius Tertius in Bulla confirmationis ſtatuerit: *Ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, ac B. Auguſtini regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibûs inviolabiliter obſervetur.* Secundò: Quòd nullam aliam regulam S. Dominicus ſuis præſcripſerit, niſi regulam S. Auguſtini. Tertiò: Quòd licèt fratres ſub Reginaldo annô 1218. veſtem lineam ex Decreto Honorii cum Scapulari tanquam divinitùs præmonſtrato commutârint, inde tamen non deſiêrint eſſe Canonici Regulares, quia Religioſi Præmonſtratenſes ſunt veri Canonici Regulares, etſi non deferant veſtem lineam &c. Ex his namque patet, Authorem iſtum non qualitercunque nomen Canonici Regularis, ſed & rem ita prætendere, ut ſuum ordinem ſpecie infima analogum noſtro accenſeat inſtituto. Verùm huic nos reponimus, quòdſi eô jure, quô Canonici Præmonſtratenſes, aliíque complures hoc nomen ſibi vendicant, ùt plurimùm, quòd ſuæ religionis Originem partim à Fundatore Ordinem noſtrum profeſſo adepti ſint, partim etiam, quòd hujus Canonici inſtituti quædam ad informationem religionis à ſe inventæ aſſumpſerint, ùt ſunt regula S. Auguſtini cum certis clericalibus exercitiis: ſi inquam, hoc jure Patres Prædicatores Canonici Regulares nominari, aut eſſe quoque cupiunt, lubentes huic ſancto deſiderio ſubſcribimus, & tales ſemper quemadmodùm complures alios hoc nomine claros ſpecie tamen à nobis diſtinctos venerabimur, ac cognoſcemus. At ſi jure analogicô, atque identico? tamdiu id ſecurè negabimus, quamdiù in illis certum, ac irrefragabile ordinis diſcretivum, veſtem ſcilicèt lineam communi uſu ſolitam, afforis pro evidenti indicio genuini Canonici Regularis S. Auguſtini portatam, & exhibitam, non conſpiciemus. Intereà in hoc præfatum authorem mirantes, adeò ſibi in citato colloquio de ordine Canonico ſuis adjudicando complacuiſſe, çùm aliàs de eo ſic diſcurreret, ut etiam amicos huic ordini favere deterreret (quod, quia ſuperiùs memoravimus, hìc non æſtimamus repetendum) in hoc tamen liberalis, ut, cùm ex ſua ſententia plures ſpecies ordinum in unum Canonicorum Regularium commiſceat, non tam injuriator omnium videatur eſſe, quàm conſors.

Sint igitur Canonici Regulares, quotquot velint, aliud hoc nomine non expriment, non evincent, niſi ordinem *Canonicorum Regularium* eſſe poſſe ſpeciem ſubalternam, ſub qua ſicut continentur Canonici Regulares S. Auguſtini, ſic numerari ſub illa valeant Canonici Præmonſtratenſes, S. Jacobi de ſpata, de metri, ſeu de pænitentia, Antonii de Vienna, aliíque complures, at has ſpecies infimas inter ſe convenire, & unam completè formare, nemo rerum noſtrarum peritus aſſeverabit. Inſtantiam habemus ab ordinibus clericorum regularium: poteſt enim non minùs

Ordo Clericorum Regularium conſiderari ùt ſpecies ſubalterna, ſub qua comprehendantur clerici Piarum Scholarum fundati an. 1597. Societ. Jeſu fundati an. 1540. Matris Dei Lucæ, fundati 1574. Theatini fundati 1524. S. Pauli decollati, fundati 1526. aliíque quàm plurimi, qui omnes quamvìs ſub hac ſpecie ſubalterna clericorum regularium conveniant, nunquam tamen ſeu hic, ſeu alter eorum aliter, niſi ſpecies infima, à reliquis omninò diſcreta aſſeretur.

Quòd ſi quæras, quid ex datis noſtris principiis de congregatione S. Salvatoris Bononienſis dicendum ſit, qui quamvìs lineâ veſte ſupari induantur ex inſtituto, attamen ex eodem præſcripto ſuprà lineam ſcapulare laneum portant.

Reſpondeo, non immodicè de his Canonicis diſceptatum fuiſſe, an inter noſtros legitimè, ac abſolutè habendi ſint? ſed, cùm demum Bulla emanâſſet Calliſti tertii annò 1456. poſt hoc inſtitutum incæptum 48vò, in eáque non ſolùm Pontifex declarâſſet: *Canonicos de congregatione hujusmodi fuiſſe, & eſſe veros Canonicos Regulares dicti ordinis* (id eſt, in ſpecie infima cum inſtituto noſtro, de hac quæſtio enim vertebatur) verùm etiam rationem convincentem, & ex merito objectivo legitimè reſultantem præmiſiſſet hìs verbìs. Quòd *pro parte Prioris, & Canonicorum prædictorum* (ſcilicèt Bononienſium) *aſſerentium, quòd ipſi ſecundùm regularia inſtituta dictorum* (nempe Canonicorum S. Auguſtini) *Canonicorum Regularium profitentur, & degunt, ac* **Rochetum**, *proùt alii Canonici prælibati, deferunt. Fuit humiliter ſupplicatum, uti ipſorum voto ſuper hoc opportunè provideretur.* Denique & alterum ſcrupulum causâ ſcapularis ſic ſuſtuliſſet Julius ſecundus in Bulla, quæ incipit: *inter cæteros &c.* data annô 1512. ut diceret, *ſcapulare ab ipſis portari non tanquam ſignum monachile*, ſed ſolùm à ſede Apoſtolica datum, quòd *inſigne aliàs clauſtralium eſſet, & ex ſpeciali munere, & devotione iis fuerit donatum.* Hinc, cùm illud ſcapulare non aliter reſpiciatur, quàm habitus, ſeu ornatus quidam accidentalis, velut exempli causâ Canonici S. Sepulchri cruce ſignatum exteriorem habitum retinent: abhinc inter legitimos Canonicos Regulares S. Auguſtini eos reputandos eſſe, nullus abnuo. Atque neutiquam aſſentior illis, qui quacunque ratione minùs ſolidâ allecti eosdem tanquam ſpeciem ab ordine noſtro diſtinctam habendos eſſe cenſuerunt.

12. *Quædam Can. Reg. S. Auguſt. Congregationes enumerantur.*

Paucìs jam enumeremus ordinis noſtri Congregationes ſeu aliquando, ſeu actu florentes, & ad invicem genuinam ſpeciem infimam conſtituentes.

Inſtituta propriè ùt congregatio annô 1446. ùt alibi probabitur.

Prima, eáque nobiliſſima eſt Congregatio Lateranenſis per totam maximè Italiam diffuſa, multìs Collegiis, Abbatiis, Præpoſituris, Prioratibûs, aliîſque religioſis locìs opulenta, de qua, dum ad condignam laudem promendam foret ſtringendus calamus, neſcio, an in ea elaboranda juſtum volumen ſufficeret? igitur ſicut hujus ita, & ſubſequentium, dum ſolùm memoriam iſthic referimus, magìs peculiaria dicenda ſuis locis reſervamus.

Secunda eſt Congregatio S. Ruffi per totam Galliam dilatata, quæque inter ſinus ſuos, fervorem diſciplinæ retinere non contenta, conſtitutiones ſaluberrimas aliis quoque comunicans exordium, incrementúmque ampliſſimum ſumpſit. An. 1084.

Tertia nobiliſſima Congregatio Colimbricenſis, cujus primus Plantator exſtitit S. Theotonius. Vide Pennot. l. 2. c. 59. An. 1133.

Quarta eſt Congregatio S. Frigdiani Lucenſis Authore Bartholomæo de Columna, & Jacobo Avogrado viris Doctiſſimis, ac Religioſiſſimis. Nunc ipſamet Lateranenſis. An. 1406.

Quinta S. Salvatoris Bononienſis, aliàs Scopetinorum à loco pri- An. 1408.

primitùs inhabitato ſic dictorum, Auctore Stephano priùs religioſo Ordinis Eremitarum.

An. 1408. Sexta S. Georgii de Alga, ſed nunc exſtincta, cujus monaſteria partim ſæcularibus, partim alieni inſtituti regularibus ſunt conceſſa.

circa initium duodecimi ſæculi. Septima Mortarienſis S. Crucis: nunc Congregationi Lateranenſi unita ab anno 1449.

An. 1118. Octava Portuenſis apud Ravennas ſub Paſchali ſecundo exorta, ſed ſæculô decimô quintô Congregationi Lateranenſi unita eſt.

An. 1194. Nona S. Marci Mantuæ: ob commendata penè omnia licèt florentiſſima monaſteria per clericos ſæculares, unà eſſe deſiit.

cir. annum 1113. Decima Congregatio S. Victoris Pariſienſis, olim celeberrima, & uſque in Germaniæ inferioris complures provincias ſuos extendens palmites, at nunc eſſe deſiit.

cir. annum 1064. Undecima S. Laurentii de Plebe Martyrum in Delphinatu: celebris olim congregatio, ſed nunc fermè ad incitas dilapſa.

cir. annum. 1632. Duodecima S. Genovefæ: quæ nunc in tota Gallia venuſtiſſimè floret.

Sæculô undecimô. Decima tertia Congregatio Aroaſienſis, quæ olim fæcundiſſima erat, at jam à multis annis unione diſſolutâ, extincta eſt.

Decima quarta Congregatio Windeſemenſis hodiedum florentiſſima, & quæ unica eſt in tota Germania, cui complura tum virorum, tum Virginum monaſteria ſubſunt, de quibus in deſcriptione multa notatu digniſſima referentur.

Ultima, eáque his temporibus percelebris Congregatio eſt S. Salvatoris, cui initium B. Petrus Forerius nuper Catalogo Beatorum ſolenni ritu adſcriptus, dedit: cui jungenda altera ejusdem noſtri inſtituti ſacrarum Virginum ſub titulo noſtræ Dominæ ab eodem Beato inſtituta, quæ gemina hac ætate floret eximiè, noſtróque ordini non exiguum decorem contribuit.

Atque hæ præcipuæ, ac nobiliores Congregationes ſunt Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſub eadem antiquiſſima ſpecie Deo ſervientium, quibus quidem quæpiam minores accenſeri poſſent, niſi ad alia properandum eſſet.

His Congregationibus adjungenda ſunt univerſa monaſteria à nulla earum dependentia, ejusdem tamen infimæ ſpeciei, qualia (ut de illis, quæ infrà fines noſtræ Germaniæ non continentur, ſileamus) in Germania omnia ſunt, ſi Windeſemenſia, & Foreriana perpauca excipias: utpotè, quòd noſtri inſtituti Congregatio alia, ùt diximus, hìc non reperiatur, niſi fortè talem dicas eſſe, quam videntur Canonici S. Sepulchri conflare, de quibus ſuô locô agetur.

Demum ultimæ quoque ſatisfaciendum eſt quæſtioni, quid de aggregatione monaſteriorum ad quampiam congregationem ſentiendum? 13. *Quid Aggregatio ad aliquam congregationem ex ſuprà dictis, & quis ejus fructus atque emolumentum?*

Reſpondeo: Hanc vocem dupliciter eſſe conſiderandam, in ſenſu ſcilicèt ſtricto, & in aliqualiter latiori, cùm enim *aggregare* idem ethimologicè ſit, ac *aſſociare*; ſtrictè loquendo ſit alicujus rei ad alteram aggregatio, dum ei aſſociatur, ſeu ſocietate ſimilitudinis, atque æqualitatis jungitur, quam anteà non habuit. Latiori verò modô, at magis propriâ Ethimologiâ nominis (ùt habet Calepinus ad vocem *aggregare*) *aggregare*, idem eſt, ac *congregare*, id eſt, *diſperſa colligere*: Quæ collectio fieri poteſt rerum ejusdem ſpeciei ad eandem rem pertinentium, ſed hic, & nunc certô modô disjunctarum, velut dum oves unius gregis in campo patulo hinc inde paſcua conquirentes ab invicem ſeparantur quidem, attamen eundem gregem formant: congregantur autem ſeu aggregantur, dum in unum cumulum, vel cætum conjunguntur. Hæc verò aggregatio poteſt dupliciter fieri, vel moraliter, vel phyſicè, ſic congregatio fidelium, vel aggregatio ſecundô modô ſumpta, non fit phyſicè, ſed moraliter, ita quidem, ut

Digitized by Google

ut, etſi nunquam ad unum cætum phyſicum coarctari valeant omnes fideles, fit tamen id moraliter: hôc enim modô eſt omnium fidelium unum ovile, una verbi Divini paſtio, una meritorum communio &c. quamvìs phyſicè, & ſecundùm corpora multìs paraſangìs ſint inter ſe diviſi. Hìs poſitìs, dico, aggregationem apud Canonicos maximè Germanos complures reperiri, ad congregationem nominatim Lateranenſem: cauſa eſt, quod aggregatio iſta non fiat primô, ſed ſecundô modô à nobis explanatô, firmatur verò hæc talì fundamentô: ex quo Congregatio S. Frigdiani annô 1401. ſuos progreſſus accepit, ut ipſi S. Frigdiani Eccleſiæ ſe complures Abbatiæ, ac monaſteria clericalia ſubderent, hæcque congregatio caput evaderet (non ſolùm origine, ſed & præſtantiâ) totius ordinis in ampliſſimis Italiæ Provinciis tunc florentis, hunc demum honorem obtinuit, ut ipſa reformatrix fieret annô 1446. Eccleſiæ Lateranenſis; dum per Canonicos Frigdianarios eadem celeberrima omnium Eccleſiarum Mater ejectìs ſæcularibûs Canonicìs (ipſam extruſis regularibûs ad centum, & quinquaginta annos occupantibûs) reformata eſt non ſolùm in diſciplina regulari, ſed & in unum, cum illa Eccleſia, congregationis corpus fideliſſima ſocietate coaluit. Eugenius enim quartus, cùm in privilegio ſuo diſſertè cognoviſſe ſe dicat, quòd venerabilem locum iſtum (id eſt, Eccleſiam Lateranenſem) ſummi Pontifices prædeceſſores ſui *inennarrabilibûs indulgentiis &c. & honorum privilegiis ſublimàrunt, & decoràrunt titulis dignitatum: Divinam in terris familiam clericorum, qui religioſam vitam ducerent, & ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctam inſtitutionem ſervarent, quos Canonicos Regulares appellamus, ſacrum inter clericos, & miniſtros Chriſti vivendi modum in ſacrata Baſilica inſtituerint, firmarint, erexerint, & perpetuò deputarint, ut hi primæ in terris Eccleſiæ, & matris ſanctorum Apoſtolicâ providentiâ curam gererent, qui primorum Chriſtianæ religionis clericorum normam, traditiones, & inſtituta ſectantur &c.* Præterea cùm ultrà profiteretur idem ſanctiſſimus Pontifex ſacram Baſilicam per dicti ordinis clericos longìs temporibûs ſanctè, & ſalubriter gubernatam fuiſſe certiſſimâ ſcientiâ, & veritate ſe comperiſſe, & hoc evidentiſſimè obteſtari innumerabilia documenta, denique ſe velle ſanctam Eccleſiam Lateranenſem ad primævum ſtatum, & ordinem reducere, ut ſcilicèt ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam ibi noſcitur inſtitutus perpetuìs futuris temporibûs inviolabiliter in dicta venerabili Baſilica vigeat: ſe ſtatuiſſe, & perpetua ſtabilitate firmâſſe, ut præfata Baſilica per præfati ordinis clericos in perpetuum gubernetur. Patet ex his omnibus Canonicos Lateranenſes ejuſdem ſpeciei infimæ fuiſſe cum Frigdianariis, aliàs Pontifex nequiviſſet dicere, ſe extradendo, atque committendo dictam Baſilicam Canonicis S. Frigdiani, *reſtituere eam, ac reducere ad primævum ſtatum, ac ordinem, primam inſtitutionem repetere, & Patrum terminos reponere.*

Deinde cùm ait, ultrò ſe ſpecialiter ad congregationem de Friſonaria nuncupatam reſpexiſſe, atque prædictam congregationem in dicta Eccleſia Lateranenſi *conſtituiſſe, poſuiſſe, erexiſſe,* & *deputâſſe*, ſequitur, ùt diximus, Eccleſiam Lateranenſem ſic cùm congregatione Lateranenſi coaluiſſe, ut unum corpus efficerent.

Denique dum decernit, ut deinceps omnes dictæ congregationis conventus, & loca ab hujuſmodi S. Baſilicæ titulo, & totius congregationis capite nomen accipiant, & Salvatoris congregatio appelletur, & ſinguli dictæ congregationis Canonici ubicunque Domino ſervientes hujus Baſilicæ clerici miniſtri, & religioſi, ac de ipſius capituli gremio in omnibus juribus,

&

& privilegiis cenſeantur: liquet, ex tunc quidem nomen hujus congregationis cæpiſſe omnibus eidem unitis tam Canonicis, quàm monaſteriis attribui, quod, quamvìs anteà factum non ſit, ex tunc tamen ab omnibus Canonicis ampliùs, ac ſolidiùs hoc nobiliſſimum nomen affectari cæpit, quò faciliùs univerſi huic congregationi etiam ſtricto jure non uniti ſe ideò membra ejuſdem dicere poſſent, quòd, ſi non ab hac individuè conſideratâ deſcenderent, certè ſub ejus infima ſpecie continerentur, & ſuô modô, ſi non à congregatione, ab ipſa tamen Lateranenſi Eccleſia ſuam originem eatenùs ducerent, quòd cum ſæculis prioribùs inde, ut ita dicam, lex regularis clericalis vitæ per ſummos præcipuè Pontifices exiret, & in orbem univerſum diffunderetur; deinde rurſum reformatio ejuſdem non aliunde, niſi ab hac Eccleſia ſub Nicolao ſecundo, Gregorio ſeptimo, Alexandro ſecundo, & tertio emanaret; ut, quemadmodùm ſemper ante hanc congregationem inſtitutam omnes ſe ex jure originis in occidente clerici votivi, nuncupare Lateranenſes, ita & inde dicere congregationis Lateranenſis poſſent.

Verùm occurres: afferendo diſparitatem Canonici Lateranenſis Eccleſiæ, & Lateranenſis congregationis: nam, qui ſe aut immediatè, aut mediatè deſcendentes à Canonicis Lateranenſibus probare poſſunt, certè & nomen ſibi arrogare tanquam filii, aut nepotes ab uno ſtipite conceduntur; at longè aliud in congregationibus uſuvenit, in illis enim nemo participare poteſt nomen, niſi & normam, ob quam inſtituta eſt, obſervet: hinc cùm congregatio Lateranenſis exorta ſit annô 1446. patet Canonicos ante hoc tempus in diverſis Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ &c. locis fundatos, licèt plantationem ſuam à Lateranenſi Eccleſia immediatè, aut mediatè obtinentes, neutiquam Congregationis Lateranenſis dicendos, utpotè, quòd hujus eſſe non poſſent, quæ nunquam exſtiterat: imò neque nunc tales dicendos omnes illos, qui non conſtitutiones, normámque ab hac congregatione præſcriptas, & in eſſe ſuo firmantes plenè obſervant.

Reſpondeo: omnes Canonicos Regulares haud dubiè ſe dicere optimo jure poſſe Lateranenſes, imò, & congregationis Lateranenſis: omnes, inquam, qui aut mediatè, aut immediatè inde deſcendunt, id eſt, quorum collegia, ſeu monaſteria illâ formâ, normâque vivendi primitùs imbuta ſunt, aut qui per ipſos Lateranenſes Canonicos in tali collegio, primam Coloniam conſtituerunt. Sicut in Germaniam, certum eſt, primam Coloniam ex Lateranenſi Aſceterio, atque Archetypo fuiſſe aſſumptam, quod nos in deſcriptionibus noſtris clarè oſtendemus, & per hos deinde eandem diſciplinam in alia quæcunque demum monaſteria cum primis Coloniis ſemper inde diffluxiſſe: ſic exempli causâ monſtrabimus Salisburgenſes Canonicos ſuam regularitatem primitus à Lateranenſibus hauſiſſe, inde Canonici Seccovienſes ſuam, ab his dein Voravienſes, ab iſtis Pöllavienſes &c. hôcque modô de iſtis omnibus dici jure poteſt, eos ex inſtitutione ſua Canonicos Lateranenſes eſſe: at id non ſolùm, verùm etiam eſſe congregationis ejuſdem. Porrò, qui inſtitutam hanc congregationem veteres Canonici præceſſerant, frequenter à ſcriptoribus dicuntur congregationis Lateranenſis per prolepſim, ſeu anticipationem, proùt ſimilia exempla complura exſtant, de quibus alibi egimus: eò quòd ipſi quoque inſcribi defuncti ſoleant in catalogum, aut Sanctorum, aut Necrologium, quod etiam aliis congregationibus conſuetum eſt. Hinc non apparet, cùr adeò inſultandum Stephano Cremonenſi, aut Oliverio S. Ubaldum Epiſcopum Eugubinum, & in Cathedrali SS.

14. *Canonici Regulares collegiorum nulli ex enarratis congregationibus unitorum, aut aggregatorum, participant omnia privilegia, & gratias his conceſſas, proùt ſimpliciter idem dicunt ac ordinem.*

Digitized by Google

Vide Bolland ad 16 Maij vit. S. Ubal. com. præv n. 4. Et Ital. ſacr. in Ep. Eugub. t. 1. f. 635. in addit.

SS. Jacobi, & Mariani Canonicum Regularem annô 1160. florentem Lateranenſibus non ſolùm, verùm & eorum congregationi adſcribentibus: imprimis enim certum eſt Eugubinam Eccleſiam annô 1278. reformatione per Frigdionarios accepta ejuſdem congregationis membrum fuiſſe factum, dein unà cum aliis annô 1446 in Lateranenſem conceſſiſſe. Sicut igitur antiquiſſimos Sanctos eadem congregatio Lateranenſis catalogo ſuorum meritò adſcribit, ita S. Ubaldum inter illos collocat; quòdſi enim *eorum meritis* (ùt inquit Pius V.) *eadem congregatio per orbem propagata, & illuſtrata exſtitit*, cur non ipſi tanquam ſplendidiſſima ſydera huic Lateranenſi olympo, congregationi, inquam, tantis laudibùs à primis Eccleſiæ Præſulibus deprædicatæ, atque dilaudatæ accenſeantur? Quamvìs & aliô ſenſu horum ſcriptorum mentem aſſequi liceat, potuiſſe hoc nomine congregationis ipſum Lateranenſium Religioſorum totum ſimpliciter intelligi, atque hôc ſtylô S. Ubaldus adhuc liquidò congregationis Lateranenſis Canonicus dicendus erit, inter ea membra ſe regulariter viventem collocans, quæ originem, converſationémque ſuam in Portuenſi cænobio in acceptis tulerant ipſis Lateranenſibus. Sic enim optimè hanc veritatem annotavit Hieronymus de rubeis dicens: *Canonici Lateranenſes, quorum ab ipſis Apoſtolis ductum initium ferunt, à divóque Auguſtino Hypponenſi Epiſcopo inſtauratum, deinde à Petro Peccatore* (intellige Petrum de honeſtis) *in Portuenſi cænobio ad Ravennatem cùm ferè interiiſſet, elatum, & abſolutum, ùt memoravimus, Ravennam ſe ad cænobium Portueuſe contulêre &c.* igitur Petrus de Honeſtis vir ſæculô undecimô eximiè florens diſciplinam Lateranenſem cùm aliquot ejuſdem Eccleſiæ Canonicis ad monaſterium Portuenſe informandum tranſtulit, ubi præter regulam ſancti Auguſtini ſaluberrimas conſtitutiones præſcripſit, non verò ſolas, excluſâ Auguſtinianâ regulâ, quod quidam inaniter commentantur, cùm inſolitum non fuerit regulæ ſancti Auguſtini conſtitutiones magis ſingulares adjungere: has verò S. Ubaldus per aliquot menſes in monaſterio Portuenſi divertens, ibíque Canonicam vitam profeſſus ſecum non ſine divina approbatione intercurrentis miraculi Eugubium detulit. Hìs perpenſìs, cur quæſo hunc ſanctum virum aut Lateranenſem, aut congregationi eidem adſcribendum negemus?

In Bulla Canonicorum proprio præfixa.

Hiſt. Ravennat. l. 7. ad an. 1419.

Intereà tamen ſupereſt adhuc & alia reſponſio ad mox allatæ oppoſitionis partem poſteriorem, fundata quidem in iis, quæ mox diſſeruimus; ſuperaddens verò Bullam illam quâ ſummus Pontifex diſſertè concedit hujus congregationis Lateranenſis Abbati, ut quodcunque monaſterium ubicunque ſitum adunare poſſit huic congregationi tanquam capiti, talíque monaſterio communicare exinde omnia jura, ac privilegia tanquam vero, ac genuino membro hujus nobiliſſimæ congregationis. Neque obſtat, à multis collegiis ſic unitis non obſervari conſtitutiones ejuſdem, néque ipſa obligari ad eas: Videmus enim in aliis ordinibus id ipſum fieri. Quis námque ignorat Caſinenſis congregationis quot membra in Germania reperiantur, quæ tamen nullìs capitulis ibidem celebrari ſolitis, nullìs diætis, nullis illi congregationi peculiaribùs ritibùs arctantur? quod nos facilè probare poſſemus, ſi noſtrûm eſſet falcem mittere in meſſem alienam. Solùm id inferamus ad rem noſtram hinc optimè ſequi, quæ à nobis de unione monaſteriorum noſtrorum in Germania ad Lateranenſem congregationem referuntur, jure ad id præcipuè fundato in idenditate inſtituti, & analogicæ propagationis, quâ dicere poſſumus omnes deſcendentes à Lateranenſibus filios eſſe; ergò quòdſi *filius, & hæres*: Ut ex Pauli 4. Gal. 7. legiſtæ loquun-

Digitized by Google

Habetur §. 2. inſtit. de hæred. qual. & diff.

quuntur, *hæres* verò *in omne jus, non tam ſingularum rerum Dominium ſuccedit, cùm & ea, quæ in nominibus ſunt, ad hæredem tranſeant.* Pomp. L. 137. ff. de ad vel om. hæred.

15\. *Aggregatio ad Congregationem Lateranenſem participationem eorum ſolùm privilegiorum ſuperaddit, quæ Congreg. Lat. ut tali, non verò, quæ ei, ut Ord. membro conceſſa ſunt: hôc enim modô eorum participatio aliundè ad totum ordinem extenditur.*

Ex quo demum concludimus, quam communiter nuncupare ſolemus monaſteriorum noſtrorum aggregationem, obtinendam per certas ſupplicas, ad Abbatem Lateranenſem dirigi ſolitas, fortè operari poſſe, ut participentur hâc normâ privilegia, & prærogativæ illæ, quæ præcisè alióquin, ac ſtrictô modô congregationi, ùt tali, conceſſæ ſunt. Quia verò plurima Lateranenſibus non ex intuitu erectæ congregationis, ſed meritorum Canonici Ordinis, membrorúmque in Eccleſia Lateranenſi tam eximiè, támque inſignî emolumentô ultra 800. annos ſedi Apoſtolicæ, ac maximè Deo deſervientium collata ſunt, hinc facilè apparet, etiam nullâ talî intercedente ſupplicâ aut aggregatione participationem privilegiorum, ac gratiarum omnium, cunctis ejuſdem ſpeciei Canonicis obvenire. Unde obſervandæ ſunt privilegiorum, & gratiarum Bullæ, quô ſenſu loquantur. Nam ſi congregationis nomine intelligatur ipſe ordo, proùt ſuperiùs ex Lorichio notavimus, privilegia illa, & gratiæ ad totum pariter ordinem ſeſe diffundent: ſi verò ſolam congregationem ſecundô modô ſumptam tales Bullæ deprehendantur cum quibuſdam terminis expreſsè exceptivis, aut definitivis complecti, gratiæ illæ niſi aggregatis, aut aliundè unitis prodeſſe non poterunt: ratio autem hujus utriúsque eſt, quod hæc ſit communis iſtarum vocum interpretatio recepta: de quo videri poſſunt authores de communicatione privilegiorum ſcribentes, ubi inter alios Rodericius docet, quòd privilegium conceſſum uniloco alicujus ordinis participent omnia reliqua monaſteria ejuſdem ordinis. Quæſt. Can. & Reg. tom. 1. q. 55. art. 18. & cùm talis privilegiorum uſus apud omnes alióquin religioſos ſit conſuetus, non video, cur id apud Canonicos Regulares in dubium trahi poſſit ob rationis paritatem.

Denique tota hæc quæſtio de aggregatione in id reſolvi poteſt, ut, ſi per eam nova quædam intelligatur aſſociatio, non aliter niſi ad ſummum talis intelligi valeat, quæ ſit ad congregationem ſub hac diſſertè formalitate conſideratam. Proùt verò idem innuit, quod ordo religioſus, ſeu ùt congregationem primô modô explicavimus, talis aggregatio de novo nihil operabitur, ſed ſolùm quandam inſtaurationem conferet, idem enim efficiet, quod talium privilegiorum participationi tribuere de novo poteſt ipſa ſedis Apoſtolicæ confirmatio, de qua non ita pridem vir quidam eruditiſſimus, ac aliquot editîs librîs clarus à me conſultus, ſequentia doctiſſimè reſpondit: *Quod motivum, aut quis fructus confirmationis Apoſtolicæ, qua nonnullis collegiis - - - - confirmata eſt aggregatio ad congregationem Lateranenſem? Reſpondeo. Motivum eſſe potuerit, quòd nonnullis dicaſteriis præſertim Salisburgenſi, ipſius aggregationis valor, ac vis videri voluerit ſuſpecta. Fructus cæteróquin, ſi curam hujus metûs excipias, nullus eſt, cùm confirmatio nihil de novo tribuat, ſed ſolum tuitionis munimen adverſùs impugnantium importunas moleſtias conferat. Deliberabam Romæ, an non & ipſe pro Collegio meo ejusmodi confirmationem facillimè impetrandam peterem, diſſuaſit quiſpiam Abbas Lateranenſis prudens, & doctus, inquiens: æſtimantur à veſtris Germanis hujusmodi confirmationes, quæ tamen &c.* Dicam id ipſum de aggregatione, nam aut primô modô illa fiet ad ipſam ſcilicèt congregationem præcisè, ùt talem? & modicum in privilegiis, ac jure quæſito ſupplicantibus ſaltem effectivè adjiciet, ſi ſolas indulgentias quaſdam non contemnendas excipias: aut ſecundô modô ad Lateranenſes ùt Ordinis Can. Regul. membra? & erit hæc aggregatio nil,

niſi tuitionis munimen adversùs impugnantium importunas moleſtias, quæ ſi necdum per talem aggregationem tolli poſſint, ſufficienda eſt Apoſtolicæ Sedis confirmativa Authoritas, non alia de cauſa tam facilè obtinenda, niſi quòd eidem per ſe ſupplicum preces compertæ ſint, certiſſimâ, ac antiquiſſimâ niti veritate. Per quod tamen nulli petendam talem aggregationem diſſuadere velim, quin potiùs ad firmandum tuitionis munimen omnimodis conſulo.

CAPUT VIII.

De veſtitu Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

FRequentiùs hactenùs veſtitûs Canonici occurrebat memoria, in quantum is propriè diſcretivus dicitur inſtituti noſtri ab omni alio, diximúſque hanc eſſe veſtem lineam; non metuo, ne mihi ampliùs hoc in capite concurrendum ſit campô, utpotè dubiîs veſtem lineam attinentibûs, diverſis in locis hujus exegeſis, ad plenum declaratîs. Igitur in præſentia non alia nobis incumbit provincia, niſi, ut imprimis ipſius veſtis hujus ſubſtantialis, lineæ nimirum, exponamus qualitates, ſuppoſitîs iîs, quæ dudum retulimus. Secundò alia quoque veſtimenta Canonicis noſtris propria deſcribamus, cauſis ut plurimùm eorum aut inventorum, aut geſtari ſolitorum propoſitîs.

1. Veſtis linea Principalis habitus Canonicorum Regularium. Cujus nomen, forma, uſus &c. enarratur.

Veſtem lineam cur ſibi propriam, & ad ordinis ſui exigentiam habeant S. Auguſtini Canonici, obviam eſt reperire. Ne tamen omninò cauſam hanc præteriiſſe videamur, ſciendum eſt: olim & adhuc multis Canonicis uſitatam eſſe non ſolùm veſtem lineam, verùm & nigram cappam (de qua paulò inferiùs plura) atque utrumque hunc veſtitum propriè fuiſſe tum diſcretivum ſemper, tum myſticum inſtituti noſtri: linea enim veſtis notabat in canonicis, ſeu votivis clericis vitam activam, cappa verò nigra vitam contemplativam, unde perquam doctè de utraque Stephanus noſter Tornacenſis, qui ſæculô 12. vixit, & noſtri ſtatûs rationem, proprietatémque fundatiſſimè penetravit. Sic autem vir iſte doctiſſimus inducens S. Genovefam per proſopopæjam B. Virginem alloquentem: *Domina*, inquit, *de plenitudine Virginitatis, & munditiæ tuæ porrige mihi, unde novis futuris Canonicis meis formam candoris imponam, linum ſcilicèt candidum, & ab ancilla tua Magdalena penatrice poſtulabo lanam: ex lino tuo ſuperpelliceum, ex lana ejus cappam fratribus meis conficiam, qui habitus eſt Canonicorum Regularium non ſolùm proficiens, ſed & ſufficiens. In ſuperpelliceo candor munditiæ, in cappa rigor pœnitentiæ; ut qui viderint, eos ſuperpelliceîs indutos, dicant de eis: candidi facti ſunt Nazaræi ejus, cùm reſpexerint cappas eorum, dicant de eis, nigri ſunt, ſed formoſi, filia Jeruſalem &c.* *Serm. in feſt. S. Genov.*

Veſtis itáque linea Nazaræis attribuitur, quia eorum nomine (út explanat Lyranus) Levitæ, & Sacerdotes veteris teſtamenti deſignabantur, & veſte iſta, Sacerdotum religionem, ac laborem in Machabæis deſignatam fuiſſe obſervat Cornelius. *In 4. Thren. v. 7.* *In Daniel. c. 10. v. 5.*

Hæc verò veſtis apud Canonicos diverſum cultum, formáſque obtinuit; antiquiſſimis temporibûs, totum corpus lineâ amiciebatur, pertingente uſque ad talos. Hácque veſte adhuc induebantur Canonici Regulares ſæculô 13. ût colligere licet ex Concilio Monpeſſulano anni 1214 *Tunicas non habebant curtas, vel apertas ab anteriori, vel poſteriori, ſed longas, & clauſas:* *Can. 18.* quas deinde breviores admiſit Turonenſe an. 1583. Can. 13. *Superpelliceîs*, inquit: *ultrà medias tibias propendentibûs utantur.* Ex quo patet tum lineam jam aliquantò decurtatam fuiſſe, & quæ antea Albæ formam ſuſtinuit, dein novam quan-

Digitized by Google

quandam ſaltem in longitudine accepiſſe.

Certum autem eſt ſicut antiquitùs, & quidem uſque ad noſtrum penè ævum totam exteriorem togam obtexerat ad albæ formam, veſtis linea, & æqualis in omnibus Canonicis votivis conſpiciebatur, ſic ſenſim aliam, diſcrepantémque figuram nacta eſt apud Canonicos diverſorum locorum, quamvìs minimè diverſæ profeſſionis, aut inſtituti: ex quo ſanè opinor, varia quoque lineæ veſti nomina adveniſſe. Nam ùt videre eſt apud Scriptores, nuncupabatur eâdem antiquiſſimâ voce, *linea tunica:* ſic enim apud S. Auguſtinum legitur. *Nemo det birrum, vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in communi.* Succeſſu verò temporis hæc *tunica linea* cæpit quoque *Camiſia* nominari; quamvìs enim alióquin idem *Camiſia* eſſet, ac *interula*, in uſum tamen dein aſſumpta hæc vox eſt ſignificandæ lineæ tunicæ clericalis, ac ſacerdotalis, unde Papias, *Alba*, inquit: *Veſtis Sacerdotalis uſque ad talos, unde & talaris dicitur: Dicitur verò à ſimilitudine Camiſiæ quotidianæ, quia de lino fit, ſtringens ſuperiora, & inferiora.* Sicut autem oportebat Canonicos votivos, imò omnes Clericos, ùt ex Ratherio, & Leone IV. notum eſt, præter Albam, ſeu tunicam lineam, quam quotidiano uſu induebant, in miſſa aliam *ſacratam* albam deſuper aſſumere: nam: *Nullus in alba, quâ in ſuo utitur, præſumat Miſſas cantare*, inquit citatus Pontifex: *Et nemo illâ albâ utatur in ſacris myſteriis, quâ in quotidiano, vel exteriori uſu induitur.* Decernit Riculphus Epiſcopus Sueſſionenſis in Conc. Can. 7. annô 889. ſic in Concilio Colonienſi an. 1260. eadem veſtis ſub nomine Camiſiæ geſtanda in ſacrificio præcipitur: *Sacerdotes autem ipſi, quotieſcunque celebraturi ſunt Miſſam, veſte Camiſiali ſub albis non careant, ne Albam, quæ conſecrata eſt veſtis, ipſorum tunicæ valeant immediatè contingere, nec ipſa tunicæ comparere.*

Apud Cang. v. Camiſia.

Leo IV. hom. de Cur paſt.

Can. 7.

Ultrò dein identidem plura nomina obtinuit. *Subtilis* dicitur à Chroniſta Windeſemenſi, *ſuperpelliceum* à Durando in ſuo rationali, & à Stephano Tornacenſi noſtro Epiſt. ad Albin. Card. Colobium etiam nominatum eſt, cum figuram eam haberet, quam ethimologicè Colobium indicat: Scilicèt tunicæ abſque manicis, qualem olim, & Laici, & Monachi, & Clerici portabant, diverſô tamen colore, atque materia: de Clericorum Colobiis Anſelmus Collector Decretor: ex Euſebio ſic ajt: *à Sancto Sylveſtro, & Presbiteris ejus Colobiorum uſus ſumpſit initium, & Marcus, ac Julius, & Liberius ex ordine ſunt uſi. Poſt hos autem Colobia in Dalmaticas commutata ſunt.* Veſtis igitur linea, quâ plerique Canonici Regulares in Bavaria induuntur, antiquiſſimam clericorum lineam imitatur, nam Colobium tunica erat ſine manicis, aut cum manicis brevioribus, qualia nunc geſtare videmus Epiſcoporum Capellanos à ſacris inſervientes: ſine manicis autem noſtrorum Canonicorum præfatorum portandi mos eſt eò laudabilior, quò ineptiùs ad dedecus, & injuriam ſanctiſſimi ordinis noſtri quidam haſtulîs utentes lineîs (de quibus mox) ſic eas occultant, ut non niſi magnâ induſtriâ, ac circumſpectione adhibitâ videri, ſícque demum ſaltem veſte dignoſci poſſint, regularéſne clerici ſint, ac Canonici, an ſæculares?

Apud Cang. hoc verbo p. 1173. vet. edit.

Cotta, fortaſsè ſtrictiùs loquendo, idem in re, ac *ſuperpelliceum* atque *Rochettum*, nam in Regula Sempringhamenſi p. 725. lego *Miniſtris Altaris ſint ſuperpellicea cum capuciis, quæ caput, & colli nuda protegant, cum ſacerdotalibus veſtimentis induendi fuerint.* Et in Concilio Baſileenſi an. 1431. ſtatutum eſt: *Ut Canonici Cathedralium Eccleſiarum horas Canonicas dicturi, cum tunica talari, ac ſuperpelliceis mundis ultrà medias tibias longis &c. Eccleſias ingrede-*

Digitized by Google

Lindw. ad provinſ. Eccl. cantu. l. 3. tit. 27.

grederentur. Pariter, & *Rochettum* à Lindwido reputatur inter veſtes clericales maximè ad divina myſteria peragenda ſolitas. Hinc colligas, cùm anteà Canonici Regulares paſſim veſtirentur lineâ tunicâ, proùt format camiſiam, aut ſuperpelliceum, aut Rochettum, aut Cottam, illôque nunquam depoſitô uterentur: ubi clericis aliis diſtrictè præcipitur, ut ſemper induti, aut ſuperpelliceo, aut Rochetto horis Canonicis perſolvendis interſint, id Canonicos Regulares ſuâ ſolâ uſuali veſte lineâ præſtitiſſe. At quidam modernorum, qui minimîs Sarrociorum, támque tenuibûs ligulîs contenti, ut videri vix queant, inſuper hîs ſolis amicti horis Canonicis publicè perſolvendis interſunt, abſque eo, ut ſe ſuperpelliceîs, aut Rochettîs veſtiant, an debito peragendi chori ritui, cæremoniiſque ſatisfaciant, vehementer addubito. In conſtitutionibus Benedicti XII. §. 40. habetur: *Præcipimus autem, quòd Canonici prædictæ religionis infrà Eccleſias, & Clauſtra locorum Cathedralium, aliorúmque Conventualium, ſeu Collegiatorum ipſius Religionis, & alibi conventualiter incedentes, portent ſuperpellicea magna, & ampla, juxta cujuslibet Eccleſiæ conſuetudinem* (id eſt, qualis ſuperpellicei Eccleſiaſtici portandi forma conſueta eſt) *rationabilem, quæ in longitudine manicarum ultrà manum quatuor digitis transverſalibus, vel circa, & ultra mediam tibiam, vel circa in ſui longitudine protendantur. Extra Eccleſias verò, Clauſtra, & loca prædicta &c. uti poſſint ſuperpelliceis, quorum manica uſque ad palmum in latitudine vel circa, & eorum longitudo uſque ad mediam tibiam, vel circa protendantur.* Ergò ex hac conſtitutione patet, oportuiſſe Canonicos lineam ſpecialem, & corpus, ſeu veſtem laneam conſuetam integrè uſque ad tibias obtegentem portare, dum Eccleſiæ munia obeunda erant, minorem verò, & ſine, aut ſaltem cum brevioribus manicis extra eandem. Neque dicas conſtitutiones iſtas eſſe abrogatas, nam dum lex aliqua abrogatur, non continuò illa quoque obligare ceſſant, quæ anteà in uſu erant: at veſtis iſta ad formam ſuperpellicei majoris, ſeu Rochettum ſemper pro Eccleſia, & divinis agendis Canonicis præſcripta legitur. Potiúſque hæc conſtitutio eſt confirmativa legis priſtinæ, quàm inductiva novæ. Igitur ſicut choralis, & propriè Eccleſiaſtica veſtis reputatur ſuperpelliceum, aut Rochettum, ſic & Cotta. Hinc Canonicis Regularibus S. Marci de Mantua expreſſè prohibetur, ne Cottâ niſi in Choro, & Capitulo induantur, utpotè propriâ illis veſte Eccleſiaſtica: *Canonicis*, inquit Alexander Papa: *Non liceat uti Cottis, niſi tantùm in Capitulo, & in Choro, divinis officiis, & obſequiis circa Altaria exhibendis &c.* eſt verò Cotta teſte Cangio: *Tunica Clericis propria.* Hinc iterum liquet Cottam diſtinctam fuiſſe à tunica linea interdiù portari à Canonicis conſueta: neque officit, ſub lite eſſe, an Canonici Mantuani S. Marci tempore Alexandri IV. ejuſdem Ordinis noſtri fuerint, utpotè quòd regulam S. Auguſtini non haberent, imò ab ipſo ſummo Pontifice diſtinctus Ordo aſſereretur. Dico enim præſcindendo ab hac controverſia, ipſos etiam ante regulam S. Aug. ſuſceptam interdiù lineîs veſtitos inceſſiſſe, quod ſufficit ad aſſertum noſtrum probandum, aliam veſtem lineam pro miniſterio divino, diſtinctámque à quotidiano, ac uſuali, ipſis fuiſſe præſcriptam. Unde ſequitur.

Alex. 4. ep. 24. ex Reg. Can. S. Marci de Mantua apud Cang. verbo *Cotta*.

Vide Pen. l. 2. c. 50.

Saroccium vel *Saracium*, ùt habet Cangius: iſtud in ſe ipſo diverſam formam induere debuit, ut tandem aptum eſſet Canonicis, ac ſatìs commodum; & utinam, non omninò in quibuſdam diſpareret. Olim enim amiciebat totam tum anteriorem, tum poſteriorem partem corporis à collo uſque ad initium ſaltem tibiæ, ſine manicis tamen, in fine verò lateraliter qua-

tuor

Digitized by Google

rúor circiter digitis claudebatur, aliàs ab humeris usque deorſum apertum. Sed cùm quibusdam, maximè Germanis, hæc adhuc incommoda eſſet lineæ veſtis ad quotidianum veſtitum amplitudo, obtinuerunt, ut non ſolùm itinerantes, ſed & domeſtici conſtrictius illud facerent, ex quo demum *banda linea*, ſeu *parvum colaretum linteum* (velut id in quodam diplomate Pontificio nuncupatur) aut ùt id vocant Pennotus, & Mauburnus, *faſcia*, *haſtáve linea*. Hæc dependebat infra genua, erátque ſaltem quatuor digitorum in latitudine: decrevit, & coanguſtata eſt menſura iſta in tam minutam, & quidem ex ſubtili adeò, ac pellucida Sindone elaboratam Saroccii umbram potiùs, quàm rem, ut ne propè quidem agnoſci poſſit: quemadmodùm jam ſuperiùs meminimus. Verùm nos ad alia tranſeamus.

Penn. l. 2. c. 69. in Venat. Maubur.

2. *Rochettum ſolis, præter Epiſcopos, Canonicis proprius veſtitus, probibitus autem expreſſè Monachis.*

Rochettum ipſa hæc tunica ſubtilis quandóque dicebatur, ejus Ethimologiam qui cupit, quærat ex Baronio, Deſnojo noſtro, Pennoto, & aliis paſſim. Eſt verò Rochettum in forma ſua, decurtata alba; ſicut enim illa ad talos usque pertingebat, cùm adhuc à Clericis perdiù geſtabatur, ſic ſenſim ob commoditatem abbreviata eſt, ut non niſi mediam tibiam, exinde genua, nunc ne quidem illa attingat. *Rochetta*, aut ùt alii, *Roquetta* differebant à ſuperpelliceis, quod hæc manicas latiores, & volantes, illa ſtrictiores, & undique Brachio adjacentes haberent. *Superpellicia*, inquit Concilium Mediolan. I. *Latis ſint manicis, non anguſtis inſtar Roqueti.* Hæc veſtis eſt propria Epiſcoporum, ùt patet ex Cerem. Epiſc. l. 16. & ex C. Clerici de vit. & hon. Cler. §. *Pontifices.* hâcque ne Regularibus quidem Abbatibus indui licet. Non abs re me facturum autumo, ſi hìc quædam ex doctiſſimo Abbate Tamburinio Ord. S. Benedicti excerpſero, propiùs huic materiæ conducentia: Scribit is de uſu ornamentorum, & veſtium prælatitiarum, & cùm egiſſet de Mozzetis ad deferendum conceſſis Abbati Regulari ſub colore tamen ſui veſtitûs Religioſi, dein ſubjicit: *Rochetum autem deferre Abbates Regulares nullatenùs poſſunt, niſi ſint de tali ordine, qui ex privilegio, vel ex conſuetudine Rochetum deferat; ut exempli gratiâ, ex Ordine Canonicorum Regularium, qui Rochettum regulariter deferunt, vel ex conſuetudine immemorabili, vel ex Sedis Apoſtolicæ privilegio.* Hæc Tamburinius. Certúmque eſt nulli Abbatum Regularium Ordinis monaſtici licere Rochetto indui, ùt idem Tamburinius ampliùs deducit, demonſtrans omnia ornamenta prælatitia, quæ deferri ab ipſis, & qualiter poſſint, adductis quoque diplomatibûs Pontificum, & reſolutionibûs Cardinalium, ſolô Rochettô ſemper omiſsô. Hinc mirari quis ſatis poſſit? in Germaniæ locis quibusdam non jam Abbates, ſed privatos religioſos Monachos Rochetto ſub forma Epiſcopali, non verò ſuperpellicei, vel latas manicas habentis indui, cùm divinis aſſiſtunt. Arguere in hoc eosdem ignorantiæ nequeo, utpotè viros doctiſſimos, & decretorum, Canonúmque Eccleſiaſticorum optimè gnaros, at neque neglectam obſervantiam horum Canonum, aut poſitivam prævaricationem inſimulare in illis audeo: unde ſolùm, ùt dixi, mirari ſubit, poſſe id à Superioribus tam diſſimulanter, imò & volenter admitti.

Can. 50.

Tom. 1. de jure Abb. diſp. 20. q. 2. n. 7.

Verùm hæc nobis iſthic ſuppeditant occaſionem dicendi, certum eſſe, quòd, dum Rochettum aliàs ſolis Epiſcopis proprium, à Canonicis Regularibus ex antiquiſſimo uſu, & ſummorum Pontificum conſenſu, etiam jure inducto, portetur, ſi tamen monachi eôdem ſe veſtiant, non poſſit ideò eam in illis prærogativam notare, aut jus ex conſuetudine, uſúque ab aliquot ſolùm luſtris recepto inducere; *cùm nullâ conſuetudine valeat derogari juri poſitivo, niſi rationaliter, & legitimè præ-*

præſcripta fuerit. C. ult. de conſuet. quia ergò Monachi ex ſolo privato affectu, nullâ autem poteſtatem habentis authoritate rochettîs utuntur, eadem non tam Rochetti, quàm cujusvis ſuperpellicei cuíque Altaris miniſtro licitè imò neceſſè portandi formam quoad ſubſtantiam attinget. L. folio. §. Matri. ff. de adim. Leg. vide Fuſar. &c. intereà tamen adhuc non ſequitur ſub hoc prætextu licitum eis eſſe lineâ ſub forma Rochetti veſtiri, quòdſi enim iſtud communiter fas eſſet, hem, quanta rerum confuſio oriretur in Eccleſia? certè hôc modô ſub prætextu baculi paſtoritii liceret cuique parocho geſtare paſtorale Pontificium, & ſub prætextu cuculli, aut Galeri cuíque liberum foret caput infula Epiſcopali redimere, quod nemo admittet.

Fuſar. de ſubſtit. q. 257. n. 6. Gicirba deciſ. 80. n. 20. Steph. Gratian. diſcept. for. tom. 5. c. 924. n. 2. Barboſ. Axio. 81. n. 1.

Habet hæc noſtra veſtis linea plures adhuc nuncupationes, verùm, quia non intereſt his nominum inveſtigationibus inhærere, alia Canonicis Regularibus propria veſtimenta inquirenda aſſumimus.

3. *Mozzetta, & Almutia alter veſtitus Can. Reg. proprius. Illa ſolorum Prælatorum eſt.*

Mozzetta: Hæc alio quoque nomine inſignitur, dum *Byrrus*, *Almucia*, *Camelaucion*, *Hemophorium*, *Cappa*, *Mafors*, vel *Maphortium*, *Forcatura &c.* dicitur, aut potiùs dicebatur, proùt ſcilicèt, aliam, aliámque formam obtinebat, nos de nomine nihil ſoliciti, rem ipſam acturi, nomen incidenter tractabimus. Primitùs, & apud antiquos *Byrrus* conſuetus hujus veſtimenti vocabulum erat, formâque à modernis Mozzetis multùm diverſâ; ſolus Byrrus erat longum quoddam caputium, quod defluebat usque ad humeros, ſic arguo ex Venantio, Fortunato, cum Deſnojo noſtro, quamvìs ſciam, Byrrum etiam pro Rochetto fuiſſe acceptum ab Anonymo ſcriptore miraculorum S. Thomæ Cantuar. Byrrum autem communiore vocabulo etiam indicabat prædictum caputium, quod tamen non tantùm humeros, ſed etiam brachia obtegebat: quòdſi annecteretur pallium reſiduum corpus usque ad talos obvolvens, dicebatur Byrrus lacernus. Noſtrîs temporibûs hi Byrri ſaltem nomine deſueverunt, quamvìs in re caputia illa hyemalia eorum vices apud multos tum ſæculares, tum Eccleſiaſticos ſuſtineant. Byrra autem, ſeu Byrri in Birreta deſciverunt. Cùm ſcilicet Byrra identidem decreſcerent, & minutiora fierent, ac tandem etiam figuram illam acquirerent quadratam, eſſent quoque ſignum certæ jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ùt patet in inveſtituris.

At nos ad Byrrum redeamus: hic ipſe quaſi in plures diverſas formas abiit. Nam, cùm non ſolùm caput, verùm humeros quoque, & Brachia tegeret, & lacerno aſſueretur quandóque, Almutiæ, Mozzettæ, aut cappæ ſibi nuncupationem aſcivit; donec demum omninò Mozzetarum, atque Almutiarum, cappartúmque uſus apud Canonicos Regulares inolevit, Byrri nomine æquè, ac figurâ penè obſolitâ, ſaltem eâ, quæ communis erat laicis æquè, ac clericis. *Mozzetta* autem *Almutia*, & *Cappa* fermè idem ſunt, notantque veſtem illam, quam Epiſcopi, Cardinales, Doctores, ac Graduati portare modicìs inter ſe diſtinctîs formîs ſolent: nam in quantum eſt palliolum humeros, ac Brachia operiens, nulla pene differentia in ſingulis invenitur, aſt diſconveniunt in colore, materia, & ſuperiori collum obtegente parte. Epiſcopalibus, ac Canonicalibus ſemper annexa ſunt capitia, at in Doctoralibus deſiderantur, eorúmque locò affixum eſt patagium, ſolétque nuncupari Epomis. Coloris quoque apud Eccleſiaſticos magna ſolet eſſe diſcrepantia, eſt enim illa quandóque violacea, quandoque nigra, interdum pellibûs albîs ſuffulta, rubra quoque, aut roſacea, ſeu roſea, hæcque ùt plurimùm Doctorum eſt, aut Cardinalium &c. verùm duo hic inveſtiganda veniunt, primò: cùm Mozzetta ſtrictè ſumpta pro-

priè

priè ſit veſtis Epiſcopalis, ùt notat ceremon. Epiſc. p. 1. c. 2. & 3. an eadem quoque propria eſſe poſſit Canonicis Regularibus S. Auguſtini, nulla dignitate alióquin Epiſcopali inſignitis? Secundò: qualis debeat eſſe coloris, ac materiæ, tum apud Abbates Canonicorum Regularium, tum religioſos ipſorum?

Reſpondeo itáque ad primum, antea me obſervaſſe, eandem veſtem *Almutiam*, *Cappam*, ac *Mozzettam* appellari, ſed cum reſpectu illam portantium: nam propriè, & regulariter loquendo in Canonicis infra dignitatem Abbatialem conſtitutis non poſſunt dici *Mozzettæ*, ſed *Almutiæ*, aut *Cappæ Canonicales*, ùt docet Gretſerus in Curopalate c. 1. & colligitur ex Bull. Leon. X. *ex ſuperna*. Item cerem. Epiſ. L. 1. c. 1. *Mozzetta* enim ex uſu recepto in jure notat, non qualemcunque *Cappam*, ſed in complexo *Cappam Epiſcopalem*, igitur hoc nomen tribui vulgariter non poteſt Canonicorum Almutiis: quamvìs non ignorem, communi uſu loquendi etiam Almutias nuncupari apud nos Mozzettas. Hinc & Baſilius Serenius in Bullario Canon. ſimpliciter Mozzettam in veſtimentis Canonicorum Regularium nominat, non diſtinguens inter Abbatem, & cæteros Canonicos. Nos tamen, ut magìs accommodemur juri, rectóque loquendi modo, quàm conſuetudini vulgi, nunc de Almutia, ſeu Cappa Canonicali diſſeremus, dein de Mozzetta.

Hæc Cappa, ſeu *Almutia* plenam, & adæquatam formam habet cum Mozzetta, nec ullô modô ab invicem diſtinguuntur: eſt autem veſtimentum ſupra Rochettum geſtandum Canonicis Regularibus proprium. Nam, Benedictus XII. in ſua reformat. Bulla §. 40. ait: *Præcipimus, quòd in Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis locis religionis præfatæ, in quibus Canonici cappas à parte anteriori apertas de panno laneo conſuevêre deferre, quæ in quibuſdam locis cappæ de choro, ſeu capellæ vulgariter nuncupantur, ipſas honeſtas, non nimiâ longitudine, vel brevitate notandas portare debeant locis, & temporibûs conſuetis, deferant etiam cappas hujuſmodi à feſto omnium Sanctorum usque ad feſtum Paſchæ, infra ſepta quarumcúnque Eccleſiarum Cathedralium religionis ejusdem, ac monaſteriorum, aliorúmque locorum immediatos Superiores ipſius religionis non habentium, in quibus monaſteriis, ſive locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus, licèt hactenùs ipſas ibidem non conſueverint portare.* Pariter Leo X. in Bulla *ex ſuperna*: jubet, ut Canonici Regulares in Eccleſia, choro, ac aliis locis publicis maximè verò in proceſſionibus deferant cappas ſeu mantellas, eô modô, quô illas deferunt Canonici ſæculares. Statuta Lateranenſia p. 1. c. 3. ſic decernunt: *Uſus Almutiarum, de jure Canonicis Regularibus competentium, ſuper Rochetto ipſis reſervatur, ipſisque ſub Excommunicationis pænâ diſtrictè injungitur.* Pariter conſtitutiones Gallicanæ: *Birreti*, inquiunt: *Uſus ſit cum ſuperpellicio, & Almutia in Eccleſia, & etiam domi tempore aſſignato.* Omitto complura alia ad hoc confirmandum aſſertum teſtimonia adducere, utporè pro re aliunde certâ, facilè ſuperflua. Attamen meminiſſe oportet, cauſam Almutiarum, ab immemorabili tempore clericis Canonicis præſcriptarum, genuinam eſſe ipſum, quod per hanc Eccleſia notare myſterium voluit; nam, ùt paulò pòſt videbimus, Almutia ſuper humeros poſita, & ex lana neceſſariò contexta, aut compoſita ex pellibus, denotat *curam paſtoralem*, quæ, quia genuinis clericis eſſentialis, ac propria eſt, hoc veſtitu identidem eorum memoriæ obverſari debet: ùt patet ex L. 1. ep. 136. Iſid. Pelus. unde Curopalatas cap. 1. apud Gretſerum. dicit: *veſtem hanc eſſe propriam Epiſcoporum geſtamen, quod ex lana confectum (inquit Simeon Theſſalonicenſis) ſine dubitatione à verbo carnem ex Virgine propter nos ſuſceptam, humanaq; natura*

Digitized by Google

turæ aſſumptionem declarat. Ideò enim ex lana texitur, quoniam errativam ovem, hoc eſt, naturam noſtram, ſignificat, & quoniam ipſe quoque Agnus pro nobis occiſus vocatus eſt &c.

4. *Almutiæ, ſeu potiùs Melotæ &c. Monachorum, ſpecie diſtinctæ, & formâ, ab Almutiis, & Cappis Can Reg.* Athanaſ. vita S. Ant. c 48 Hieron. præf. ad reg. Caſſian. c. 8. Paulin ep. 10. Sozom. l. 3. hiſt. c. 13.

Neque dicas etiam monachis Almutias jam olim ſolitas, atque præſcriptas eſſe, ex quo concludendum foret, non minùs illis propriam eſſe animarum curam. Reſpondeo enim me diſſertè obſervaſſe, Almutiam cum reſpectu portantium æſtimari. Veſtis formam etiam monachis fuiſſe in uſu, non negaverim, ſed aliâ longè & voce, & causâ: quæ enim apud Canonicos *Mozzetta*, *Almutia*, *Cappa* dicitur, monachis melota fuit ex Græco vocabulo, quod ovem, aut pellem ovinam notat, vel caprinam. Ut autem apud Athanaſium. Hieronym. Paulinum, Sozomenum, alióſque paſſim de Monachorum veſtibus agentes ſcriptores invenimus, melota eorum, partim erat pallium viliſſimum obtegendo, aut defendendo à frigore corpori adhibitum, viliſſimum, inquam, & propriè ad humilitatem, contemptúmque in monachis conſervandum, neque forma præſcribebatur certa: erat inſuper melota portatu aſpera. Ideò S. Paulus exaggeraturus SS. Patrum vitam duram, atque afflictam dixit, *circuiſſe eos in Melotis, & pellibus caprinis.* Exinde verò & fortaſſe primùm à S. Paulo myſticam pro monachis interpretationem melota adepta eſt, cùm ſcriberet, eam de agnorum vellere factam habitum eſſe Innocentiæ. Verùm ſicut alia Almutiæ, vel Mozzettæ forma eſt apud Epiſcopos, & Canonicos, ſic ejus quoque alia ſignificatio, unde nullátenus quoque monachis (ſi ſolos Abbates excipias) licita. Cur verò Abbatibus monachis? infra dicemus.

Heb. 11. v. 37.

Urges, aíſque *cucullam* monaſticam idem eſſe, quod *Almutia* eſt Canonicalis, neque inter utramque diverſitatem reperiri, nam juxta nos *Almutia* pallium eſt cum aſſuto caputio, quod ipſum *cuculla* eſt apud monachos, nempè caputium caput obtegens, & humeros ad duos cubitus, ùt habetur in Concilio Aquisgran. an. 813. Reſpondeo: Cucullam adeò diſcrepare ab Almutia, & Cappa Canonicorum, quantùm propè dies à nocte; cucullæ Monachorum præter Caputium in affixo pallio manicas habent, eáſque amplas, ex declaratione Concil. Lat. 4. c. 16. Almutia, ſeu Cappa Canonicorum nullas, & quamvìs juxta Clementinam. *Ne in agro.* Ad diſcriminandum floccum monaſticum à cuculla præſcribebatur, ne poſthàc cuculla habeat manicas, tamen protenſum ejus pallium undique clauſum excepta parte anteriore, & infinitas penè plicaturas habens, toto cælo diverſum eſt ab Almutia, ad ſummum uſque ad genua pertingente. Prætereà Almutia habet caputium latum, & amplum, cuculla anguſtiſſimum. Cùm enim cuculla ſit ſignificativa infantilis innocentiæ per pænitentiam monaſticam obtinendæ, ùt ait Sozomenus citatus de Monachis: *Quòd caput integumentô (quod cucullam appellare ſolent) operiebant, quô oſtenderent, ſe vitam ſimplicem, atque ſinceram degere, atque pueros lacte nutritos imitari, quorum caput, quod in membris obtinet principatum, ejuſmodi tiaris involvitur, ut & tegatur ab æſtu, & frigore, & circumcirca foveatur.* Hinc ad imitationem cuculli puerilis caputium ipſum arctum eſſe præſcribitur, & capiti preſsè adjacens.

Ad hæc: Cucullæ debent in vertice acuminari, minimè caputia Almutiarum. Denique cucullæ Monachorum alium, niſi nigrum, vel ad ſummum à recentioribus ſæculis album colorem non admittunt, ſecùs Almutiæ Canonicorum. Præterquàm, ùt ex dictis patet, quòd myſtica utriusque ſignificatio alia, ſaltem principaliter, intendatur in Monachis per cucullam, alia in Clericis per Almutiam. Addamus, ſi tanta eſſet affinitas cucullæ, & almu-

mutiæ, nunquam graviter adeò Canonicis ipſis Regularibus prohiberetur cuculla, ùt habetur in Concil. Aquiſgr. & c. 2. cauſa 19. Mandamus q. 3. dum Almutia iiſdem geſtanda præcipitur.

Nunc ſecundo quæſito de Almutia ſatisfaciendum; adverto autem Mozzetam etiam quibuſdam Abbatibus Monachorum portare licitum: Sic in terminis Michaël Eſtenſis in ſuo ſpeculo ſacr. Rit. ait enim: *Abbates Generales quorundam Ordinum Monachorum, ex privilegio ſummorum Pontificum habent facultatem deferendi Prælatorum Regularium habitum. Hoc eſt Caputium, ſeu Mozzetam, Mantiletum, Birretum Clericalem, & Pileum more Prælatorum.* An verò, quod ait Eſtenſis, *Generalibus Abbatibus quorumdam Ordinum Monachorum licitum eſſe*, extendatur ad omnes Abbates Monaſteriorum, meum nec eſt hìc ſcrutari, nec decidere. Id tamen certum, quibus Mozzettam portare conceſſum, colorem diſſertè determinari: nempe: ùt idem Eſtenſis inquit: *Debent veſtes iſtæ omninò eſſe coloris habitûs religionis profeſſæ, niſi aliter ſuperinde ab Apoſtolica Sede ſit indultum.* Hinc Abbates Monachorum prædictos, cùm eis alius color non ſit conceſſus, niſi niger, aut albus, Mozzetis quoque indui oportebit aut nigris, aut albîs.

Verbôt Abb. veſtes, & inſignia.

5. *Quis color Almutiarum, & Mozzettarum apud Can. Reg. eſſe debeat?*

Porrò hic ipſe color in quæſtionem quoque vertitur apud Canonicos Regulares, qualis eſſe debeat, nimirum appropriatus veſtis colori, an ad libitum diſtinctus: Verùm quia hæc quæſtio multùm ab ipſa materia dependet, ex qua Almutia, vel Mozzeta conficitur, priùs de ea nobis diſſerendum eſt.

Par. 1. c. 1. & 3.

Docet igitur ceremoniale Epiſcoporum Mozzetam regulariter ſemper eſſe debere laneam, in ſolennioribus autem feſtis ex Camelloto, ſeu pilis Camelornm confectam, pro temporum quoque diverſitate, pelliculis albîs ornatam, nunquam autem totam ſericam, ſed ſaltem ex ſuperiori parte laneam. Cauſa eſt, moralis illius ſignificatio ſuperiùs relata, quæ non exprimitur, ſi nihil de lana præſeferat. Quod verò de Mozzetæ materia, idem dicendum eſt de Almutia, ſicut conveniunt in ſignificatione ſua morali. Id tamen crediderim cavendum, aliquantam diſtinctionem obſervandam inter Mozzetam Abbatis, & Almutiam Canonicorum, ut, ſi exempli causâ tempore æſtatis utraque ex panno confecta ſit ſine pellibus, Abbatialis aliquantò ſit pretioſior. In hyeme autem iſta poſſet eſſe ex Camelloto pelliculis albîs ornata, ubi Canonicorum erit ex pellibus murum ponticorum per totum. Nunc ut de colore quædam ſubjiciamus: Certum eſt, Almutias, & Mozzettas, niſi ex integro de pellibus conficiantur, ſi ſint ex panno, veſtis religioſæ colore imbuendas eſſe; ita enim expreſsè docet ceremoniale Epiſc. l. 1. c. 3. prætereà Benedictus XII. in conſtit. pro reformat. Ordinis Canonici c. 40. ait: *Statuimus inſuper, quod Canonici dictæ Religionis, cappîs, & veſtibûs albi, flavi* (lege blavi, id eſt, violacei) *nigri, ſeu quaſi nigri* (hoc eſt gryſei, aut cinericei) *coloris duntaxat utantur.* Ubi patet cappas in colore cum veſtibus debere concordare, hinc prudentiſſimè Abbates illi, qui violaceâ veſte incedunt, & accomodè violaceis Mozzetîs induuntur: cùm enim Prælati Canonicorum Regularium Abbatiali præcipuè dignitate inſignes adæquentur in hoc puncto Epiſcopis, imò in jure ſæpiùs veniant nomine Epiſcoporum, ùt docet Tamburinius, Suarius, Gavantus, Barboſa, & apud hunc integer Catalogus Authorum, convenientiſſimum eſt, cui competit alióquin ornatus Epiſcopalis per omnia, eidem etiam ſe conformet quoad colorem, qui propriè in Epiſcopo eſt violaceus. Et patet ultrò, quòd Canonicorum Prælati ſæpiſſimè comparere ſoleant in capella, & Palatio Pontificio, ùtque inquit Ferrerius inferiùs

Tambur. t. 1. de jure Ab. D. 1. q. 6. Suar. Conſ. D. 37. ſect. 1. n. 5. Gavant. in Enchirid. Ver. Abb. n. 52. Barboſ. de jur. Eccl. l. 1. c. 12. n. 4. &c.

Digitized by Google

ſeriùs latè referendus, *indecorum foret, & novum, ſive ridiculum, & maximæ admirationis in capella: ſi Prælatus uteretur Rochettô, & cappâ nigrâ*, id eſt: nigrâ cappâ, & non Violaceâ Mozzettâ, quæ Rochetto in Epiſcopis, & Abbatibus indiviſibiliter cohæret: ſic neceſſariò, quemadmodùm Rochettum prætendit Mozzettam violaceam, & non nigram, Mozzettæ quoque cohæreat veſtis violacea, cùm debeat eſſe ejuſdem coloris cum Mozzetta, proùt ſuperiùs probavimus. Si enim aliqua ſibi cohærent, vel unum ſequatur ex alio, conceſsô primô, conceditur & ſequens, ſeu acceſſorium cap. ſi quis viduam c. deinde 26. diſt. cap. hoc quippe 2. q. 6. Cæterùm Prælati, qui cum veſte nigra violaceam Mozzettam deferunt, fortè per introductam conſuetudinem ſeſe excuſare poterunt: meô tamen judiciô convenientiſſimè facerent, ut, quibus ex antiquiſſimo more ſolitum, eſt habitu nigro ad quotidianum uſum veſtiri, dum Eccleſiaſticè, ſeu divina celebraturi prodeunt infrà Rochettum mantelletô violaceô aliquantò protenſiorî togam nigram obducant, cùm hæc quoque veſtis Canonicis conſueta ſit, ùt ex Ferrerio videbimus. Sicque dein ſuperimponant Rochetto violaceam Mozzettam.

Non dimovebo ab Almutia, Mozzettáque inveſtiganda animum, donec reſolvero, quæ de jure, Abbatibus, atque Canonicis extra clauſtra procedentibus competant in earum uſu.

6. *Mozzettæ Prælatis Can. Reg. etiam extra ſuum territorium, ac præſente ubicunque Epiſcopo geſtandæ.*

Mozzettæ Prælatis Canonicorum Regularium, ùt omnibus conveniunt, ſic ab omnibus non tantum geſtari poſſunt, ſed & deberent, utpotè ne videantur juri ſuo ſponte aut cedere, aut renunciare per non uſum, maximè verò id obſervari condecet in circumſtantiis, in quibus facilis fit per jus, aut privilegium intermiſſum ex parte adverſante præſcriptio. Sic ex deciſione Cardinalium apud Tambur. Diſp. 20. q. 2. n. 11. extra monaſteria, & quidem coram Epiſcopis, id eſt, illis præſentibûs Mozzettam deferre poſſunt: nam, cùm inſtaret Epiſcopus Vercellenſis apud ſacram rituum congregationem pro declaratione, an Abbas Canonicorum Regularium Lateranens. ejuſdem civitatis, & Præpoſitus ejuſdem ordinis in loco Biellæ ſuæ Diœceſeos poſſint, Epiſcopô ipsô præſente, deferre Mozzettam in proceſſionibus, aliíſque publicis actibus, eadem ſacra congregatio auditâ relatione illuſtriſſimi Domini Cardinalis Lancellotti, cui hæc cauſa commiſſa fuerat, decrevit: *Poſſe ubique, etiam præſente Epiſcopo, deferre Mozzettam.* Deciſum Die Sabbathi 9. Decembris. 1617. & confirmata eſt hæc deciſio annô 1619. item 1621. Neque dicas, hoc jus ſolùm competere iis Prælatis, pro quibus peculiariter datur. Reſpondeo enim, ſicut generale jus illud, quod omnes Canonici Regulares participant cum privilegiis, Canonicis Regularibus Lateranenſibus, conceſſis (niſi diſſerta exceptio fiat, ne extendatur ad alios, quamvis ejuſdem inſtituti) nemo eis poteſt tollere, ſed ad ſummum, quantùm eſt ex parte Epiſcoporum non acceptare; ſic, cùm iſtud privilegium portandi Mozzettam non ſolùm ſit plurimis Abbatibus monachorum datum, ſed univerſis Lateranenſibus ita commune, ut etiam Canonici privati, id eſt, nullâ prælatitiâ dignitate imbuti Almutiis procedere poſſint, quantò magis id competet Abbatibus. Néque ſecundò valet inſtantia ab Epiſcopis, ut ſicut illis non licet uti Mozzettis extra ſuam Diœceſim, ſic Abbatibus extra ſuum territorium. Cùm enim Mozzetta concedatur portanda tam Epiſcopis, quàm Abbatibus in ſignum juriſdictionis in ſuos ſubditos, Epiſcopus extra Diœceſim illam non præfert, quòd in alienam Diœceſim quicúnque ſuorum ſubditorum migrans, ceſſet eſſe ſubditus illius, & incipiat eſſe

Digitized by Google

eſſe ſubditus Epiſcopi, in cujus Diœceſi verſatur. Econtrà Abbatis religioſus ſubditus in quamcúnque Diœceſim, vel locum emigret, ob votum obedientiæ, ſemper Abbatis ſubditus perſeverat. Ut docent, & doctè obſervant. de Lugo de jur. & juſt. D. 37. ſect. 14. n 162. & lezana tom. 1. c. 4. n. 37. leſſius. L. 4. c. 3. diſt. 8. Bonac. p. 5. Layman. c. 11. n. 5. hinc in ſignum hujus juriſdictionis ubíque Mozzettam geſtare poteſt.

7. *Id ipſum dicendum de quibuſcúnque Canonicis Regularibus, quamvis nulla dignitate Prælatitia eminentibus.* Deníque, ſi & de Canonicis Regularibus eandem quæſtionem agitemus, repono eôdem ſtylô, his quoque in publicis actibus liberè, licitèque Almutiâ etiam extra clauſtra, ſi nempè proceſſiones, aliáque comitentur, veſtiri. Cauſam fundo præcipuè in Bulla Benedicti XII. cùm enim illa pro omnibus Canonicis Regularibus S. Auguſtini per totum orbem diffuſis, ſeu congregationi alicui adſcripti ſint, ſeu minimè, edita ſit, & ex §. 40. diſſertè habemus, *ut extra Eccleſias, clauſtra &c. & ubique ſub cappis, rodondellis, ſeu elochiis, vel mantellis in locis debitis uti poſſint ſuperpelliceis &c.* Ergò ſupponit Pontifex Canonicos extra clauſtra in locis debitis, ſcilicèt ubi Eccleſiaſticè incedere oportet, uti ex communi conſuetudine *Cappâ*, ſeu *Almutiâ* ſine ulla reſtrictione, aut exceptione, adeóque coram ipſis quoque Epiſcopis. Et ulterior quoque ratio eſt ipſe antiquiſſimus Almutiæ uſus in Canonicis quibuscúnque; patet id ex Ferrerio referendo inferiùs, & ex Baſilio Sererico dicente, Canonicos Regulares inter veſtimenta ſua ex antiquiſſima traditione, & conſuetudine Almutiâ veſtiri. (In Bull. f. 477.) Cùm ergò Almutia ſit propriè inter veſtimenta Canonicorum Regularium cenſenda, ùtì id quoque affirmant conſtit. Lat part. 1. c. 3. non video, ſi ſine ulla difficultate Canonici noſtri coram Epiſcopis ubíque comparere ſolent in Rochettis nemine contradicente, & ab hoc eos arcere valente, quantò magis id cum Almutia fiet? utporè, quòd Almutia non contineat eam dignitatem, quam Rochettum, illâ conceſsâ etiam monachis Abbatibus; inhibitô tamen illis omnimodè Rochettô, ùt monſtravimus ex Tamburinio. Unde Leo X. abſolutè in ſua Bulla ad Canonicos Regulares S. Frigdiani directâ habitum proprium eorum dicit eſſe *ſuperpellicium*, ſeu *Rochettum*, & caputium ſupra cappam, ſeu *Almutiam*: quia ergò nemo prohibetur habitum ſuum proprium portare publicè, quocúnque præſente, ſanè nec Canonicis interdici poterit uſus Almutiæ etiam præſente Epiſcopo. Verùm aliud tamen eſt, dum de colòre quæſtio agitur, ſicut enim, quæ aſſeruimus, indubitata ſunt de Almutiis ex pellibus exempli causâ murum ponticorum &c. ita admitti neutiquam poteſt color violaceus illis Canonicis, qui nigris veſtiuntur, aut albîs; cùm Almutia, ſi ſit de panno, concordare debeat colori veſtimenti; fortaſſe tamen ſolvi hæc difficultas poſſet, ſi ab iis infra Rochettum geſtaretur mantilletum cæruleum, ſeu violaceum in publicis actibus, ex eo, quòd iſtud à Canonicis non minùs, quàm Almutia portari váleat, ùt patet ex conſtit. Bened. XII. §. Ro. & Bull. Leonis X. *ex ſuperna*, & ex Ferrerio infra producendo.

Certiſſimum autem omnium, nulli Canonicorum, ſeu Sæcularium ſeu Regularium licere indui Almutiâ ſericâ, patet id à priori, eò quòd id ipſis quoque Epiſcopis, ac Abbatibus regulariter ſit inhibitum, ut oſtendimus.

8. *Canonicis Regularibus ad Epiſcopatum promotis, non eſt ampliùs licitum extra ſuam Diœceſim portare Mozzettam in publico, ſicut nec aliis Epiſcopis,* Nunc demum quæri poſſet, quid de Canonicis Regularibus quoad jus portandæ Mozzettæ ſit ſentiendum, cùm ad Epiſcopatum promoventur? an ſcilicèt eis indui fas ſit, ubi extra ſuam Diæceſim verſantur? nos, quia hanc quæſtionem quadantenùs jam tetigimus, dum de Abbatibus cum comparatione ad Epiſcopos loquebamur, inde inferimus: quòd, quamvis Canonici

nici Regulares, ùt *Abbates*, extra territorium ſuum in quocúnque loco exiſtant, poſſint Mozzettâ veſtiti incedere, non tamen id eis concedi ùt Epiſcopis, quemadmodùm clarè decretum eſt, atque declaratum à Clemente Octavo, & refertur in ipſo cerem. Epiſc. de anno 1600. vel circa. Cùm verò de colore ſuperiùs diſceptantes oſtenderimus, Abbates cum Canonicis ſuis Mozzettas accommodare oportere colori veſtium: prætereà quadruplex illis color eligendus à ſumma ſede aſſeratur, etiamſi violaceus ſit propriè color Epiſcopalis, quia tamen quoad hanc prærogativam minores eſſe noluêre Canonicos Regulares tot meritis dudum ſedem Apoſtolicam ſibi demerentes, ipſi Eccleſiæ ſupremi Præſules; hinc admiſſis Rochetto, atque Almutia, etiam conceſsêre colorem, quali ad hodiernum diem Sant-Eligiani in monte, &, S. Auberti Cameracenſes incedunt. Et licèt hæc omnia extra aleam ſint, mota tamen immodica ipſis Canonicis à ſibi ſemper adverſantium parte eſt quæſtio, an ad Epiſcopatum promotis (cùm nulli alióquin regularium liceat colore violaceo veſtiri) id tamen ſit admittendum? agitata controverſia hæc eſt per Paridem Graſſum Magiſtrum Ceremoniarum Romæ, qui videns Canonicos Regulares, ùt Epiſcopos in omni ornatu ſuo plenè convenire cum Epiſcopis ex clero ſæculari aſſumptis, opinabatur refragari per hoc Eccleſiæ ritibus, qui decernunt Regulares Epiſcopos à ſæcularibus aliquô habitûs indiciô eſſe diſcernendos, res ad Leonem X. tunc delata eſt, cùm ipſe Zachariam Lilium Canonicum Regularem S. Bartholomæi Vincentiæ Epiſcopum Sebaſtenſem creaſſet, commiſſum ventilandæ cauſæ negotium eſt viro doctiſſimo Zachariæ Ferrerio juriſconſulto tum celeberrimo, ſucceſſu planè felici. Nam cùm hic integrum tractatum pro tuendo Canonicorum jure confeciſſet, cumque annô prædictô 1519. ſummo Pontifici tradidiſſet, rationum pondere permotus Leo diploma in favorem Canonicorum edidit, & adverſantium tela repreſſit, librúmque ipſum ſuâ authoritate approbavit. Cùm verò multa ſint in Ferrerii tractatu præcipuè, quæ à pag. 248. ad usque 249. referuntur, hanc, quam agimus, materiam mirè tum dilucidantia, tum comprobantia: prætereà is tractatus paucorum in Germania noſtra manibus adeſſe cenſeatur, utpotè Bullario Lateranenſi Romæ impreſſo inſertus, unde nobis charò iſta ſcriptorum cimelia veniunt: operæ pretium æſtimaveram, ſaltem hæc, quæ mox citavimus, huic capiti clauſulæ locò ſubjicere. Sic itáque ibidem legitur.

Vid. Bull. Lat. noviſſimè an. 1717. impreſſum typis cameræ Apoſtol.

De habitu Prælatorum ex Ordine Canonicorum Regularium aſſumptorum.

9. *Canonici Regulares ad Epiſcopatus promoti eodem veſtitu ac colore indiſcriminatim utuntur, quo ſæculares clerici, ſolâ veſte linea non excluſâ.*

QUantum ad Prælatos Canonicorum Regularium Lateranenſium, cùm ſuperiùs probatum fuerit, Canonicos Regulares, non Prælatos, uti poſſe formâ indumentorum, & colore, quô utuntur Clerici ſæculares, datâ differentiâ lineæ togæ, ſeu Rochetti, quis dubitet, quòd Prælati à fortiori, dato decenti cultu, poterunt uti formâ & colore, quô alii Prælati?

Nam ſi habentes perſonatum, & Doctores ex dicto ordine, utuntur cappîs violaceîs, ac rubeîs, & etiam pellibûs albîs in caputio, quantò magìs uti poterunt eîſdem cappîs alii, qui ſunt Prælati?

Utuntur ergò amplîs Almutiîs de panno utrumque humerum coöperientibûs, utì videmus in Priore S. Spiritûs in Saxia, qui cùm ſit Regularis, & profiteatur regulam S. Auguſtini, & ſit inferior quocunque Abbate, nec ſit Canonicus eſſentialiter (præſupponit tam in regulari, quàm in ſæculari Clero, ùt ſuprà probatum eſt) utitur tamen

Digitized by Google

men Almutiis de panno utrumque humerum capientibûs, more aliorum Prælatorum, & colore, & formâ habitûs ad inſtar Clericorum Sæcularium, datâ differentiâ in cruce, qua diſcernatur à Clericis, quoniam approximant, & ſunt vicini Canonicis Regularibus.

Quia tamen non ſunt Canonici, neque eſſentialiter Clerici, non poſſunt uti togâ lineâ, ſive Rochettô; Prælatis ergò ex Canonicis Regularibus aſſumptis non interdicitur forma, & color aliis Clericis Sæcularibus non interdictis.

Quare uti poterunt colore violaceô, & cœleſtinô, & leonaceô, & nigrô, & purpureô, ſi ſint S. R. E. Cardin. Et, ùt Reverendiſſimus Cardinalis de Anglia præfatus, & Orator, & ſui Prælatitii, & alii de Anglia affirmare poſſunt, Prælati ex Canonicis Regularibus aſſumpti, utuntur colore roſaceô, & incedunt more Prælatorum Sæcularium, quod expreſſiùs patet per litteras Apoſtolicas Innocentii Papæ quarti directas Abbati, & Conventui S. Ruffi Ordinis Canonicorum Regularium.

Quantùm verò ad Rochettum, non eſt dubium, quòdſi Canonici Regulares Prælatis inferiores utuntur Rochettô, quòd & Prælati ex eis aſſumpti tantò magis utentur: quoniam ſi id, de quo minus videtur ineſſe, & id, de quo magis, ùt ſunt jura vulgatiſſima in cap. ſi Laicis 38. diſt. & 3. q. 3. de judic. & 59. diſt. ſi officia & 34. q. 2. cùm per bellicam, & 11. q. 2. non æſtimamus.

Conſtat etiam ex cap. Clerici officia: de vita, & hon. Cler. ubi dicitur, quòd Prælati, dum procedunt in publicum, debeant uti ſuperindumentis lineis, niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachilem; ecce, quòd Canonici Regulares non exceptuantur, ſed ſolùm Monachi, & à ſimili cæteri Religioſi, qui non cenſentur Clerici eſſentiales.

Propterea S. Thomas contra impugnantes religionem, artic. 20. dicit, quòd quanquam Monachis prohibentur uſus hujusmodi ſuperindumentorum lineorum, non ſequitur, quòd Canonicis Regularibus prohibeatur, cùm ipſi non ſint Monachi, ſed Clerici, & ſic ſecundùm Doctores, præſertim Abbatem Sicculum, in odioſis nunquam Canonici Regulares veniunt appellatione Monachorum, ſed benè in favorabilibus. Liber quoque Ceremoniarum S. Rom. Eccl. hoc expreſsè determinat in cap. de habitibus. in Capella Apoſt.

Dicit enim, quòd Prælati ex Ordine mendicantium aſſumpti, utuntur in Capella Apoſtolica, habitu Ordinis ſui, ſed ampliori, & pretioſioris lanæ: Aſſumpti autem ex Ordinibus non mendicantibus, utuntur cappâ amplâ, ſed nigrâ, cum pellibus nigris, vel griſeis: Aſſumpti autem ex Canonicis Regularibus, qui in ſuo ordine utuntur Rochettô, utuntur etiam in Capella Romana. Ita ait Benedictus Papa: Ubi ſuprà librô Ceremoniarum S. R. E. & ſi quis vellet interpretari aliter, quàm eſt conſuetudo Romanæ Curiæ, errat: quia, qui ordinavit librum præfatum, ſciviſſet & hoc interpretari, ſicut & alia interpretatur; ne velint gloſſare textum perperam. Quod ſcilicet Rochetti debent eſſe breviores, & ampliores, quia liber hoc non dicit; & ſi hoc voluiſſet, ſciviſſet aliter declarare, ſicut declarat de amplitudine, & pretioſitate in Ordinibus mendicantibus, & de pellibus nigris, & griſeis in Monachis, & Benedictus Papa intendit de Rochetto Romano, & non aliter, ubi ſuprà.

Denominatur enim particulariter Canonicorum Regularium in dicto libro Rochettus, & dicitur, quòd Prælati Canonici Regulares utuntur Rochettô, ſcilicèt more Romanæ Curiæ, unde hoc nomen accepit; quia unicus eſt Rochettus, & una forma ejus, non plu-

res;

res; nomina enim debent eſſe convenientia rei, & denominatio rei facit optimum argumentum. ùt in cap. oratorium, & in cap. de oratorio 24. diſt. De Cappa autem Canonicorum Regularium in Capella non loquitur expreſsè pro Canonicis dictus liber; quia dum tantummodò de Monachis dicit, quòd utantur cappâ nigrâ, & pellibûs nigrîs, vel griſeîs, ex eo, quòd ſtatus eorum eſt ſtatus pænitentiæ, ùt ſuprà dictum eſt, non intendit hoc ordinare de Canonicis Regularibus, quorum ſtatus eſt eſſentialiter clericalis, & adminiſtrationis Sacramentorum, & Doctrinæ. Nam etſi quidquam prohibeatur Monachis, non ſequitur propter hoc, quòd prohibeatur Canonicis Regularibus, ſicut dicit nobilis Cap. quod Dei timorem de ſtatu Mon. & beatus Thomas in ſimili, in libro contra impugnantes relig. dicit expreſsè, quòd licèt prohibeatur Monachis docere; non tamen ſequitur ex hoc, quòd prohibeatur Canonicis Regularibus, ad quos tanquam ad eſſentiales Clericos pertinet docere 19, quæſt. 1. cap. ſi Clericatus. Et idem, ùt ſuprà. Si Monachis prohibeatur uti ſuperindumentis lineis, non tamen cenſetur prohibitum Canonicis Regularibus, & iſtud opuſculum S. Thomæ fuit approbatum per Clementem PP. quartum. Unde à ſimili: quamquam prohibeatur Prælatis Monachis uti cappâ violaceâ cum pellibus albis in capella, non tamen propter hoc prohibetur Canonicis Regularibus.

Argumentum enim à ſimili eſt validum, ùt Doctores in Cap. jus naturale, diſt. Et illa, quæ in jure ponuntur, gratiâ exempli, non reſtringunt regulam juris ad expreſſa tantùm, ſed etiam ad alia ſimilia, ùt Clem. 1. ne Clerici, vel Monachi §. hactenus, de gradibus.

De Libro Ceremoniarum.

Nam cùm liber cæremoniarum præfatus, dicat, quòd Prælati ex Canonicis Regularibus aſſumpti utantur Rochettô in capella: acceſſoriè, & conſequenter oſtendit, quòd debeant quoque uti cappâ congruentî, ſcilicèt violaceâ cum pellibus albis, ſicut utuntur Prælati deferentes Rochettum; aliàs enim eſſet indecorum, & novum, ſive ridiculum, & maximæ admirationis in capella, ſi Prælatus uteretur Rochettô, & cappâ nigrâ cum pellibus nigris.

Cùm ergò cappa violacea cum pellibus albis, ſit quid acceſſorium ad Rochettum tanquam ad principale; conſequens eſt, ut qui utitur Rochettô, utatur & cappâ violaceâ ſibi convenientî: acceſſorium enim ſequitur naturam principalis, cap. ſi Laicus. 31. diſt. cap. ſi ſacrum 50. diſt.

Nam ſi aliqua ſibi cohærent, vel aliquid ſequatur ex alio, conceſsô primô, conceditur & aliud ſequens, vel dependens ad acceſſorium. Cap. ſi quis viduam cap. deinde 26. diſt. cap. hoc quippe 2. q. 6. & præſertim, cùm nunquam reperiatur aliquod in contrarium, nulla expreſsè prohibitio, nullus uſus, ſive conſuetudo, ſive etiam ratio contraria, ſive ſaltem exemplum contrarium.

Imò ratio favet Canonicis Regularibus, per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, de ſtatu eſſentialiter clericali, ad differentiam aliorum religioſorum, ſeu Regularium. Et de Rochetto juxta dictum librum ceremoniarum S. R. E.

Et Benedictus Papa præfatus in ſuis conſtitutionibus, & ante eum Innocentius quartus Abbati, & Canonicis Lateranenſibus ſcribens, & ante eum Alexander tertius, quem idem Innocentius adducit: eſt enim fortiſſimum argumentum ab identitate rationis, ut in cap. ſi Romanorum 19. diſt. cap. conſuetudo 2. diſt. cap ſi Laicis 31. diſt. cap de hym-

hymnis de conſ. diſt. 1. L. illud ff. ad L. Aquiliam. ubicúnque enim lex non eſt clara, & expreſſa, debet vel ampliari, vel reſtringi ad limites rationis regulariter; ùt in L. Scire oportet §. illud. ff. de excuſat. tut. ratio quippe dat eſſe legi, & eſt ejus principale, & præcipuum fundamentum. Cap. erit autem lex. 4. diſt. & L. 2. ff. de leg.

Item exempla generalia favent Canonicis præfatis in dicta forma habitûs, in Rochetto, & cappa violacea, & albis pellibus, ùt ſuprà declaratum eſt. Et argumentum ab exemplis innitentibus rationi, ùt hic in caſu noſtro, eſt optimum argumentum. Ut in cap. ſana. 9. diſt. cap. turbat 87. diſt. & ſecundùm eadem exempla judicandum eſt. Cap. in cauſis de ſent. & re jud. & ſi dicatur, quòd iſta ſunt exempla aliarum provinciarum, & non Romanæ Curiæ. Reſpondetur, quòd in Romana Curia quantùm ad Canonicos Regulares non apparent, neque deduci poſſunt exempla contraria. imò practicatum eſt in Romana Curia, juxta rationes, & leges, & exempla adducta in variis Prælatis, & officialibus S. R. E. etiam diebus noſtris, qui erant Canonici Regulares, & utebantur Rochettô, & cappâ congruentí, ùt ſuprà, & pileô viridî inferiùs, ſicut facilè probari poteſt per eos, qui noverunt, & probabitur, ſi opus fuerit.

Imò ad inſinuandum quanta differentia ſit à ſtatu Canonicorum Regularium, ùt ſunt eſſentialiter clerici, à ſtatu Monachorum, & aliorum Religioſorum, patet etiam maximè in hoc, quòd ſedes Apoſtolica concedit Canonicis Regularibus, officia clericalia S. R. E., quæ non concedit monachis, & aliis religioſis ſicut protonotariatum, & Subdiaconatum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, fiunt enim quotidie protonotarii Canonici Regulares, & de hoc patet per conſtitutiones præfati Benedicti Papæ in cap. de mutuis, & in cap. de Canonicis venatoribus. Ubi facit mentionem de Protonotariis Canonicis Regularibus, & fuerunt aliqui Subdiaconi ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ùt facillimum, & in promptu eſt probare, quod non ſit de monachis, & aliis religioſis, & ratio eſt, quoniam dicti Canonici, ut eſſentialiter clerici, non prohibentur ab officiis clericalibus, propter quæ præcipuè non mutant habitum, ſcilicèt togam lineam, vel Rochettum, ùt in præallegatis officiis patet.

Etſi dicatur, quòd raró apparent Prælati ex Canonicis in curia Romana, & quòd ideò non perpendatur de hujuſmodí exemplis in curia; reſpondetur, quòd multi apparent, ex hac ipſa congregatione jam aſſumpti, nec non & aliqui exiſtunt, ſed quia non differunt in habitu, & cultu & aliis Prælatis ſæcularibus, ideò non cognoſcuntur aut decernuntur ab aliis.

De pileo autem non eſt dubium, cùm expreſsè de illo mentionem faciat liber ceremoniarum S. R. E. in ſupradicto capitulo de habitibus in capella Apoſtolica. Et quanquam in dicto libro dicatur, quòd Canonici Regulares Epiſcopi utuntur pileô nigrô &c. conſuetudo tamen eſt in contrarium, & quidem præſcripto tempore, de quo non extat memoria, & conſuetudo rationabilis, quæ quidem tollit legem contrariam. Poſitô, & non conceſsô, quòd dictus liber habeat vim legis. Gloſſ. & Doctores in cap. 1. de treuga, & pace. Eſt arbitrandum, dictum librum in illo paſſu eſſe mendoſum in ſcriptura; quia ubi dicit, *ſed utuntur*, debebat dicere, *nec utuntur*, eâ ratione potiſſimùm, quòd conſuetudo antiqua in contrarium interpretatur legem, & ſtatuta. Ut in L. ſi de interpertatione ff. de leg. & in cap. dilectus. de conſuet. & per ea quæ notat Joannes in cap. dilecto, de conſang. & affin. & præcipuè cùm videretur monſtrum in natura, videre Epiſcopum utentem Rochet-

tô, & pileô nigrô, quia à Protonotariis Apoſtolicis non poſſent diſcerni, quod omninò eſt contra omnem æquitatis rationem. Et poſitô, quòd ex eo, quòd de cappa nihil in dicto libro determinetur, in dubio quis etiam id vellet accipere, & adductis rationibus non aquieſcere; facilè ſaltem convincetur ex ea regula juris, quòd odioſa reſtringuntur, favorabilia amplientur. Reg. odios: de reg. jur. in 6. ubi nihil in contrarium expreſsè apparet determinatum. Odioſum enim eſt, quod prohibetur Prælatis monachis, & mendicantibus, ut non utantur Rochettô, & cappâ violaceâ, & pellibûs albîs, in dicto libro: ideò non eſt hoc extendendum, aut ampliandum ad Canonicos Regulares, quibus non prohibetur; ſed reſtringendum eſt ad monachos, & mendicantes tantùm de quibus in ipſa prohibitione fit ſolummodò mentio, & tantò magis, quòd expreſsè ratio potiſſima clericalis ſtatûs eſſentialiter in Canonicis præfatis, eos diſtinquens ab ipſis monachis, & aliis religioſis, clariſſimè militat, & contrarium perſuadet juncta exemplis aliis, pluribusque rationibus, & legibus ſuprà adductis.

Hoc verò, quòd in dicto libro caveatur expreſsè, quòd dicti Canonici Prælati utuntur Rochettô, eſt favorabile, ideò ampliandum ad omnia, præſertim conſequentia, ſcilicèt, quòd utantur Rochettô more Romanæ curiæ, & aliorum Prælatorum, & cappâ violaceâ, & pellibûs albîs, & pileô viridî conſuetô deferri ab his, qui Rochettô in dicta capella utuntur, & purpureis, ſi ſint S. R. E. Cardinales; cùm præcipuè quidquam expreſsè in contrarium non caveatur, & nullum præjudicium generetur. Et clarum eſt, quòd Rochettus plus eſt, quàm cappa, quia etiam inferiores Prælati utuntur cappâ violaceâ, & pellibûs albîs, ut doctores ſæculares, & tamen non poſſunt uti Rochettô, & multi utuntur pileô, ſicut & pelle. Si ergò Rochettus eſt quid majus, conceſsô majori, conceditur, & quod minus eſt. Forma ſcilicèt Rochetti juxta morem curiæ, cappa violacea cum pellibus albis, & pileus viridis Epiſcopalis: argumentum optimum, in cap. 1. 19. quæſt - - - c. præcipimus 21. qu. 1. & in cap. ex parte. de decimis.

Stat ergo concluſio omnes ſeptem ſuprà poſitas concluſiones annectens, quòd ſcilicèt Canonici Regulares noſtri, de quibus agitur, tanquam eſſentiales clerici diſtincti à monachis, & aliis Regularibus uti poſſunt Almutiîs, pellibûs, cappîs, habitu, formâ, & colore clericis ſæcularibus non prohibitis; datâ tamen differentiâ ſigni in toga linea, quæ eſt eorum eſſentialis habitus, quâ à ſæcularibus clericis diſtinguantur: & quòd Prælati ex Canonicis Regularibus uti poſſunt Rochettô, more Romanæ curiæ, Almutiis de panno ſuper utrumque humerum, & cappâ violaceâ cum pellibus albis, & pileô viridî, ſi ſunt Epiſcopi, vel rubeô, ſi ſunt Cardinales, more aliorum Prælatorum ſæcularium. Quæ tamen omnia Pater Beatiſſime &c.

Determinatio per SS. Patrem, facta in cauſa habitûs Prælatorum ex congregatione SS. Salvatoris Lateranenſis electorum.

Venerabili Fratri Zachariæ Epiſcopo Sebaſtienſi Prælato noſtro Domeſtico.

Leo Papa X.

VEnerabilis Frater. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum cùm ad Eccleſiam Sebaſtienſem à nobis de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conſilio promo-

motus eſſes in paſtorem, dubitatum fuit à nonnullis, an tu, qui Ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini profeſſus eras, in habitu, & coloribus Prælatis ſæcularibus de jure, vel conſuetudine permiſſis incedere poſſes, proùt incedebas: &, cùm quæſtio hujuſmodi ad nos perlata fuiſſet, Nos cauſam maturè determinare deſiderantes, Venerabili Fratri noſtro Nicolao Epiſcopo Albacenſi, tunc tit. S. Priſcæ Presbitero Cardinali de Fliſco nuncupato, vivæ vocis oraculô commiſimus, ut ſuper his ſe diligenter informaret, & demum nobis referret. Cùm autem præfatus Nicolaus Epiſcopus nobis retulerit, de antiqua conſuetudine in pluribus locis, etiam in curia Romana, ubi Pontifex reſidet, receptum fuiſſe, ut Canonici Regulares hujuſmodi in Epiſcopos promoti, tam in Capella noſtra, quàm extra utantur habitibûs, & coloribûs, quibûs utuntur alii Clerici ſæculares in Epiſcopos promoti, Nos propterea juxta relationem nobis factam, ùt præfertur, Fraternitati tuæ vivæ vocis oraculô conceſſimus, ut habitus, & colores, quos dicti Clerici Sæculares in Epiſcopos promoti, tam in Capella noſtra, quàm extra geſtant, geſtare poſſes; & ita etiam tenore præſentium auctoritate Apoſtolica de novo concedimus, in contrarium non obſtantibûs quibûſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum &c. Die 1. Sept. 1519. Pontif. noſtri annô 7.

Hæc ex Ferrerio allegare placuit, non tantùm, ut ex eo veſtium noſtrarum cultum diſceremus, ſed & egregiè illa firmarentur, quæ cap. 1. hujus partis diximus, quantùm ſcilicet non ſolùm veteres, ſed & moderni Canonici Regulares, iique ſancti Auguſtini differant ab ipſis Monachis, hinc inaniter aſſeri, præter regulam laxiorem inter utroſque vix ullum reperiri diſcrimen; prætereà certum eſſe, magnâ ſemper obſervantiâ, ac circumſpectione à ſumma Sede congruentiam cuique perſonæ Eccleſiaſticæ debitam in veſtium clericalium, ac monaſticarum diſcrimine curatam fuiſſe, neque tam promiſcuè, & negligenter uſuveniunt iſta, quin exin graviter in jura quoque, ac Canones peccetur: de quibus doctiſſimus Abbas Tamburinius ampliſſima teſtimonia paſſim in ſuo primo Tomo de jure Abb. exhibet. Unde à violatione decretorum Pontificiorum &c. excuſari nunquam poſſunt ii Monachi, qui, quô poſſunt, præjudiciô Canonicorum lineâ ſe veſtiunt, id eſt, Rochettô, utpotè quæ eſſentialis eorum habitus eſt, ut ne quidem iis alia veſtis peculiariter, niſi quæcunque modeſtiam clericalem condecet, præſcribatur, ùt docet Scipio Lancellotus apud Tamburin. & hic ipſe diſp. 27. q. 1. n. 5. Interim viderint, ne in illa tempora hâc ſuâ ſeu æmulatione, ſeu affectione incidant, quibus Turonenſes Monachi Canonicorum veſtes, moréſque imitantes, neſcio, quâ animadverſione à magno Carolo repreſſi ſunt, ùt narrat Mabillio. Plura, quæ hâc occaſione referri poſſent, ad hactenùs dicta remittimus: Quæ verò de reliquis apud Canonicos Regulares uſitatis veſtibûs quæri adhuc poſſent, cùm leviora ſint, apud citatos à nobis Authores facilè comperientur.

Apud Tambur. diſp. 25. q. 1. n. 31.

Annal. Ben. ad an. 818. L. 28. n. 87.

CAPUT IX.

De Origine, ac Progreſſu Canonicarum Sanctimonialium cum Anacephaleoſi totius Exegeſis.

1\. *Virginum Canonicarum no[illegible]varum non minùs origo petitur ab Eccleſiæ exordio.*

NE quid ex iis intermiſſum deſideret Lector, quòd huic Exegeſi cautiùs inſerendum fuerat, præſens caput adhuc adornandi animus eſt, utpotè Mappâ noſtrâ non minùs Virginum ſacrô Canonicô inſtitutô devinctarum, quàm virorum monaſteria ſæculum XI.

XI. longè antecedentia exhibente. De quarum origine, atque progreſſu obſcuriora quædam tantummodò elucidanda occurrunt. Non facilè quis antiquitatum peritus inficiabitur, virorum non ſolùm religioſorum, ſed & mulierum exſtitiſſe jam à primis Eccleſiæ temporibus votivum inſtitutum: ſicut enim Apoſtolis primum expropriationis exemplum acceptum referimus, ſic fæminas alióquin in bonum proclives, ſua reliquiſſe, ut pauperem Dominum, amoris intenſiſſimi deſideriô inflammatæ ſequi ſine impedimento poſſent, certum eſt: tales erant inter præcipuas Virgo cumprimis ſanctiſſima, quæ ſe votô virginitatis jam à teneris obſtrinxiſſe paſſim à ſanctis Patribus refertur, & ſententia eſt apud Catholicos Doctores unanimiter recepta. Martha deinde, & Magdalena, nec non omnes illæ mulieres, quæ conſtanter Chriſto trienniô ſuæ prædicationis adhæſerant, neque avellebantur ab Apoſtolis evangelizantibus, ùt patet ex Ep. 1. ad Cor 9. 5. & quarum Lucas in actis ſuis frequentiùs meminit, quáſque non Monachas (quales fortaſſe ſæculô III. ac IV. mixtim, ac turmatim Oriens penè totus complexus eſt) ſed certô modô Clericas fuiſſe diſtinctas à Monachabus, complures rationes perſuadent. Quia enim cum quodam reſpectu utriusque ſexûs hac in quæſtione loquendum ipſa nomina eis attributa oſtendunt, ideò, quemadmodùm Monachas ejusdem inſtituti cum Monachis, ita Canonicas, æqualem finem cum Clericis (quamvìs non æqualem honorem) ac Canonicis ſortitas ſibi fuiſſe, neceſſe eſt, ut aſſeramus, neque crediderim in hoc quempiam diſſenſurum. Sicut itaque Clerici ex primævo inſtituto ſuo diſtinguebantur à Monachis quoad finem particularem, qui illis fuerat vita mixta, iſtis econtrà purè vita contemplativa, hoc eſt ſolitudo, ac pænitentia, propriæque ſalutis unica cura, ita proportionatâ æqualitate idipſum de ſacris Virginibus enunciandum eſt. Et quidem exſtitiſſe in Eccleſia naſcente, imò, & proficiente mulieres Presbyteras, atque Diaconiſſas paſſim antiquiſſima teſtimonia Patrum, & Conciliorum produnt: neque ideò tantùm, quòd nomen iſtud viderentur per illos obtinuiſſe, quos Maritos anteà habentes Eccleſiæ proprio aſſenſu reliquerant, quibus idipſum vocabulum adjici ſolebat, quod tales Mariti in Eccleſiaſtico miniſterio geſſerant; verùm genuinè, & ex proprii pariter Eccleſiaſtici officii ratione iis collati: talis profectò negari nequit fuiſſe Phæbe, de qua Paulus ad Rom. 16. v. 1. *Commendo autem vobis Phæben Sororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris.* Et illæ, de quibus idem ad Philip. 4. *adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Concilium Chalcedonenſe diſſertè meminit fæminarum, quæ acceperunt officium Diaconatûs: *Diaconiſſam*, inquit: *Non ordinandam ante annum quadrageſimum, ſi verò ſuſcipiant manuum impoſitionem &c:* eratque hæc manuum impoſitio diſtincta ab illa, per quam Sacramentum confirmationis conferebatur, ùt patebit Canonem ultrà legenti. S. Epiphanius quoque ait: *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi adminiſtrationem* (id eſt, confectionem Sacramentorum, aut horum diſpenſationem) *inſtitutus eſt &c.* erant verò diverſa earum miniſteria in Eccleſia: nempè cuſtodire januas, per quas mulierum fiebat ingreſſus, arcere indignas, dignas admittere, in Baptiſmo ad chriſma, aliáque ibidem ſexûs diverſitatem magis attingentia conferenda aſſiſtere, viſitare pauperes, atque juvare, ſolari miſeras, ſepelire defunctas &c. de quibus omnibus peculiaria præcepta Clemens congeſſit L. 1. conſtit. hæ verò mulieres velabantur, adſtringebantúrque

Can. 18.

Hæreſ. 79.

L. 1. conſt. c. 13. & L. 8 conſt. 18. L. de veland. Virg. c. 2.

Digitized by Google

Orig. hom. 3. in gen. Euſeb. L. 8. hiſt. c. 8. queve voto continentiæ, de quo legendus Tertullianus, Origenes, Euſebius, háſque monachas non exſtitiſſe, ipſa memorata Eccleſiæ miniſteria, quibus addicebantur, manifeſtant. Itaque inter clericales perſonas numerandæ, quibus non minùs ſuæ ſuppetebant congregationes in communi, & de communi viventibus.

2. *Diſtinctæ erant à monachabus, & Canonicæ à fine ſuo dictæ.* Non vacat, de ſæculo in ſæculum hanc quoque prolixiorî calamô ſeriem enarrare; ſatis enim eſt, exſtare monumenta certiſſima, quibûs doceamur, ſicut per priora ſæcula prænominatas clericas, ita ſucceſſu temporis Canonicas, ſeu, ùt eas uſitatiùs nuncupamus, Canoniſſas, eáſque à monachabus penitùs diſtinctas continuò in Eccleſia floruiſſe, & quamvìs non abnuendum, clericas divino cultui, atque enarratis miniſteriis obeundis mancipatas non ſemper perduraſſe quoad hoc exercitium, at quoad finem ſuum præſtitutum immutatas non fuiſſe, exinde colligimus, quòd alióquin talium identidem meminerint ſcriptores, inſuper in occidente earum notitia ſaltem extra Galliam habeatur adhuc ſæculô 11. nam Leonem Nonum legimus memoraſſe poteſtatem Epiſcoporum ordinandi Presbiteros, Diaconos, *Diaconas*, & Subdiaconos: ſic & Benedictus Octavus an. 1019. Epiſcoporum Portuenſium jura enumerans inquit: *Pari modô concedimus, & confirmamus vobis, veſtriſque ſucceſſoribus inperpetuum omnem ordinationem Epiſcopalem tam de Presbiteris, quàm Diaconibus vel Diaconiſſis, ſeu Subdiaconibus - - - faciendam.* Verùm tunc fortaſſe ordinatio iſta aliam Virginibus contulerit poteſtatem, utpotè partim clauſuram ſacris veſtalibûs ſæculô undecimô utcúnque jam eligentibûs, partim hâc ordinatione etiam indiſcriminatim monachabus collatâ.

Leo 9. Epiſt. 14.

Ital. ſacr. in Ep. Portuenſ. col. 118.

Hinc autem nequaquam concludendum, Virgines illas clericales tunc periiſſe, dum Canonicæ audire inciperent eôdem ipſô ſæculô ſextô, quô, ùt diximus, earum ſublata ſunt priora officia in Eccleſia. Ex quo cuidam fortè recentiori ſcriptori aſſerere placuit Canoniſſas ex relaxatis monachabus protuberaſſe: verùm, ne ex uſu noviter recepto alicujus nominis originem rei eidem alligemus, jam aliàs & monuimus, & injuſtè fieri monſtravimus. Potiùs igitur antiquiſſimum Canonicarum Virginum inſtitutum ex oriente credamus ſæculô ſextô, ſeptimô, vel octavô in occidentem deveniſſe, ut, quæ antea vel ſimpliciter ſanctimoniales, aut clericæ, aut denique ſacræ Virgines dicebantur, ad diſtinctionem pariter monacharum, ſeſe præcipuè ſæculô octavô ſub Benedictinam regulam colligentium, in partibus noſtris Germaniæ, Galliæque Canonicas nuncuparent. Nam, quæ antea aut D. Cæſarii, aut Baſilii, aut Hieronymi, aut Iſidori &c. regulam ſibi præſtitutam habebant, nunquam adducer, ut eas inter purè monachas habeam, quarum originem inquirentibus, atque diſcrimen, neſcio, an tam obviè, ùt quidam autumant, exhibenda ſint? Novi equidem tempore Auguſtini, Hieronymi, aliorumque (etiam in oriente) iìs ſæculìs Patrum monachas veras, ac genuinas exſtitiſſe, has ſe etiam pullatô, & ad ſæculi mores contempto omninò veſtitu operuiſſe admitto; at non ſolæ, nam & aliæ, quas miniſteriis Eccleſiaſticis ſacratas legimus, veſte quâdam fuſcâ, vel etiam pullatâ ſcimus fuiſſe indutas; ſolùm id fortè diſtinctionis repererο, monachabus ſtrictiſſimè cubilis ſecreta, & ab omni converſatione exterorum ſejunctionem impoſitam, ùt diſcimus ex Hieronymo, & Ambroſio, minùs clericalibus, quamvìs & in hoc ipſo nova ſe obtrudat utriúſque ſpeciei commixtio: ut, dum S. Patres loquentes de Virginibus velatis percipimus, communis ſemper ſermo inſtituatur, & denique tanta omnium Deo ſe devoventium

Hieron. ad Euſtoh. de cuſtod. Virg. Ambroſ. expoſit. fid. Cath. c. 21.

Digitized by Google

um Virginum ratio æqualitatis eluceat, ut vix, ac ne vix quidem ſtatuere certam regulam valeas, quâ dignoſcas, hæc, illáve fueritne inter chorum clericalium Virginum, an purè monacharum computata? Etſi namque notum ſit, monachabus rarò, aut nunquam miniſteria clericalia fuiſſe delata, at cùm ſimul inveniam dictas à nobis clericales ſtrictiſſimâ normâ vixiſſe, ſi hujus diſtincti particularis finis (quô una diſcernenda eſt ab altera) exercitium in quadam non legero, an ne ideò ad monachas ablegabo? Auguſtini Virgines omnes intra clauſtri penetralia recludebantur, nihil de earum legimus miniſteriis Eccleſiaſticis peragi ſolitis, attamen ut eas monachas dicam, ſunt alia, quæ diſſuadeant, ſaltem non tales fuêre, quales Eccleſia ſemper, & communis uſus diſcrevit à reliquis, quæ primùm clericæ, aut clericales, dein in Occidente Canonicæ dicebantur. Nolo nimius eſſe in hoc diſcrimine ponendo, cùm aliud non quæram, niſi certiora proferre, quæ ſuffecerint, ſi ſaltem ſæculô ſextô ejus ſpeciei infimæ collectas Virgines in uno monaſterio, ſocietatéque monſtravero, quarum ſuccedentes hodiedum vulgariter Canonicarum titulô gaudeant, vivantque votivæ: tales fuiſſe inſtitutas à S. Fridolino Sekingæ alibi diximus, & adhuc dicimus, cùm Seckingenſem parthenonem deſcripturi ſumus. Similem & Erntrudem, totúmque hujus Virginis Gynæceum à D. Ruperto erectum, pariter eadem occaſione oſtendemus, quod ipſum de D. Gertrude Nivellenſi, Odilia, Opportuna &c. æquali jure exinde erit ſentiendum. Nec me movent diverſa argumenta à Doctiſſimo Thomaſſino allata, ut usque ad ſæculum octavum, vel nonum votivæ non agnoſcantur: nam nobis tantum negotium non eſſet harum ſicut virginitatis, ſic & expropriationis vota aut emiſſa, aut implicitè per ſuſceptum religioſum habitum Deo deprompta monſtrare. At cùm abundè illud præſtiterit, quem hactenùs Ducem, præceptorémque ſecuti ſumus, Largius noſter, ad eum, lectores dimittimus. Unicum tamen ex eodem præfato Thomaſſino obſervantes, quod ipſe ait, Canonicas ſæculares paſſim Aquiſgranenſis Concilii tempore floruiſſe, imò eas eſſe, de quibus Concilium Lateranenſe, & Remenſe &c. ergò huic authori conformiter dicendum eſſet ex Canonicis, ſeu Canoniſſis ſæcularibus, regulares prodiiſſe per Concilium Lateranenſe ſecundum an. 1139. & Remenſe 1148. primùm ad hanc regularitatem adductas.

Diſq. Ord. Can. f. 120. & ſeq.

Ver. & nov. Ecc. diſc. Part 1. L. 3. c. 6. 3. n. 7.

3. *Sæculô octavô nullæ erant ſeculares, maximè tempore Concilii Aquiſgranenſis. Sed diverſis gradibûs paupertatis obligatæ.*

Verùm huic ſententiæ graviſſimæ rationes obſiſtunt, ne ſubſcribamus, quin indubitatum nobis eſt, tempore Aquiſgranenſis Concilii, quoquot exſtiterant ſuæ proprietati ſtudentes, eas ipſas jam tunc inter relaxatas numerari ſolitas, & â conſueta pridem religioſæ modeſtiæ regula exorbitantes; adeò quidem, ut cùm diù antea ad æmulationem fortaſſe virorum Conſiliis Evangelicis votivè ſervandis inſtitiſſent integerrimè: hîs temporibûs habenâ regularis vitæ remiſſâ, ipſæ longè magìs, quàm viri reſtauratione qualicúnque demum poſſibili indigerent. Nimis apertè enim Concilium de renuntiantibus Canoniſſis loquitur, innuitque expropriationem non noviter eis perſuaderi, ſed quarumdam malis moribûs velut obfirmatâ tenacitate jam penè excluſam piiſſimis Patrum Conſiliis in earum animos reduci. Nam in regula pro iiſdem Virginibus exarata Can. 9. ſic dicitur: *Providendum eſt his, quæ ob amorem Chriſti caſtimaniæ ſe dicaverint, & in collegio ſanctimonialium ſe admitti poſtulaverint, ut res ſuas, antequam monaſterium ingrediantur, ita ſapienter, prudentérque deliberent, atque diſponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occaſione patiantur perturbationem. Proinde ſi aliqua ſanctimonialium res ſuas proprias Eccleſiæ ita contulerit, ut nihil ex his ſibi-*

Digitized by Google

ſibi proprium vindicare, ſed tantùm rebus ſuſtentari velit Eccleſia, huic ſufficienter in congregatione ſtipendia largiantur neceſſaria &c. Ex quibus clarè inſtruimur, ſolitum fuiſſe apud Virgines quoque Canonicas expropriationis votum, & ſic ſolitum, ut Concilium iſtud eam non tanquam aliquid novum, antéque inauditum commemoret. Quódque ampliùs firmiter illi inhærendum opinioni exiſtimo, quæ docet, ne quidem tunc plenè ſæculariſmo deditas fuiſſe repertas, ſed non minùs iis diverſis paupertatis gradibus devinctas, quibus demonſtravimus, Canonicos vixiſſe. Declarat id imprimis hic ipſe citatus Canon impenſiùs perlectus, nec non & Concilium Romanum ſub Nicolao ſecundo à nobis dudum enarratum: æquè enim graviſſimè in Canonicas invehitur. Et ſi partem illam (meritò ſuſpicioni interpolationis ſubijciendam) demas, quâ omnes Virgines unam regulam Benedictinam obſervaſſe contenditur, apparebit in unico Germaniæ angulo ex illis ipſis laudatiſſimis Parthenonibus proprietarias, atque nimiùm relaxatas jam tempore Nicolai Canonicas nomine (reipsâ vanitatis domicellas) proceſſiſſe, qui antea ſummæ regularitatis, ac diſciplinæ ſacras veſtales alebant non minùs, quàm quæcúnque alia Europæ patentiſſima Gynæcea. Quia enim idem ſanctiſſimus Pontifex ait, *hujusmodi ſanctimonialium inſtitutionem usque nunc totam Aſiam Africam ſimul, & Europam nec ſciviſſe, nec recepiſſe.* Totus autem Nicolaus ſit in exprobratione prætenſæ proprietatis, atque aſſertæ talibus Sanctimonialibus; prætereà extra controverſiam ſit, ſæculô octavô paſſim Canonicas Virgines etiam ex aſſenſu adverſariorum à Monachabus plenè diſtinctas exſtitiſſe, patet manifeſtè, has propè illa Nicolai tempora expropriatas, ac verè religioſas votis illigatas vixiſſe.

4\. *Sæculô undecimô, ac duodecimô in Canonicas Virgines ſæcularitas pleno niſu illabitur.*

Verùm quod Nicolai tempore in his Canonicis Virginibus ſuccreſcere incæpit proprietatis, ac ſæcularitatis lolium, ingentes ſæculô duodecimô radices fixit, cùm ſuffocandum ſperabatur: nam, ſicut plerumque cum ſequiori ſexu mollior ſolet eſſe correptionis ratio, majórque ingenitæ infirmitatis conniventia, ſic in eodem ſtabilita eſt nequitiæ firmitas, habendi cupido, ſæcularitatiſque affectus, qui adeò animis earum inhæſit, ut clauſtralem clauſuram, ac perpetuam continentiam, velut inferni foveam averſarentur, neque ulla arte, vel perſuaſionibûs, aut denique minis averti poſſent. Remenſe illud pernotum Concilium Eugenii tertii cap. 4. conſtituit quidem, *ut Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta Beatorum Benedicti, & Auguſtini rationem, vitam ſuam in melius corrigant, & emendent, & in clauſtro ſint aſſiduè permanentes.* At hic Canon generaliter latus eſt, ùt ex contextu liquet, omnéſque indiſcriminatim Canonicas attingit, ut adeò hoc tempore, nullo libertatis, ac Conceſſionis Eccleſiaſticæ beneficio ſe ſæculares Canonicæ munire poſſint, quaſi vel ullum earum monaſterium hôc ſæculô duodecimô, jure Pontificio tale ſubſtitiſſet. Omnes ad regularem vitam tum adhuc obligabantur, & ubi talis non vigebat, corruptella erat, morúmque perverſitas, atque reformationis expetebatur cenſura, nec ulla dici poterat legaliter inducta ſæcularitas. Neque refert Jacobum de Vitriaco videri, quaſi his ſæcularibus Virginibus ſæculô 13. adblandientem converſationem ſuam. Mihi enim textum ejus maturiùs conſideranti occurrit potiùs per quandam antiphraſim Jacobum fuiſſe locutum: ejus verba ſunt ſequentia: *Ad imitationem, & exemplum Canonicorum* (quos Sæculares antea deſcripſerat) *in partibus Hannoniæ, & Brabantiæ* (iſtæ ipſæ ſunt à Nicolao vehementer ſugillatæ) *& in quibusdam Theutonicorum, & Alemannorum provinciis*

Sed neutiquam Pontificia authoritate, ùt patet c. Indemnitatibus Clement. de Elect.

Cap. 18. hiſt. occid.

ciis (nova ſcilicet, & inaudita ſoboles ex parente, neſcio, quali, nec in aliis adhuc, ùt Galliæ, ac Italiæ partibus cognita, quod alióquin Jacobus non retinuiſſet) *quædam ſunt mulieres, quas Canonicas ſæculares, ſeu domicellas appellant, non enim moniales nominari volunt, ſicut Canonici ſæculares monachi non dicuntur. Hæc ſiquidem adeò perſonas accipiunt, quòd non niſi filias militum, & nobilium in ſuo collegio volunt redigere,* ***religioni, & morum puritati ſæculi nobilitatem præferentes.*** *Purpura autem & byſsô, & pellibûs griſeis, & aliis jucunditatis ſuæ veſtibûs induuntur, circumdatæ varietatibûs cum tortis crinibus, & ornatu pretioſo circumamictæ ùt ſimilitudo templi, gaudentes cum gaudentibus, liberales valdè, & hoſpitales. Pellibûs autem agninis quantumcúnque ſubtilibûs, & delicatis utuntur. Si aliqua inter eas palliô humilitatis causâ uti præſumeret, miſeram, & abjectam hypocritam eam vocantes, tantum nobilitatis ſuæ dedecus, nulla ratione ſuſtinerent &c.*

Hæc Vitriacus, ex cujus verbis quantum encomium lector pro his Canoniſſis ſæcularibus emendicare poſſit, ut gratum eiſdem canticum occinat, ipſe viderit, meâ tanti non intereſt, in harum favorem quamcunque laudem ex authore, vel ſcriptore illis fortaſſe plùs juſtô adulante conquirere : cùm intereà ſciam, eò parciùs mihi in his dilaudandis fore laborandum, quò earum inſtitutum tali fulcimento videtur eſſe innixum, ut, quamvis complura in Heterodoxorum manus devolaverint, inſtituti ſui rationem tantò liberius retinere ipſæ potuerint, quò providentiùs jam antea jugô votivô excuſsô, ſatagerunt favoris eorum hominum aucupandi, quibus, quidquid aut ſacratiùs, aut devotiùs divino ſervitio illigat, monſtrum eſt, ac abominatio. Igitur qui harum, (quæ nil minùs, quàm nos attingunt, nec inſtituto, nec re, nec nomine illæ, quas ſe venditant) notitiam, aut etiam commendationem cupit, fortè reperiet in ea, quam ante quatuor luſtra Hierarchiam Auguſtanam orbis litteratior vidit, & miratus eſt.

Nos hiſce brevi de ſacris Virginibus diſſertationi metam ponimus, quæ ampliora deſiderari poſſent, in peculiaribus quorundam Parthenonum deſcriptionibus promenda.

5. *Anacephaleoſis totius Exegeſis.*

Priúsquam tamen manum de tabula, calamúmque ab hac noſtra Exegeſi plenè dimoveamus, operæ pretium duximus, brevi Anacephaleoſi lectoris memoriæ d.ſervire, ut, quæ hactenùs prolixiùs diſputata ſunt, unô quaſi oculô in hac contemplari, ac percurrere liceat, appareátque, quibûs principiis freti eam ſententiam tuendam amplexi ſimus, quam ante nos viri longè doctiſſimi propugnavêre: cui fortaſſe permulti quoque adverſæ parti faventium æquè acceſſiſſent, ſi modò quædam placuiſſet veterum monumentorum exploratam veritatem, & priorum ſæculum undecimum præcendentium virorum religioſorum normam vivendi in ſtatu clericali, ac Canonico ad temporum illorum mores, uſúmque æquare ; cùm impoſſibile ſit, in quacunque demum re genuinam ejus ſubſiſtentiam obtinere, ſi illam ad circumſtantias tales metiri conemur, quæ eandem nec modô, nec tempore attingunt, veriſſimum enim, quod dicitur c. ſcit. diſt. 12. *Ratione temporis, & loci diverſas poſſe obſervari conſuetudines.* Et c. penult. de conſang. *Juxta varietatem temporum variari jura.* Totum ergò, quem nobis arietem opponunt adverſarii, firmantes in eo, quòd aliter longè priſtini clerici vixerint, ac Canonici, quàm hodierni (quos communî ſtylô Regulares S. Auguſtini nuncupamus) reperiemus enervatum, ac imbellem ſuccumbere, dum demonſtramus hanc alterationem eam ſubſtantiam non attingere, quæ ſpeciem infimam alicujus inſtituti immutare potuiſſet ſecundùm

dùm

Digitized by Google

dùm meritum objectivum. Atque ut id (quod dudum de hac immutatione ſecundùm Philoſophica, certáque principia oſtendimus, ac pro fundamento poſuimus) neutiquam ad faſtidium lectoris iteremus, hoc conſideranti liquebit ad oculum, nihil omninò ex omnibus mutatis circumſtantiis, additâ, demptâ, reſtauratâ, aut ſublatâ vivendi formâ (quâ ſolùm magis, minúsve florere reperiebantur clerici Canonici) efficere potuiſſe, ut in ſubſtantia, ſeu, proùt loquendi fert uſus, in ſua ſpecie infima inſtitutum votivo-clericale alteraretur usque ad novam inductam, atque ſic æſtimatam recentem, nec antea exiſtentem ſpeciem talem ex ſuo merito objectivo. Profectò enim, ſi tempus illud ſæculi undecimi oculis animorum intimè præfigamus, quibûs actu introduci cæpit diſciplina regularis in clerum per emiſſionem votorum cum ſponſione vivendi juxta regulam S. Auguſtini, & ſi cum novi clericalis inſtituti ſtatus verè, ac realiter fuiſſet inductus, atque hinc novus quoque, & antea nequaquam cognitus Ordo Can. Reg. S. Auguſtini, impoſſibile eſt, ut id tot viri doctiſſimi, & diſcernendorum religioſorum inſtitutorum ſufficienter ſagaces, atque circumſpecti, non agnoviſſent, quin expreſsè enuntiarent contrarium, id eſt, diſſertis verbis dicerent, hunc per regulam S. Auguſtini introductum modum vivendi in collegia, ac Eccleſias Cathedrales, non eſſe novi ordinis inſtitutionem, ſed ſolummodò veteris, & antiquiſſimi reformationem, utpotè à ſua primæva Apoſtolica regula aliquatenùs hucuſque aut defluentis, aut omninò in aliquibus locis exorbitantis. Hoc manifeſtè nobis oſtendit charta Iſarni Epiſcopi Toloſani an. 1013. ipsô nempè hujus reformationis aſſumptæ, & actu effruticantis tempore: ait namque in illa vir ſanctus: *deliberavi divina inſpiratione, Eccleſiaſticum vigorem, ac priſtini ſtatûs lineam totis niſibûs corrigere, ſtatui ſiquidem habita deliberatione, ut quibuscúnque clericorum abhinc, & deinceps corpori voluerit communicare Eccleſia prælibatæ, mancipandum ſe noverit rigori Canonicæ vitæ verbi gratiâ, *ut nihil ſibi proprium habeat, vel etiam (quod abſit) dicat.* Hujus ejuſdem ſententiæ exſtant teſtimonia luculenta data à Gregorio ſeptimo, Nicolao ſecundo, Alexandro ſecundo, tertio, Petro Damiano, Urbano ſecundo, Anſelmo Havelbergenſi &c. ut nil dicam de compluribus horum temporum, aut reformatoribus Collegiorum Canonicalium, aut fundatoribus, omnibus uno ſenſu, unô calamô concordantibus, ac decernentibus, nullum novum inſtitui ordinem, ſed vetuſtiſſimum utcúnque dilapſum ſolummodò hâc normâ renovari. Et quæſo, perquirantur omnium, in Eccleſia Catholica exiſtentium religionum ſacrarum primordia, erítne vel una charta aſſignanda, in qua decernatur, ut certi homines *obligentur* ad illud inſtitutum novum ſuſcipiendum, ac obſervandum, ſicut eôdem ipsô undecimô ſæculô reperimus factum. Quotquot inſtituti clericalis (ad votivam vitam) reductionem quæſierant, non eam tanquam novum inventum, recentem ordinem, noviter excogitatam diſciplinam proponunt, ſed tanquam rem clericis pridem ſolitam, imò & debitam, adeò quidem, ut ſolùm ideo Hildebrandus graviter inveheretur in Clerum relaxatum: urgeret obligationem, non ſuaderet Damianus: damnaret renitentes, & huic normæ ſe non accommodantes pariter & Gerhohus. Quod, an quiſpiam poteſt attentare ad novum, & Clero nunquam conſuetum inſtitutum? Neque obeſt Alexandrum II. ad hanc communem vitam amplectendam *rogandô monuiſſe*, fecit id vir diſcretiſſimus ſolitô ſummis Eccleſiæ Præſulibus lenimine, ne videretur uno fulmine nutantia corda quaſſare, ſufficiebátque communi

muni omnium, ac maximè clericatûs ſacratioris parenti, ſeveriorem animadverſionem ſuis legatis committere, qualis Damianus erat, ut terrore ſimul, ac amore, precibûs, minisque intentatis urgeret, ac alliceret illos quidem, quos molliores ad pietatem ſperabat, effectu feliciori per preces commoturus, duriores cervices interim ſeveriori correptioni relicturus aliorum.

6. *Oſtenſum primò Apoſtolos, primósque Clericos votivos fuiſſe.*

Sed ut ad recapitulationem, & enarrandam breviter, combinandámque ſeriem hactenùs dictorum deveniamus, quâ in nucleo quaſi comprehendere Iliadem liceat memoriæ inſerviendi gratiâ, & in quodam ſummario congeſtam apprehendamus veritatem. Vidimus cumprimis ex teſtimoniis, & graviſſimorum Doctorum apertiſſimis ſententiis (nullius ſensûs figurati, aut allegorici, ſed litteralis, & vulgaris elocutione) prolatis, ſanctos Apoſtolos, primósque Clericos vota religioſa, ſeu tria Evangelica conſilia Deo nuncupaſſe, hanc veritatem continuæ ſucceſſionis demonſtratione ſtabilivimus, & ne ullum ad firmandum iſtud, meô quidem judiciô certiſſimum aſſertum, deeſſet argumentum, aut adverſariis objiciendi ſuppeteret ultra alicujus oppoſitionis materia, oſtendimus poſt clericalis inſtituti primam, ac, ut ita dicam, ex natura ejusdem medullitùs eviſceratam ſubſiſtentiam, quæ ſe apprimè fundaverat in illa votiva expropriatione mundi, id eſt, rerum terrenarum, carnis, hoc eſt, concupiſcentiæ voluptuoſæ, & denique ipſius ſuperbiæ, hoc eſt, propriæ voluntatis, & in fine illo præſtito particulari miniſterii Eccleſiaſtici, oſtendimus, inquam, hunc ſecundùm duplicem præfixum finem (generalem ſcilicet illum votivæ religationis Deo factæ, & particularem alterum) inſtitutum vivendi modum non poſſe æſtimari tanquam aliquam communem ſolùm ideam, aut etiam formam univerſalem religionum omnium ſuô tempore in Eccleſia prodeuntium, ac inſtituendarum: ſed re verâ fuiſſe jam primitùs particularem, ac certum, nec non ad ſpeciem ſuam infimam ſufficienter ſecundùm temporum illorum exigentiam, determinatum modum vivendi, ſeu, ut verbô dicamus, ſtatum religioſum. Neque obeſſe poteſt, quòd demonſtrari nequeat, Clericos primitùs renuntiantes, ſeu votivos quoad modum vivendi alicui inſtitutioni particulari fuiſſe ſubjectos, & regulam Apoſtolicam non fuiſſe talem, quæ ad aliud illos obſtringeret, niſi ad ipſam communitatem bonorum, adeóque non determinaret ad commune dormitorium, refectorium, ad commune oratorium &c. imprimis enim, quamvìs hæc determinatio neutiquam in primis Clericis viguiſſet, nunquam id offeciſſet inſtituto particulari, cùm certum ſit, hos ſingulares ritus non poſſe ad ſpeciem infimam abſolutè conſideratam determinare, ex eo, quòd hi non ſingularitatem inſinuent alicujus inſtituti, ſed potiùs reſpectivam aliquam complectantur diſcernendi facultatem unius inſtituti ab altero in illis circumſtantiis, in quibus neceſſe eſt, tales partes diſcretivas aſſumere ob multiplicia inſtituta religioſa, ne unum cum altero confundatur; quæ, quia primis ſæculis in Eccleſia non fuerant, neque inde tales, tótque notæ diſcretivæ in primo inſtituto religioſo expetebantur, ſed determinabat illud ſufficienter ad ultimam ſpeciem finis particularis: ut adeò potiùs ſucceſſivis in Eccleſia prodeuntibus religionibus ſacris incumberet, ſe per alios, atque alios magìs peculiares vivendi ritus diſcernere. Deinde declaravimus attamen, ídque maximè parte ſecunda penè per totum, Clericos votivos à primæva ſua inſtitutione habuiſſe complures notas diſcretivas, quibûs magìs, ac magìs in ſua ſpecie infima firmabantur, ac diſcri-

Apoſtolis &c. fuit certum, ac ac particulare religioſum inſtitutum.

Hæc norma vivendi in

criminabantur à ſtatu tunc ſolummodò præter ipſos florente nimirum monachili. Et ſi etiam ipſis Apoſtolicis temporibûs ritum vivendi peculiariter præſcriptum quis prætendat, an non eum liceat ex illa ſaluberrima S. Ignatii exhortatione ad Clericos Schmirnenſes colligere, in qua diſſertis verbîs ait: *Collaborate vobis mutuò, unà certate, concurrite, patimini - unà ad quietem vos componite: unà exurgite &c.* An non apparet ex his verbis, Schmirnenſes, unum dormitorium, oratorium? quin & refectorium habuiſſe, idipſum ergò ſentiendum erit de aliis.

7\. *Communis vitæ ratio votivam deſignabat*

Hâc verò particulari ratione inſtituti tam ponderosè demonſtratâ, ut eidem etiam doctiſſimus Suarius ſubſcribere non dubitaverit, quámque Angelicum Thomam ipſum approbâſſe, ex ejusdem adductis verbis (quibûs Canonicorum Regularium inſtitutum per ſolum, ac unicum finem particularem diſcernit ab inſtituto monaſtico) evidenter docemur. Inde ad explicandam *communis vitæ* qualitatem proceſſimus, oſtendentes, quæ, qualiſque illa fuerat, & conſultò obſervantes hujus vocis Ethymologiam ad uſque poſteriora longè ſæcula ſemper talem fuiſſe, ut ſimpliciter prolata, & in veterum Scriptorum monumentis reperta aliud notare non ſoleret, niſi vitam votivam in una Religioſorum ſocietate obſervatam: neque illorum aſſertionem ulli ſtabili, ac gravi argumento innixam eſſe, volentium, per communem vitam in Clericis, intelligendam ſolummodò communionem corporum, non rerum ſecundùm votivam vivendi rationem, probavimus, eámque refutavimus opinionem teſtimoniis manifeſtîs.

8\. *Vota Apoſtolorum, ac reliquorum Clericorum ſimplicia fuere.*

Cùm deinde aliorum adverſantium argumenta eò tendant, ut diſcrimen Clericalis inſtituti veteris à noſtro præcipuè demonſtrent, aut per ſpecificè diverſum modum vivendi conſtituendum in ſimplicitate, vel ſolennitate votorum, aut in horum ſaltem apud ſuccedentes Clericos omnimodâ dimiſſione, Nos ideò caput quartum primæ partis, quintúmque adornavimus, probantes imprimis tempore Apoſtolorum ac diù inde ſolam votorum ſimplicitatem exſtitiſſe, maximè verò paupertatis, hujúsque vices adeò fuiſſe diverſas, ut ſe ejuſdem obligatio voto firmata in quatuor gradus diſpertiret, quod certiſſimum eſſe non ſolùm ex doctiſſimo Suario propoſuimus, verùm etiam teſtimoniîs luculentîs, & ad oculum patentibûs obfirmavimus. Hincque cautionem abundantem illis ſcriptoribus ſuppeditavimus, qui modernis temporibus, ac juribus, vetera coæquantes mirantur, poſſe aliquem virum ſanctum ſæculò undecimô, aut præcedentî viventem tanquam Canonicum Regularem obtrudi, ubi legitur Teſtamentum condidiſſe. Dum autem allegatîs documentîs explanavimus, iis temporibûs, vel ipſos ſanctos Monachos, ac Monachas certiſſimò votîs religioſîs illigatos, & teſtamenta feciſſe, & inſtituiſſe, idque unicè ob graduum paupertatis diverſitatem in ſimplicitate hujus fundatam: nullus jam dubitandi locus ſupereſſe videtur, quin Scriptores illi ſolitum hactenùs rigorem in excludendis à religioſo inſtituto Canonico Sanctis ob repertorum teſtamentorum à ſe conditorum, aut aliam huic ſimilem cauſam, liberaliore calamô ſint temperaturi.

9\. *Continua ſucceſſio analogica hujus votivo-Clericalis vitæ demonſtrata.*

Statutâ hôc modô, & vindicatâ votivæ paupertatis certitudine ipſis priorum ſæculorum Clericis, non omnibus, ſed iis diſſertè, quos legimus, aut in communitatibus vixiſſe, aut certè ad ſinum alicujus Eccleſiæ talem Societatem Clericalem alentis non ſimpliciter matriculariâ inſertione, ſed quâdam formâ ſtabilis profeſſionis (proût de ea Concilia à nobis ibidem allegata loquuntur) ſpectaſſe, atque incardinatos fuiſſe, deduximus demum

mum hujus primæ partis ultimis capitibûs ſucceſſionem analogicam in prioribus principiis ſic fundatam, in allegatis verò de ſæculo in ſæculum teſtimoniis adeò manifeſtam, ut ne ambigendi quidem ſuperſit ratio, virum à partium ſtudiis alienum, veritatique aſſerendæ intentum id unà nobiſcum affirmaturum, quod in prima parte probare contendebamus, ſcilicet: usque ad ſæculum undecimum exſtitiſſe clericos in una communitate votivè viventes, & ſe invicem analogica ſucceſſione continuò excipientes. Analogicâ, inquam, ſucceſſione, pro qua dum quidem aliquantum fundamentum capite ſecundò jam poſuimus, quia tamen longè plura ſuggerenda occurrebant, quibûs ſententia hæc noſtra firmiùs ſtabiliretur, ad partem ſecundam adornandam animum induximus.

In hac itaque toti fuimus in alligandis notis tam diſcretivis, quàm ſuô modô conſtitutivis inſtituti votivò-clericalis; cumprimis neceſſe fuit illud à monaſtico inſtituto vindicare, ut demum via nobis planior ordinaretur ad dignoſcenda priſtinis undecim ſæculis monaſteria clericorum, à propriè, & ſtrictè monaſticis. Negotium præcipuum hujus quæſtionis nobis nupernus doctiſſimus ſcriptor paravit, qui dum ſacro ordini ſuo, ùtùt poterat, jus, honorémque dicturus in enarrandis ejuſdem ampliſſimis prærogativis ſe occupat, penè nimiô affectu abreptus, ubi (quæ veriſſima) abundantiſſimam jam meſſem gloriæ ſibi, ſuóque ordini ſubminiſtraſſet, hàc haud contentus edicere generalì ſtylô non dubitavit, quoties in antiquis, & maximè S. Gregorio Turonenſi æqualibus, aut ſupparibus ſcriptoribus legendum occurrerit nomen *monaſterii*, *Baſilicæ*, *Eccleſiæ*, *ſacri ordinis*, *ſervi Dei*, *diſcipuli alicujus ſancti*, *Canonici Ordinis*, *Canonici*, *Fratris*, *Clerici*, *Abbatis Canonici*. *Venerabilis &c.* intelligendos eſſe monachos, aut eorum Eccleſias, atque monaſteria. Cùm igitur aliquantò duriùs hæc nobis aſſerta viderentur, placuit in iſta quæſtione genuinæ veritatis fundamenta inquirere, atque eam demùm reſolutionem formare; hìs qualibûscúnque vocibûs in antiquis ſcriptoribus, nihil certi edoceri, utpotè permixtim eas ùt plurimùm uſurpantibus: adeòque cupienti diſcrimen advertere neceſſe eſſe, ut ad integrum contextum recurrat, neque putaverim ullum eruditum in hoc nobis adverſaturum.

Exinde devolvimus ad ipſas notas diſcretivas inquirendas, atque ut in his quoque fundatè procedamus, totius cujuſdam moralis dignoſcendi principia ex Philoſophia depromimus, cuius ſubſidiô iis proſumus, qui fortaſſe, neſcio, quâ opinione imbuti, crediderant aut inſtituta religioſa inter tota moralia non eſſe cenſenda, ſed Phyſica, ut hinc toties ſpecificè immutari crederentur, quoties alias partes induerent: aut ſiquidem illud? non tamen deſumebant diſcrimen à merito objectivo, ſed à parte quacúnque demum ſuo particulari judicio ſæpè in propria cauſa vehementer erroneo ſibi viſa ſufficiente, ut ſpeciem diſtinctam arguerent. Verùm hanc opinionem manifeſtè hallucinari oſtendimus, & quidem argumentô à poſteriori petitô; nam abnui nequit, à merito objectivo dependere totius alicujus moralis ſpecificam diſtinctionem, quod jam dudum ſupponimus. Hoc verò ſubſiſtente, ſolùm quæſtio moveri poſſet, quis ſufficiens cenſeatur, ut ejuſdem judiciô, ac declaratione ſtetur, verúmque habeatur, ex merito objectivo totum morale ſecundùm ſuam ſpeciem infimam, aut mutatum eſſe, aut perſeverare in priori? Huic obviantes diximus, eorum eſſe declaratione ſtandum, quorum maximè intereſt totius talis rationem, qualitates, accidentia, & conſtitutiva noſſe; imò à quorum judicio propriè dependet jus, & ratio talia diſcrimina decernen-

10. *Nullas notas diſcretivas aſſignabiles eſſe, quibus in ſpecie infima immutatum ſemel ab Apoſtolis inſtitutum votivo-clericale probari poſſit.*

nendi. Hoc verò, ùt ratio ipſa dictat, nemini potiori jure deferri poteſt, in determinanda ex merito objectivo diſcrepantiâ, aut identitate inſtitutorum religioſorum, niſi primò: ipſi ſummo Eccleſiæ Præſuli, & omnium religionum ſupremo Parenti, ac Capiti, utpotè: *Qui omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere cenſetur.* Deinde ipſis religionum inſtitutoribus, ac reformatoribus; eò, quòd hi optimè norint, an ex merito objectivo tam diſcretas, & alienas partes aut adjiciant, aut conſtituant, ut proprio eorum ſenſu alius, novúſque à quovis jam inſtituto ordine, formatus credatur. Deníque tertiò virorum doctiſſimorum, & in tali quæſtione optimè formatorum, inſuper verò ab omni præjudicio liberorum menti, atque ſententiæ. Atqui demonſtravimus nos, ab omni hac triplici claſſe teſtium unanimiter conclamari, ſpeciem infimam votivo-clericalis inſtituti nullas tales notas diſcretivas à tempore Apoſtolorum unquam induiſſe, vi quorum illa in ſe adeò immutata fuiſſet usque ad ſæculum undecimum, ut ſeu tunc, ſeu antea diverſa habenda fuerit: ratione, ùt diximus, à poſteriori petita. Et quidem ab authoritate ſummorum Eccleſiæ Præſulum Alexandri ſecundi, & tertii, Urbani ſecundi, Eugenii quarti Pii quarti, & quinti, Clementis quinti, Benedicti duodecimi &c. dein ab ipſis reformatoribus Petro Damiano, Gregorio ſeptimo, Nicolao ſecundo, Ivone Carnotenſi, Stephano Tornacenſi, aliiſque Epiſcopis reſtauratoribus votivo-clericalis inſtituti, & fundatoribus clericalium monaſteriorum plurimis. Deníque ab ipſis quoque ſcriptoribus doctiſſimis æquè, ac expertiſſimis, ita quidem, ut (ſi tempora notiſſimum illum turbarum in quemvis penè ſtatum commovendarum authorem, atque inquietiſſimi ingenii hominem Cajetanum Conſtantinum præcedentia obſervemus) omnium fermè inconvulſa, certáque ſententia fuerit Canonicos Regulares S. Auguſtini infimâ incommutatâ ſpecie ab antiquis clericis, ac denique Apoſtolis ipſis deſcendere. Ex his verò teſtimoniis ad priora redeundo reperimus, id omnes allegatos viros doctiſſimos æquè, atque prudentiſſimos neutiquam aſſerere potuiſſe, niſi pro certo habuiſſent, ab Apoſtolis incipiendo usque ad undecimum ſæculum clericalis inſtituti ſpeciem infimam, & eam quidem (quam in Canonicis Regularibus S. Auguſtini perdurare aſſeverarunt) nunquam fuiſſe interruptam: alióquin ſibi ipſis apertè contradixiſſent, ùt per ſe liquet. Hoc autem argumentum à poſteriori petitum tantæ eſt efficaciæ, ſpeciem infimam continuò perſeverantem probandi, ut firmius aliquod prætendi, non poſſit in re adeò antiqua. Quia enim hæc aſſertio univerſim eorum authorum eſt, qui actu convivebant illi maximæ reformationi ſæculo undecimo, ac duodecimo innexæ, eoſdem latere omninò nequiiſſet, ſi aliqua in clericis Canonicis, ſeu in communi viventibus ſpecies præceſſiſſet diſtincta ab illa, quæ per talem reformationem inducebatur: cùm ergò tunc in ipſo virore reformationis omnes agnoſcerent, per eam nullam novam ſpeciem clero eſſe adjectam, quid quæſo authoritatis adversùm tantum cumulum teſtium nova illa, & nullis veterum monumentorum prærogativis, atque inde deductis rationum ponderibus innixa quantulacúnque poterit oppugnantium turba protrudere?

Capit. 1. de conſtit. in 6.

Sed ne rurſum quis nos inſimulare valeat, quòd nimiùm generalibus ſolùm inhæreamus, opus erat ideò ilicèt ad ſingularia deſcendere, & oſtendere illas circumſtantias alióquin à modernis ſcriptoribus, ac præcipuè Canoniſtis definitas ad dignoſcendum unum inſtitutum ab alio, abſolutè loquendo tales non eſſe, ut niſi illa adſint ſuô modô, aut abſint, infima ſpecies ha-

Digitized by Google

beri nec actu poſſit, nec unquam potuerit. Recurrit etenim noſtra obſervatio, ut præprimis ratio temporum conſideretur, utpotè manifeſtè aliis circumſtantiis requiſitis tempore Eccleſiæ naſcentis, aliis ejuſdem proficientis, aliis demum perfectum ſtatum adipiſcentis: prætereà nec in minimo habendum & illud eſt, quòd perpendenda ſit mens ipſius fundatoris, aut inſtitutoris, aut reformatoris alicujus ordinis. Etenim quempiam fundari in ſua ſpecie infima potuiſſe præcisis omnibûs aliis circumſtantiis, ritibûs, ac conſtitutionibûs, ſolùm certo fine particulari præfixo, & hoc quoque hodiedum poſſe facere ſummum Pontificem, ita, ut talem ordinem ne quidem ad determinatam ex quatuor approbatis regulis obliget, quis inficiabitur? atque hoc in ipſo inſtituto votivo-clericali factum eſſe ejuſdem finis particularis ad oculum remonſtrat, ſicut longiſſimè diſtincto ab inſtituti monaſtici fine æquè particulari, ſic nequaquam circumſtantias ritus, modúmque vivendi huic preſsè affixum depoſcente. Illud enim, id eſt, monaſticum ſine particularibus his ritibus ſubſiſtere nequire, probat ejus prima inſtitutio, ſeu à Pachomio, ſeu Antonio facta, at iſtud (id eſt, clericale) hìs iiſdem ritibûs nec arctari, nec conſtitui remonſtrant omnes Canones: poſſe tamen citra ſui immutationem liberè, ac ſpontè ſimiles ritus in clericali, ac Canonico inſtituto ſuſcipi, monſtravimus in ſequentibus hujus ſecundæ partis capitibus, inductione complurium in diverſis collegiis imò integris Diœceſibus, talium ceremoniarum, ac conſuetudinum admiſſarum, proùt id factum per regulam Chrodegangi in tota Diœceſi Metenſi, nec non & per regulam Stephani, & Pauli, de qua nos alibi agimus. Neque credam, ullum eruditorum adeò fore priſtinis Canonicis injurium, ut jam tum Metenſes, aut Pariſienſes, aut Rhemenſes &c. ideò ab aliis Canonicis ſpecie diſtinctos aſſerat, quòd hi aliquantò diſciplinæ regularis ſtudioſiores viverent, non ſolùm ſecundùm communem Canonum præſcriptionem, verùm & ſecundùm peculiarem regulam, ac præſcriptas conſtitutiones: neque dein iterum Aquiſgranenſes in Germania, & Gallia diverſos ſpecie judicet à Canonicis Italis, quòd hi aut nunquam, aut certò rariſſimè regulam Aquiſgrani vulgatam ſuſciperent, cui tamen illorum pleríque ſe obligabant. Patentiſſimum enim omnium ſcriptorum teſtimonium ſibi adverſari invenirent, ne verbô, aut indiciô tale diſcrimen inter illos admittentium; causâ ſeſe ipſam manifeſtante, longè aliud eſſe, quod alicui inſtituto ex fine ſuo particulari ab authore, vel fundatore, aut reformatore præfixo de induſtria decernitur; & aliud, quod liberâ mente, vel ſolùm ad firmiùs ſtabiliendam diſciplinam aſſumitur: quamvis enim iidem ipſi aut Metenſis, aut Aquiſgranenſis Regulæ Canonici hanc ſucceſſu temporis dimiſiſſent, neutiquam alii à ſuo inſtituto evaſiſſent, unicô in hoc ſtabilitô fundamentô, regulam ſpeciem ordinis nunquam diſcretivè conſtituiſſe, imò nec adhuc noſtris temporibûs. Quia ex nullo Canone, aut juris Pontificii decreto unquam doceri poterit, regulam eſſe conſtitutivum ſpeciei infimæ alicujus religionis ſe ſolâ (ùt diximus ſuperiùs) atque infimè ſpecificando inſtitutum. Hinc totum quod de regula Canones docent, illud eſt, *ut qui voluerit religioſam domum de novo fundare, regulam, & inſtitutionem ſuſcipiat de approbatis.* (Cap. ne nimia de rel. dom. tit. 36. c. 9.) Cùm verò communiter Canoniſtæ quatuor notiſſimas regulas per hoc cap. intelligant, non poteſt hic Canon ad eum ſenſum torqueri, ut ſimul decernat, regulam ſpeciem infimam alicujus inſtituti religioſi formare; alióquin manifeſtè ſequeretur, in omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacris religionibus ſolummodò quatuor dari ſpe-

cie

cie infima diverſos ordines, quod aſſertum riſu dignum eſſet, non refutatione. Præterea non foret major ratio, ut ſpeciem infimam religioſi ſtatûs conſtitueret regula aliqua, quàm approbatio ſummi Pontificis; utpotè quòd in eodem Canone decernatur, ne quæ religio inveniatur, ſine Romani Pontificis authoritate. Ut explicant Doctores, & habetur c. unico dicto tit. in 6. X. un. Joan. 22. eod. atqui fuerunt quædam religioſa inſtituta ſolùm *ab Epiſcopis primitùs approbata*, quæ primò hôc decretô emanatô demum approbationem ſuam à ſummo Pontifice obtinuerant, neque tamen ideò in novam ſpeciem infimam ordinis transjêrunt, igitur neque regula tempore primùm Innocentii Ordinibus religioſis ad aſſumendum decreta, ſpeciem infimam priorem potuit immutare, novámque conſtituere. Quod ſemper intelligi volumus de regula tanquam ſe ſolâ inſufficiente ad determinandam ſpeciem infimam, quamvis enim admittamus illam poſt tempora Innocentii eſſe ordinis religioſi conſtitutivum, non ſequitur, fore etiam diſcretivum, de quo ſolùm quæſtio agitur, quæ ratio conſtitutivi cùm omnibus inſtitutis tunc per decretum advenerit, ſicut alia non immutavit ideò in ſua ſpecie infima, ſic nec Canonicum.

Vid. Didac de la mota in tr. de conſtr. ord. milit. S. Jacobi de Spata L. 1. C. 2. §. 7. ad 7. n. 10. apud Barboſam de offic. & poteſt Epiſc. p. 3. alleg. 50. n. 47.

II. *Duo ſolùm requiſita apud Canonicos Regulares ad ſpeciem infimam ſui inſtituti conſtituendam vitam votivam, nimirum finem particularem ſeu vitam mixtam, & veſtem lineam.*

Quamvis autem, ùt diximus, inſtitutum votivo-clericale, ac Canonicum abundè in ſua ſpecie infima ſtabiliat finis particularis, qui eſt vita votiva, proût id expreſsis terminis Angelicus docet, dum diſcrimen proponit inter Canonicos Regulares, & monachos: datur tamen præter hos ambos in ſe invicem innexos fines indicium quoddam, ſeu nota diſcretiva externa, quam ſuô modô, & proût in moralibus loqui licet, eſſentialiter quoque requiſitam reſpicimus, ſcilicet ipſa veſtis linea: dicimus autem ſuô modô eſſentialiter requiſitam, nempe, ut quamvis non ignoremus, habitum non facere religioſum, ſed talem oſtendere, at, dum dicitur quoque c. ſi judex de ſent. excom. in 6. præſumi, talem quem eſſe ex habitu, qualem ſe eſſe, cujus habitum fert, comprobatur: ideò ſuô modô eſſentialem notam diſcretivam dicimus, utpotè quòd hæc à primævis temporibus ſemper aſſumpta fuerit in manifeſtum ſignum hominis clericalis. Sicut ergò ſcapulare eſt ſignum, certúmque indicium monachi, ſic linea veſtis in quotidiano uſu geſtata certiſſimè, & quaſi ex eſſentia, ac natura inſtituti denotat clericum, & quidem votivum. Igitur hanc veſtem antiquitùs tanquam diſcretivam notam Canonicos quosvis deportaſſe exemplis ad rem apprimè facientibûs declaravimus: ut adeò, & in hac nota usque ad ſæculum 11. nihil planè diverſi inter priores, poſterioréſque clericos votivos, ac Canonicos valeat reperiri.

Demum ad minutiora dilabimur, ipſa quoque nomina Canonicis antiquis usque ad ſæculum undecimum diverſimodè uſurpata requirentes, & demonſtrantes, neque in his aliquam notam reperiri poſſe, ob quam prudenter, & ex merito objectivo quodpiam inter ſæpè fatos Canonicos usque ad ſæculum mox dictum, atque hinc neceſſariò, & usque ad noſtra tempora, diſcrimen ſit aſſerendum. Et ne loca ipſa, modúmque vivendi præteriiſſe videamur, ultimò ejuſdem partis capite, monaſteriorum clericalium ſubſiſtentiam, communis etiam vitæ rationem ac qualitatem diſcutimus, & demum iterum meris veterum teſtimoniis edocti reſolvimus, ſic antiquos uſque ad ſæculum XI. clericos communiter convixiſſe, ut nihil omninò etiam in illis deſiderari potuerit, quod Canonicis poſterioribus, id eſt, per illam magnam reformationem reductis adjectum potuiſſet diſtinctam ab illis ſæpè dictam ſpeciem infimam ex merito objectivo cauſare. Ubi præcipuè

nota-

notabilem de regula, ac nomine S. Auguſtini obſervationem ſtatuimus; utpotè multorum animos hoc nomine (in poſterioribus Canonicis noviter receptô, & in prioribus nunquam auditô) ad peculiarem attentionem novæ ſpeciei aſſerendæ alliciente. Damus autem hæc obijcientibus perfacilem ex dudum adductis principiis informationem, nam ùtùt à tempore fortaſſe ſæculi XII. Canonici Regulares ad quandam imitationem potiùs, aut accuratius diſcrimen aucupandum nomen Auguſtini ſuo inſtituto adjecerint, quòd Auguſtinianorum clericorum veterum vivendi normam penè collapſam reſuſcitâſſent, aut ejuſdem regulam imitandam præ cæteris elegiſſent, aut denique quòd à Præſulibus Eccleſiæ, ipſiſque Epiſcopis, imô & fundatoribus, ac benefactoribus ſuorum monaſteriorum identidem monerentur Auguſtinianam expropriationem in regula Aquisgranenſi tam diſſertè commendatam amplecti: certiſſimum tamen eſt ex hujus electione, & acceptatione regulæ eis nihil accidere potuiſſe, quô in ſpeciem novam Ordinis tranſiiſſent, legimus quippe ante ſæculum nonum Monachos quoſdam inſtituti Columbani, alios Baſilii, alios Benedicti &c Spiritu, ut ita dicam, tenaciſſimo, & ad æmulationem propè pernicioſam cuſtodiiſſe, non tamen ullum eorum à tali ſancto Patre nuncupationem, ſeu nomenclaturam obtinuiſſe; cauſam hujus cupis, aliam ignoro, niſi uſum temporis. Profectò uſque ad ſæculum, ùt diximus, ſaltem nonum, non invenimus Monachos dictos fuiſſe *Ordinis S. Benedicti*, *S. Columbani &c.* ſed aut ſimpliciter Monachos, aut ad ſummum ſub regula S. Benedicti &c. Deo ſervientes. Si id in Monachis, quò minùs alicui vel per ſomnium obrepat, ut tunc primò dicat novam ſpeciem Monachorum Ordinis S. Benedicti incepiſſe, cur miremur id factum in Canonicis, quorum inſtitutum nullatenùs illis particularibus obſervationibus illigatum eſſe potuit, prout ex fine ejuſdem identidem colligitur. Quod ergò liberè, & arbitrariè ſolùm ſibi proprium fecêre in illa reformatione Canonici, ánne per illud poterant novam ſpeciem infimam alicujus Ordinis dici contraxiſſe? quis quæſo Clericos *ſæculares*, quos communi nomine *Petrinos* vulgus appellat, ideò in novam ſpeciem inſtituti mutavit, cùm tales pridem exſtitiſſe certiſſimum ſit, etſi ne quidem ſæculô adhuc decimô quartô ſic vel ab ullo vocitatos. Seu Patres Societatis *Ignatianos* dixeris, ſeu *Jeſuitas*, etiam ex conſtitutione altiori, atque decreto, ſeu etiam novô, & hactenùs inſolitô illis vocabulô, ánne continuò propter immutationem hujus nominis aliam ſpeciem formabunt? quàm levis iſta foret, & rudis Dialectica. His ergò iterum benè diſcuſsis, & ad propoſitum noſtrum ſtabilitis, ubi pauca de monaſterii S. Auguſtini Hyppone à ſe fundati (hujúſque gemini) diſceptavimus, demum partem tertiam tanquam totius Exegeſis noſtræ ultimum ſcopum, metámque aggredimur tractandam.

12. *Ex deductis demonſtratur origo Canonicorum Regularium S. Auguſtini hodie exiſtentium, & veterum analogica ſucceſſio.*

In hac itaque de genuina origine Canonicorum Regularium, actu, Deo favente, florentium, inſtruimus quæſtionem, accommodantes nos communi de hac materia ſcribendi methodo, dum de ordine aliquo religioſo tractantes primùm omnium ejus inquirunt, ſtatuúntque Originem. Examinamus autem diverſorum ſententiam, quibus placet jam hanc, jam illam Epocham origini ordinis noſtri præfigere: quibuſdam reformationis Ivonis ſeculô XI. cæptæ, aliis Concilii Romani ſub Nicolao ſecundo, aliis Concilii Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio ſæculi noni exordiô, aliis regulæ Chrodegangianæ promulgatæ ſæculi octavi mediô, aliis S. Auguſtini clerum ad ex-

Digitized by Google

expropriationem urgentis Epochâ deſerviente; aliis denique primam, verámque hujus inſtitutionem ipſi Apoſtolico cœtui cum exordio naſcentis Eccleſiæ adſcribentibus Quod quia nos ex antecedentibus deducendum eſſe manifeſtè probamus, ſpecie ſcilicet eâdem votivo-clericalis vitæ ſemper perdurante, totum negotium noſtrum in hac tertia parte verſatur, ut rationem infimæ ſpeciei analogam modernorum Canonicorum cum antiquis vindicemus. Quod ut fiat, omnia quadantenùs nobis adverſantia viſa dilucidamus, ac eorum pondera aut modica eſſe, aut nulla per argumenta ex ipſis viſceribus cauſæ petita, eáque ſincera, nec ullis figuris, diſſimulationibûs occurrentium difficultatum, aut ſuppreſſionibûs, nullis deníque technis, aut præſtigiis verborum infarta, non jam amolimur, ſed facili conatu reijcimus. Et quia tota nobis in hac quæſtione contrariantium moles præcipuè firmatur in aſſignanda difformitate vivendi à priſtinis Canonicis; hinc hæc ſingula exponimus, & oſtendimus primò: ad talem difformitatem probandam nihil conferre nominum à reformatis ſæculô XI. atque deinceps Canonicis nova quædam aſſumptio; nempè, quòd aut inſtitutum ſuum nuncupare *Ordinem* inciperent, aut ipſi *ſe Ordinis S. Auguſtini* vocitarent, aut *ſub regula*, vel *ſecundùm regulam S. Auguſtini*: etenim proponimus ex veterum monumentis nomen *Ordinis* etiam antiquitùs ipſis quoque Canonicis jam in uſu fuiſſe, quamvìs non eâ communi, ac vulgari uſurpatione, proùt id factum, poſtquàm inſtitutorum Religioſorum multiplex ſoboles hæc, & plura alia diſcretiva nomina aſſumendi ſine ulla ſubjecti alteratione occaſionem ſuppeditavit. Neque putandum, Canonicos, mox, ùt Ivonianam reformationem ſuſceperant, quaſi in hæc nomina juraſſe: contigit iſtud ſenſim, & quaſi ſine ſenſu, ut, dum fortè aliquod Collegium Reformatorum Canonicorum cerneret, audirétque Monachos, certa, ac à ſæculari libertate diſcretiva nomina conſultò ſibi eligere, Canonici id quoque cum quadam zeloſiſſima imitatione æmularentur: quippe inficiari nemo poteſt, quosvis demum Canonicos ſanctioris vitæ tramitem accipere cupientes ſemper quæſiiſſe Monachorum, ùt poterant, in ſanctitate vitæ mores imitari. Proſtant hac de re exempla manifeſta, ita quidem (quod fortaſſe hiſtoriæ noſtræ minùs periti aut mirabuntur, aut omninò tanquam Heteroclitum quidem pernegabunt, quamvìs certiſſimum) ut non pauci eſſent, qui ipſam ſibi regulam Benedictinam obſervandam in quibusdam capitibus eligerent, præter regulam ſanctorum Patrum Hieronymi, Silveſtri, Auguſtini &c. fundamentum hujus rei fortè adminiſtrante S. Chrodegangô, quem ex regula S. Benedicti plura defloraſſe pro ſuorum Canonicorum, etſi ideò neutiquam inter Monachos computandorum (ùt per ſe patet) directione, dudum demonſtravimus. Hinc diſerta verba ſunt Arnonis noſtri ſæculi undecimi Scriptoris ſub perſona ſui Ordinis differentis. *Sanè*, inquit, *jejunia ſua, & abſtinentias Domeſtici mei (quod de his Procurator domûs meæ Auguſtinus admodùm breviter locutus eſt) ſecundùm diſcretiſſimam Patris Benedicti deſcriptionem moderari ſoliti ſunt, à cujus etiam inſtitutione modos excommunicandi inobedientes, & quietem per æſtivos dies meridiandi, cum aliis utiliter ab eo inſtitutis mutuare conſueverunt.* Videmus ergò ſæculô duodecimô, imò, & poſthinc Canonicos non multùm caviſſe, ne de regula monachili participarent aliquid ob metum ſibi attrahendi monachiſmi, quem nemo tum illis (niſi livore tumidus, & ſanctioris vitæ aver-

Apud Ducl. t. 1. miſc. & Bern. Pez anecd. t. 4. p. 2. p. 96. c. 28.

averſator, tanquam probrum aliquod, ſed ſine ullo præjudicio) affingebat: & hinc quoque colligimus, fieri non rarò potuiſſe, ut & tunc, & jam antea (quamvìs Canonici) regulam S. Benedicti æmularentur. Profectò Eugenii tertii decretum, quô in Concilio Remenſi definitum eſt, *ut Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta Beatorum Benedicti, & Auguſtini rationem vitam ſuam in melius corrigant:* nequaquam ego interpretabor, ut dicam, his Canonicabus per dictum decretum libertatem relictam fuiſſe, ut *aut* Ordinem S. Benedicti, *aut* S. Auguſtini amplectantur: cur enim, ſi hunc ſenſum conſtitutione iſta formare intendiſſet Pontifex, non potiùs dixiſſet, ut juxta Beatorum Benedicti, *vel* Auguſtini *rationem* vitam ſuam in melius corrigant. Copulavit igitur, non disjunxit utriusque Sancti rationem præſcriptam, ut quamvìs Canonicæ iſtæ utramque ſuô modô æmularentur, tamen adhuc Canonicæ iſtæ perſiſterent. Hoc indicare volui, ut iis obviarem, qui mox ac legerint Clericos, Canonicos, quin & Monachos &c. ſecundùm S. Benedicti normam vitam ſuam inſtituiſſe, dicendos eſſe Ordinis S. Benedicti, concludunt; patet ex his adductis teſtimoniis contrarium, niſi ſuppetant alia magìs peculiaria documenta pro eodem Ordine facientia.

13. *Per reformationem ſæculô undecimô Canonicis adjectam, nihil in priſtina ſpecie infima ſui inſtituti immutatum eſſe oſtenditur.*

Aſt quia neque hæc tam ſancta æmulatio, neque alia in ſpeciem quamdam objecta, Canonicos noſtros per reformationem ſuſceptam Monachos effecit, atque quaſi in novam formam inſtituti ablegavit, ideò ſpeciale caput ordinavimus, quô indagamus, an Canonici moderni Monachis ſtrictè talibus annumerandi ſint: &, deductis omnibûs pro adverſa parte argumentis pugnantibûs, noſtra adferimus, quibûs clarè appareat, tam parùm, quàm unquam priſtinìs ſæculis, Monachiſmi notam, in quantum is Clericales prærogativas excludit, eſſe inurendam Canonicis noſtris; neque reformationem ſuſceptam cenſurâ à quibusdam nimìs rigidâ (tanquam ipſa originaria *inſtitutio*, non veteris ſtatûs clericalis *reſtitutio* fuerit) notatam, ullô modô ſpeciei infimæ ex merito objectivo offeciſſe, ut minùs inſtitutum Canonicum plenô, & imperturbatô jure analogicam cum veteri, & antiquiſſimo rationem retineret. Quò ad ampliorem probam rursùs ea reducenda erunt, quæ ſuperiùs teſtimonia memoravimus virorum doctiſſimorum, ac omni exceptione majorum tum viventium, attamen neutiquam reformationis hujus causâ inſtitutum ipſum inter recentia tanquam primò exortum cenſentium. Et quamvìs tum præcipuè Canonici hanc vocem geminare latinô vocabulô *regularitatis* ſolerent, prætérquam, quòd id longè anteà jam multis conſuetum fuerat, inſuper tali nuncupatione nequiquam eis novam monachiſmi rationem attribuere quis conabitur; utpotè, quòd illa ſolùm aſſumpta ſit ad diſcrimen in appellatione inſinuandum: unde, ſicut jam in priori parte obſervavimus, quî ſenſim mutatio, atque adjectio vocabulorum Clericis primùm, dein Canonicis, inde Regularibus, ac demum Auguſtinianis obvenerit, ita indubitatum manet, regulares dictos fuiſſe noſtrates ex eo, quòd ſe à ſæcularibus Canonicis in communi quidem viventibus, ſed nihil commune habentibus (ùt obſervavit Tornacenſis noſter) diſcernerent. Pariter negamus minimè, paſſim factum, ac præcipuè ſæculô decimô quintô, ut Canonicis noſtris nomen quoque Monachi penè com-

communi vocabulô imponeretur: neque tamen inde quid eis diverſum à priſtino ſuo inſtituto accidiſſe monſtravimus ex Panormitanno viro ſine controverſia eorum temporum, id eſt, ſæculô decimô, quintô inter Doctiſſimos æſtimando; cujus mentem totam in eo fuiſſe, ut Canonicos Regures à Monachiſmo (cui tamen vir ipſe obligatus profeſſione erat) vindicaret, intéger ejuſdem contextus allegatus patefacit. Ubi præprimis obviavimus illo errore laborantibus, quô quidam ſic Monachiſmum confundunt, & quaſi unum quoddam indiviſibile ſibi in eo ſyſtema effingunt, ut aliter fieri non poſſe credant, niſi hôc ipsô, ac quis Monachus dicatur, aut monaſticè vivere, jam ablegandus ſit ad ſtrictiſſimam illam ſingularitatem Monachorum. Cùm intereà omnibus eruditis perſpicuè pateat, Monachiſmum ſemper, & ab antiquiſſimis temporibus duplicem obſervationem habuiſſe, partim, ùt præcisè involvit vitam votivam, ac religioſam, partim finem quoque illum particularem vitæ præcisè contemplativæ. Porrò teſtimonia antiquorum proſtant manifeſtè, maluiſſe quoſvis Scriptores votivam vitam potiùs antonomaſticè per Monachiſmum, quàm per Clericatum indigitare, non, quòd Clericatus ex ſua natura non etiam votivam vivendi normam depoſcat, ſed, ùt videtur, quòd citò nimis reperirentur Clerici à vita votiva decidentes ad proprietatem, dum Monachiſmus ſemper hanc integritatem votivæ converſationis, ſaltem majori ex parte, ac præcipuè in Oriente, cuſtodire ſtuduerat. Quia enim ingens numerus dabatur jam à ſæculo tertio, ac inſuper cum tempore augebatur, illorum Clericorum, qui extra votivam communem vitam viventes nomen Canonicorum retinebant, aut Cleriricorum, & utrumque cum æquitate, hinc Clerici votivi potiùs merebantur reſpectu ingentis, ac penè innumerabilis copiæ Monachorum, ob votivæ vitæ æqualitatem monachi, quàm ſimpliciter Clerici nuncupari: atque hæc una æqualitatis in vita votiva fundatæ ratio dum Canonicos Monachorum nomine cohoneſtavit, nequaquam eis condignam prærогаtivam Clericatûs ademit.

At, ùt monachiſmus quoque complecti ſolet eam reſtrictionem, quâ per finem ſuum particularem integerrimè à clericatu diſcrepat, ſecundùm hunc nunquam Canonicis aut nomen, aut res monachiſmi adhæſit; & hodierna adhuc experientia nos docet, non ſolùm Canonicos Regulares, ſed omnes ſeu clericos, ſeu mendicantes religioſos vulgari nuncupatione, &, ùt diximus, Antonomaſticâ *monachos* intitulari. Interim jura Eccleſiaſtica, ſi modò benè intelligantur, prudentérque perveſtigentur, accuratiſſimam ſemper apparebunt obſervaſſe cautionem, ne tunc Canonicos Regulares inter monachos mixtim attingerent, ubi Canon aliquis, vel decretum conſtituitur monachum, ſecundùm finem particularem, & non ùt præcisè religioſum obligans, cujus aſſerti veritatem ex ipſo noſtro Navarro adduximus.

Sic monachorum nomine Canonicis Regularibus ſecundùm veram rationem aut adſcripto, aut abrogato, progredimur ad alia examinanda, quæ adhuc obſiſtere poſſent ut iidem ejuſdem analogicæ ſpeciei cum antiquis habeantur. Quorum primùm occurrit votorum ſolennitas, dein profeſſionis formula, ac demum clauſtralis, & ſolitaria vivendi ratio. Monſtramus autem nullum horum quidquam ad analogicam hanc ſpeciem immutandam conferre poſſe, eò quòd ſolennitatem votorum ſpeciei religioſæ nihil omninò contribuere,

buere, omnibus Canonum peritis patulum ſit: profeſſionis autem formula, quia ſolùm ad religioſorum firmiorem certitudinem inducta eſt, nec ipſa quoque aliquid immutationis operari valebit, maximè cùm oſtenderimus, tales formulas fortaſſe jam antiquiſſimis temporibûs apud Canonicos fuiſſe conſuetas.

Denique clauſtralis quies, atque ſolitudo à ſæculo, jam quarto, id eſt, ipſius Auguſtini tempore accuratiùs ſuſcepta, à nobis omne præjudicium talis inductæ novæ ſpeciei aufert: & planè injuſtè adeò ad monachiſmum, aut tertiam quandam ſpeciem clerico-monachilem arctarentur Canonici Religioſi, quòd quemdam ſoleant ordinatum modum vivendi in ſuis clauſtris per certas conſtitutiones regulæ ſuæ additas obſervare. Si enim id in ipſis non paucis collegiis clericorum, ſeu Canonicorum ſæcularium, inductum eſſe certiſſimâ experientiâ habemus, adeò quidem, ut omnis hora diurna ſuæ determinatæ diſtributioni ſit affixa, ne quæſo id ipſum tam improvidè Canonicis Regularibus in monachiſmum, aut talem ſpeciem mixtam imputemus. Neque etiam ob hanc vivendi methodum ſimile quid inferendum, quaſi exinde Canonici prohibeantur à fine ſuo aliàs præfixo particulari, nempè cura animarum: hanc námque injurioſam animadverſionem jam ſæculô XI. retudit celeberrimus Ivo, monſtrans inaniſſimè laborare eos, qui, ut arcerent Canonicos à cura animarum, conabantur probare, eam illis ob vitam clauſtralem convenire non poſſe, reciprocavit enim, ac retorſit aſſertum potiùs in opponentes, declarans longè magis hosipſos idoneos ad tale munus obeundum, quàm quemvis ſæcularem hominem, nullâ diſciplinâ regulari inſignitum, eò quòd *nemo rectiùs cuſtos præponitur vita aliena, quàm qui priùs cuſtos eſt factus vitæ ſuæ.*

Utque huic capiti tandem finem imponeremus, etiam quædam ad æqualitatem, ſeu ſpeciem analogicam cum Auguſtini clericis comprobandam adjecimus explanantes, ab his nos nec diſſimiles eſſe veſtitu (qui inſtituto ſuô modô, ùt diximus, eſſentialis eſt) nec abſtinentiæ frugalitate, nec Cathedralitatis prærogativâ. Monſtravimus enim inter Cathedrales Canonicos Regulares, ac collegiales quoad ſpeciem infimam nullum planè comparere diſcrimen, & fortaſſe ab illis prætendi, qui, hoc ipſo, quòd ſpecie differre Cathedrales à collegialibus cupiant, illos ſæcularibus annumerant: nec denique votorum diſcrepantiâ, nam, quæ illi ſimplicia vovebant, neutiquam in ſubſtantia à noſtris differentia erant. Neque in hoc æſtimari diverſimodè poterant, quòd ea non ſimul, ſed ſuccedentibûs nuncuparent temporibûs, prætérquam enim, quòd iſtud evidentibûs teſtimoniis probari ne unquam valeat, inſuper accedit, hanc diſcrepantiam nec attentione fore dignam: quid námque aut ad ſubſtantiam, aut ad ſpeciem ordinis faciat, an unà ſimul omnibûs votis me Deo conſecrem, an ſucceſſivè, & tum demum ejuſdem ſpeciei infimæ religioſus efficiar, cùm omnium votorum emiſſionem complevi? Idque maximè, ſi etiam antiquis temporibûs conſuetum fuerit (quod cujúsque judicio decidendum relinquimus) potuit ſanè his poſtremis ſæculis ſicut, & alia in aliis rebus, ad ſanius Conſilium mutari abſque immutatione, aut alteratione ipſius inſtituti: quod fortaſſe, ſi Auguſtinus non fecit, cedendum tempori, & hominum duritiæ æſtimaverit, non tanquam ad aliquod inſtituti diſcretivum præceptum ſtatuendum.

Per-

Digitized by Google

Pergimus exinde iterum ad ulteriora, & magnæ illius hodie adhuc ſub ſupremo judice finem ſuum opperientis cauſæ enarrationem deducimus, nempe, an Cauonici Regulàres ſiquidem veterum Canonicorum analogicâ ſerie ſucceſſores capaces ſint quorumvis Beneficiorum ſæcularium? Hanc quæſtionem ventilamus principiis ex eruditiſſimo Abbate Cæſare Benvenuto petitis, quibus tamen noſtris argumentis adiiciendis non deſumus; & quia ſummi Præſulis ultimum oraculum in id convenit, ut noſtri cauſam ſuam agant in mero punćto *juris communis*, *Concilii Tridentini*, *profeſſionis & inſtituti ſui*, independenter & præciſivè ab omnibus reſolutionibus, & decretis ſacrarum congregationum, judicatis quorúmque tribunalium, reſcriptis, & oraculis ſumorum Pontificum tam favorabilibus, quàm contrariis Ordini Canonicorum. Hinc, ut noſtris partibus non deficeremus, quoad omnia hæc punćta quædam argumenta adduximus, ſimul totam hanc exegeſim ſubſervientem annećtentes: neque ambigimus fore, ut tam apertiſſima veritas gratioſum à Sacra Sede, ſuo tempore, enunciatum obtineat.

Expòſt dilabimur ad alteram non minùs intricatam, quàm ſolidam quæſtionem preſsè, ac propriè regulam S. Auguſtini concernentem: quamvis enim de regula hinc inde in præſenti Exegeſi crebriùs egerimus: poſtulat tamen hujus quæſtionis neceſſitas, ut peculiari capite de ipſa S. Auguſtini regula traćtatum formemus; in quo primùm occurirt, ut reſolvamus, hanc regulam viris, non fæminis ſcriptam, deinde quoque aſſeramus ſecuri, traditam non monachis, ſed clericis, & quidem quos ipſe ſanćtiſſimus legiſlator ad expropriationem votivam, ac vitam communem amplećtendam apprimè collegit, atque inſtruxit, argumenta verò pro duplici hac aſſertione à nobis relata viderit lećtor, an ſuo ſatisfaciant judicio, ſin minùs? ſuus cuique ſenſus eſto, cùm mea deprompſerim, non, ut ad aſſenſum neceſſitem, ſed aut perſuadeam, aut ſaltem moveam, ſuppetámque materiam acrioribus ingeniis, fortè potiora pro utráque hac ſententia ſuo tempore differendi. Cæterùm firmus in eo perſiſto, regulam hanc Benedićti Anianenſis ſolertiâ, ac ſagacitate primùm fæmineo ſexui applicatam, cùm longè antea (viris propria) nota fuerit ipſis Agaunenſibus aſcetis, uti & S. Iſidoro Hiſpalenſi, & jam antea S. Cæſario, ac inde poſt ipſos ipſi Egberto Eboracenſi, qui omnes diſſertè ex hac regula quædam fragmenta decerpſerant, non niſi virili ſexui accommodata; quod quia ſæculô quintô, ſextô, ſeptimô ac oćtavô fačtum eſt, per ſe eorum apparet imbellis aſſertio, qui temerè enuntiant, ſæculo primùm nonô, & quidem per præfatum Benedićtum Anianenſem viris eſſe cæpiſſe ad uſum, ex ſenſu, ſtylóque fæmineo ad maſculinum tranſlatam. Vide S. Iſid. reg. mon. c. 10.

Dum verò eam clericis primùm ſcriptam vindicamus, nolim inferendum, quaſi à nobis concludatur eô modô illam à S. Auguſtino extraditam ſuis, quemadmodum ſanćti monachorum legiſlatores id fecerant: manet enim apud nos invariata veritas, atque aſſertio, regulam clericis nunquam eâ obligatione (præter ſolos Canones) præſcriptam fuiſſe, quin ſine quavis earum, in ſpecie ſua infima adhuc ſemper imperturbati exiſterent. Solùmque id inferendum cupimus, regulam à S. Epiſcopis, & quidem omnium primo à magno Auguſtino clericis ſuis in ſolum ſubſidium meliùs, ac diſciplinæ religioſæ conformiùs vivendi ſuppeditatam, quod ipſum etiam ſæcu-

lò XI. & usque ad Innocentii penè tempora, id eſt, Concilii Lateranenſis contigiſſe, firmiſſimè perſuaſi ſumus. Etenim, quotquot erant Canonici illam reformationem ſuſcipientes, præcipuè ad ſæculi undecimi finem, ac deinceps ſpondebant ſe ſecundùm regulam S. Auguſtini victuros: quamvìs multi eorum, ùt ex Gerhoho didicimus, regulam illam, quam nunc retinemus, ne quidem noſſent. Cur iſtud? niſi, quòd tota illa ad regulam S. Auguſtini profeſſio non aliter intelligeretur, quàm, prout Auguſtinus dixerat, ſe cum ſuis ſecundùm regulam Apoſtolicam vivere. Erat regula illa non alia niſi votiva vita, atque communis cum expropriatione, innexa Evangelicis laboribus, ſeu miniſterio Eccleſiaſtico; atque hanc ipſam regulam, quam Canonici noſtri, reformationis principes juraverant, intellexêre, ac ſuſpexêre in Auguſtino, hinc in chartis fundationum illorum temporum, ùt plurimùm legimus, regulam S. Auguſtini quaſi ad communem vitam indicandam antonomaſticè uſurpatam fuiſſe. Sic B. Altmannus *in Epiſcopatu ſuo tria cœnobia clericorum juxta regulam S. Auguſtini communiter viventium* dicitur inſtituiſſe (annô 1072. à Bertholdo Conſtantienſi. Sic in illa fundationis charta Annæ Reginæ Francorum, ne quidem regula S. Auguſtini nominatur, ſed ſolùm præcipitur; *ut religioſi viri Domino ſervientes, mundo renunciantes regularem, id eſt, ſanctorum Apoſtolorum, & B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, vitam Canonicè amplectentes vivere valeant.* Pariter & Henrici Secundi Regis Angliæ litteræ Canonicis Regularibus Walthamenſem Eccleſiam concedunt, glorioſam ſervantibus vivendi regulam à S. Apoſtolis traditam, & poſteà à Magno, & B. Auguſtino adornatam. Petrus Pictavienſis Epiſcopus conſiderans, quàm maximè neceſſarium eſſe, ut *aureæ vallis, quam inſidebant, Canonici, deinceps religioſè, & canonicè ſine proprio ſecundùm regulam B. Auguſtini viverent, Fratrem quemdam Petrum nomine - - - prædictis Canonicis in Abbatem præfecit annô* 1095. Tres illi Epiſcopi, qui Eccleſiam Villæ-Bertrandi in Epiſcopatu Gerundenſi conſecrârunt, & Canonicos ibidem Auguſtinianos conſtituerunt, in charta ſui privilegii ajunt: *Ut clerici in eadem Eccleſia manentes, Canonicè ſecundùm regulam B. Auguſtini vivere ſtudeant.* Mox verò hanc regulam explicantes dicunt, *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Et profectò dies nobis deficeret, ſi omnia documenta illorum temporum inſereremus, quæ unâ voce concordant, atque per regulam S. Auguſtini nil aliud primariò, ac principaliter intelligunt, quàm vitam communem ſine proprio, commixtam clericali fini, ac obligationi. Ex quo patet, quî illæ quoque præfatæ ætatis chartæ fundationum, ac privilegiorum, aut etiam ſcriptorum dicta ſint accipienda, dum ſimpliciter ajunt, Canonicos *ſecundùm regulam*, aut *ſub regula S. Auguſtini* fuiſſe inſtitutos: nempe non alius inde ſenſus eruendus, menſque ſcribentium, niſi regulam illam intellectam fuiſſe Apoſtolicam ab Auguſtino obſervatam communis vitæ, & expropriationis. Quibûs ſtantibûs, non tamen abnuimus, multis Canonicis hanc ipſam formalem regulam, actu nobis propriam, jam fuiſſe cognitam, atque uſitatam; ſolùm illud efficere cupimus, eandem non fuiſſe de ſubſtantia inſtituti, quemadmodùm aliàs obſervavimus, idque usque ad Innocentii tertii tempora. Hoc verò factum, quòd, cùm Canonici ſe ſecundùm regulam S. Auguſtini vivere profiterentur, & à quibuſdam analogicè talibus Auguſtinianis Canonicis, ſola Auguſtini expropriationis norma, ſeu ex vita

Ad an. 1091

Tom. 4. Gall Chriſt. vet. edit. p. 590.

Apud Baluz. Marc. Hiſp. col. 1181.

vita ejus, ſeu ex ſermonibus duobus de moribus clericorum ſuorum; ab aliis ipſa quoque formalis hæc, de qua loquimur, regula præfixa haberetur, ſecundùm quam viverent: Innocentii emanante decreto, ut nulla religio poſthac ſine una ex approbatis, ſeu communiter receptis regulis, quarum tunc quatuor erant, Auguſtini ſcilicèt, Baſilii, Benedicti, & Franciſci, aut inſtitueretur, aut jam inſtituta permaneret; eò providentiùs Canonici Regulares, hanc ſibi Auguſtinianam regulam elegerunt, ſecùndùm quam viverent, quò certiùs ipſa cognoſceretur, & Auguſtini partus, & communis vitæ, atque expropriationis normam ſtatim à principio ſui tradere, & denique per omnia clericalis eſſe. Quibûs conſideratis, neſcio, an quiſquam eſſe valeat, qui ideò Canonicos Regulares ſpeciem priſtinorum clericorum immutaſſe dicat, quòd hanc regulam ſub Innocentio tertio communiter elegerint, ut ſecùndùm illam viverent. Cùm certum ſit, nihil planè diſcriminis hanc acceptationem ex decreto ſummi Eccleſiæ Præſulis operari potuiſſe. Quod pariter eorum temporum docti obſervarunt omnes, & ſuccedentibus ſemper indubitatum exſtiterat, maximè ſummis Pontificibus; qui certè, ſi regulæ Auguſtinianæ acceſſione agnoviſſent ex merito objectivo Canonicos Regulares in monachiſmum deſciviſſe, aut aliàs ſuam ſpeciem priſtinam immutaſſe, in ſuis bullis, ac privilegiis neutiquam tam diſſertè enunciaſſent, eos ipſos adhuc eſſe, *quorum religio ab Chriſti glorioſis diſcipulis in primitiva Eccleſia ſacris inſtitutionibus ſtabilita eſt.* Eos eſſe, *quorum ordinis poſt ſanctos Apoſtolos Marcus Petri Diſcipulus fuit inſtitutor, & conditor, ac quem glorioſus Doctor Auguſtinus Epiſcopus, divinis regulis, & doctrinâ decoravit.* Eos denique eſſe, *quorum idem ordo in naſcentis Eccleſiæ ſanctâ inſtitutione, ac primorum Chriſtianæ religionis clericorum norma, traditionibúsque fundatus, & ſacris inſtitutis, ac divinis regulis, eloquiiſq; præmunitus exiſtit.* Profectò, ſi hoc unus Pontificum tantummodò enunciaſſet, poſſet fortaſſe quorumdam ſciolorum talia decreta tanquam ſubreptitia prætendentium oppoſitioni conſentiri; at, ubi tot ſummorum Præſulum in unam concordat ſententiam abſolutum oraculum, certè non niſi temerariam talem, ac ipſi Sumæ Sedi injuriam cavillationem obtrudi, quis non credat? Hîs taliter de regula expeditis, pergimus ad enarrandas qualitates, & origines congregationum, quæ in ordine Canonicorum Regularium inſtitui conſueverunt. Et, quia de his quoque quæſtio moveri poteſt, an quidpiam in ſua ſpecie infima immutaverint, obſervamus, eas, quamvis complures, conſiſtere poſſe in eadem ſpecie infima ordinis ſine hujus, vel minima alteratione, ſi modò ritus, & conſuetudines talis congregationis noviter inductæ non aſſumantur tanquam partes ipſum ordinem ſacrum alternantes, ſed ſolùm, ut qualitates quædam eundem in ſua ſtabilitate priſtina conſervantes, neque aliquid de prioribus ad ſpeciem infimam conſtituendam requiſitis notabiliter ex merito objectivo immutent: ex qua regula dein declaramus, quæ Canonicorum Regularium congregationes identicè conveniant. Cùm verò à genuino inſtituto Canonicorum Regularium S. Auguſtini analogicâ ſucceſſione à priſtinis deſcendentium, quædam congregationes (quæ ſe quoque Canonicorum Regularium dicunt) aliquâ notâ diſcretivâ, & noſtratibus omninò diſconvenientе, ſeu per veſtium diſtinctam formam lineam noſtram excludentem, ſeu per alias partes ex merito objectivo omnigenam diſcrepantiam inſti-

Bened. 12. in Bulla ad Decorem.

Eugenius Bulla cùm ad ſacratiſſimam.

Sixtus 4. in Bul. dum ad univerſas.

inſtituti indicantes ſe hôcipsô diſtinguant, eas quoque ſpeciei infimæ ordinis noſtri incluſas agnoſcere non valemus.

14. *Tractantur exhinc totam Exegeſim luculentiùs complentia.*

Denique ne & de noſtratium Canonicorum veſtitu, ea, quæ ad hujus exegeſis plenitudinem faciunt, tractare omittamus, ipſam cumprimis lineam tanquam eſſentialem ordinis, ſeu inſtituti noſtri habitum conſiderandam ſuſcipimus, & hujus prærogativam demonſtramus in Rochetti forma, nomine, ac qualitate conſiſtentem ſolis Canonicis, ac Epiſcopis propriam, injuſtiſſimè quoque ab iis portari, hîs temporibûs primò introductô abuſu, quibus Canones, jura, ipsúmque Ceremoniale Epiſcoporum illud diſſertè interdicit. Obſervamus inſuper, quòd ſi etiam irrepat, ut vel ipſi quodoq; Canonici in præjudicium manifeſtum ſui inſtituti, tum Epiſcopalis prærogativæ, hoſpitibus quanque horum Rochettorum uſum deferant, prætérquam, quòd tum acceptans, tum offerens ſatìs ſuam in jure ignorantiam, alter verò acceptando hujus aſſertionem, ſuam inſuper ambitionem prodat: ultrò certum manet, nihil ab utroque præſcribi adversùs jus commune poſſe, dum Rochettum in hoc paſſu perſonæ qualitatem induet, non perſona Rochetti aliàs connotantis prærogativam. Subſequuntur dein deſcriptiones aliorum veſtimentorum, & intercurrente occaſione, de habitu ſimul diſcurrimus Canonicorum Regularium ad Epiſcopatum promotorum, monſtramúsque eis (cuique ſæculari taliter promoto licitum) pariter eſſe æqualem. Quódque de quadruplici veſtium colore Benedictus XII. decrevit, annotamus, & hinc colori (ſolitas Canonicis Almutias, aut Mozzettas Abbatibus) conformandas eſſe, ex Epiſcopórum ceremoniali, nec minùs iisdem Abbatibus jus eſſe dictas Mozzettas non ſolùm in proprio juriſdictionis loco, verùm & in quacunque Diœceſi publicè, ipsô quamvìs præſente Epiſcopô geſtandi ſolidîs argumentis comprobamus. Ex quibus demum benevolo Lectori noſtra, ùt certâ, ſic firmâ concluſione deſervimus „ & (*non aniles fabulas, vanáque nugacis mentis deliramenta cum veritate confundendo*) reſolvimus, Canonicorum Regularium S. Auguſtini) â ſæculo XI. ſic nuncupari cæptorum) originem à ſanctis Chriſti Apoſtolis derivari, continuámque inde Analogicam in ſpecie infima ſubſiſtentem ſucceſſionem, repetitis haud dubiè vicibûs tum per S. Auguſtinum, tum alios diſciplinæ clericalis egregios Zelatores reformatam, atque reſtauratam, nunquam interruptam ad hæc usque tempora in ſuo inſtituto conſervari. Et injurioſè planè dici, eosdem ipſos Canonicos regulam S. Auguſtini profeſſos *hodie vix à quoquam erudito ante ſæculum duodecimum poſſe agnoſci*, Prætérquam enim, quòd tot à nobis producta documenta manifeſtè teſtentur, Canonicos Relares ſub S. Auguſtini nomine profeſſos ſæculô *undecimô* verè, & ſtrictè tales exſtitiſſe; inſuper mentem planè præoccupatam inſinuare videtur talis propoſitionis tam abſolutè prolata aſſertio, quippe quòd, quam aliàs per anticipationem loquendi methodum, vix in ullo prudenter culpamus, tam graviter reprehendi, & traduci audiamus in ipſis Regularibus Canonicis. Quod enim viri ſancti, collegia, atq; monaſteria dudum ſæculum undecimum præcedentia ſub nomine *Canonicorum Regularium*, & quidem *Ordinis S. Auguſtini* notentur, inſipida planè eſſet propoſitio eò tendens, ut concluderet, aut talem Sanctum, aut tale collegium ſub ſolenni profeſſione regulam S. Auguſtini tum obſervaſſe. At, quòd longè præcedentia poſterioribûs nominibûs donemus, id præcipuè fit ſupponendô ſpeciem infimam inſtituti

noſtri

noſtri eandem fuiſſe, quam prædeceſſores clerici votivi dudum ante ſæculum XI. tenuerant, & ſolummodò accidentia, nec ullô modô ex merito objectivo eandem ſpeciem alterantia fuiſſe illa, quæ ſæpefatô ſæculô, ac deinceps huic inſtituto, non ad novam ſubſtantiam inducendam, ſed ad veterem in ſuo vigore firmiùs conſervandam acceſſerant. Unde quemadmodùm exempli causâ plurimi ſcriptores clericos (quos Augunus ſanctiſſimus Præſul collegerat in vitæ votivæ communionem) Auguſtinianos dicunt, quamvis tunc neutiquam, ab ullo hominum ſic nuncupatos, aut quemadmodùm in ſcriptura ſacra multa per prolepſim enunciantur, velut Moyſes *Balam* urbem *Segor* vocavit Gen. 14. 2. quæ tamen hoc nomen longo pôſt tempore primùm obtinuit, de qua re videndus Cornel. à Lapide. Idipſum de multis ceremoniis, ritibus, perſonis, aliíſque rebus in Eccleſia ſolitum facilè probare poſſemus, niſi cuique per ſe hæc cuncta obvia eſſent: ſic quoque per anticipationem Sanctos priſtinos, quos ſcimus votivo-clericaliter, ac Canonicè ſecundùm normam à S. Apoſtolis traditam, à S. Auguſtino obſervatam vixiſſe, Canonicos Regulares S. Auguſtini appellamus. Cæterùm, quia bene ordinatæ prolepſis is uſus eſſe conſuevit, ut quas res per anticipationem nuncupamus, eaſdem probare poſſimus illam naturam, qualitatéſque ſuô modô habuiſſe, quales deinde, dum tale nomen reipſa obtinuere; hinc eſt, quòd, dum antiquos clericos votivos Canonicos Regulares S. Auguſtini dicimus, obſervare per hanc appellationem intendamus, illos clericos, Canonicè, & regulariter vixiſſe ad eam normam, quâ illi ſæculô undecimô ad priſtinam Apoſtolicam formam reformati. Nuncupamus autem S. Auguſtini, per hoc innuentes, illos etiam vivendi methodum tenuiſſe, quam præ cunctis ſanctis Patribus ſanctum hunc Præſulem cuſtodiiſſe in comperto eſt, qui ſi fortè & Auguſtinum præceſſerant, nihil huic anticipationi loquendi obſiſtit, utpotè quòd hoc quadam commutatione dici queat: ut, quemadmodùm ſubſequi clerici votivi vivendi formam imitati ſunt S. Auguſtini, ſic alii ad hanc ipſam præluxerint. Quæ ſingula notanda cautè cuperemus à quibuſdam ſcriptoribus, ne dum nimii cenſores eſſe laborant dictorum aliorum, ſibi ipſis fortè graviores accerſant. Eſt enim quædam verborum libertas non ſolùm licita, ſed & neceſſaria, quâ notare ſecuriùs quandóque, ac breviùs oportet quidpiam, quod aliàs odioſè protenderetur. Illa verò loqueudi temeritas infeſta eſt, atque pernicioſa, quâ, dum calamo fræna laxamus, animos aliorum injurioſâ inſultatione appetimus. Itaque veterem quempipiam clericum Canonicum Regularem S. Auguſtini dicentes, idem ſignificare volumus, ac eum inter clericos votivos ſpeciei infimæ inſtituti noſtri inſertos eſſe habendum. Quemadmodùm, ſi dicamus * fideles primos Jeroſolymæ omnes fuiſſe Catholicos Chriſtianos, quamvis certum ſit, hoc nomen Catholici ne primô integrô ſæculô Chriſtianis fuiſſe uſitatum, imò nec diù inde: de quo videndus Lactantius Firmianus, cujus tempore hoc nomen à multis quoque hæreticis affectatum, demum ſolis Chriſtianis ceſſit in ſuæ fidei, ac unitatis teſtimonium, atque triumphum.

Vide Corn. à Lap. Con. in Pentate, Can. 1.

* Vide Pag. critic t. 1 an 56. n. 3. ubi ait Gallilæos dictos eſſe Chriſtianos primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad Juliani Apoſt. tempora.

Hæc ergò univerſa ſic per exegeſim noſtram propoſita eò minùs dubitamus, cuique benevolo lectori ſi non ad guſtum placitura, ſaltem illud faſtidium non motura, quod quandoque cibi illi, in quibus ſalis condimentum deſideratur: dum

dum enim eandem undíque ſapidiſſima veritate condire adlaboravimus, profectò mentem infirmam, & tam nobilis aromatis impatientem ſe habere ipſe ſe prodet, qui eandem averſabitur.

Nos intereà rei hactenùs tractatæ ſic finem imponimus, ùt ex demonſtratis ſecuro jam calle ad ulteriora progrediamur, & deſcriptionem Monaſteriorum totius Germaniæ operi ſubmittamus: non eam, quam perfectæ hiſtoriæ de his ediſſerendæ ratio, modúſque expoſcit. Hanc enim ſuo tempore plenam, & quantùm vires, documentorúmque nobis communicatorum amplitudo, ac copia ſuppeditaverit, integram in ipſo opere propoſito dabimus. Nunc Prodromi attendentes ordinem, è re nata ſic adornabimus, ut brevi enarratione ipſius, de quo acturi ſumus, collegii propoſitâ, ſi quæ graviores difficultates maximè adhuc præſentem exegeſis materiam, id eſt, ſpeciem ordinis attingentes occurrant, pariter diſcutiamus, atque rationes noſtras peculiares, hujus, illiúſve collegii, monaſterii, Eccleſiæ &c. noſtro ordini aſſertæ proferamus, cùm hactenùs in generalibus ſolùm procederemus. Dein notitiam adijciemus ſuccinctam eorum, quæ nobis de quovis collegio ſuppedunt, quæque in promiſſo opere uberrimè communicabimus. Denique ultrò, citróque etiam huic prodromo non intermittemus quædam inſerere lectoris curioſitati, ac ſciendi hiſtoriam noſtram peculiarem cupiditati placitura: quamvìs, ùt diximus, prima, ac genuina hujus noſtri prodromi ratio ſit, ea tractare, quæ viam nobis planiorem ſternant ad ipſius operis æconomiam faciliùs elaborandam, atque abſolutiùs perficiendam. Difficilioribûs ſcilicet, ac ſpinoſis quæſtionibûs, velut quibûsdam offendiculis viam impedientibûs, ſaltem ùt plurimùm, ſi non omni ex parte remotis.

BENEVOLE LECTOR!

Parce erratis immodicè huic Operi ob Authoris abſentiam illapſis, eâque graviora ſic emenda, levioribus ipſe mederi dignare.

IN TITULO, ſeu FRONTISPICIO. Lin. 14. tam actu. lege: tum actu.

IN PRÆFATIONE. Pag. (a) verſâ. l. 27. infeſto. l. infeſtos. Pag (a 2) verſâ. l. 26. Krantzig. l. Krantzius. ib. l. 32. projudicioſi. l. præ: (b) verſâ l. 23. adhinc. l abhinc. ibid. l. 28. Mactene. l. Martene. ib. l. 52. aſſertum. adde ſtabiliat. (b2) l. 26. expers. l. expertus. ib. l. 48. addornarent. ador. ib. verſâ. l. 53. octoageſimum. l. ſeptuageſimum. ib. l. 51. Weugenſes. l. Wengenſes. (c) l. 40. dele, *ultrò*. (c 2) l. 11. hæc l. hic. verſâ. l. 20. aſtu. l. æſtu. (d) verſâ l. 47. expillata. l. expilata. (d 2) l. 36. plenè. l. penè.

IN ELENCHO AUTHORUM. lit. A. S. Anaſtaſii Bibliot. dele S. lit. D. l. 6. infirmæ l. infimæ. lit. M. l. 8. Fappenſii. l. Foppenſii. lit. O. l. 3. Panving. l. Panvinii. lit. P. col. 2. lin. 9. Summonum. l. Summorum.

IN DEDICATIONE. (x 2) verſâ. l. 33. ſoletis. l. ſolet. (x) verſâ. l. 40. Revereediſſimus l. Reverendiſſimus.

IN OPERE.

Pag. 1. Col. lin. 13. pirora. l. priora. pag. 4. col. 2. l. 46. quemadmodo l. -- modum Pag. 5. col. 2. l. 14. irefragabiliter. l. irrefrag. p. 8. c. 1. l. 47. act. l. art. p. 9. c. 2. §. atque ne --- deſint. l. neque --- deſint. p. 10. c. 1. l. 51. Celloticum: l. Cellotium. p. 11. c. 1. l. 1. illud. l. illum. p. 12. c. 1. l. 5. communis. l. criminis. p. 13. c. 1. l. 17. (profecto. l. : profecto. p. 19. c. 1. l. 17. abjectivo. l. object. ib. c. 1. l. 39. adinventiis. l. adinventis. p. 18. c. 2. l. 11. juſtitutionis l. inſtit. p. 20. c. 1. l. 51. à verbo præterea dele uſque ad 9. lin. verbo procuranda. p. 22. c. 2. l. 10. antonomaſticè l. antonom. ead. pag. dele 4. numeros romanos, qui ſunt præpoſiti §. Vita §. deſcribit. §. at non eſt, & §. Nobis. p. 23. c. 2. l. 32. poſt vocem eductum, adde punctum. p. 24. c. 1. l. 31. Spirit. l. Spicil. ib. l. 34. l. 363. lege. l. 3. c. 3. ib. l. 40 Ducherium. l. Ducheſnium. ib. l. 46. viris. l. vicis. p. 27. c. 1. l. 4. incepiſſe. l. irrepſiſſe p. 31. c. 1. l. 40. votiva. l. votivæ. p. 38. c. 1. l. 42. ob quas vel l. ob quas illorum. p. 39. c. 2. l. 33. natio. l. notio. p. 43. c. 2. l. 16. in valuit. l. invaluit. p. 45. c. 1. l. 18. appetito. l. appetitio. p. 53. c. 1. l. 30. obliva. l. oliva. p. 54. c. 2. l. 33. ſimulitudinem. l. ſimilitud. p. 56. c. 2. l. 25. oportebat. l. oporteret. p. 58. c. 2. l. 25. iterum Philipp. l. iterum ad Philipp. p. 61. c. 1. l. 7. Valeria. l. Valeriano. p. 62. c. 2. l. 5. Ciaconicum. l. Ciaconium. p. 64. c. 2. l. 50. paruiſſe. l. poſuiſſe. p. 65. c. 2 l. penul. obicii. l. objici. p. 75. c. 1. l. 37. actum igitur. l. actum agitur. p. 79. c. 2. l. 25. gratus. l gratis. p. 80 c. 2. l. 5. exegetaticum. l. exegeticum. ib. l. 46. Geliodorum. l. Heliodor. ib. l. 53. nunquam. l. unquam. p. 82. c. 1. l. 18. Confeſſionis. l. Converſionis. p. 84. c. 2. l. 38. ſine nulla. l. ſine ulla. p. 87. c. 1 l. 53. dele *ſuorum*. p. 90. c. 2. l. 50. à voce. Nos autem. dele ſubſequa uſque ad vocem deſcribemus. p. 91. c. 1. l. 34. Tyrmanus. l. Tyrannus. p. 92. c. 2. l. 38. illum. l. illud p. 93. c. 1. l. 11. aptaret. l. optaret. ib. l. 19. apraſſe. l. optaſſe. ib. l. 49 elumbravit. l. elucubravit. ib. c. 2. l. 43. oppellam. l. opellam. p. 96. c. 1. l. 39. poſt vocem Clericorum: adde normam reſtituta ſunt, verum quia de his in deſcriptione cœnobiorum. p. 99 c. 1. l. 38. Amoni. l. Arnoni. ib l. 42. videmus. adde deinde. ib. c. 2. l 9 inculpatam l. inculpatè. ib. l. 26. poſſibilitatm. l. poſſibilitatem. p. 102. c. 1. l. 13. pervaricationis. l. prævaric. ib. l. 19. ducere. l. docere. ib. c. 2. l. 7. ſubpingit. l. ſubjungit. p. 108. c. 1. l. antepen. ſecuti. l. ſecutæ. ib c. 2. l. 24. quos dele. p. 110. c. 1. l. 27. primi. l. primis. p. 111. c. 2. l. 21. monaſterium. l. monaſticum. p. 113. c. 2. l. 13. notivis. l. votivis. p. 115. c. 2. l. 10. deſignatis. l. deſignati. p. 118. c. 1. l. 5. ſummantur. l. ſumantur. p. 123. c. 1. l. 18. unc. l. tunc. p. 125. c. 2. l. 39. & 42. Drovverum. l. Brovverum. p. 131. c. 1. l 31. Ulſerio. l. Uſſerio. p 138. c. 1. l. 41. caſtigatones. l. caſtigationes. p. 140. c. 2. l 27. ex infra Peregra. l. Pereyra. p. 143. c. 1. l. 9. quandocunque. l. quantumcunque. ib. c. 2. l. 26. fecilius. l. facilius. p. 144. c. 2. l. 27 privatione. l. juratione. p. 145. c. 1. l. 29. inhæret. l. inhæreret. ib. c. 2. l. 26. obſolutè. l. abſolutè. p. 147. c. 2. l. 39. Remenſeam l. Remenſem. p. 155. c. 1. l. 27. Laiicis. l. Laicis. p. 156. c. 2. l. 51. commenta. l. vitam commentator. p. 161. c. 1. l. 30. Eminentiſſimum Cardinalem. ſubſtitue pro hoc Abbatem. p. 165. c. 1. l. 30. reſiliſſent. l. reſiliiſſent. p. 168. c. 1. l. 17. ſimus. l. fuerimus. p. 172. c. 2. l. ult. Pontifico. l. Pontificio. p. 173. c. 1. l. 48. hanc. l. hunc ib. c. 2. l. 13. quantam l. quantum. p. 175. c. 1. l. 23. alia. l. *aliàs* impropria Clericis *ſunt*. p. 178. c. 2. l. 9. factam. l. factum. p. 181. c. 1. l. penul. volumus. l. nolumus. p. 183. c. 1. l. 39. infirma. l. infima. p. 194. c. 1. l. 9. Canonicam. l. Canonicum. ib. l. 26. inquiſiti. l. aquiſiti. p. 195. c. 1. l. 26. conviventes. l.

Digitized by Google

conviventibus, p. 201, c. 2. l. 50. conincidere. l. coincidere, p. 204. c. 1. l. 21. ſpecificam. l. ſpeciem. p. 208. c. 1. l. 24. Brusfeld. l. Bursfeld. p. 210. c. 1. l. 15. Cannicis l. Canonicis. p. ead. c. 2. l. 40. commendariis. l. commendatariis. p. 214. c. 1. l. 47. quàm. l. quam. p. 216. c. 2. l. 42. conſervationis. l. converſationis. p. 220. c. 1. l. 32. decretam. l. decretum, p. 222. c. 1. l. 33. locus verò ille. l. locum verò illum. p. 223. c. 2. l. 27. anni l. anno. p. 226. c. 2. l. 15. offatur. l. offeratur. p. 227. c. 1. l. 2. diſtractúmque. l. diſtractúsque. p. ead. c. 2. l. 23. Carthaginenſem. l. Tagaſtenſem. p. 231. c. 1. l. 4. Eccleſiæ. l. Eccleſia & l. 43. Pater. l. Patre. p. 232. c. 1. l. 1. votivo. l. votivorum. p. 238. c. 2. l. 35. ob. l. ab. p. 239. c. 1. l. 8. accurſu. l. anniſu. p. 244. c. 2. l. 33. conſeo. l. cenſeo. p. 257. c. 2. l. 22. Conradius. l. Concordius. p. 273. c. 1. l. 17. objectum. l. objectivum. p. 280. c. 2. l. 20. cappa. l. cappam. p. 289. c. 1. l. 17. diſcernimus. l. diſcurrimus. ib. c. 2. l. 10. die l. dic. p. 308. c. 1. l. 49. ſe patet. l. per ſe patet. p. 313. c. 1. l. 10. eúmque. l. dúmque. p. 318. c. 1. l. 3. regaliter. l. regulariter. p. 329. c. 1. l. 27. dici. l. diu. p. 333. c. 1. l. 16. officere. l. afficere. p. 338. c. 2. l. 19. pecularia. l. peculiaria. p. 347. c. 2. l. 43. ad Apoſtolos. l. ab Apoſtolis. p. 352. c. 2. l. 17. legitimate. l. legitimitate. p. 364. c. 2. l. 1. quos. l. quas. p. 365. c. 1. l. 34. inviolatoribus, dele in. p. 368. c. 1. l. penul. ad Epiſcopatum. dele *ad*. p. 369. c. 1. l. 27. gratum. l. quotum. p. 370. c. 1. l. 32. proſeferret. l. præſeferret. ib. c. 2. l. 39. abjurgatio. l. objurgatio. p. 371. c. 2. l. 29. lanificium. l. lanificio. p. 373. c. 1. l. 45. facit. l. faciat. p. 375. c. 2. l. 11. temporibus. l. temporis. p. 376. c. 1. l. 2. ſervientes. l. ſervientis. p. 405. c. 1. l. 20. *Clauſtra*, adde *exſtructa*. p. 414. c. 1. l. 9. Præfatorum. l. Prælatorum. p. 417. c. 2. l. 12. ſacra. l. ſacri. p. 428. c. 2. l. 16. pennatrice. l. peccatrice. p. 431. c. 2. l. ult. rationaliter. l. rationabiliter. p. 432. c. 1. l. 22. redimere. l. redimire. ib. l. 40. conſuetus. l. conſuetum. ib. c. 2. l. 27. obſolita. l. abolita. p. 437. c. 1. l. 42. ſererico. l. ſerenio. p. 452. c. 2. l. 15. devolvimus. l. devolvimur. p. 464. c. 1. l. 26. quanque. l. quandoque. p. 465. c. 1. l. 10. cooſervan l. conſervan. p. 466. c. 2. l. 9. ſuppedunt. l. ſuppetunt.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXX (1+2) X. 54

Digitized by Google

Digitized by Google